417

THEOLOGIÆ QUADRIPARTITÆ
SCOTI
SECUNDA PARS,
QUÆ EST SACRAMENTALIS;

NATURAM SACRAMENTORUM
in genere & ſigillatim explicans.

Authore F. IOANNE GABRIELE BOYVIN, ex urbe Viria Normaniæ inferioris oriundo; apud ſtrictioris obſervantiæ Franco-Pariſinos Minoritas in ſacra Theologia Lectore bis Iubilato.

Editio quarta auctior multô & emendatior.



PARISIIS,
Apud EDMUNDUM COUTEROT, viâ
Jacobæâ ad inſigne boni Paſtoris.

M. DC. LXXVIII.
CUM APPROBATIONIBUS ET PRIVILEGIO REGIS.

INDEX

DISPVTATIONVM, CAPITVM ET QVÆSTIONVM, quæ reperiuntur in secunda parte Theologiæ quadripartitæ Scoti, quæ est Theologia Sacramentalis.

INDEX

DISPVTATIONVM.

FINIS.

Mandatum Reverendissimi Patris Ministri Generalis.

FR. Franciscus Maria Rhini à Politio, totius Ordinis seraphici P. N. S. Francisci Minister Generalis & servus : Dilecto nobis in Christo Patri, Fratri GABRIELI BOYVIN sacræ Theologiæ Lectori Jubilato, & Provinciæ nostræ Franciæ-Parisiensis regularis observantiæ alumno, salutem in Domino sempiternam. Cùm ex lucubrationibus Theologicis quas prælo dederas, non obscurè notescat tua eruditio & doctrina, nobisque spem alat, te (ut intendis) plura in lucem editurum, quæ æquè grata sint futura, utilia proximis, & honorifica Religioni, quare tenore præsentium, meritum tibi impartimur salutaris obedientiæ, ut scribendi opera Theologica, & ea (servatis servandis) imprimendi continues. DATUM Parisiis in nostro Conventu Ave-Mariano die decimâ Julii anno 1671.

Fr. Franciscus MARIA RHINI DE POLITIO
Minister Generalis.

De mandato suæ Reverendissimæ Paternitatis Fr. ANTONIUS DE LOSSADAS ENRRIQUES Secretarius Generalis Ordinis.

Permissio R. P. Provincialis.

FR. Laurentius Dechars Ordinis Minorum, regularis observantiæ, Provinciarum Turoniæ Majoris, Aquitaniæ antiquioris Pater, necnon Provinciæ Franciæ-Parisiensis iterum humilis Provincialis Minister; plurimùm nobis dilecto Patri JOANNI GABRIELI BOYVIN in nostra Provincia sacræ Theologiæ Lectori bis Jubilato, salutem. Cum nobis constet de sana doctrina & scientia subtili quam profiteris, libenter concedimus, ut, juxta Reverendissimi Patris nostri Generalis mandatum, prælo committas Summam Theologiæ quam composuisti, sub titulo *Theologia quadripartita Scoti*, duobus voluminibus & quatuor partibus digestam, modò accedat Doctorum approbatio. DATUM Parisiis in Monasterio nostro Ave-Mariano, die vigesima sexta mensis Junii, anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo.

Fr. LAURENTIUS DECHARS Minister Provincialis.

Approbationes Doctorum.

NOS Frater Stephanus de Roissey in sacra Facultate Parisiensi Doctor Theologus, Priotatus Abbatiæ-Albæ Prior, Cisterciensis Ordinis in Provinciis Normaniæ, Cœnomaniæ & Perticæ Vicarius Generalis; Fidem facimus à nobis diligenter visam fuisse *Theologiam quadripartitam Scoti*, à Reverendo Patre JOANNE GABRIELE BOYVIN strictioris observantiæ Provinciæ Franci-Parisiensis reformatæ sancti Francisci Religioso, in sacra Theologia Lectore Jubilato compositam, in qua nihil prorsus habetur quod fidei orthodoxæ repugnet; imo cuncta sunt cum tanta veritate, claritate, & soliditate disposita, ut opus istud duobus voluminibus exaratum, jure merito typis mandandum exigat publica utilitas. DATUM in nostro Prioratu die decimâ quintâ Aprilis, anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo.

Fr. STEPHANUS DE ROISSEY.

EGO infrascriptus, sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, Ordinis Minorum Provinciæ Franciæ Majoris Definitor, Testor me accuratissimè perlegisse Librum cui titulus est *Quadripartita Theologia Scoti Doctoris subtilis*, exarata nimirum à Reverendo admodùm Patre GABRIELE BOYVIN strictioris observantiæ Provinciæ Franci-Parisinæ Patre ac Lectore Jubilato; quemquidem ob sinceram cum fidei nostræ principiis conformitatem, methodi ac stili perspicuitatem, doctrinæque soliditatem, dignum censui, qui publicis typis mandaretur. Spero scilicet ex ejus publicatione Ecclesiam Dei plurimum ædificationis ac utilitatis recepturam fore. DATUM Bajocis in nostro Conventu Fratrum Minorum, anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo septuagesimo septimo, die vero vigesimâ sextâ Octobris.

F. FRANCISCUS HERSANT Minorita.



THEOLOGIÆ



THEOLOGIÆ QUADRIPARTITÆ SCOTI SECUNDA PARS, SEU THEOLOGIA SACRAMENTALIS.

PARTIS SECUNDÆ,

Quæ est Sacramentalis,

PRÆLUDIUM.



HEOLOGIÆ Speculativæ, quam in prima Parte explicuimus, jure merito succedere debet Theologia Sacramentalis. Cùm enim Tractatus de Gratia primæ Parti dederit finem, ordo doctrinæ postulat ut secundæ det exordium materia de Sacramentis. Nam quandoquidem certum est, Deum suam gratiam alligasse ipsis Sacramentis, veluti quibusdam canalibus, per quos in animam transfunditur supernaturalis illa qualitas; ideo æquum videtur, ut, positâ explicatione gratiæ, subjungatur Theologia sacramentalis, in duas disputationes dividenda; quarum prior erit de Sacramentis in genere, & posterior de iisdem in specie. Quòd si in ipsis explicandis videamur non meminisse brevitatis illius, quam hactenùs affectare sumus soliti, hoc materiæ exigit utilitas, imò & necessitas.



DISPUTATIO PRIMA.

De Sacramentis in genere.



N hâc Disputatione tria maximè nobis examinanda sunt; scilicet natura & multiplicitas Sacramentorum; deinde ipsorum causa; denique eorum effectus.



CAPUT PRIMUM.

De naturâ & numero Sacramentorum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Sacramentum?

SACRAMENTI vocabulum diversimodè usurpatur; v. g. pro mysterio, vel pro secreto; sed

A propriè & secundùm nostrum propositum sumitur pro Signo rei sacræ; quam definitionem affert D. Augustinus: illa tamen descriptio non est accurata; in sacris enim Scripturis, multa sunt signa rei sacræ, quibus tamen ratio Sacramenti non competit propriè. V. g. Transitus maris rubri significabat gratiam per pœnitentiam conferendam; Manna gratiam per Eucharistiam communicandam; Serpens æneus gratiam per Christum in cruce pendentem nobis dandam; hæc autem omnia non sunt propriè sacramenta: & sic Aug. descriptio minùs correcta est; quam si salvare velimus, ob reverentiam tanti Doctoris, addendum est, Signum efficax rei sacræ, id est, gratiæ: ad Sacramenti enim rationem, non sufficit quod gratiam significet, ut Manna, Serpens æneus, & Transitus maris
B rubri significabant; sed requiritur insuper, quòd ipsammet gratiam producat & effundat. Hæc omnia explicabit

CONCLUSIO.

SACRAMENTUM est signum sensibile & externum, divinitùs institutum, gratiam Dei efficaciter significans. Dicitur primò, *Signum sensibile, seu externum*, quia instituta sunt Sacramenta sub rebus sensibilibus, ut sunt aqua in Baptismo, oleum in Confirmatione, Extrema-unctione, & Ordine; panis in Eucharistiâ, verba absolutionis in Pœnitentiâ, & nutus externus partium in Matrimonio.
C Ratio autem cur Sacramenta sunt sensibilia, est quia Ecclesia est sensibilis, & proinde sensibiles debet habere ceremonias, & sensibilia signa, sine quibus non possent homines congregari in unum corpus Ecclesiæ visibilis & ab aliis discerni, inquit Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. Hoc præclarè confirmat Chrysostomus Homil. 83. in Matthæum. *Si tu incorporeus esses, nuda ipsa dona tradidisset tibi, sed quoniam corpori conjuncta est anima tua, in sensibilibus intelligenda tibi traduntur.*

Deinde, si non sensibilia, sed tantùm intelligibilia & spiritualia nobis concessa fuissent instrumenta salutis, non potuissent per homines applicari, sicque non fuisset subordinatio inter homines quoad participationem mediorum salutis, per quam



tamen humilitas & charitas inter membra corporis Ecclesiæ multùm fovetur, dum subditi humiliter petunt à pastoribus quòd talia instrumenta gratiæ sibi applicentur, & pastores seu aliæ personæ ecclesiasticæ illa ex charitate administrant subditis. Porrò, licèt nostra sacramenta sint sensibilia & corporea propter has congruentias, & alias, quæ videri possunt in Catechismo Romano, potuit tamen Deus instituere sacramenta merè spiritualia; quia per actionem purè internam potuit conferre gratiam, quæ interna est & spiritualis: pro tunc tamen juxta præsentem acceptionem, quâ usurpatur sacramentum pro signo sensibili, illa sacramenta non essent ejusdem rationis ac nostra; licèt possent dici verè & propriè sacramenta, quia essent signa practica gratiæ, in quo stat formalis & præcisa sacramenti ratio.

Dicitur secundò, *divinitùs institutum*; quia solus Christus Deus & homo instituit Sacramenta. Licèt autem illa signa divinitùs tradita, & non inventa humanitùs, non sint signa naturalia, cùm nihil sensibile possit esse ex natura rei signum efficax gratiæ, & nulla sit v. g. connexio gratiæ cum aqua aut verbis; attamen sacramenta habent de facto aliquam proportionem ad significandos effectus sacramentales, ut patet ex ablutione corporis, quæ apta est ad significandam ablutionem animæ in baptismo; & ex speciebus panis & vini, quæ convenienter significant spiritualem refectionem per corpus & sanguinem Christi; & ex aliis sacramentis, ut videre est apud Suarem Disp. 1. Sect. 3. qui ad hoc probandum inducit D. Augustinum epist. 23. ad Bonifacium dicentem, *Sacramenta quamdam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt sacramenta: quam si non haberent, omnino sacramenta non essent.* Quòd sic intelligi non debet, quasi absolutè necessarium sit, ut sacramenta, seu signa externa sacramentorum habeant illam proportionem cum effectibus quos producunt; sed quia congruum est, ut cum tali proportione illa instituerit Christus.

Dicitur tertiò, *gratiam significans*: quia omnia Sacramenta gratiam nobis collatam significant: alia gratiam substantialem & subsistentem significant, scilicet Eucharistia, quæ significat Christum quem continet, qui quidem Christus vocatur gratia subsistens & substantialis, in quantùm est principium omnis gratiæ: alia verò significant gratiam inhærentem & habitualem; quæ inhæret animabus fidelium qui Sacramenta recipiunt. Subjungitur tandem, *efficaciter*; quia est hæc differentia inter Sacramenta novæ legis & sacramenta veteris, quòd sacramenta veteris legis significabant tantùm gratiam, non verò conferebant; nostra verò illam significant & conferunt. Ex hoc patet, sacramenta nostra esse signa practica, quæ non solùm significant, sed etiam causant suum significatum, idque ex opere operato, & vi propriâ signi extrinseci, citra meritum operantis: Unde qui malo fine baptisaret cùm debitâ intentione, conferret gratiam, nedum adultis, sed etiam parvulis, qui non possunt habere opus operans & meritorium.

Porrò, quando diximus Sacramentum esse Signum, hoc intelligitur multis modis; scilicet, quòd sit signum rememorativum passionis Christi, demonstrativum gratiæ præsentis, & pronosticum gloriæ futuræ.

Objicies: Si Sacramentum esset signum gratiæ quam confert, non posset recipi sacramentum, nisi simul reciperetur gratia; sed aliquando recipitur A sacramentum & non gratia, ut patet in indignè communicantibus, qui corpus Christi reverà sumunt, & nullam accipiunt gratiam. Resp. Sacramenta esse reverà effectiva & productiva gratiæ, dummodò non ponatur obex, ut faciunt illi qui communicant indignè; hoc tamen non impedit efficaciam sacramentorum, quia si aliquando illam non conferant, hoc provenit, non ex defectu sacramenti, sed ex defectu recipientis, qui interponit obicem gratiæ. Exemplificari potest de sole, qui habet virtutem illuminativam omnium corporum; si quis tamen clauderet oculos, non illuminaretur; sed talis defectus procederet, non ex parte solis, qui non minùs diceretur illuminativus, sed ex parte illius qui oculos clauderet. Ad dirimendam vim B hujus objectionis, noster Poncius dist. 41. quæst. 1. num. 9. sacramentum definit, *Signum sensibile institutum à Deo, ad conferendum infallibiliter ex opere operato gratiam sanctificantem homini suscipienti, non indisposito.* Nec quis dicat, aquam benedictam conferre gratiam, quoniam tollit peccata venialia: hoc enim falsum est; nam licèt tollat peccata venialia, saltem remotè; non tamen gratiam confert, quia peccata venialia illam non tollunt.

Objicies 2. cum hæreticis contra particulam tertiam diffinitionis nostræ, quâ diximus Sacramenta significare gratiam: illa scilicet potiùs esse signa prædestinationis, fidei, & promissionum divinarum, quàm gratiæ sanctificantis. Respondeo, C dictum illud hæreticorum falsissimum esse, tùm ex Concilio Florentino in Decreto Unionis, ubi Sacramenta nova & vetera dicuntur signa gratiæ: tùm ex Trident. sess. 7. can. 6. ubi habetur, quòd Sacramenta legis novæ non solùm significant gratiam, sed etiam continent ac conferunt: tùm denique ex authoritate Patrum inter quos Augustinus quæst. 84. in Leviticum ait, *Totus fructus visibilium sacramentorum in gratia est positus*, Epist. 166. addens, *Deus operatur per malos ministros visibilem sacramenti formam, ipse verò donat invisibilem gratiam*: quæ omnia satis indicant, Sacramenta esse præcisè & formaliter signa gratiæ justificantis, non verò prædestinationis, aut fidei, aut promissionum divinarum, quarum adeptionis D sunt capaces illi, qui sacramentalibus signis instruuntur, ut volunt hæretici.

Primò enim, si Sacramentum esset prædestinationis signum, sacramenta nulla essent in reprobis, vel in illis falsam haberent significationem. V. g. Baptismus collatus infanti, qui esset reprobus, invalidus foret, quoniam non esset in illo signum prædestinationis, aut esset falsum signum. Quod si Sacramentum à quibusdam orthodoxis dicatur aliquando signum prædestinationis, quia significat gloriam fidelibus conferendam: illam non significat immediatè & infallibiliter, sicut significat gratiam utroque modo. Secundò, falsum est quod dicunt hæretici, sacramenta esse signa rei sacræ, E quia sunt signa fidei; quatenùs signum illud sensibile excitat fidem, per quam homo justificatur; hoc enim est condemnatum à Concilio Tridentino sess. 7. can. 5. cujus ratio ex hoc petitur, quòd baptismus infantium verum sit sacramentum, licèt nullam in illis fidem excitet, cùm sint rationis expertes & incapaces proinde fidei actualis. Tertiò, dici non debet quòd sacramenta sint signa divinarum promissionum: aliàs Scriptura sacra & prædicatio Evangelii essent sacramenta, sicut & omnia illa verba, quæ nobis indicarent aliquam Dei promissionem. Deinde, non deberent sacramenta applicari infantulis, utpote capacitatem non

habentibus cognoscendi promissiones divinas. Tandem, signum debet esse aliquid notius re significatâ, Sacramenta verò non sunt notiora promissionibus divinis, quæ clariores existunt in verbis, cùm multò magis significent à quam signa muta, ut patet in istis, *Qui baptisatus fuerit salvus erit: qui manducat hunc panem vivet in æternum:* ergo sacramenta non sunt signa rei sacræ, quatenus significant divinas promissiones, sed quatenus significant gratiam.

Objicies 3. Si Sacramentum esset signum efficax gratiæ, martyrium quod confert gratiam, diceretur sacramentum, sicut & sacrificium; & lotio pedum, de quâ loquens Christus Petro dixit Joan. 13. *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; & verba Christi dicentis Paralitico Matth. 9. & Magdalenæ Luc. 7. *Remittuntur tibi peccata tua:* & insufflatio, quâ contulit Apostolis Spiritum sanctum Joan. 20. & serpens æneus, transitus maris rubri, & manna in deserto, quæ significabant gratiam per Christum conferendam; ac denique sacramentalia, quæ remittunt peccata, saltem venialia: hæc omnia, inquam, erunt sacramenta, si sacramentum ritè diffiniatur signum efficax gratiæ.

Respondeo 1. Martyrium non esse sacramentum, quia nedum instituit sacramenta, sed & illorum applicationem præcepit, Martyrium verò prohibuit inferri; unde non est sacramentum, licet gratiam practicè significet.

Respondeo 2. Sacrificium sub formali ratione sacrificii non posse dici sacramentum, quia ut sic non est institutum ad significandam & conferendam gratiam, sed ad testandam divinam excellentiam, & nostram submissionem per cultum, qui Deo exhibetur in sacrificio. Hoc non impedit tamen, quin sacrificium, ut sacramentum est, significet & conferat gratiam & sanctitatem.

Respondeo 3. quòd licet pedum lotio vocetur à Cypriano, Ambrosio & Bernardo sacramentum; propriè tamen non est talis, quia non fuit instituta à Christo ad conferendam gratiam ex opere operato, sed ad præbendum humilitatis exemplum, & ostendendum, quanta puritas sit necessaria in receptione Eucharistiæ, cujus sacramenti proximam meditabatur institutionem.

Respondeo 4. quantùm ad verba Christi dicentis, *Remittuntur tibi peccata*, illa non habuisse rationem sacramenti: tùm quia, ut communiùs censetur, non tam fuerunt remissiva peccati, quàm declarativa remissionis antea factæ, juxta verborum tenorem: tùm quia illa verba à Christo prolata, fuerunt transitoria; sacramentum autem importat quid fixum & permanens, quod longiùs duraturum est.

Respondeo 5. eodem modo ad insufflationem Christi super Apostolos, quòd licèt contulerit illis Spiritum sanctum, & ipsos fecerit completè sacerdotes, quoad potestatem remittendi peccata, non debuerit tamen vocari sacramentum, quia communiter exigitur in ratione sacramenti stabilitas aliqua, licèt Christus absolutè potuerit sacramentum constituere in actione aliquâ per modum transeuntis se habente.

Respondeo 6. serpentem æneum, transitum maris rubri, & manna in deserto non fuisse vera sacramenta; quia ad rationem sacramenti non sufficit, quòd significet gratiam quocumque modo, vel remotè, vel per accidens; sed debet significare per se, & ex institutione primaria Christi, itaut gratia, vel conferatur actu, vel saltem conferri debeat in usu

A & applicatione illius, & sacramentum sit præcisè ad conferendam gratiam institutum; sed serpens æneus & transitus maris rubri & manna, non instituta fuerant primariò ad significandam gratiam per Christum tribuendam, sed ad alios quosdam effectus temporales; nimirum serpens æneus ad curanda serpentum vulnera; transitus maris rubri ad devitandum Ægyptiorum furorem, & manna ad alendos Judæos in deserto: ergo illa non habuerant rationem propriam sacramentorum.

Respondeo ultimò ad sacramentalia, quæ videntur conferre gratian, quia tollunt peccata venialia, ut Aqua benedicta, Panis benedictus, Oratio dominica, generalis Confessio, Eleemosina, & benedictio Episcopalis, quæ hoc versu continentur,

B *Orans, Tinctus, Edens, Confessus, Dans, Benedicens*: illa non posse vocari propriè sacramenta; quia, licèt sint cæremoniæ quædam Ecclesiasticæ, quæ habent vim delendi peccata venialia, fundatam in hoc quòd Christus multoties promiserit fidelibus in Ecclesia congregatis concedere quæcumque petierint, & proinde remissionem peccati venialis usurpantibus sacramentalia, ut patet Luc. 11. *Petite, & dabitur vobis*; & Matth. 18. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo*: & Joan. 16. *Usque modo non petistis quidquam in nomine meo, petite & accipietis*; non tamen illa sacramentalia conferunt gratiam, quoniam illi quorum peccata venialia dicuntur remitti per aquam benedictam,

C supponuntur esse in statu gratiæ, & sic illa non potest sortiri sacramenti rationem sicut nec alia sacramentalia. Deinde, usus aquæ benedictæ, juxta communiorem & solidiorem sententiam, non operatur per se, & ex opere operato venialium remissionem, nec ad illum effectum ordinatur, ut patet ex ejus benedictione, quod tamen diximus requiri ad sacramentum. Tandem, illa sacramentalia non sunt instituta à Christo, sed tantùm ab Ecclesia immediatè, quæ tales cæremonias adhibet, ut per suas preces prosint utentibus ad comprimendos dæmones, ad temporalia beneficia impetranda, & obtinendos pios motus, quibus peccata venialia deleantur.

D

Quæstio II.

Quot sint Sacramenta novæ legis?

Tanta fuit semper inter hæreticos dissentio circa numerum Sacramentorum, ut ex illorum variis opinionibus validè concludi possit, veram Ecclesiam non posse esse apud ipsos. Si enim Lutherus in lib. de notis Ecclesiæ & Confessio Augustana contendat præcipuam veræ Ecclesiæ notam esse consensum in sacramentorum doctrina, nonne

E de facili conjici debet, Novatorum Ecclesiam non esse nisi falsam & adulteram, cùm huc usque de sacramentorum numero convenire non potuerint? Lutherus, qui in hac materia semper miram habuit inconstantiam, ut liquet ex libro de Captivit. Babylonica, ubi modo unum tantùm admittit, modò duo, modò tria, constantiùs & firmiùs hunc ultimum numerum asseverat & pro sacramentis tria recenset, nimirum Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam: licèt enim loco præcitato, loquendo rigidè voluerit tantùm esse duo; ibidem tamen tria etiam admittit, quem numerum retinuit semper posteà, ut colligitur ex lib. ad Pragenses de instituendis Ministris, ex lib. de Missa privata, & in

assertionibus contra Lovanienses, ubi in assert. A 35. ait, *Pœnitentiam cum virtute clavium absolventium peccatum libenter confitemur; habet enim promissionem & fidem remissionis peccatorum.* Hanc opinionem tenent omnes Lutherani, ut colligitur ex catechismis Lutheranorum, scilicet Philippi Melanctonis, Brentii, & aliorum, & rituales seu agendæ ipsorum & apologia Confessionis Augustanæ art. 13. perhibent.

Zuinglius in lib. de vera & falsa religione cap. de Sacramentis, duo tantùm esse docet, nempe Baptismum & Cœnam; capite tamen de Matrimonio addit etiam Matrimonium, quod tamen tenuit sacramentum vocari; non quasi sacramenti ratione careat, sed ne obscuretur dignitas B Matrimonii, quod nobilius esse contendit sacramento. Calvinus tria esse sacramenta affirmat, Baptismum, Cœnam, & Ordinationem; licèt enim lib. 4. Instit. cap. 18. ff. 19. duo prima tantùm teneat pro sacramentis, attamen pauló post cap. 19. ff. 31. Ordinationem numerat inter vera sacramenta; sicut & anteà cap. 14. ff. 20. ubi monet, quód si dixerit aliquando duo tantùm esse sacramenta; loquitur de sacramentis ordinariis, quæ toti Ecclesiæ sunt communia: unde in Antidoto Concilii Tridentini Sess. 7. Can. 1. quatuor tantùm sacramenta rejicit à numero septenario, quem admittunt Catholici, Confirmationem videlicet, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, & Matrimonium; quod denotat, ipsum C alia tria pro sacramentis admisisse. Philippus Melanctonius quatuor astruit sacramenta, Baptismum, Cœnam, Pœnitentiam & Ordinationem; licèt enim priùs cum Luthero tantùm duo sacrata admiserit, & posteà tria, addendo Pœnitentiam; in locis tamen editis ann. 36. & 52. & 58. quæ fuit ultima editio, cap. de numero sacramentorum ait, *Mihi maximè placet addi Ordinationem, ut vocant, id est, vocationem ad ministerium Evangelii, quia hac etiam mandato apostolico præcipitur, & addita est promissio.* Idem Philippus in locis ultimò editis ann. 58. licèt non assertivè pronuntiet Matrimonium sacramentum esse, ut positivè asserit Zuinglius; maximè tamen in hanc D propendet opinionem, dum asserit Matrimonium esse signum rei sacræ, habere mandatum divinum, & annexam promissionem; solumque illi deesse quód fuerit ante Christum, quod tamen non obstat; quia sicut ipse fatetur Baptismum Joannis, qui ante Christum institutus est, esse verissimum sacramentum, utpotè à Christo receptum & confirmatum, sic nil vetat, quin eàdem ratione in mente Melanctonii matrimonium pro sacramento habeatur.

Ex his habetur, quanta sit inter hæreticos varietas & divisio circa sacramenta: quod manifestè denotat, prava illorum dogmata non multùm esse duratura, quoniam ex Evangelio *Omne regnum in se divisum dessolabitur*, ut ipsemet E notavit Lutherus in Psal. 5. dicens, *Nulli hæretici victi sunt vi aut astu, sed mutuâ dissentione; nec aliter cum illis pugnat Christus, quàm misso inter eos spiritu vertiginis & dissentionis, sicut inter Sichimitas Jud. 9. & inter Babylonica turris operarios Genes. 11. & in nova lege inter Arianos, Pelagianos, & Donatistas.* Si ergo hæreses tempora Lutheri antecedentes, citò destructæ sunt, quia divisionem & schisma inter illarum fautores permisit D. Providentia, ut multò ante scripserat Hilarius libro 7. de Trinitate, jure merito præsumendum est, non multùm longiùs perseveraturas esse hæreticas novatorum nostrorum opiniones, quæ præcedenti sæculo ortum habuere, cùm tanta inter ipsos videatur dissentio in materia sacramentorum essentiam religionis concernenti.

CONCLUSIO.

SEPTEM sunt legis novæ sacramenta suprà enumerata; qui quidem numerus, licèt non habeatur expressé ex sacrâ Scripturâ, colligitur tamen ex traditione Ecclesiæ & Conciliis, maximè Florentino & Tridentino, quod ultimum sess. 7. de sacramentis in genere can. 1. habet, *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis esse plura aut pauciora quàm septem, anathema sit.* Quod idem diffinivit præcedens in decreto unionis. Quibus conciliis addi potest Constantiense sess. 15. & 45. Porrò, quia talis numerus est contingens, quandoquidem Christus plura aut pauciora instituere potuit, ideò non possunt assignari rationes necessariæ, quæ probent talem numerum; sed tantùm afferuntur rationes convenientiæ, quæ suadent illum esse ita congruum, ut non debuerit esse major vel minor.

Prima ratio convenientiæ petitur ex proportione & comparatione vitæ spiritualis cum corporali; homo enim potest concipi dupliciter, vel in ordine ad se, vel in ordine ad rempublicam, cujus est membrum: si in ordine ad se, indiget generatione, per quam existere incipit, & huic respondet Baptismus, quo spiritualiter nascimur. Secundò indiget augmentatione, cui respondet Confirmatio, quâ, veluti infirmi & modò geniti infantes, in gratiâ accrescimus, roburque accipimus ad protestandam fidem. Tertiò, indiget nutritione, cui respondet Eucharistia, quâ tanquam spirituali cibo reficimur. Quartò, indiget medicinâ, quâ recuperetur pristina sanitas, & huic respondet Pœnitentia. Quintò, eget remedio contra reliquias morbi, ad refocillationem virium debilitatarum, & huic respondet Extrema-unctio. Si autem consideretur, ut est membrum reipublicæ, respublica indiget potestate & magistratu ad regendum alios, & huic respondet Ordo, ad populi Christiani gubernationem & functiones Ecclesiasticas obeundas. Septimò tandem, eadem respublica indiget propagatione individuorum, quâ conservetur, & huic respondet Matrimonium, ad procreandam sobolem, quæ in Dei cultu instruatur.

Secunda ratio convenientiæ desumitur ex Doctore seraphico D. Bonaventurâ, & hæc est; Deus per sacramenta voluit tollere tùm culpam, tùm pœnam: est autem triplex culpa, & quadruplex pœna: ergo debent esse septem sacramenta. Probatur minor: Culpa vel est originalis, contra quam instituitur Baptismus; vel mortalis, contra quam datur Pœnitentia; vel venialis, quam tollit Extrema-unctio. Pœna etiam peccati est quadruplex; prima est ignorantia, contra quam est Ordo, in quo traditur clavis scientiæ & potestas discernendi inter lepram & lepram; secunda est infirmitas naturæ, contra quam est Confirmatio, quæ novas vires addit ad protestationem fidei; tertia est malitia, contra quam Eucharistia instituitur; quarta tandem est concupiscentia, contra quam est Matrimonium.

Tertia congruitas septenarii numeri sacramentorum desumitur insuper ex conformitate ad septem virtutes Theologicas & Cardinales; nam Baptismus respondet Fidei; Confirmatio Spei, Eucharistia Charitati, Pœnitentia, Justitiæ Ordo Prudentiæ & Matrimonium Temperantiæ. Talis numerus confirmari potest per hoc, quód ante qua-

dringentos annos cum Magistro Catholici Doctores illum docuerint unanimiter; unde Calvinus lib. 4. Instit. cap. 19. ʃʃ. 2. hanc doctrinam de septenario Sacramentorum numero omnium ferè sermonibus tritam vocavit, scholas omnes ac conciones pervagatam fuisse dixit, itaut longâ vetustate profundas egerit radices. Ex quo patet, talem numerum à Christo & Apostolis perpetuâ traditione profluxisse, cùm hac de reinter Catholicos nulla unquam fuerit dissensio, nec hæretici Luthero & Calvino antiquiores illam contradixerint; nullum etiam Concilium, aut Pontificem istum numerum introduxisse legatur; nec denique ullus historiographus unquam retulerit, quis fuerit talis doctrinæ author, vel tempus quo cœperit doceri, uti singularum hæresum refertur origo ab authoribus,qui talis sæculi gesta conscripserunt. Et hoc est, quod generaliter insinuat Augustinus lib. 4. de Baptis. cap. 14. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.*

Objicies: Hic septenarius Sacramentorum numerus in Scripturâ non reperitur: ergo fingitur gratis. Respondendum est sicut anteà, talem non assignari numerum, quasi habeatur expressè inscripturis; sed quia habetur ex traditione Apostolicâ, quæ non est minoris auctoritatis. Habetur etiam ex Conciliis,maximè ex præcitatis; si enim requireretur expressa scriptura, nec Baptismus, nec Cœna deberent teneri ad adversariis. Deinde, licet expressè non dixerit Scriptura, septem Sacramenta esse, nullibi tamen prohibuit talem admitti numerum; & hæc responsio à Luthero approbatur. Cùm enim initio prædicationis suæ non parùm abhorruerit à nomine Sacramenti, ut habet in lib. de captivitate Babylonica Cap. de Matrimonio, videns Carlostadium & Zuinglium, cum quibus inimicitiam gerebat, etiam repudiare sacramenti nomen; illud approbare cœpit, ut patet ex Lib. contra cælestes Prophetas Part. 2. ubi inquit, *Dicit Carlostadius, Christum & Apostolos cœnam non appellasse sacramentum & velle se habere tale nomen ex Bibliis: &c.* & inferiùs respondet, *Age animicida,tu & spiritus peccati: fatemur quidem, Deum non dixisse Sacramentum, nec præcepisse ut sacramentum diceretur, sed dic nobis contrà, ubi probibuit Sacramentum dici? quis ergo tibi dedit potestatem probibendi quod Deus non prohibet? an non est verus animicida qui se ponit loco Dei super nos & aufert nostram libertatem?* Si ergo Lutherus approbaverit nomen Sacramenti non expressum in Scripturâ, quatenus Scriptura illud non prohibet, nonne eodem modo ad objectionem respondere possumus, quòd licèt numerus septenarius Sacramentorum non habeatur in Scripturis, possit tamen admitti ex traditione; cùm Scriptura illum non prohibeat, imò clarè insinuet conditiones requisitas ad rationem veri sacramenti, nostris septem convenire?

Si enim illud sit Sacramentum, cujus ritus, institutio seu mandatum, & promissio gratiæ exprimuntur in sacris paginis; nonne jure admittimus septem Sacramenta prææallegata, in quibus hæc tria reperiri Scriptura commemorat? Primò, ritus baptismi exprimitur ad Ephesios 5. *Lavacrum aquæ in verbo vitæ.* Institutio ac mandatum illius insinuatur Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, & Matthæi ult. *Baptisantes eos.* Tandem promissio gratiæ exprimitur ibidem, *Qui crediderit & baptisatus fuerit salvabitur.* Secundò, ritus externus Confirmationis, seu manuum impositio habetur 8. & 19. Actuum. Effectus ejus ibidem insinuatur, quoniam per manus Apostolorum dabatur Spiritus sanctus. Licèt autem institutio & mandatum non habeatur expressè in Scripturâ, colligitur tamen ex locis citatis; quia non ità ordinariè & confidenter imposuissent manus Apostoli ad gratiam Spiritûs sancti communicandam,nisi id præcepisset Dominus, quoniam non ignorabant, quòd nullus homo posset instituere cæremoniam, ad quam sequeretur gratia Spiritûs sancti. Tertiò, ritus Eucharistiæ habetur, Matth. 26. & 1. ad Corinth. 11. *Accepit panem, gratias agens fregit*, &c. Habetur deinde institutio & mandatum ibidem, *Hoc facite:* & Joan. 6. *Nisi manducaveritis:* Denique habetur promissio gratiæ, Joan. 6. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Quartò, Pœnitentiæ indicatur ritus, nimirum judicialis absolutio facta per verbum externum, quæ est signum interioris, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata.* Per verba sequentia, *remittuntur eis*, habetur promissio gratiæ, mandatum verò ex istis ibidem, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, unde Paulus, ait 2. ad Corinth. 5. *Dedit nobis ministerium reconciliationis.* Quintò, ritus Extremæ-Unctionis indicatur per verba ista Jacobi: *Orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Item promissio, *& alleviabit eum Dominus; & si in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Denique mandatum concluditur ex eo quòd Apostolus non auderet ità absolutè promittere tantum effectum, nisi hoc accepisset à Domino. Sextò, ritus externus Ordinis & gratiæ promissio indicatur 2. ad Timoth. *Admoneo te, ut ressuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Institutio etiam & mandatum ex 4. Ephes. *Ipse dedit quosdam Apostolos, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores.* Septimò, matrimonii nomen habetur, Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*, sub quo intelligitur ritus externus, seu contractus visibilis inter virum & fæminam; quia dicit quòd sit magnum sacramentum, quod non potest constare sine tali signo, ut exponunt Chrysostomus, Hieronymus, Nazianzenus & alii omnes in hunc locum. Habetur deinde institutio Matth. 19. *Quod Deus conjunxit nemo separet.* Tandem colligitur gratia Matrimonio annexa ex præcitato Paulo dicente, conjunctionem viri & fœminæ significare conjunctionem Christi cum Ecclesia. Duplex autem fuit conjunctio Christi cum Ecclesia: una scilicet per naturarum unionem, quæ in Incarnatione conjungit Christum, nedum cum Ecclesiâ, sed & cum toto genere humano; & alia per gratiam & charitatem, quâ specialiter Christus unitur cum Ecclesia, & juxta quam ipsemet dicitur sponsus, & Ecclesia sponsa, 2. Corinth. *Desponsabo te mibi in æternum.* Ut igitur sit perfecta conformitas inter matrimonium Christi cum Ecclesia, & matrimonium viri & fœminæ, inter istos nedum esse debet unio carnalis, ut apud paganos, sed & spiritualis in gratia & charitate fundata; sicque matrimonium habet sibi adjunctam gratiam, & proinde verum est Sacramentum.

Objicies 2. cum Calvino lib. 4. Instit. cap. 19. ʃʃ. 3. veteres Patres loquentes de sacramentis, admittere tantùm Baptismum & Eucharistiam, ut patet specialiter ex Augustino, qui in Epist. 11. dicit, Christianos frui sacramentis *numero paucissimis, observatu facillimis, & significatione præstantissimis*; Posteà addens, *Sicut est baptismus nomine Trinitatis consecratus, & communicatio corporis & sanguinis ipsius.* Resp. D. Augustinum non dicere, quòd sint tantùm duo Sacramenta, sed illa tantùm po-

nere pro exemplis, ut patet ex ipso lib. 3. doctrinæ Christianæ cap. 9. dicente, *Pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & conservatione facillima ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina, sicuti est baptismi sacramentum & celebratio corporis & sanguinis Christi;* ubi per hanc particulam, *sicut*, indicatur mentem Augustini non fuisse enumerare sacramenta, sed afferre per hæc duo, exempla Sacramentorum quæ instituit Christus; unde communia & principalia adducit tantùm, non dubitans, imò supponens, esse plura, ut patet ex loco citato in objectione, ubi post verba, *Sicut est baptismus & communicatio corporis & sanguinis Christi*, addit immediatè, *& si quid aliud Scripturis canonicis commendatur:* ubi sub nomine Scripturæ traditionem involvit, quæ Scripturæ æquivalet, & quam tanti facit Augustinus, ut lib. contra epistolam Fundamenti cap. 5. dixerit, *Non crederem Evangelio, nisi Catholicæ Ecclesiæ me commoveret authoritas.* Deinde, si accuratè legantur opera Augustini, fat apertè patebit, ipsum nostra septem sacramenta recensere. Nam de Baptismo & Eucharistia convenit Conc. 1. in Psal. 103. *Respice ad munera ipsius Ecclesiæ: munus sacramentorum in Baptismo, in Eucharistia, in cæteris sacramentis.* De Confirmatione agit lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104. *Sacramentum Chrismatis in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut Baptismus.* De Pœnitentia tractat lib. de adulterinis conjugiis cap. 26. & lib. 5. de Baptismo cap. 20. ubi cum Baptismo, Eucharistia, & Confirmatione numerat reconciliationem per impositionem manuum, quam vocat sacramentum in Psal. 146. ubi explicans hæc verba, *Qui alligat contritiones eorum*, reconciliationem peccatorum sacramentum appellat. Agit de Extrema-Unctione in lib. de Speculo, in Serm. 215. de tempore, & lib. de visitatione infirmorum cap. 4. non constat tamen, an hic liber sit Augustini. De Ordine scribit lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 13. ubi de Baptismo & Ordinatione ait, *Utrumque sacramentum est, & quadam consecratione utrumque homini datur; illud, cùm baptisatur; istud, cùm ordinatur: itaque in Ecclesia utrumque non licet iterare.* Admittit denique matrimonium & de illo clarè tractat lib. de bono conjugali cap. 18. *In nostrorum*, inquit, *nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas uteri.* Et cap. 24. *Bonum nuptiarum per omnes Gentes & omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis; quod autem ad populum Dei attinet, etiam in sanctitate sacramenti, per quam nefas est, etiam intercedente repudio, alteri nubere.* Ex quibus patet, falsò Augustino attribui ab hæreticis, quòd sacramenta pauciora septem admiserit. Idem numerus sacramentorum ex aliis Patribus probari posset; si foret necessarium, ut patet ex Bellarmino lib. 2. cap. 24. de Sacramentis in genere; hi tamen non dicunt expressè, quòd septem sacramenta sint, sicut nec exprimunt quatuor fuisse Evangelia, quoniam non fuit propositum Scripturæ aut Patrum, omnia enumerare sacramenta; sed de singulis locuti fuerunt, dum se præstitit occasio & necessitas.

Quòd si instent hæretici, Scripturam docere tantùm duo esse Sacramenta, per hoc quod Joan. 19. ex latere Christi fluxerint sanguis & aqua, id est Baptismus & Eucharistia, ut explicant Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus in hunc locum, Damascenus lib. 4. de fide cap. 10. & Augustinus lib. 2. de Symbolo cap. 6. Responderi potest pri-
A mò, per sanguinem & aquam intelligi reverà præcipuè Eucharistiam & Baptismum, sicut voluerunt Patres illi, ut plurimùm Græci; hoc non impedit tamen, quin per illos liquores figurata fuerint alia sacramenta, quæ in illis duobus continentur virtualiter, quoniam Baptismus est janua sacramentorum, & Eucharistia est illorum finis, ut habetur in sequenti quæstione. Responsio alia dari potest, & dici, quòd non sit necessarium absolutè sequi hanc Græcorum expositionem, cùm aliter præfata verba Joannis explicentur ab aliis Patribus non minoris doctrinæ & sanctitatis. Nam Hieronymus Epist. 83. ad Oceanum cum Cyrillo Catechesi 3. per sanguinem & aquam intelligit duo
B baptismata, unum in sanguine, scilicet martyrium, & aliud in aqua. Ambrosius verò lib. 10. in Lucam cap. 105. Leo Epist. 4. & Augustinus cum Beda in cap. 19. Joannis, per sanguinem intelligūt redemptionis pretium, & per aquam Baptismum, qui est primus effectus redemptionis, & quem sequuntur alia sacramenta, quæ pariter ortum habuerunt à redemptione, & quæ virtualiter inclusa sunt in Baptismo. Et hæc expositio maximè literalis esse videtur, in quantùm, si per sanguinem intelligeretur Eucharistia, & per aquam Baptismus, iste debuisset priùs exprimi, & dici, exivit aqua & sanguis, quia Baptismus præcedit Eucharistiam; attamen dictum est, *exivit sanguis & aqua*, id est, pretium, quo
C facta est redemptio, & effectus primarius illius & principalior, nempe Baptismus, sine quo alia sacramenta essent inutilia, cùm non possint conferri nisi fidelibus, & nullus sit fidelis, nisi mediante Baptismo. Porrò, si clamitent hæretici, non posse admitti tantum numerum sacramentorum, quoniam Augustinus asserit, ea esse numero paucissima; hoc dixit per comparationem ad sacramenta legis antiquæ, quæ erant longè plura, ut colligere est ex his quæ dicit lib. de vera Religione cap. 17. *Populus Iudaicus multis sacramentis onerabatur.* Et lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 9. Christus *nobis pauca sacramenta pro multis tradidit, & sacramentis*
D *numero paucissimis societatem novi populi colligavit.*

QUÆSTIO III.

An Sacramenta sint æqualia in dignitate?

SCRIBENS Lutherus ad Pragenses de instituendis ministris, asserit unum Sacramentum dignius altero esse non posse; quia, inquiebat, omnia sacramenta constant verbo Dei, quod æqualis dignitatis est in omnibus. Hæreticus tamen ille damnatus fuit in Concilio Tridentino, sessionis 7. can. 3. *Si quis dixerit, septem sacramenta ita esse*
E *inter se paria, ut nullâ ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.*

CONCLUSIO.

EUCHARISTIA, absolutè loquendo, est nobilior aliis; cætera verò excedunt & exceduntur.

PROBATUR prima pars; Primò, quia Eucharistia continet gratiam substantialem; nempe Christum; alia tantùm gratiam accidentalem. Secundò, quia Eucharistia nunquam caret suo significato, semper enim continet corpus & sanguinem Christi; alia autem carent aliquando, (gratiâ scilicet) ob suscipientis indispositionem. Tertiò, quia Eucharistia consistit in esse permanenti; post prolatio-

nem enim verborum, sacramentum Eucharistiæ remanet, quamdiù remanet Hostia incorrupta, alia autem sacramenta consistunt in actione transeunte; post prolationem enim verborum non ampliùs existunt. Quartò, quia qui conficit sacramentum Eucharistiæ, potest illud recipere; nullus autem se baptizare, nec confirmare, nec absolvere, nec ungere, nec ordinare potest; licet partes quæ conficiunt Matrimonium illud recipiant. Quintò, quia Eucharistia habet rationem tùm sacramenti, tùm sacrificii, ut aliquando dicemus. Sextò, quia Eucharistia est finis aliorum sacramentorum; alia enim sacramenta ad istud ordinantur, v. g. Ordo ad ejus consecrationem, Baptismus ad ejus receptionem, Confirmatio ad ejus publicam frequentationem, Pœnitentia ad dignam perceptionem, Extrema-unctio ad digniorem, Matrimonium ad ejus significationem: Matrimonium enim significat conjunctionem Christi cum Ecclesiâ, & talem conjunctionem realem Eucharistia efficit.

Probatur secunda pars: Quòd cætera sacramenta sese invicem excedant & excedantur; & hoc patet inductione. Baptismus primò excedit alia sacramenta quantùm ad remissionem peccati, remittit enim tùm peccatum originale, tùm actuale, & insuper tollit pœnas peccati. Secundò, Confirmatio excedit, quoad gratiam actualem, quam fortiùs confert, quàm alia sacramenta, ad protestandam fidem; Apostoli enim ante receptionem Confirmationis, etiamsi baptizati fuissent & recepissent Eucharistiam, timidi erant; post Confirmationem verò intrepidi prædicabant Evangelium. Tertiò, Pœnitentia excedit alia sacramenta à Baptismo, necessitate; quia præter Baptismum, nullum sacramentum ita necessarium est, sicut Pœnitentia; excedit etiam Baptismum in multiplicitate, quia iterari potest Pœnitentia, non Baptismus. Quartò, Extrema-unctio excedit Pœnitentiam in perfectione, quia illam præsupponit, & tollit peccati reliquias. Quintò, Ordo excellit in dignitate sui ministri, quia alia sacramenta possunt conferri à non Episcopis, etiam Confirmatio ex dispensatione summi Pontificis, quæ à simplici sacerdote conferri potest; non sic autem Ordo, maximè presbyteratus. Deinde, Ordo habet potestatem suprà corpus Christi reale, quando quidem illud consecrare potest; alia autem sacramenta habent tantùm authoritatem suprà corpus Christi mysticum, nempe super fideles. Matrimonium tandem excedit alia in significatione, quia significat unionem Verbi cùm naturâ humanâ; unde vocatur ab Apostolo *magnum Sacramentum.*

Quæstio IV.

Utrùm Sacramenta constent rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ?

Res & verba non sumuntur semper formaliter, sed aliquando analogicè; pro eò scilicet, quod rebus aut verbis respondet; sic in Matrimonio nutus partium contrahentium tenet locum verborum, & in Pœnitentiâ actiones sensibiles pœnitentis, ut confessio, contritio, &c. tenent vicem rei; super hæc enim sacerdos absolutionem, quæ est forma sacramenti pœnitentiæ, applicat: Quærimus ergo hîc, utrùm sacramenta constent rebus & verbis, sive formaliter, sive analogicè spectatis. Ideò autem res dicuntur materia, & verba forma, per analogiam & comparationem sacramenti ad compositum physicum. Sicut enim in composito physico materia præcedit, & accedit forma; sic in sacramento accedit *verbum ad elementum & fit sacramentum.* Deinde, sicut in composito physico materia de se est indeterminata, & determinatur per formam ad tale compositum; sic in sacramento res, quæ de se est indifferens ad hunc vel ad illum effectum, determinatur ad infusionem gratiæ per verba ministri, quæ à Christo habent talem vim productivam. Tandem, sicut in composito physico materia est imperfecta, & forma est perfecta, quia dat esse rei; sic res in sacramento sunt imperfectiores, & verba perfectiora sunt in ratione signi; quia clariùs & perfectiùs significant.

Conclusio.

Sacramenta verbis & rebus constant, tanquam materiâ & forma. Sic Concilium Florentinum in doctrinâ de sacramentis in genere, ubi ait, omnia sacramenta constare rebus, tanquam materiâ; verbis tanquam formâ, & intentione ministri conferentis sacramentum & intendentis facere quod facit Ecclesia: res autem quâ sacramentum constat, vocatur elementum ab Augustino, dicente, *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.*

Probatur conclusio inductione. In Baptismo v. g. aqua est res; in Confirmatione, impositio manuum; in Eucharistiâ, panis & vinum; in Pœnitentiâ, actus sensibiles pœnitentis; in Extremâ-unctione, unctio facta cum oleo; in Ordine, impositio manuum & porrectio vasorum; in Matrimonio tandem, traditio corporum explicata per verba vel nutus: & sic omnia sacramenta constant rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ, quæ proferuntur à ministro in omnibus sacramentis, excepto Matrimonio, ubi verba vel nutus partium contrahentium sunt forma.

Objicies: Una & eadem res non potest habere plures formas; sed significatio gratiæ est forma cujuslibet sacramenti, forma enim signi est significatio, sacramenta autem sunt signa, ut diximus: ergo significatio est eorum forma: ergo sacramenta non constant verbis tanquam formâ. Respondeo, sacramentum posse sumi materialiter, vel formaliter; materialiter est aliquod ens morale constans rebus & verbis; formaliter verò sumitur pro signo gratiæ: quo posito, distinguo minorem; Significatio est forma sacramenti; formaliter sumpti, & ut signum est, concedo: materialiter considerati, nego. Si quis dicat, Materia est permanens; actus autem pœnitentis non sunt permanentes: ergo non sunt materia pœnitentiæ: Resp. majorem esse veram in naturalibus, non verò in moralibus, ubi sufficit, quòd materia sit res sensibilis, ad quam forma subsequatur.

Objicies: Ut materia & forma componant essentiam alicujus entis, debent adhiberi & esse simul; sed verba & res aliquando non existunt simul quando efficitur sacramentum; aliqui enim infundunt aquam super baptisatum paulo antè, vel post prolationem verborum: ergo illa sacramenta non constant rebus tanquam materiâ & formâ. Resp. quòd ad cõponenda entia naturalia requiratur unio naturalis & mathematica inter materiam & formã; ad componenda autem entia moralia, qualia sunt Sacramenta, sufficit unio moralis quæ modò major esse debet, modò minor, pro diversitate sacramentorum; minor v. g. requiritur unio in Matrimonio, cùm possit contrahi per litteras inter absentes, licet hoc prohibeatur usu Ecclesiæ; in Eucharistiâ requi-

ritur unio major, quia pronomen demonstrativum *hoc* denotat rem ita debere esse præsentem, ut possit quasi digito demonstrari; non tanta requiritur in Baptismo, qui potest fieri per aspersionem, & aspersio in distantem; minor adhuc requiritur in Pœnitentiâ, potest enim Sacerdos audire hodie peccata, & cras absolvere.

QUÆRES, utrùm Sacramenta veteris legis habuerint res & verba ad modum materiæ & formæ, sicut habent nostra. Respondet negativè D. Thomas 3. part. quæst. 60. art. 6. asserens in veteribus sacramentis nulla prorsus fuisse verba, quæ ad eorum essentiam spectarent, sed tantummodò res externas & sensibiles. Tùm quia scriptura agens de illis nullam verborum facit mentionem, ut patet Genesis 17. ubi Circumcisio instituitur, Exodi 12. ubi præscribitur ritus sumendi Agnum Paschalem, Levitici 18. ubi præscribitur ritus Ordinationis; & toto ferè libro, ubi instituuntur sacrificia expiatoria, & alia ejusdem generis, quæ sub una ratione erant sacrificia, quatenus offerebantur Deo ad testandum supremum dominium; & sub alia erant sacramenta, in quantùm offerebantur ad sanctitatem aliquam, saltem legalem, obtinendam. Tùm quia hactenus ex nullâ Ecclesiæ aut Patrum traditione talia verba haberi potuerunt. Tùm denique, quia postulabat ratio, ut sacramenta à Moise instituta in veteri lege, longè imperfectiori nostrâ, essent imperfectiora sacramentis institutis à Christo in lege novâ, quæ præstantior est; sicque illa debuerunt esse obscuriora istis: & cùm verba sacramentorum in ratione signi clariorem habeant significationem, quàm res solæ, ideò vetera debuerunt constare solis rebus. Quòd si Levitici 4. in sacrificiis pro peccato, quæ correspondebant nostræ Pœnitentiæ, præcipitur, ut sacerdos oret pro peccatore: Resp. talem orationem non fuisse de essentia sacrificii expiatorii, quoniam in talibus sacrificiis, quæ offerebantur pro sacerdotibus, oratio illa non adhibebatur, sed tantùm pro laicis. Adde quòd verba Sacramentorum debent esse determinata, & talis oratio fiebat pro libito sacerdotis sub quibuscumque verbis; ex quo patet, illam fuisse tantùm præscriptam, ut faciliùs obtineretur effectus sacrificii, vel ut astantium excitaretur devotio. Quòd si præscriptus fuerit certorum usus verborum in casu Zelotipiæ *Num.* 5. talis cæremonia non erat Sacramentum, quia erat tantùm instituta ad investigandum adulterium, & non ad gratiam conferendam.

QUÆRES, utrum Sacramentorum verba sint concionatoria ad movendos animos recipientium, & excitandam in illis fidem actualem; vel utrùm sint ritualia & consecratoria, in quantùm sunt certa & determinata verba, quibus materia sacramenti consecratur, ut producat cum illis gratiam independenter ab instructione audientium. Hæretici requirunt in sacramentorum collatione concionem, quâ clarâ voce à ministro explicetur promissio divina conferendi gratiam mediante applicatione rei sensibilis & externæ, quæ propterea dicitur sacramentalis, & sine qua concione elementum remaneret mortuum. Sic Calvinus lib. 4. Instit. cap. 4. ff. 4. & in cap. 5. ad Ephesios, ubi ait, *In Papatu nulla est legitima signorum observatio, quia nulla fit explicatio ad populum, quæ sola facit ut mortuum elementum incipiat esse sacramentum.* Idem lib. 4. Instit. 4. cap. 14. ff. 4. habet, *Quod vulgò dicitur, constare sacramenta verbo & externo signo, verbum intelligere debemus, non quod sine sensu & fide insusurratum est, vel solo strepitu, velut magicâ in-*A *cantatione consecrandi elementi vim habeat.* Ipse tamen aliter philosophatur de sacramentis, quæ duo tantùm esse contendit, nimirum Baptismum & Eucharistiam; dicens, in Baptismo requiri duo genera verborum, nempe verba concionalia, quibus minister exponit promissionem divinam, & ritualia ista, *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*, quæ proferri debent dum infunditur aqua. Hoc habetur in Libello Calvini de formula ministrandi sacramenta. In Eucharistia veró non requirit alia verba, quàm concionalia & instructiva; unde primò recitant institutionem sacramenti ex *cap.* 1. 1. *ad Corinth.* deinde minister B adhibet explicationem, & posteà sine ullo signo crucis porriguntur panis & vinum. Hoc posito, Respondeo cum Catholicis, verba quibus conferuntur sacramenta, non esse concionatoria, sed ritualia & consecratoria. Primò, quia prædicatio Evangelii esset de intrinseca ratione administrationis sacramenti, ita ut, qui baptisaret evangelisaret, quod contradicit Paulo 1. ad Corinth. 1. *Non misit me Christus baptisare, sed evangelizare.* Secundò, quia Baptismus hæreticorum esset invalidus, quoniam prædicatio illorum est hæretica & nulla; & sicut falsa esset illorum prædicatio, sic falsus esset ipsorum baptismus; & proinde, dum ad nos accedunt, iterandus, quod tamen non fit. Tertiò, quia hæretici deberent rebaptisare Catholicos ad illos commigrantes, attamen Calvinus lib. 4. Instit. cap. 15. ff. 16. fatetur Catholicorum C Baptismum esse validum. Quartò, si verba concionatoria requirerentur, non deberent parvuli baptisari; quia nec attendunt, nec intelligunt, nec attendere aut intelligere possunt, dicit tamen Sapiens Eccles. 32. *Ubi non est auditus, non effundas sermonem.* Nec ut infirmetur hæc ratio, audiendi sunt Lutherani, qui in Synodo Vuitembergensi an. 1536. apud Collæum asserunt cum Luthero in cap. 3. ad Galatas, Deum in pueris excitare pios fidei motus, dum recipiunt Baptismum, sicut exultavit Joannes in utero matris: nam ad quid nova & inaudita miracula fingere, quæ nullum in Scriptura aut Patribus habent fundamentum? Imò destruuntur per quotidianam experientiam, quâ videmus flentes & vociferantes parvulos dum ba- D ptisantur, ut notat Augustinus Epist. 57. quod non facerent reverà, si illis rationis usus acceleraretur.

Superest tantùm, ut respondeamus specialiter ad objectiones hæreticorum, qui contendunt, verba concionatoria esse necessaria in sacramentorum administratione: Tùm quia mittens Christus discipulos, dixit illis Matth. ultimo, *Euntes docete omnes gentes baptisantes eos.* Tùm quia respectu Baptismi dixit Paulus ad Ephesios 5. *Mundans eos lavacro aquæ in verbo vitæ*; & respectu Eucharistiæ, prætendunt, Christum priùs concionatum fuisse, quàm illam illam institueret, quando scilicet Joan. 13. è mensa surrexit & lavit pedes discipulorum: E vel ad hoc saltem sufficere concionem quam habuit ad discipulos immediatè post Eucharistiam institutam: Tùm denique quia Augustinus Tract. 80. in Joan. ait, *Unde ista virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens.* Respondeo ad primum, ex verbis allatis, *Euntes docete baptisantes*, colligi quidem instructionem ex intentione Christi debere præcedere Baptismum circa adultos, qui in primitiva Ecclesia in maximo numero baptisari volebant, quod & nostra Ecclesia

Ecclesia faceret, si quis infidelis vellet baptisari; negamus tamen, quòd talis instructio foret pars essentialis sacramenti; aliàs deberet immediatè conjungi cum sacramenti collatione, quod est contra usum primitivæ Ecclesiæ, quæ per totum annum instruebat Catechumenos, quos baptisabat tantùm in Paschate & Pentecoste: sicque instructio est tantùm dispositio ad sacramentum recipiendum, non verò pars essentialis. Resp. ad secundùm, quando dicitur, *Lavans eos lavacro aquæ, in verbo vitæ*; per lavacrum aquæ intelligi reverà baptismum, sed per verbum vitæ non intelligi concionem, sed invocationem Trinitatis, ut inquiunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Anselmus, & alii. Quantùm ad Eucharistiam, falsò dicunt hæretici, Christum instruxisse discipulos Joan. 13. antequam sacramentum institueret: in illo enim capite nulla fit mentio de Eucharistia: & quoad sermonem quem habuit ad illos, instituto & collato hoc sacramento; non potest dici, quòd pertineat ad essentiam ejus; quia inter utrumque non fuit tanta conjunctio, quanta requiritur inter materiam & formam. Quantùm denique ad Augustinum dicentem, *verbum fidei mundare animam, non quia dicitur, sed quia creditur*: per hoc intelligit sanctus Doctor, quòd verbum baptismi animam sanctificet, non sono verborum, qui est naturalis & transiens, sed ex mysterio sacramentali, quod ab omnibus creditur his inesse verbis. Alii explicant dictum Augustini, non de concione, sed de verbis, quæ profert solemniter baptisans in persona Christi.

QUÆSTIO V.

An materia & forma Sacramentorum sint determinata?

LUTHERUS negativè respondet, & cum eo plurimi hæretici, qui irrident eos, qui in collatione Sacramentorum certis & determinatis utuntur verbis; quia, inquiunt, sacramenta instituta sunt ad excitandam & alendam fidem in mente recipientium; unde, modò excitetur fides Christi, non curant de verbis quibus ipsa excitetur. Quoad Calvinum autem, asserit pertinaciter, quòd in necessitate, v. g. deficiente aquâ, possit fieri baptismus in lacte, vino, cervisiâ, aut quocumque alio liquore, quo posset fieri balneum ad abluendum baptisandum infantem. Hos hæresiarchas refutabit

CONCLUSIO.

MATERIA & forma Sacramentorum ita determinatæ sunt, ut in ipsis nulla essentialis fieri possit mutatio. Habetur enim Deuteron. 12. quòd in ceremoniis veteris testamenti nulla licebat fieri mutatio, juxta hæc verba, *Quòd præcipio tibi, facies: nec addes quidquam, aut minues*; à fortiori in novo testamento hæc determinatio requiritur, quoniam sacramenta novæ legis sunt majoris momenti quàm veteris.

Probatur conclusio; Sacramenta sunt causæ instrumentales gratiæ conferendæ, quæ institutæ & determinatæ fuerunt à Christo, qui est causa principalis: ergo debent conferri per ea verba, & per easdem res, quas instituit Christus; causa enim principalis determinat instrumentalem; unde si assumerentur alia instrumenta, non haberent vim conferendi gratiam. Hoc confirmatur à Conc.

A Flor. & Trid. cap. de sacramentis. Non debet ergo mutari materia aut forma, neque substantialiter, neque accidentaliter; si enim fieret mutatio essentialis, invalidum esset sacramentum; si verò esset mutatio accidentalis, minister sacramentorum, qui talem faceret mutationem, peccaret. Superest sciendum, quænam mutatio sit essentialis & quænam accidentalis; ad quod Resp. quòd mutatio essentialis in materiâ, est illa quæ talis est, ut juxta communem usum loquendi & judicium hominum discrepet à materiâ usitatâ, & non ampliùs vocetur ejus nomine: Mutatio autem essentialis in verbis, est quando non manet idem sensus verborum. Ratione primi, non potest v. g. Baptismus fieri in lixivio consummato, nec in cervisiâ B aut jure nimis alteratis; secus autem, si parva fieret mutatio. Ratione secundi, invalidus esset baptismus collatus in his verbis, *In te ego baptiso nomine*, &c. variaretur enim pro tunc sensus verborum; qui autem diceret, *Te ego baptiso*, aut omitteret pronomen, *Ego*, valeret baptismus, quia esset tantùm mutatio accidentalis.

OBJICIES Zachariam summum Pontificem, qui approbavit formam baptisandi, quâ usus fuit quidam aliàs ignarus linguæ latinæ, qui sub his verbis baptisavit, dicendo, *Ego te baptiso in nomine Patria, Filia, & Spiritua sancta*: quæ voces includunt mutationem essentialem, quandoquidem sunt alterius significationis à verbis sacramenti. Respondet Doctor Angelicus & nos cum illo; ubi corruptio C fit ex ignorantiâ, vel lapsu linguæ, retinendo intentionem Ecclesiæ, ubi etiam corruptio non fit in principio aut medio dictionis, pro tunc validum esse sacramentum; quando verò fit in principio, vel medio, esse invalidum: quia finis & terminatio non est ita essentialis, ac principium. Deinde, non est absolutè spectandum quid significet vox aliqua seorsim sumpta, sed potiùs quid significare videatur in tali serie orationis secundùm communem sensum eorum qui audiunt talia verba; unde licèt Patria seorsim sumpta aliud significet, quàm verbum pater, nihilominus moraliter in hac oratione, *Ego te baptiso in nomine Patria*, &c. nullus audientium ignorabit, quin sic loquens intendat dicere, *In no-* D *mine Patris*. Ob hanc utramque rationem Zacharias Pontifex præallatus in epist. ad Bonifacium, ut apud Gratianum refertur Can. *Retulerunt, de Consecrat. dist.* 4. approbavit baptismum collatum sub præallata forma, cum hac tamen restrictione, *Quòd ille qui baptisavit taliter non haberet intentionem introducendi errorem aut hæresim*, sed pro sola ignorantia latinæ linguæ locutionis sic dixisset.

Maneat ergo quòd res & verba Sacramentorum sint ità determinata à Christo illorum authore, ut omnis mutatio substantialis illa invalidet, conformiter D. Basilio lib. de Spiritu sancto cap. 10. *Si quis baptismum recipiat, factâ aliquâ mutatione in his* E *quæ à Christo tradita sunt, perinde est, ac si baptismum non recipiat*. Idem expressè habet D. Cyprianus Serm. de Baptismo, *Verborum solemnitas & signa Apostolicis institutionibus & sacerdotum ministeriis attributa, visibile efficiunt sacramentum*. Augustinus pariter lib. 6. contra Donatistas cap. 25. *Certa sunt verba Evangelica, sine quibus non potest baptismus consecrari*. Si in sacramento adveniat mutatio substantialis, qui illam apponit peccat mortaliter, quia invalidando sacramentum, sacrilegium committit, nisi adsit indeliberatio, quæ excusat à mortali; unde non peccaret mortaliter qui adhibitâ sufficienti diligentiâ adhiberi solitâ à viris prudentibus, bonâ fide apponeret mutationem aliquam

substantialem. Quòd si mutatio sit tantùm acciden- A talis & deliberata, est semper peccatum, quia est contra leges Ecclesiasticas; peccatum quidem mortale, si mutatio notabilis existat, & tantùm veniale, si sit parvi momenti: proindéque peccaret mortaliter sacerdos latinus celebrans Missam in fermentato pane, idiomate Gallico, aut omittens in consecratione calicis hæc verba, *Novi & æterni testamenti*; solummodò autem venialiter, si seclusso contemptu, omitteret particulam *enim*, aut pronomen *ego*, aut privatim baptisaret linguâ vernaculâ; quod meliùs tamen fieri judicatur, si mulier baptisaret.

Quòd si quis Missam celebraret idiomate Gallico, valeret sacrificium, licèt esset in hoc grave peccatum, contra usum & prohibitionem Ecclesiæ; B quia scilicet vis verborum potiùs in significatione consistit, quàm in cortice litteræ & vocum sono, & hoc modo D. Thomas 3. p. q. 60. art. 8. explicat verba ante allata D. Augustini, *verbum in sacramentis operari; non quia dicitur, sed quia creditur:* id est, non operari ratione idiomatis, sed ratione significationis; aliàs deberet solus admitti usus loquendi, quem admisit Christus. Si quis diversa idiomata admitteret in confectione sacramenti, illud esset validum; quia etiam illa admittimus in communi sermone, & de facto nos Latini mixtionem idiomatum retinemus in baptismo, ubi verbum *baptiso* est Græcum & alia sunt Latina. Si partes formæ interpolentur ità notabiliter, ut ex C judicio prudentum videantur esse duæ orationes, quæ non habeant eundem sensum, mutatio censetur substantialis & sacramentum nullum; si verò non fuerit diuturnior & non tollatur orationis unitas; tunc validum est; utpotè si quis inciperet orationem, & per modum parenthesis diceret, tacete, & posteà alia proferret verba, inquit Scotus in 4. *dist.* 3. *quæst.* 2. *num.* 11. Et quia moralia moraliter sunt intelligenda, in difficultatibus his & similibus prudentes sunt consulendi; & si posteà dubium adhuc remanserit, iterandum est sacramentum sub conditione, quæ sufficit, si interiùs intendatur, nec est necessarium ut exprimatur verbo, nisi aliquando ob ædificationem populi, ut si quis in dubio rebaptisaret in præsentia Anabaptistarum, qui ba- D ptismum faciliter iterant; tunc enim melius erit, si baptismus dubius iteretur sub conditione expressa, nè cum illis videamur coincidere.

QUÆSTIO VI.

Utrùm nostra Sacramenta sint necessaria?

ALIQUID potest esse necessarium in Morali Christianâ duplici necessitate; quarum prima vocatur necessitas medii, secunda est necessitas præcepti. Necessitas medii est ea quâ aliquid est ita necessarium, ut sine ipso finis haberi non possit, etiam ablatâ ratione præcepti. Necessitas præ- E cepti est ea quâ aliquid necessarium est ex solâ ratione præcipientis. Necessitas medii in se duplex est: scilicet intrinseca & extrinseca; intrinseca petitur ex conditione extremorum; sic v. g. ut ignis calefaciat, necessarium est, quòd habeat calorem; extrinseca autem oritur, non ex naturâ rei, sed ex institutione divinâ.

CONCLUSIO PRIMA.

SACRAMENTA non sunt necessaria necessitate intrinsecâ, sed necessitate extrinsecâ, ortâ videlicet ex institutione Dei. Primum patet; quia nulla est ratio intrinseca & essentialis cur aqua baptismi habeat potestatem abluendi peccatum originale, vel pœnitentia peccatum actuale, vel alia Sacramenta virtutem habeant gratiam conferendi: immò Deus, qui est liber *ad extra*, loco horum sacramentorum potuit alia instituere; & etiam sine sacramentis potuit conferre gratiam: ergo non sunt necessaria necessitate intrinsecâ. Veritas secundi habetur ex Conc. Trid. Can. 4. sess. 7. contra Zuinglianos, ubi sic habetur; *Si quis dixerit, sacramenta novæ legis non esse necessaria, sed superflua; & sine eorum voto, per solam fidem, homines posse gratiam justificationis adipisci, anathema sit.* Si autem non sint necessaria intrinsecè, remanet quòd saltem extrinsecè necessaria sunt.

CONCLUSIO SECUNDA.

DUPLICI necessitate extrinsecâ sacramenta videntur esse necessaria; baptismus enim, pœnitentia & Ordo necessaria sunt necessitate medii, vel in re vel in voto; baptismus enim necessarius est omnibus sine exceptione, quia omnes in Adam peccaverunt, demptâ Virgine Mariâ: Pœnitentia est necessaria illis qui peccaverunt actualiter: Ordo autem est necessarius necessitate medii, non omnibus, sed pro omnibus; quia omnes indigent ministris ordinatis ab Ecclesiâ, qui possint absolvere reos. Quoad alia autem sacramenta, sunt tantùm necessaria necessitate præcepti, ut determinavit Conc. Flor. in decreto unionis; nam sine Eucharistiâ, Extrema-unctione & Confirmatione aliquis salvus evadere potest. Quoad Matrimonium, necessarium est ex institutione D. non singulis hominibus, sed Ecclesiæ in universum, ut fiat legitima propagatio individuorum in quibus conservetur Ecclesia.

OBJICIES: Quod est necessarium necessitate præcepti, est etiam necessarium necessitate medii; quia ex institutione Dei & Christi observatio mandatorum est ita necessaria, ut sine ipsâ beatitudo obtineri non possit. Resp. necessitatem præcepti reverà includere necessitatem medii; quando datur facultas & locus observandi præceptum, concedo: absolutè & quando non datur locus, nego. Sic v. g. si quis habeat locum sumendi Eucharistiam, debet reverà sumere tempore Paschali; necessitas tamen dispensat de observantiâ talis præcepti: quod non videtur idem in sacramentis quæ sunt necessaria necessitate medii, ubi necessitas non excusat, quin infans moribundus baptisetur.

QUÆSTIO VII.

An in statu Innocentiæ fuerint Sacramenta?

TRIPLEX est naturæ humanæ status. Primus est naturæ perfectissimæ, in beatitudine scilicet existentis: de quo non est controversia, an in illo Sacramenta reperiantur: secundus est naturæ integræ, quatenus consideratur in innocentiâ: tertiùs est naturæ corruptæ per peccatum. Hic tertius ulteriùs potest dividi in tres alios; nam alius est status hominis lapsi sub lege naturæ, qui duravit ab Ada;

mo ad Moïsen; alius est sub lege scriptâ, in quâ mandata legis data fuerunt Moïsi, & toti populo Judaïco in monte Sinaï, & duravit à Moïse ad Christum; tertius est sub lege gratiæ, à Christo scilicet ad finem mundi perseveraturus. Hæc tempora vocantur ab August. ante legem, sub lege, & sub gratiâ; & communiter appellantur lex Naturæ, lex Mosaïca, & lex Gratiæ. De triplici illo statu loquendum est in hac quæstione, & duabus sequentibus.

Conclusio Prima.

IN statu innocentiæ nulla de facto extiterunt Sacramenta. Sic Scotus in 4. dist. 1. qu. 3. num. 7. cum D. Thoma & aliis. Rationes hujus veritatis sunt; prima, quia Sacramenta sunt medicinæ quædam spirituales, vel quædam media supernaturalia, quæ gratiam per modum medicinæ conferunt; sed ante peccatum non erat morbus: ergo talis status non indiguit medicinâ, nec proinde Sacramentis. Secunda ratio est, quia Sacramenta debent lege stabili durare & non ad breve tempus, exiguo verò tempore duravit status innocentiæ: ergo non fuit conveniens ut Deus, qui talem brevitatem temporis prævidebat, institueret Sacramenta pro tam exiguo durationis intervallo. Tertia ratio est, quia Sacramenta pertinent ad constitutionem Ecclesiæ, sunt enim publici & solemnes ritus religionis; in illo autem statu innocentiæ non erat Ecclesia perfectè composita, erant enim tantùm duæ personæ, & ad congregationem propriè dictam tres ad minùs requiruntur. Quarta tandem ratio est, quia non habemus ex Scripturâ, aut traditione, aut Patribus, vel Conciliis, quòd ullum pro tunc fuerit Sacramentum.

Objicies, Matrimonium, quod est Sacramentum, fuisse in lege Innocentiæ. Resp. pro tunc Matrimonium fuisse tantùm in officium naturæ, non in signum collationis gratiæ; & sic non fuit Sacramentum. Quòd si ab aliquibus Sacramentum dicatur; hoc est, quia fuit signum futuræ Incarnationis, non verò quòd fuerit signum efficax gratiæ; vel fuit signum unionis Christi cum Ecclesiâ; unde Paulus vocans Matrimonium *magnum Sacramentum*; subjungit, *in Christo & Ecclesia*.

Objicies ex August. Lignum vitæ erat Sacramentum; sed lignum vitæ fuit in statu Innocentiæ: ergo, &c. Resp. vocari ab August. Sacramentum, latè, non propriè; latè, quatenus aliquid reconditum significabat, nempe virtutem conservandi corpora, reparando scilicet humidum radicale dissipatum per actiones caloris nativi.

Conclusio Secunda.

SI longiùs durasset ille status, non constat satis, an fuissent in illo Sacramenta, potuissent tamen institui; imò, probabile est, quòd futura fuissent. Hæc conclusio tres partes habet.

Probatur prima pars, quia diximus anteà, quòd institutio Sacramentorum fuit libera: ergo pendet ex solâ divinâ voluntate quæ potuit illa instituere, vel non; divina autem voluntas non innotescit, nisi per revelationem; at nulla habetur revelatio, an Deus instituisset Sacramenta, si status innocentiæ perseverasset: ergo jure dicimus, hoc nobis non constare.

Probatur secunda pars; quia Deus, si status innocentiæ durasset, potuisset instituere Sacramenta in remedium peccatorum, si posteà peccassent

A filii Adæ; non fuissent enim impeccabiles; potuisset etiam instituere illa ad conferendam augmentationem gratiæ, vel ad Dei cultum, vel ad gratiarum actiones; quia homines pro tunc fuissent viatores: ergo potuissent mereri augmentationem gratiæ per frequentationem talium Sacramentorum.

Probatur tertia pars, quòd scilicet probabiliter fuissent aliqua Sacramenta, & præsertim Eucharistia, Ordo, Matrimonium & Pœnitentia. Eucharistia fuisset ob tanti Sacramenti excellentiam & peculiarem unionem cum Christo, qui venisset ut glorificator: Ordo extitisset, quo deputati fuissent aliqui ad offerenda Deo Sacrificia in protesta-
B tionem sui summi dominii, & in gratiarum actionem beneficiorum in tali statu recipiendorum; si enim in lege Naturæ & Mosaïcâ fuit Sacerdotium, in lege Innocentiæ debuisset Sacerdotium esse perfectius, & proinde Sacramentum. Probabile est tertiò, fuisse futurum Matrimonium, ad gratiam conferendam conjugibus, quâ excitarentur ad mutuum amorem. Probabile est denique, futuram fuisse Pœnitentiam; licèt enim omnes fuissent nati in justitia originali, non fuissent tamen confirmati in gratia; imò potuissent ab illa recedere; Deus autem non reliquisset eos sine remedio, sicut nec nos reliquit: ergo credibile est, quòd pro tunc instituisset Pœnitentiam. Quibus autem ritibus &
C ceremonis conferenda & recipienda fuissent illa Sacramenta, non constat.

Objicies in secundam & tertiam partem: Sacramenta sunt tanquam medicinæ contra morbum lethalem peccati; sed in statu innocentiæ non fuisset morbus peccati: ergo nec debuisset parari medicina. Resp. primò, quòd si Sacramenta dicantur medicinæ peccati; hoc est, prout sunt instituta, in lege scilicet corruptâ, in quâ, cùm peccata vigeant, debent Sacramenta dari, tanquam medicinæ; in illo autem statu innocentiæ non fuissent medicinæ, sed quædam instrumenta quibus gratia habita augeretur. Resp. secundò, quòd sit duplex medicina, præservativa scilicet, & sanativa: si autem homines
D perseverassent longiùs in statu innocentiæ, pro tunc Sacramenta tenuissent locum medicinæ præservativæ; augendo enim gratiam in quolibet homine, quo major fuisset gratia hominis, eo firmiùs adhæsisset Deo, & consequenter difficiliùs in peccatum incidisset. Resp. tertiò, quòd etiam pro tunc Sacramenta potuissent tenere locum medicinæ sanativæ; in quantùm, ut diximus, descendentes ab Adamo non erant perfectiores Patre, & sic potuissent peccare; si autem peccassent, pro tunc Sacramentum fuisset illis in medicinam, nedum præservativam, sed etiam sanativam & curativam.

E

Quæstio VIII.

An fuerint aliqua Sacramenta in lege naturæ?

LEx, quæ antecessit legem scriptam, non ideò dicitur lex naturæ, quia pro tunc vigebat tantùm cognitio naturalis Dei, & sola præcepta naturalia existebant, vel quòd pro tunc homines solis naturæ viribus possent consequi salutem; sed dicitur lex naturæ, in quantùm distinguitur à lege scriptâ; tunc enim nulla erat lex scripta, nisi interiùs in mente hominum, etsi fuerint aliqua præcepta positiva, ut de fabricandâ arcâ, respectu Noëmi, de sacrificando in pane & vino respectu Melchise-

dech, & de Circumcisione respectu Abrahæ pro se & suâ familiâ, talia præcepta non habebant vim & rationem legis propriæ, quia non erant publica, nec data omnibus, sed privatis quibusdam personis & familiis. In eâ lege, quæ vocatur lex naturæ, fides Christi mediatoris venturi, debuit esse in quolibet, vel explicata vel implicita; debuit esse explicita in capitibus familiarum; quâ scilicet crederent, Deum in carne venturum; debuit verò esse implicita in aliis, qui tenebantur credere in communi, Deum convenienti modo reconciliaturum sibi humanum genus. Illa autem fides ortum potuit habere ab Adamo, cui Deus indicavit, ipsum posterosque posse liberare suos parvulos à peccato originali per fidem in Christum venturum, applicatam ipsis parvulis à parentibus. An autem illa fides debuerit exprimi aliquo actû expresso & signo externo, quod habeat rationem Sacramenti, hoc quæritur.

CONCLUSIO.

IN lege naturæ fuit aliquod Sacramentum pro parvulis. Sic cum Scoto in 4. Dist. 1. quæst. 7. August. lib. 5. contra Julianum cap. 9. *Non est credendum ante datam Circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem his inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis; quamvis quid illud esset, scriptura voluerit nos latere necessaria aliqua ex causa.* Ex quo passu Aug. nedum patet in lege naturæ fuisse aliquod remedium pro peccato originali, quod omnes ultrò fatentur; sed illud constitisse in aliquo signo externo, contra illos qui dicunt, quòd solus actus internus fidei applicatus parvulis sufficeret; si hoc enim esset, nulla esset causa, cur istud remedium internum non posset applicari parvulis post ipsorum animationem, & antequam egrederentur ex utero materno. Quinam autem esset ille actus externus, quo scilicet parentes liberabant suos parvulos à peccato originali; an scilicet esset oratio, vel oblatio, vel aliquid simile, non constat, ut dicit Aug. loco citato, sed constat tantùm, quòd ille actus deberet fieri in protestationem Christi venturi: Unde Doctores dicunt, quòd liberum erat parentibus uti eo ritu quo vellent, & quo movebantur communiter à Spiritu sancto; modò, ut diximus, esset professio exterior fidei in Christum venturum, sive explicita, sive implicita. Tale autem remedium, quod vigebat in lege naturæ, perseveravit in lege scripta pro fœminis, quibus non poterat aptari Circumcisio.

Confirmari potest hæc nostra præcedens conclusio, non tantùm ex D. Cypriano lib. de cardinalibus Christi operibus cap. de Circumcisione, ubi dicit, *Originale peccatum omni tempore oportuit aliquibus remediis expiari*; nedum etiam ex Gregorio 4. Moral. cap. 2. quem sequuntur Beda, Bernardus, Hugo Victorinus & alii; sed insuper ex generali voluntate, quam Deus habet & semper habuit salvandi omnes homines in quocumque statu sint, quæ voluntas non censeretur sincera, si ab Adami lapsu usque ad Moïsen, vel saltem ad Abraham, quamplurimi homines periissent defectu Sacramenti, quod peccatum originale tolleret. Ob hanc rationem ait Innocentius III. *Cap. Majores, de baptismo: Absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidiè tanta multitudo moritur, quin ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem.* Hæc verba applicat quidem Summus Pontifex ad tempora Baptismi & Circumcisionis, sed pari jure ad legis naturæ tempus extendi possunt. Quòd autem tale remedium fuerit externum & sensibile, patet ex Augustino præcitato, qui illud vocat Sacramentum, quod est signum externum, & illud comparat Circumcisioni, quæ erat sensibilis. Deinde conveniebat, ut membra cœtûs sensibilis, qualis fuit Ecclesia, in quacumque mundi ætate, Deo & veræ religioni consecrarentur modo humano, & per sensibile signum; unde Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 11. ait: *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio.*

OBJICIES, D. Gregorium 4. Moral. cap. 2. asseruisse cum aliis communiter Patribus, si Augustinus excipiatur, fidem internam parentum de mediatore fuisse sufficientem ad tollendum originale peccatum, & hanc fidem, juxta aliquos fuisse tantùm naturalem, in mente aliorum supernaturalem, juxta rigidos explicitam, & in rigidiorum sententia formatam charitate; habet enim Gregorius loco præcitato, *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro majoribus virtus sacrificii, vel pro his qui de stirpe Abraha prodierunt mysterium Circumcisionis.* Respondeo, Patres per hoc tantùm velle, parvulis suffecisse solam fidem, non internam, sed expressam aliquo signo externo protestativo fidei in mediatorem venturum. An autem signum illud externum fuerit determinatum à Deo, vel relictum dispositioni voluntariæ parentum, qui pro libito vellent illo, aut illo uti, verosimilius censet fuisse determinatum, licèt nobis ignotum, Scotus in 4. dist. 1. quæst. 7. Quod confirmat Bellarminus lib. 1. de sacram. cap. 21. ubi adducit D. Thomam part. 3. quæst. 60. art. 5. ad 3. dicentem, in omni lege fuisse materiam Sacramenti determinatam à Deo, sed non semper eodem modo; nam in lege naturæ, quæ non scribebatur in tabulis, nec promulgabatur per homines aut Angelos, sed dictabatur interiùs & inspirabatur cordibus hominum, ejus Sacramenta dictabantur præcipuis Patriarchis, ut potè Adamo, Noëmo, Abrahæ, & similibus, qui alios docebant: quia verò lex Mosaïca promulgata est per Moïsen & scripta in tabulis, ejus Sacramenta etiam scriptis tradita sunt: quia denique legis novæ author fuit Verbum Incarnatum, quod etiam scriptis suam legem voluit promulgari, illius pariter Sacramenta scriptis tradita sunt & determinata quoad materiam & formam.

QUÆSTIO ULTIMA.

An fuerint aliqua Sacramenta in lege scriptâ?

PER veterem & scriptam legem intelligimus tempus à Moïse ad Christum; licèt alii ponant illud ab Abraham, in quantùm iste Patriarcha habuit præceptum Circumcisionis pro suâ familiâ; propriè tamen status legis scriptæ est à tempore quo Deus dedit legem Moïsi in monte Sinaï; illa verò lex erat tantùm respectu populi Judaïci, non pro Gentilibus, pro quibus vigebat lex naturæ, quæ pro illis perseveravit usque ad Christum: Quod autem in tali lege scriptâ Sacramenta extiterint, asseverabit

CONCLUSIO.

IN lege scripta fuit Circumcisio, tanquam Sacramentum institutum ad remedium peccati originalis, & alia Sacramenta quæ legalem conferebant sanctificationem, & veram gratiam significabant dandam per nostra Sacramenta.

PROBATUR prima pars ex Genes. 17. *Masculus, cujus præputii caro non circumcisa fuerit, delebitur anima illius de populo suo.* Ratio nostra convenientiæ est, quòd sicut in lege naturæ erat aliquod remedium pro peccato originali, quod consistebat in aliquo signo externo, non tamen determinato & expresso ex institutione Dei quantùm ad omnes; fuit conveniens, ut in lege scriptâ, quæ erat perfectior, determinatum fuerit à Deo & expressum omnibus: quod quidem signum externum habens rationem Sacramenti, aliud non fuit quàm Circumcisio, quæ applicata parvulis tolleret peccatum originale, & consequenter conferret gratiam; quæ omnia faciunt verum Sacramentum, ad quod tantùm tria requiruntur; nempe promissio Dei de conferendâ gratiâ, signum externum & sensibile, & tandem quod à Deo præcipiatur.

PROBATUR secunda pars; quòd scilicet præter Circumcisionem fuerint alia Sacramenta quæ sanctificationem legalem conferebant, & veram significabant gratiam per nostra Sacramenta conferendam: in veteri enim lege qui tetigerant cadaver, qui erant sanguinislui, & similes, censebantur veluti polluti, & à communicatione aliorum separati; per sacrificia verò reddebantur habiles ad frequentandum cum aliis, & veluti sancti & immaculati efficiebantur (sanctitate scilicet legali) per quædam sacrificia, quæ proinde erant Sacramenta, saltem imperfecta. Deinde, talia Sacramenta erant veluti figura nostrorum, ut patet; nam Circumcisio figurabat Baptismum; Panes propositionis, Agnus Paschalis, & Manna significabant Eucharistiam; Consecrationes Pontificum & Levitarum erant figura Ordinis; Purificationes figurabant Pœnitentiam; Matrimonium tandem legis veteris, quod in statu innocentiæ erat in officium naturæ, & in legibus non scriptâ & scriptâ in remedium concupiscentiæ, figurabat Matrimonium legis novæ, quòd est, nedùm in officium naturæ & remedium concupiscentiæ, sed in Sacramentum verè & propriè sumptum. Quoad Extremam-Unctionem, non habebat suam figuram in lege veteri, sicut nec Confirmatio; quia Extrema-Unctio est quædam præparatio immediata ad gloriam & ingressum cæli, quod nondum erat apertum: Confirmatio verò est Sacramentum plenitudinis & perfectionis gratiæ, quod quidem tempus perfectionis non erat in veteri testamento, sed reservabatur ad nostrum.

OBJICIES, Circumcisionem non fuisse Sacramentum, quandoquidem non fuit instituta ad gratiam conferendam, sed tantùm, ut esset quoddam signum externum, quo populus Dei & Abrahæ genus, ex quo oriundus erat Messias, distingueretur à cæteris Gentibus. Quod sufficienter indicant D. Irenæus lib. 4. cap. 30. dicens, *Deum dedisse Circumcisionem, non quasi consummatricem gratiæ, sed in signum, ut genus Abrahæ cognoscibile esset:* Tertullianus lib. contra Judæos cap. 3. *Circumcisio data est in signum populo Israël, ut dignosceretur, non autem in salutem:* Et Chrysostomus homil. 27. in Genesim, *Voluit Deus circumcisionem lege sanciri, non quòd hæc ad salutem animi proficere aliquid posset, sed ut hoc signum circumferrent pueri Judæorum, & non contaminarentur cum Gentibus.* Resp. primò, negari non posse quin Circumcisio fuerit Sacramentum, quandoquidem habuit omnia ad rationem Sacramenti requisita, nempe ritum externum, mandatum Dei, & promissionem gratiæ ad delendum originale peccatum; unde Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 24. ait: *Cur præceptum est, ut omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, nisi quia & ipsum Sacramentum multùm per se valebat?* D. Gregorius pariter lib. 4. Moral. cap. 2. ait: *Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, pro iis qui de stirpe Abrahæ prodierunt, mysterium Circumcisionis.* Hoc idem tradunt Prosper Epist. ad Demetriadem, Fulgentius cap. 15. de Incarnat. Bernardus, Rupertus, & alii cum Innocentio III. *cap. majores, de baptismo*, ubi ait, quòd Baptismo circumcisio successerit. Respondeo ergo secundò, ut solvantur Patres superiùs allegati, sicut iterum respondimus in Object. 1. quæst. 6. cap. 3. de Sacram. in genere, quòd circumcisio, ut est quædam externa ceremonia, quâ fiebat scissio præputii, esset tantum instituta ad distinguendos posteros Abrahæ ab aliis, & non ad conferendam gratiam, aut delendum peccatum originale, & hoc est quod asserunt Tertullianus, Irænæus, & Chrysostomus; in quantùm verò talis cæremonia conjuncta erat cum protestatione fidei in Christum venturum, tollebat peccatum originale, gratiam conferebat, & erat verum Sacramentum; & sic intelligendus est Augustinus & alii. Vel alio modo dicendum est, quòd Patres in objectione citati deprimere videantur Circumcisionem, non quasi absolutè esset inutilis ad deletionem peccati, aut collationem gratiæ; sed quia nihil conferebat supra Sacramenta legis naturæ, quàm distinctionem populi Judaïci; quoniam Sacramenta legis naturæ æqualiter conferebant gratiam ac peccatum delebant originale, sicut Circumcisio facere incœpit pro eo tempore quo fuit instituta & data in præcepto.

CAPUT SECUNDUM.

De causa Sacramentorum.

QUADRUPLEX est genus causarum ex Philosophis; alia enim est materialis, ex qua res fit; alia formalis, quæ dat esse completum rei; alia finalis, propter quam res est; & efficiens, à quâ res accipit esse. Non loquimur de causâ materiali sacramentorum; diximus enim res sumptas, vel formaliter, vel analogicè, esse ipsorum materiam; diximus etiam verba esse formam ipsorum; sanctificatio pariter hominis est causa finalis cur instituta fuerunt sacramenta: ergo tantùm nobis remanet loquendum de causâ efficiente, à quâ sacramenta fiunt; & hoc discutietur in præsenti capite.

QUÆSTIO PRIMA.

Quis sit Author Sacramentorum?

IN sequenti quæstione dicturi sumus de causâ ministeriali Sacramentorum, à quo scilicet ministrari debeant: nunc priùs agemus de causâ principali illorum; quæ quidem causa principalis duplex est: una quæ vocatur principalis simpli-

citer, alia verò quæ vocatur causa principalis meritoria. Causa principalis simpliciter est ea quæ propriâ authoritate facit, ut sacramenta habeant efficaciam conferendi gratiam infallibiliter; causa verò principalis meritoria, est ea quæ meruit ut gratia conferretur per talia, vel talia signa exteriora.

Conclusio.

Sacramentorum causa principalis est solus Deus; causa autem principalis meritoria est Christus.

Probatur prima pars: Ille est causa principalis sacramentorum, qui solus, & propria authoritate habet virtutem conferendi gratiam mediante applicatione alicujus signi externi, quod vocatur sacramentum; sed gratia à solo Deo dependet, & solus Deus habet virtutem alligandi communicationem gratiæ illis signis quæ vocamus sacramenta: ergo solus Deus est causa principalis simpliciter sacramentorum; & hoc est quod omnes dicunt, solum Deum esse causam gratiæ.

Probatur secunda pars ex Conc. Trid. Sess. 7. Can. 10. *Si quis dixerit, omnia & singula sacramenta novæ legis non fuisse à Domino nostro Iesu Christo instituta, anathema sit.* Ratio hujus est, quia sacramenta sunt quædam partes pertinentes ad legem Evangelicam; sed lex Evangelica est à Christo: ergo & sacramenta ab eo debuerunt esse. Fuerunt inquam ab illo, tanquam à causâ meritoriâ, in quantùm per suam passionem meruit, ut Deus suam gratiam alligaret his signis quæ ipsemet Christus elegit.

Objicies: Causa principalis sacramentorum est Deus: ergo Christus non potest dici etiam causa principalis. Resp. esse causam simul principalem, seu primam; & etiam minùs principalem, seu secundam; sed hoc, diverso respectu: respectu enim Dei, Christus est veluti causa secunda & minùs principalis Sacramentorum; respectu verò ministrorum, qui conficiunt & applicant illa sacramenta, est causa principalis: non quidem efficiens, quasi ipsemet Christus gratiam producat & conferat; sed est causa meritoria, in quantùm principaliter meruit à Deo, quòd sacramenta gratiam conferrent. Et hoc est quod Doctores dicunt communiter, triplicem esse causam sacramentorum: quarum prima vocatur authoritativa, & hæc competit soli Deo; secunda vocatur excellentiæ, quæ propria est Christo, in quantùm est instrumentum conjunctum cum divinitate; ubi nos, qui aliquando sumus instrumenta meritoria gratiæ non habemus potestatem excellentiæ, quia non sumus uniti hypostaticè cum Deo; tertia tandem dicitur ministerialis causa sacramentorum, quòd competit illis qui sacramenta ministrant.

Objicies, Confirmationem fuisse institutam in Concilio Meldensi secundùm Alexandrum Alensem, & Extremam-unctionem ortam esse à Divo Jacobo, ut vult Magister sententiarum: ergo Christus non fuit causa omnium sacramentorum. Resp. illos fuisse locutos tantùm de promulgatione horum sacramentorum, non verò de illorum institutione; contrarium enim habetur in Conc. Trid. loco citato. *Dices*, Aliqua sacramenta fuerunt instituta ante passionem Christi: ergo Christus per passionem suam non fuit causa meritoria sacramentorum. Respondeo quòd talia sacramenta habuerunt suam efficaciam à passione Christi; non præsenti, nec præteritâ, sed etiam futurâ. Instabis: Quando effectus est in actu, causa debet esse in

A actu; sed sacramenta erant in actu instituta quando nondum erat passio Christi; ergo passio futura non sufficiebat. Resp. quando instituta fuerunt sacramenta, passionem fuisse in actu, sed distinguo; fuit in actu respectu acceptationis Dei, quia etiam antequam Christus pateretur, acceptavit illius mortem, tanquam meritoriam omnium gratiarum quas Deus contulit intuitu ejus, etiam in ipsâ creatione mundi; non tamen passio Christi erat in actu proprio & formali, quando sacramenta instituta sunt.

Respondent hæretici, & si qui sint alii, qui dubitaverint de institutione sacramentorum omnium ab Ecclesia, canonem Concilii Tridentini non con-
B vincere: quia intelligitur, vel mediatè, vel immediatè; ita quòd plura sacramenta fuerint instituta ab Ecclesia & Apostolis; & alia à Christo immediatè, quod fatentur hæretici de Baptismo & Eucharistia, quæ sola contendunt esse sacramenta. Sed si hoc esset ità, frustrà Concilium hunc condidisset canonem, quoniam nullus unquam dubitavit, quin saltem mediatè sacramenta omnia essent à Deo. Deinde verba Canonis satis insinuant, ipsum esse intelligendum de immediata institutione; dicit enim, quòd omnia sacramenta sint à Christo, & propriè non potest quis dici instituisse aliquid ad quod instituendum solummodò dederit authoritatem. Tandem Extrema-unctio est sacramentum de quo ma-
C gis dubitari potest, an sit à Christo, attamen Concilium Tridentinum Sess. 14. Can. 1. definivit, illud *esse à Christo Domino institutum & à B. Iacobo promulgatum.* Porro, sess. 21. cap. 2. supponit Concilium, Ecclesiam nihil mutare posse circa sacramentorum substantiam, nec proinde posse illa instituere, cùm ad illam spectet mutatio legis qui eam tulit. Quod confirmat D. Paulus 1. ad Corinth. 4. ubi Apostoli non dicuntur authores, *sed dispensatores mysteriorum Dei.* Quòd si Augustinus epist. 118. cap. 1. postquam dixit, Deum *paucissimis sacramentis societatem novi populi colligasse,* subjungit, *quædam fuisse ab Apostolis instituta*; in
D istis verbis ultimis de sacramentis non loquitur, sed solùm de cæremoniis ac ritibus Ecclesiasticis, de festis per annum, de jejuniis, & similibus observantiis, ut ex loco citato clarè patet. Si etiam Cyprianus serm. de ablutione pedum dicat, *Ipse summus sacerdos sui sacramenti, nempe Eucharistiæ, est author & institutor, in cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem*: Resp. 1. hunc librum non esse Cypriani. 2. Quidquid sit, hoc non potest afferre præjudicium determinationi Ecclesiæ. 3. Per suum sacramentum intelligit omnia sacramenta, quæ sua sunt, & antonomasticè Eucharistiam, quam dixit specialiter instituisse, quia accuratiùs Apostolis exposuit quo pacto, quibus ritibus, & quâ
E animi devotione esset recipienda. 4. Sequeretur, quòd non instituisset baptismum, contra id quod habetur Matth. ultimo, *Euntes docete, baptisantes.* 5. Quando dicit Cyprianus, in cæteris, hoc non refertur ad sacramenta, sed ad alia quæ ex dictamine Spiritûs sancti Apostoli tradiderunt.

Quæres, an ex speciali commissione Dei possit puræ creaturæ conferri potestas instituendi sacramentum aliquod. Resp. cum distinctione: quòd si per institutionem sacramenti intelligatur potestas instituendi signa, quæ de se efficaciter significent gratiam, ità quòd non tantùm vis designativa rei sensibilis spectet ad creaturam, sed etiam vis causativa gratiæ; pro tunc non potest creatura sacramentum instituere, inquit Scotus in 4. *dist.* 1. *quæst.* 3. *num.* 5. & 6. quia haberet authoritatem,

nedum super signum, sed & super gratiam. Si verò A per institutionem sacramenti intelligatur potestas eligendi aliqua signa, quibus Deus intelligibiliter alligabit gratiam, tunc nulla est contradictio, quin ex deputatione D. hoc possit facere Angelus & homo; quia tunc illa potestas limitatur ad designandam rem sensibilem, & nullo modo ad gratiam se extendit, nisi per accidens. An autem potestas excellentiæ instituendi sacramenta humanitati Christi competens, possit communicari puræ creaturæ; hoc explicatione indiget. Unde dicendum est, potestatem illam excellentiæ dicere tria in humanitate Christi. Primò, quòd concurrerit ad designanda signa sensibilia, quibus Deus alligavit gratiam ipsaque præstripserit Ecclesiæ. 2. quòd meruerit de B condigno gratiam talibus signis annecti, proindeque gratiam causaverit moraliter. 3. quòd illam meruerit absque eo quòd foret opus ire extra personam, in qua juncta erat humanitas divinitati. Omnes concedunt, primum posse communicari puræ creaturæ, ut patet ex quæstiuncula præcedenti. Secundum fatentur, præsertim Scotistæ, qui admittunt, hominem justum posse mereri de condigno, & positâ promissione D. gratiam omnibus hominibus, & proinde illam conjungi sacramentalibus signis. Tertium denique negant omnes, potestatem scilicet excellentiæ ad merendum gratiam de condigno annecti signis externis posse competere puræ creaturæ, absque eo quod debeat C recurrere ad aliquod extrinsecum, à quo talem gratiam mereatur; quia tunc illa creatura esset unita & non unita. Quòd si Scotistarum aliqui videantur negare secundum, id est puram creaturam posse de condigno mereri alligationem gratiæ sacramentis: hoc ideò negant, quia sola humanitas Christi unita Verbo habet dignitatem talem, quæ ex se possit excitare Deum, ut annectat illis infallibiliter gratiam; hoc non impedit tamen, quin possit promittere Deus, se alligaturum gratiam infallibiliter sacramentis, posito opere meritorio puræ creaturæ: & tunc tale meritum erit de condigno, non quidem ratione agentis, sed ob promissionem à Deo factam.

D

Quæstio III.

Quis sit minister Sacramentorum?

DUos errores in hac materia committit Lutherus, asserens primò, non solùm homines, sed & Angelos esse ministros Sacramentorum; & mordicùs secundò defendens, omnes homines baptisatos, cujuscumque sint qualitatis & sexûs, posse administrare sacramenta, licèt tali potestate, confusionis vitandæ causâ, non debeant uti illi qui non sunt legitimè vocati, nisi privatim, v. g. domi suæ, vel quando necessitas urget & vocatus deest; E vel denique quando vocatus non tam rectè administraret sacramentum. Primum habet Lib. de Missa privata an. 1535. *Ego non dicam quod papista dicunt, nullum Angelorum, nequidem ipsam Mariam, consecrare posse; sed è contra dico, si diabolus veniret, & ego posteà scirem, diabolum sic irrepsisse in officium Pastoris Ecclesiæ, & in specie hominis vocatum ad prædicandum, & in Ecclesia publicè docuisse, baptisasse, celebrasse Missam, & absolvisse à peccatis, & tali munere functum esse, juxta institutionem Christi, tunc fateri cogeremur, sacramenta ideò non esse inefficacia; sed verum Baptismum, verum Evangelium, veram Absolutionem & verum Sacramentum corporis & sanguinis Christi nos accepisse.* Ratio ejus est, quia sacramentalia verba ideò concurrunt ad justitiam, in quantùm fidem excitant in illis qui ipsa audiunt, quod fieri potest, sine ab homine proferantur sine ab Angelo bono aut malo. Secundum innuit lib. de captivit. Babylonica cap. de Ordine, dicens, *quòd quicumque sciunt se esse Christianos, cognoscere debent se esse æqualiter sacerdotes; hoc est eandem in verbo & sacramento quocumque habere potestatem; verùm non licere quemquam ipsa uti nisi consensu communitatis, vel vocatione majoris.* Idem habet in 13. articulorum à Leone X. damnatorum, *Ubi non est sacerdos, æquè potest quilibet Christianus, etiam si mulier aut puer esset.* Cujus propositionis reddens rationem, addit, *Qui enim baptisatus est Spiritum Christi habet, & ubi est Spiritus Christi, ibi omnium potestas & libertas.* Porrò tales articulos tantâ pertinacitate tuetur, ut in Libro quem edidit contra Bullam Leonis X. post multas execrationes ubjunxerit. *Ultimum quod habeo exponam, nempe hanc animam & hunc sanguinem; melius enim est me millies occidi, quàm unam syllabam damnatorum articulorum revocare.* Uterque Lutheri error nobis distinctè refutandus est in duplici conclusione.

Conclusio Prima.

SOli homines sunt ordinarii Sacramentorum ministri. Primò, quia illi solùm sunt Sacramentorum ministri ordinarii, qnos Deus destinavit ad tale ministerium: sed hi fuerunt soli sacerdotes, quibus dixit pro baptismo conferendo Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos*, &c. Pro Sacramento Eucharistiæ Luc. 2. *Hoc facite in meam commemorationem.* Pro Pœnitentia Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Pro Extrema-unctione Jacob. 5. *Infirmatur quis ex vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ.* Pro omnibus denique sacramentis in communi, 1. ad Corinth. 4. soli homines dicuntur *dispensatores mysteriorum Dei.* Ad Ephes. 4. *Christus ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit hominibus*, ubi per dona Patres intelligunt varia ministeria, quæ sunt in Ecclesia. Infra habetur etiam de hominibus, *Quosdam dedit quidem Apostolos, alios Evangelistas, Prophetas, Pastores, & Doctores.* Tandem ad Hebr. 5. adjungitur, *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur.* Ex quibus locis colligit D. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio & homil. 85. in Joannem, Angelis non esse concessum quod hominibus concessum est, ut sacramenta ministrent. Secundò quia sicut ad confectionem sacramenti requiritur verum & naturale elementum, v. g. vera & naturalis aqua, verus panis, & verum oleum; sic etiam requiritur verum & naturale verbum; sed solis hominibus competit loqui propriè, quoniam loqui est actio vitalis, quæ debet esse à principio vitæ conjuncto, non verò à principio separato, quales sunt Angeli & dæmones in corporibus assumptis: ergo ad solos homines spectat, non verò ad Angelos, confectio & administratio Sacramenti. Tertiò, Ecclesia est visibilis & habet visibilia sacramenta: ergo debet habere visibiles ministros, maximè cùm Providentiæ D. congruere visum fuerit, quòd sicut Angelos per Angelos regit in cœlo, sic homines gubernet per homines in terra.

Objicit Lutherus, efficaciam Sacramentorum non niti qualitate personæ, sed verbo & institutione Christi, qui ordinavit verba esse proferenda ad movendos animos recipientium, & excitandam in illis fidem actualem de promissionibus Christi, ut per talem fidem actualem illis commu-

nicetur fides justificans; sed, etiamsi verba Sacramentorum proferantur ab Angelo, & non vitaliter edantur, æquè possunt excitare fidem in audientium animis, ac si pronuntiarentur ab homine modo vitali: ergo hoc non impedit, quin Angeli boni aut mali sint ministri Sacramentorum. Respondeo, majorem esse falsam; quia, ut diximus parùm anteà, verba sacramentalia non ideò proferuntur, ut fidem excitent, unde non sunt tantùm concionatoriè proferenda; sed ut conjuncta materiæ gratiam sanctificantem communicent; proindeque sicut vera & naturalis materia adhibenda est, ità vera & naturalia verba modo vitali proferenda sunt. Deinde, licèt vera elementa & naturalia verba possent adhibere Angeli, non propterea verum efficerent Sacramentum; quia talia verba non operantur gratiam virtute naturali, sed tantùm, quatenus assumpta sunt à Deo, & adhibentur ab illis, quibus talem Deus dedit commissionem. Cùm ergo illam potestatem commiserit solis hominibus, ut anteà probatum est; ergo Angeli non possunt Sacramenta conficere.

Objicies secundò, ex Nicephoro lib. 11. historiæ Ecclesiast. cap. 20. Sanctum Amphilochium fuisse in deserto Episcopum ordinatum ab Angelis, quam ordinationem postmodùm approbaverunt Episcopi ejusdem provinciæ: ergo nil vetat, quin Angeli possint Sacramenta conferre. Resp. non constare absolutè, an habuerit Amphilochius effectum ordinationis per actionem sacramentalem & visibilem, vel per aliam actionem angelicam & intellectualem; quia Nicephorus ipsemet dicit, quòd Angeli ipsum *intellectuali modo consecraverint.* Sed quidquid sit, hæc objectio non adversatur conclusioni nostræ; dicentes enim, Angelos non esse ministros ordinarios Sacramentorum, non negamus, quin ex commissione divina possint deputari Angeli ad confectionem & administrationem Sacramentorum; ita quòd, si Sacramentale aliquod ministerium esset completum ab Angelo, non esset posteà iterandum; unde Archangelus Michael prohibuit Episcopo dedicare suam Ecclesiam in monte Gargano, asserens, se illam dedicasse. Ob hoc Canonistæ concedentes de potentia Dei absoluta Angelos posse baptisare, & alia conficere sacramenta, dicunt, quòd si Angelus bonus in corpore assumpto, baptisasse aliquem videretur, validus censeri deberet baptismus, & existimari Deum cum illo dispensasse; si verò dæmon in carne assumpta videretur baptisasse aliquem, baptismus deberet reputari invalidus, nec credendum, quòd Deus talem delegasset authoritatem diabolo, qui tantùm nostram perditionem intendens, judicandus esset, hanc sibi arrogasse authoritatem, ut infantem sic invalidè baptisatum traderet in perditionem. *Sic Scotus in 4. dist. 6. quæst. 1. num. 2. cum D. Thoma in part. 3. quæst. 64. art. 7.*

Porrò, idem dicendum est de anima separata, ac de Angelis; quòd scilicet non possit de lege ordinaria sacramenta ministrare, etiam si retinuerit sacerdotii caracterem, quia non est homo. Quòd si anima separata alicujus Sancti videretur conficere Sacramentum, validum deberet reputari; non vellet enim id facere sine Dei deputatione. Beatus, reassumpto corpore mortali, posset ministrare Sacramenta; quia esset adhuc viator. Si reassumpsisset autem corpus gloriosum, dubitant aliqui, an talem retineret potestatem ordinariam; quia non esset ampliùs viator, & potestatem Deus tradidit viatoribus: & hoc congruè, ut sicut soli viatores

A sunt capaces Sacramentorum recipiendorum, sic viatores soli illorum sint ministri ordinarii. Affirmant verò D. Thomas, Suares, & alii; quia, licet potestas illa sit data viatoribus, potest tamen retineri, dum non sunt ampliùs viatores. Nemo verò dubitat de validitate Sacramenti collati ab aliquo Sancto resuscitato in glorioso corpore, quia id numquam facere attentaret, nisi ex speciali commissione.

Conclusio Secunda.

B Non omnes homines, etiam si Baptismum receperint, sunt indifferenter Sacramentorum ministri, si excipiantur Baptismus & Matrimonium; quia cùm illud sit summè necessarium, Ecclesia semper censuit, ipsum posse conferri à quocumque homine, etiam non baptisato: cùm istud verò consistat in contractu mutuo duarum partium, quæ sunt ministri hujus sacramenti, ab omnibus contrahere valentibus confici & ministrari potest. Nostram conclusionem approbat perpetuus usus Ecclesiæ, & ita definitum est in Concilio Florentino, ubi assignantur certi quidam Sacramentorum ministri: & expresè in Concil. Trident. Sess. 7. Can. 10. contra Lutherum. Eandem veritatem confirmant Scripturæ, docentes in Ecclesia diversa officia reperiri, proindeque omnia non esse omnibus baptisatis indifferenter communia: habetur enim ad Rom. 12. 1. ad Corith. 12. 4. *Alios posuit Apostolos, alios*
C *Prophetas, &c.* Et, *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ?* Similiter dicit idem Apostolus ad Hebr. 5. *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron:* Ergo non omnes, qui sunt de populo Dei, sunt hoc ipso Sacerdotes, ut contendit Lutherus. Deinde, si in veteri Testamento, ubi Sacramenta erant imperfectiora, soli Sacerdotes poterant illa ministrare; à fortiori, in lege gratiæ hoc sacerdotes tantùm poterunt, & non quicumque sunt baptisati. Tertiò, si omnes Christiani hanc potestatem in Baptismo acciperent, maximè quia tunc unguntur gratiâ Spiritûs sancti, & fiunt proinde sacerdotes spirituales, quod falsum est tamen, aliàs qui in Baptismo non reciperent gratiam, & qui post Baptismum illam
D deperderent, non possent illa validè ministrare, quod tamen Lutherus negat contra Anabaptistas; Nec dicatur, in illis adesse caracterem; quia nullum agnoscit Lutherus. Quartò, si omnes Christiani hanc potestatem haberent, nullus nisi ob magnum crimen privari deberet illius usu, quod tamen Lutherani faciunt, à magistratu non vocatos repellentes. Quod si respondeant, hoc fieri confusionis vitandæ causâ; deberent saltem permittere, ut quilibet vicissim hoc fungeretur ministerio. Quintò, Ecclesia comparatur exercitui benè disposito, *terribilis ut castrorum acies ordinata*; at in exercitu, non omnes duces, sed alii præsunt, alii
E subsunt: ergo in Ecclesia non omnes erunt Sacerdotes, nec æqualem habebunt potestatem.

Objicit primò Lutherus, omnes Christianos vocari in Scriptura sacerdotes, proindeque omnes indifferenter posse ministrare Sacramenta. Probat antecedens ex pluribus Scripturæ contextibus, 1. Petri 2. *Tanquam vivi lapides superædificamini in sacerdotium sanctum.* Ibidem Christianorum genus vocat *genus electum, regale sacerdotium.* Similiter 2. ad Corinth. 3. Paulus nomine Christianorum ait: *Qui idoneos nos fecit ministros novi Testamenti.* Tandem Apocal. 5. habetur, *Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotium.* Et cap. 20. *Erunt sacerdotes*

Dei

Dei & Christi ejus. Respondeo, quod habetur apud Petrum & in Apocalyp. intelligi debere de Sacerdotio spirituali, quo Christiani offerunt Deo spirituales hostias, hoc est, opera bona, & ipsi laudes præcipuè decantant; & hoc sacerdotium est commune piis hominibus; non verò sacerdotium propriè dictum, quo verum sacrificium immolatur Deo, & ad cujus officium pertinet verbum & sacramenta populis ministrare. Hæc responsio justificatur verbis sequentibus Petri, qui addit, *offerentes spiritales hostias*, ad distinctionem hostiarum, quæ à veris & propriis Sacerdotibus immolantur. In Apocalypsi etiam agitur de Sacerdotio beatorum in cælo, quod non est, nisi ad laudes offerendas. Ad textum ex D. Paulo desumptum, dico Apostolum non loqui de omnibus Christianis indifferenter, sed de se tantùm & cæteris Apostolis collegis suis; nam comparat se Moïsi, qui minister fuit Testamenti Veteris, quem dicit ministrasse literas in lapidibus insculptas, se autem & collegas suos ministrasse spiritum. Sicut ergo in Testamento veteri non omnes, sed solus Moises, fuit promulgator legis; sic non omnes Christianos, sed se tantùm & alios Apostolos existimat Paulus factos fuisse *idoneos ministros novi Testamenti.*

Objicit secundò Lutherus, nedum omnes Christianos vocari in sacra Scriptura Sacerdotes, sed etiam illis attribui omnia Sacerdotum munia, qualia sunt Concionari, Baptisare, Consecrare, Absolvere, Sacrificare, & Orare pro aliis: sicque omnes Christianos esse indifferenter Sacramentorum ministros. Probat, inquam, quòd omnes possint Concionari, maximè ex 1. ad Corinth. 14. *Vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, potestis omnes per singulos prophetare.* Probat 2. quod omnes *baptisare* possint, ex usu nostræ Ecclesiæ, in qua hoc conceditur, etiam mulierculis. Probat 3. quòd omnes *consecrare* valeant ex Lucæ 22. ubi Christus hominibus dixit, *Hoc facite in meam commemorationem:* & rationem hujus addit, quòd majus sit concionari & baptisare, quàm consecrare, quia ex Concione & Baptismo datur remissio peccatorum, & ex consecratione sequitur solus stupor sacerdotis de sua potestate. Probat 4. omnes posse *absolvere* ex 18. Matth. *Quæcumque alligaveritis super terram.* Probat 5. posse *sacrificare*, quia nullum est in Ecclesia sacrificium, nisi illud quo *sacrificamus corpora nostra per vitiorum mortificationem*, ad Rom. 12. quod est omnibus commune. Probat 6. ex hoc quòd oratio Dominica sit communis omnibus, quemlibet posse *pro aliis orare.* Insuper speciatim probare nititur præfatus Hæresiarcha, omnes homines esse Sacerdotes, quia Christus fuit sacerdos, Psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*, & omnes Christiani sunt fratres Christi. Psal. 1. *Narrabo nomen tuum fratribus meis:* ergo sunt Sacerdotes.

Respondeo, quòd sicut anteà negavimus nomen Sacerdotis propriè sumpti convenire cuilibet Christiano, sic & negamus ministeria & functiones Sacerdotum pertinere ad omnes Christianos: vnde ad singula quæ objicere solent Lutherani respondendum est. Primò ergo Apostolus 1. ad Corinth. 14. dicens, *Potestis omnes prophetare, ut omnes discant & omnes exhortentur:* non loquitur de omnibus Christianis, sed solùm de omnibus, qui habebant dona linguarum, quæ non concedebantur omnibus 1. ad Cor. 12. *Numquid omnes linguis loquuntur?* Deinde, licèt collationes & exhortationes privatæ fuerint communes omnibus aliquando Christianis, publicæ tamen ad solos Sacerdotes spectabant. 2. Si mulieres baptisent apud nos; hoc non faciunt ex officio, sed in casu necessitatis, propter summam necessitatem baptismi. Nec dicendum est, eum qui baptisat debere concionari; quia verba Baptismi sunt tantùm consecrativa, & non concionalia. 3. Verba Christi, *Hoc facite*, non sunt dicta omnibus, sed solis Apostolis, qui per hoc facti sunt Sacerdotes, aliàs fœminæ & pueri deberent consecrare hostiam. Nec consecrare minus est, quàm baptisare, nam per Eucharistiam confertur gratia, sicut per baptismum, *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*; & insuper fit transubstantiatio panis, quam negat quidem Lutherus, sed affirmat adductionem corporis Christi, quæ miraculorum est maximum. 4. Verba Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis*, dicta sunt Ecclesiæ, quæ ligat, non per omnia membra, sed tantùm per suos præsules; sicut corpus loquitur, sed tantùm per linguam. 5. In Ecclesia habetur aliud sacrificium à mortificatione vitiorum; quia ad illud non requiritur altare, quod tamen peritur in Ecclesiâ. ad Hebr. 13. 6. Omnes Christiani possunt privatim orare pro aliis, sed non publicè. Ultimò, nil concludi potest contra nos ex hoc quòd Christus sit sacerdos & omnes Christiani fratres ejus; quia non erat sacerdos Aaronicus, sed ex ordine Melchisedech; & in solo sacerdotio Aaronico fratres erant sacerdotes; modò adhuc essent naturales, quod non reperitur in proposito, ubi Christiani sunt tantùm Christi fratres per adoptionem.

Porrò, dum Lutherus probare intendit, quòd concionandi potestas, quæ est principale ministerium sacerdotis, communicata fuerit etiam mulieribus in sacra Scriptura (quæ per *prophetare* intelligit *concionari & docere alios*, juxta illud 1. ad Cor. 14. *Potestis omnes prophetare, ut omnes discant*) Joëlis 2. *Prophetabunt filii vestri & filiæ vestræ*, Act. 21. *Erant Philippo quatuor filiæ virgines prophetantes.* Exodi 15. ubi Maria prophetavit. Judicum 4. ubi docuit Debora. Lucæ 1. ubi Virgo Maria prophetavit. Et 1. ad Corinth. cap. 11. *Mulier velato capite oret & prophetet:* per tales contextus rectè concludi non potest, quòd habeant mulieres concionandi potestatem in Ecclesia. Nam aliud est prophetare, seu futura prædicere; & aliud prophetare, seu Scripturas interpretari. Primum est gratia gratis data, quod non est proprium munus Sacerdotis, quoniam laïcis viris & etiam fœminis convenire potest juxta beneplacitum Dei; unde David, Helias, Isaïas, & quàm plurimi alii prophetarunt, qui tamen non erant sacerdotes: secundum verò propriè ad sacerdotes spectat, neque convenit fœminis, quarum est subesse & non præesse, juxta Apostoli dictum 1. ad Corinth. 14. *Mulieres taceant in Ecclesia, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse.* Quod tamen non est ita absolutè intelligendum, quin possit illis concedi ut doceant viros, sicut fecit aliquando Debora.

Quæstio IV.

An requiratur intentio ministri?

Intentio ministri triplex esse potest. Prima est materialis, qua minister intendit proferre verba & facere externam actionem: secunda est formalis implicita, faciendi in confuso quod facit Ecclesia; tertia tandem est formalis explicita, conferendi effectum Sacramenti. Lutherus, qui vult Sacramenta esse tantùm ad excitandam fidem in men-

te astantium, vel recipientium, dicit primam intentionem sufficere, quia potest excitare fidem; libro enim de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo ait, *Non dubitem, si quis in nomine Domini suscipiat, etiam si impius minister non det in nomine Domini, verè baptisatum esse in nomine Domini; non enim tam in conferentis, quàm in suscipientis fide est virtus baptismi, sicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptisato.* Ipsum sequitur Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini sess. 7. Can. 11. dicens, *Quod de intentione consecrandi garriunt, à sophistis nulla probabili ratione fuit proditum.* Martinus Kemnetius etiam in 2. parte Examinis pag. 154. docet Sacramentum esse verum, licèt minister animo irrisorio administret illud; unde pag. 1045. agens de absolutione, inquit: *Nec sollicita debet esse conscientia de intentione ministri, sed si vox Evangelii annuntietur, fides eam apprehendens statuat se coram Deo absolutum, quidquid sit de sacerdotis animo.* In eàdem denique sententia existimatur fuisse Ambrosius Catharinus opusculo de intentione ministri sacramentorum, ubi duplicem intentionem distinguens, unam externam & materialem, qua minister intendit exercere actionem physicam; v.g. applicationem aquæ ad corpus & prolationem verborum, nihil cogitans de conferendo baptismo, licèt intendat puerum lavare; & aliam formalem, quâ intendit actionem sacramentalem facere, v.g. baptisare, aut facere quod facit Ecclesia, vel Christus; asserit primam sufficere & secundam non esse necessariam: quod sanè accedere videretur proximè ad sententiam hæreticorum, nisi iste in fine opusculi se submitteret sanctæ Sedi Apostolicæ & Concilio Tridentino, ubi illi utrumque irident.

Conclusio.

Licet non requiratur intentio formalis explicita ministri, requiritur tamen implicita. Non requiritur inquam, quod minister intendat actu baptisare, vel conferre gratiam; aut delere peccatum originale; sed requiritur quòd intendat facere quod facit Ecclesia, quod fecit Christus, quod faciunt alii sacerdotes, vel saltem intendat fungi suo officio; hæc enim omnia æquipollent intentioni actuali, & illam includunt.

Probatur hæc conclusio ex Conc. Florent. in Decreto unionis sess. 7. de Sacramentis in genere Can. 11. *Si quis dixerit, in ministro, dum sacramentum conficit, non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Sic etiam Conc. Trident. Sess. 14. Can. 6. *Si sacerdoti desit animus verè absolvendi, nihil fit.* Ratio est, quia absolutio non est nudum ministerium, sed actus judicialis, quo sententia profertur: ergo debet proferri cum intentione. Deinde, si intentio materialis sufficeret, & non requireretur formalis, saltem implicita, lector mensæ, qui inter legendum recitaret hæc verba, *Hoc est corpus meum,* consecraret panem appositum, quod falsum est. Tandem, quando forma est indifferens ad plures effectus producendos, requiritur aliquid, quo determinetur talis indifferentia formæ; sed forma baptismi, quæ consistit in his verbis, *Ego te baptiso in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti,* est indifferens ex se ad lavandum corpus à sordibus corporeis, vel à sorde peccati, quoniam hoc verbum *baptiso* significat tantùm *lavo*, & lavari potest infans indifferenter in corpore & in anima: ergo debet illa forma determinari ad lavandam animam à macula peccati per aliquid, quo distinguatur à lotione corporis, & illud nil aliud esse potest, quàm intentio formalis ministri: ergo intentio materialis faciendi tantùm actionem externam sufficere non potest. Porrò, ut rectè notat Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. par. 6. cap. 13. si sola intentio materialis lavandi puerum & proferendi verba, sufficeret ad baptisandum sacramentaliter, pater ducens filium suum ad balneum, & dum illum immergit more Christiano, signaret cum cruce, & diceret, *Lavo te* (quod idem est ac baptiso) *in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.* ut benè cederet illi talis lotio, tunc baptisatus diceretur talis infans, quod tamen est ridiculum, quoniam ad summum lotus esset sordibus corporis: ergo intentio formalis requiritur.

Objicies, quod Patriarcha Alexandrinus approbaverit Baptismum Gregorii Nazianzeni qui adhuc puer alios pueros baptisavit ludendo: ergo non est necessaria formalis intentio. Resp. hoc approbatum fuisse quia interrogatus Gregorius confessus est, se intendisse facere quod intendebat Patriarcha Alexandrius, licèt joco; unde dicendum est, quod qui haberet tantum intentionem jocandi, non baptisaret; qui haberet verò intentionem jocandi & baptisandi, vel faciendi quod facit Ecclesia Christiana, verè baptisaret. Hanc solutionem confirmat Hugo à S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 2. cap. 13. dicens, sacramenta per jocum posse conferri dupliciter. Primò itaut qui ludunt intendant sacramenta conferre, sed ob finem recreandi animum, eo modo quo impii quidam sacerdotes intendunt conferre sacramenta, sed ob lucrandæ pecuniæ finem. Talis fuit ludus Athanasii; qui verè intendebat conferre baptismum, sed accipiebat illam actionem pro materia ludi & recreationis, ut sentiunt Ruffinus lib. 10. Historiæ 14. Sozomenus lib. [illegible] 16. & Nicephorus lib. 8. cap. 40. Talis, inquam, ludus non tollit veritatem sacramenti, quia est actioni sacramentali extrinsecus. Secundo modo dici potest, quòd sacramenta conferantur joco, quando jocantes non intendunt conferre sacramenta; sed tantùm alios illudere & decipere, sicut faciebant Judæi, qui Christum purpurâ induentes & dicentes, Ave Rabbi, nullam intentionem habebant ipsum agnoscendi in regem. Nec taliter jocatus est Athanasius baptisans, quia si jocari tantùm intendisset, baptisasset indifferenter omnes, attamen baptisavit tantùm catechumenos, qui soli in primitiva Ecclesia admittebantur ad baptismum, quod sufficienter indicat, ipsum voluisse illos imitari, qui verè baptisabant; sicque jure merito Baptismus ab Athanasio collatus validus reputatus est.

Ad illud quod refert Lutherus de mimo, nullo modo adversatur conclusioni nostræ; nam Ado Trevirensis, qui primus hanc historiam scripsisse censetur, in Martyrologio 8. Kalendas Septembris narrat, mimum illum nomine Genesium coram Diocletiano Imperatore Christianorum mysteria irridere volentem se finxisse ægrotum, &, ut talem, baptismum postulasse, imperatoremque accersisse presbyterum cum exorcista, qui illum baptisarent; sed cùm à presbytero interrogaretur quid vellet, tunc Genesius miraculosè conversus, depositâ simulatione respondit seriò se gratiam Christi petere & baptismum, & illico baptisatus est, & talis baptismus tanquam validus à multis approbatus fuit ex Bellarmino, quia sacerdos baptisans, baptisare intendebat & baptisatus recipere baptismum volebat Deo convertente ipsius mentem fictam; estò crederet imperator, mimum esse adhuc

in sua fictione perseverantem. Non obstante hac sententiâ, alii probabiliùs credunt, hunc baptismum fuisse invalidum, utpotè solâ repræsentatione comicâ exhibitum, proindeque Genesium fuisse singulari Dei beneficio gratiâ Divinâ præventum veraciter conversum, &, ex fidei Christianæ derisore, factum fuisse ipsius defensorem strenuum, quandoquidem pro defensione ejus constantissimè mortem subiit. Vide Vincent. Bellovac. in speculo histor. tomo 4. lib. 12. cap. 104. Quòd si Augustinus lib. 7. contra Donatistas cap. 13. dicat, baptismum absque simulatione factum validum esse, modò servetur in illo forma Ecclesiæ: per hoc non excludit intentionem ministri, quia non censetur vera Ecclesiæ forma, nisi accesserit ministri intentio, sine qua minister non existimatur seriò & sincerè agere, sed potiùs ficto animo. Si etiam idem Augustinus tract. 5. in Joannem, baptismum dicat esse validum, etiam si fuerit collatus ab ebrio, qui communiter non censetur mentis compos, nec capax intentionis: non loquitur de homine qui actualiter ita sit madens vino, ut judicium amiserit; sed de ebrioso, seu ebrio habitualiter, qui sæpissimè vino & crapulæ indulget quidem, nihilominùs dum actu sacramentum confert, retinet adhuc sufficientem rationis usum, ut possit dici agens deliberatum.

Objicies 2. quòd famulus qui transigit contractum pro domino, non indigeat intentione; si enim v. g. det equum vice domini sui, sufficit quòd illum porrigat, licèt non intendat dare: ergo à pari dicendum est de ministro, qui vice Christi gratiam confert per sacramenta. Respondeo distinguendo antecedens: Si famulus ille habeat tantùm rationem nuntii, concedo: si habeat potestatem à domino tractandi negotium pro sua voluntate, nego: sed sacerdotes habent talem potestatem, ut patet ex dictis Christi, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* ergo indigent intentione; Sacerdotes enim vocantur à Paulo dispensatores mysteriorum Dei, dispensatio autem fit cum intentione. *Dices.* Verba Sacramentorum habent in se virtutem operativam gratiæ ex institutione Christi, proindeque ipsorum efficacia non pendet ab intentione ministri, quia licèt illam conferre nollet, non minùs tamen recipiens sacramentum, modò esset benè dispositus, reciperet gratiam. Resp. quòd reverà virtus & efficacia sacramentorum, quæ consistit in communicatione gratiæ, dependent simpliciter ab institutione Christi, qui voluit, ut quotiescumque applicarentur subjecto benè disposito, operarentur gratiam: sicque minister ritè conficiens, & conferens sacramentum, non potest impedire efficaciam sacramenti; confectio tamen & administratio sacramenti ita dependent ab intentione ministri, ut, si illud non intendeat conficere, nullum fit sacramentum, nec proinde ulla gratia communicetur illi, qui sacramentum videtur recipere, qualemcumque habeat dispositionem.

Objicies 3. nullum ergo esse certum an sit baptisatus, necne; quia potest dubitare semper de intentione ministri. Resp. licèt de suo baptismo nullus possit esse certus certitudine fidei divinæ; cui nunquam potest subesse falsum: tamen de hoc certus esse debet certitudine morali; nec debet suspicari de ministro, quòd tantùm sacrilegium committere voluerit, denegando suam intentionem actioni sacramentali, ad quam ritè faciendam prorsùs necessaria est. Cùm enim habere intentionem sit facillimum, nulla est causa prudenter dubitandi, an illam habuerit minister; unde non est quærenda

A iteratio baptismi, sed acquiescendum in accepto, nisi defectus intentionis apparuerit anteà aliquo signo exteriori. Aliqui in solutionem hujus difficultatis existimant, quòd si minister adeò impius esset & sacrilegus, ut nollet adhibere intentionem, tunc Christus summus sacerdos, qui nunquam deest in necessariis, subveniret, quia Deus non obligavit ad impossibile, & ex parte nostri fecimus quod debuimus; sique concederet sine sacramento gratiam, quæ cum sacramento concessa fuisset, quæ tamen non esset vocanda gratia sacramentalis, sed gratia simpliciter; quia non esset collata per sacramentum, sed à Deo immediatè. Huic opinioni favent D. Thomas in 3. part. quæst. 64. art. 1. Alensis 4. part. quæst. 13. memb. 1. Durandus, Gabriel, de

B Valentia, imò & D. Bonaventura, qui in 4. dist. 6. part. 1. art. 1. quæst. 1. in hanc opinionem inclinat. Hac tamen ætate communior est opinio contraria, quæ fundatur in Scriptura universaliter asserente Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Deficiente autem intentione, non subsistit baptismus: ergo sine intentione nullus salvatur; quoniam ex sola conjectura absque alio fundamento non licèt facere exceptionem in regulis generalibus Scripturæ, aliàs etiam ex D. misericordia conjicere liceret, quòd Deus aliquem illorum, qui in peccato mortali moriuntur, de gratia speciali salvaret aliquando. Teneri ergo non potest quod Caietanus asserit, illos scilicet, qui baptisari nequeunt, posse

C salvari fide aut oblatione parentum, sicut in lege naturæ; quod existimat similiter de periclitantibus in utero materno, quæst. 68. art. 2. & 11.

Objicies 4. Augustinum, qui lib. 7. de Bapt. cap. 53. non audet dicere, an Baptismus joco collatus validus censeri debeat; sed dicit expectandam esse Dei revelationem. Resp. hoc non esse contra nos, imò contra adversarios; nam si ibi dicit se dubitasse de tali Baptismo, quia in nullo Concilio pro tunc hoc definitum erat; hoc tempore nullus de hac re dubitare potest, quoniam duo Concilia Florentinum & Tridentinum anteà citata pronuntiarunt anathema contra negantes necessitatem intentionis ministri. *Dices*, Innocentium IV. determinasse sa-

D cramentum esse ratum, etiam si minister gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia. Resp. in hac objectione infidelem esse Kemnitium, Innocentius enim *Cap. si quis extra de baptismo*, postquam dixit, Sacramentum taliter factum esse ratum, continuò addit, *dum modo intendat baptisare*, quæ verba subticuit Kemnitius. Per hoc ergo vult summus Pontifex, quòd estò minister non intendat per Baptismum justificare hominem, quia putat talem cæremoniam non habere hanc virtutem, attamen ratum esse Baptismum & gratiam conferri, modò baptisare intendat. Qui ergo taliter baptisaret, intenderet facere quod facit Ecclesia,

E quantùm ad substantiam actionis, id est, intenderet baptisare; non intenderet tamen facere quod facit Ecclesia, quantùm ad effectum actionis, quoniam non intenderet justificare baptisatum, credens baptismum non habere justificandi virtutem. *Dices*, ex D. Chrysost. Homil. 85. in Joan. *Sacerdos linguam & manus præbet, neque enim justum est propter alterius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi;* per quod designatur, intentionem ministri non requiri, aliàs nostra salus penderet à malitia aliorum; sed tantùm exigi ab eo, ut apponat materiam & formam sacramenti. Resp. Chrysostomum loqui de probitate ministrorum, vultque efficaciam sacramenti non pendere à boni-

tate ministrorum, sed à bonitate solius Dei, qui voluit ut sacramenta conferrent gratiam ex opere operato, modò illa conferrent ministri modo humano, id est, cum intentione; quia sunt instrumenta animata, quæ debent intendere id quod faciunt. Quòd si Nicolaus Papa à Bulgaris interrogatus, an baptisati à Judæis essent rebaptisandi: responderit negativè, modò essent baptisati in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti; ubi nullam facit de intentione mentionem; non negat illam esse necessariam, sed ipsam non memorat, quia ordinariè adesse solet; quoniam agens ex electione intendit facere quod facit.

Objicies quintò, D. Thomam non exigere intentionem personalem ministri, quia 3. part. qu. 64. art. 8. ad 2. dicit, ad perfectionem sacramenti sufficere Ecclesiæ intentionem, quæ exprimitur in ipsa verborum forma; & ex parte ministri nil aliud requiri. Clariùs etiam id habet in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 2. ubi ait, non requiri mentalem intentionem ministri, sed sufficere prolationem verborum, in qua continetur intentio Ecclesiæ, Respondent Caïetanus & Soto, D. Thomam dicentem non requiri mentalem intentionem ad perfectionem sacramenti, sed sufficere externam verborum prolationem, non loqui de perfectione sacramenti simpliciter, sed de perfectione coram hominibus, quæ sufficit ad moralem certitudinem, & ad pacandos animos: in argumento enim 2. objecerat, quòd si intentio ministri esset necessaria, nullus foret certus de vera sacramenti receptione. Quòd autem D. Thomas admittat necessitatem intentionis ministri, clarissimè patet, ex hoc quòd in quæst. præcitata Respons. ad 1. dicat, ministrum, ut potè instrumentum animatum, debere seipsum applicare ad opus per intentionem, quâ intendat facere quod facit Christus & Ecclesia. In respons. etiam ad 3. dicit, intentionem actualem non requiri, sed requiri habitualem, quam usurpat pro virtuali, quoniam dicit illam consistere in hoc quòd minister initio operis actu intendat facere quod facit Ecclesia. Similiter in art. 9. ad 1. dicit, verum esse sacramentum, etiam si non credat minister aliquid valere, modò intendat facere quod facit Ecclesia. Tandem art. 10. sustinet requiri intentionem in ministro conferendi sacramentum, non autem jocandi, & sine illa non confici sacramentum. Porrò si quis dicat, Baptismum hæreticorum esse nullum, si requiratur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia, quia ipsi non intendunt facere quod facit Ecclesia Romana, sed Genevensis. Resp. quòd intendendo facere quod facit Ecclesia Genevensis, intendant virtualiter facere quod fecit Christus.

QUÆSTIO V.

Qualis debeat esse intentio ministri?

QUIA intentio ministri debet esse formalis, sive sit implicita, sive explicita; potest ulteriùs quæri, an illa intentio formalis debeat esse actualis, vel virtualis, vel habitualis: Sed ante responsionem, sciendum est, quod intentio actualis est, quando minister actu conficiens Sacramentum intendit facere quod fecit Christus, vel Ecclesia: Intentio virtualis est, quando propter distractionem minister non intendit actu facere quod fecit Christus, sed anteà intendit; nec illa intentio, quam vocamus actualem, fuit interrupta per contrarium actum: Habitualis tandem est quædam promptitudo, qua Sacerdos v. g. est expeditus ad baptisandum; quæ quidem promptitudo oriri potest ex habitu infuso vel acquisito.

CONCLUSIO.

INTENTIO habitualis non sufficit; actualis non requiritur absolutè, sed virtualis duntaxat necessaria est. Primum patet, quia talis habitus qui est v. g. in Sacerdote ad consecrandum, & in Episcopo ad confirmandum, non est deliberatus; imò potest esse in dormiente & in hominibus mente captis; unde patet talem intentionem non sufficere. Quod si D. Thomas videatur hoc asseverare; hoc est, quia confundit intentionem virtualem cum habituali ut mox dicebamus. Secundum manifestum est, quia intentio actualis non est in potestate nostra semper; non possumus enim quin aliquando distrahamur, & nimis durum esset hoc exigere à ministro; tamen cavendum est, ut quisque hanc intentionem habeat. Tertium ergo liquet ex duobus primis; cum enim intentio ministri necessaria sit, ut probavit præcedens conclusio per Concilia; intentio verò habitualis non sufficiat; nec actualis absolutè exigatur: ergo concludendum est, quod minister saltem virtualem debeat habere: ad intentionem autem virtualem requiritur, quod paulò anteà fuerit actualis; & non sufficit, quod v. g. suscipiendo Sacerdotium, quis habeat intentionem semper consecrandi.

RATIO hujus veritatis desumitur, tum ex eo quòd intentio virtualis sufficiat ad operandum modo humano, quoniam in aliis negotiis peragendis satis est, si initio actionis faciendæ quis habuerit intentionem & voluntatem illam faciendi, nec illam retractaverit, etiam si de incœpto negotio non semper actu cogitet; ut patet in oratione, votis, contractibus, & illorum atque similium merito & valore; unde si virtualis illa intentio sufficiat in aliis actionibus moralibus validè eliciendis, proinde sufficere debet in sacramentis conficiendis. Tùm etiam quia si Christus alligasset valorem sacramenti intentioni actuali ministrorum, exposuisset homines innumeris perplexitatibus & infinitis scrupulis, cùm talis explicita intentio & continua advertentia sit moraliter impossibilis ob humanæ mentis volubilitatem, cui distractio familiaris est & communissima, etiam in devotissimis hominibus, in quibus invitis multæ cogitationes nascuntur, quæ ad propositum non spectant, etiam piæ & sanctæ, ut potè de gloria æterna, de pœnis inferni, de Deo diligendo, & similibus, quæ tamen impedirent validitatem sacramenti; quia averterent mentem illorum ab actuali intentione conficiendi illud, quod sanè durissimum esset. Ex hoc sequitur, quòd validè consecraret sacerdos per totam missam distractus, qui cum intentione celebrandi domo egreditur, ad Ecclesiam pergit, ingreditur sacristiam, vestimenta sacerdotalia induit, & vi prioris intentionis usque ad finem missæ distractus perseverat. Si autem sacerdos inter celebrandum in somnum incidat & vi intentionis habitualis dormiens accipiat hostiam & verba consecratoria proferat, nihil facit, quia non operatur humano modo, nec inter homines contractus taliter facti non censerentur validi. Ratio disparitatis inter sacerdotem distractum & dormientem est, quòd distractus habeat potentias semper proximè expeditas ad liberè agendum, & censetur agere humano modo in virtute prioris intentionis, quod non est verum in dormiente.

Objicies, Sacramenta non habent vim operativam à ministro, sed à solo Christo: ergo nullomodò intentio ministri requiritur. Resp. non esse nobis quæstionem de effectu Sacramentorum; gratia enim quæ est effectus Sacramenti, nullo modò dependet à ministro, nec ab intentione ministri; sed loquimur de esse & confectione Sacramentorum quæ dependent à ministri intentione; unde v. g. si homo intenderet aliquem baptisare, & non intenderet illi conferre gratiam, gratia ipsa non suspenderetur ob defectum intentionis; quia ut optimè dicit objectio, vis operativa Sacramentorum à solo Christo dependet: hoc non impedit tamen, quin dicamus, quod si minister non intenderet Sacramentum facere, reverà nec Sacramentum faceret, nec produceret gratiam.

Objicies secundò: Intentio virtualis non sufficit; quia intentio virtualis nihil aliud est, quàm actus præteritus; sed quod est præteritum non potest producere gratiam præsentem: ergo ad effectum Sacramenti virtualis intentio non sufficit. Resp. negando antecedens; ad probationem distinguo minorem; quod est præteritum non potest influere in præsens, nec producere gratiam præsentem; physice, concedo: effectus enim physicus in actu exigit causam physicam in actu; moraliter, nego. Habemus exemplum de passione Christi, quæ antequam existeret, fuit principium gratiarum quæ communicatæ fuerunt in veteri Testamento; & nunc etiam, ubi jam peracta est, est adhuc fons & origo omnium gratiarum nobis collatarum. Nil ergo mirum, si dicamus intentionem virtualem influere in gratiam, saltem moraliter; nam ex vi primæ intentionis quæ actualis fuit, incipit homo applicare se ad Sacramentum, vel ad præparationem Sacramenti.

Quæstio VI.


An requiratur Fides in ministro?

Ante tempora Cypriani, in Asia & in Africa exortus est error, quòd sacramenta collata ab hæreticis & schismaticis separatis ab Ecclesia, prorsùs essent invalida; ut testatur Eusebius de Asiaticis lib. 7. hist. cap. 6. & de Africanis ejusdem lib. cap. 2. Hoc confirmat Augustinus lib. 2. de Baptismo cap. 6. ubi indicat primum hujusce erroris erroris authorem fuisse Agrippinum Episcopum Carthaginensem D. Cypriani antecessorem, licèt non immediatum, quem Vincentius Lirinensis in Commonitorio dicit primum mortalium rebaptisandum censuisse. Suum prædecessorem sequutus est Cyprianus, qui in Concilio quodam provinciali cum multis Episcopis Africanis definivit baptisatos ab hæreticis esse rebaptisandos, & propter hoc forsan Eusebius & Nicephorus ipsum appellant talis erroris authorem, cum hac tamen circumstantia, quod nunquam se ab Ecclesia separare voluerit, ut patet ex Epistolis ejusdem ad Quintum, ad Pompeium, & ad Jubaianum; unde nunquam hæreticus habitus est, imò suam posteà revocavit opinionem, inquit Augustinus Epist. 48. ad Vincentium; quod similiter fecerunt alii Episcopi, qui iterationem Baptismi definierant in Concilio, ad hoc commoti authoritate Stephani Pontificis, ut testatur D. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos.

Talem errorem suscitarunt, imò & auxerunt in multis, Donatistæ; quia nedum sustinebant Baptisatos ab hæreticis esse rebaptisandos, sed insuper pro hæreticis habebant illos, qui hoc negabant, ideoque rebaptisabant eos qui à Catholicis hoc negantibus erant baptisati, existimantes ipsos esse hæreticos: Agrippinus verò & Cyprianus non habebant pro hæreticis illos, qui erant in opinione sibi contraria; unde ab illis baptisatos non baptisabant iterum, ut testatur Augustinus lib. de unico Baptismo cap. 13. ubi conferens Agrippinum & Cyprianum cum Donatistis ait, *Rebaptisare hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit humani erroris; rebaptisare autem Catholicos, quod adhuc isti faciunt, semper est diabolicæ præsumptionis.* Deinde, Donatistæ defendebant suum errorem post generalem definitionem Ecclesiæ; non sic de illis, quibus *deerat Concilium plenarium, per quod veritas elucesceret*, inquit D. Augustinus lib. 4. de Baptismo cap. 6. imò, *cessurus erat Cyprianus, si veritas eo tempore per Concilium plenarium fuisset eliquata*, ex eodem August. lib. 2. de Bapt. cap. 4. Tandem Agrippinus & Cyprianus irritabant sacramenta collata à solis hæreticis & schismaticis; sed Donatistarum aliqui manifestos peccatores à sacramentorum collatione arcebant, alii omnes peccatores tum publicos, tum privatos. Donatistis adjuncti sunt in parte Luciferiani, qui, licèt admitterent Baptismum collatum ab hæreticis, ordinationem tamen ab illis factam invalidabant, teste Hieronymo in dialogo contra illos.

Conclusio.

Non requiritur fides ad valorem sacramenti. Hæc conclusio est de fide, saltem post tempora D. Cypriani; quia definita fuit in Concilio generali Nyceno, ut testatur Augustinus lib. 2. de Bapt. capp. 3. 4. 5. 7. & 8. ubi, licèt non exprimat Concilium Nycænum, satis tamen indicat se loqui de illo; quia ipsum vocat Concilium plenarium totius orbis, & antè mortem Augustini habita fuerunt tantùm duo Concilia generalia, videlicet Nycænum & Constantinopolitanum; cùm autem in Conc. Constantinop. constet, nullam factam fuisse mentionem de hac re; proinde indubitanter colligendum est, Augustinum loqui de Concilio Nycæno. Hoc confirmat Hieronymus in Dialogo extremo contra Luciferianos dicens, *Synodus quoque Nycana omnes hæreticos suscipit, exceptis discipulis Pauli Samosatheni*, qui nimirum non utebantur formâ legitimâ. Aliquo post tempore idem determinavit Concilium Carthaginense 1. Can. 1. regnante Constantino. Item Arelatense 1. Can. 8. Diu posteà Concilium Constantiense. Sess. 8. Deinde Concilium Florentinum in Decreto de Armenis, ubi habetur, *In causa necessitatis non solùm sacerdos, vel diaconus, sed etiam laïcus & mulier, imò & paganus & hæreticus, baptisare potest, modò Ecclesiæ formam servet, & intendat facere, quod illa facit.* Tandem hoc ipsum definivit Concilium Tridentinum sess. 7. Can. 4. de Baptismo, *Si quis dixerit, baptismum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum; anathema sit.* Accedunt summi Pontifices, qui errorem contrarium damnarunt, nimirum S. Stephanus Papa & martyr apud Eusebium lib. 7. hist. cap. 2. Syricius Epist. ad Himerium, Innocentius 1. Epist. 22. ad Macedoniæ Episcopos, Leo Epist. 77. ad Nicetam, Anastasius 2. in Epist. ad Anastasium Imperatorem, & alii. Adduci possunt denique Ecclesiæ Patres, qui eandem hæresim impugnarunt, nimirum



Augustinus libris septem contra Donatistas, Optatus in libris contra Parmenianum, Hienroymus in Dialogo contra Luciferianios, Nazianzenus in Orat. de Bapt. D. Thomas lib. 4. contra gentes cap. 77. &c.

Quoad rationes confirmantes nostram conclusionem; prima desumitur ex traditione & consuetudine antiquissima habita ab ipsis Apostolis; Papa enim Stephanus respondit Cypriano, qui anteà rescripserat, *Nihil innovetur, nisi quod traditum est*, & tantùm valuit hoc argumentum apud Catholicos, ut solâ traditione superata fuerit causa S. Cypriani, qui summâ eloquentiâ, sanctorum Episcoporum Concilio, & multis Scripturæ authoritatibus contra hanc veritatem pugnabat, ut inquit Vincentius Lirinensis in Commonitorio. Secunda petitur ex hoc, quòd ministri Sacramentorum operētur virtute & authoritate divinâ aliàs diversa essent Baptismata, alias aliis meliora pro diversitate meritorum & excellentia illorum qui baptisant, quod est contra Apostolum ad Ephes. 4. dicentem esse tantùm unum baptisma: ergo non debet Sacramentum, quod ex se & ex opere operato est collativum gratiæ, pendere à fide aut probitate ministri, aliàs non benè Christus consuluisset utilitati suæ sponsæ, requirendo conditionem tot perplexitatibus obnoxiam. Tertia habetur ex hoc quòd authoritas conferendi Sacramenta non detur ob utilitatem habentis, sed aliorum: ergo non debet auferri propter peccatum habentis, aliàs unus puniretur ob peccatum alterius. Ex his ergo patet, quòd hæreticus nedum possit conferre baptismum, sed etiam consecrare, imò & ordinare, si sit Episcopus, quia talis potestas pertinet ad spiritualem caracterem, qui est indelebilis; unde cùm fiunt hæretici, amittunt solam licentiam, non verò potestatem conferendi validè hæc Sacramenta, estò ipsa licitè non conferant. Quoad Pœnitentiam, si sacerdotum hæresis sit publica, absolvere nequeunt, quia absolvendi potestas non pendet à potestate ordinis, sed juridictionis, quâ Ecclesia privat illos, qui à suo corpore recesserunt; si verò sit occulta, absolutionem impertiri possunt, quia talem hæresim non possent cognoscere pœnitentes, sicque justum non esset, quòd absolutionis beneficio privaretur.

Objicies. Si ab hæreticis possint conferri Sacramenta, D. Cyprianus cum suis collegis & antecessoribus, qui contrarium sustinuit, non posset excusari ab hæresi, maximè cùm repugnaverit decreto Stephani Papæ & S. Cornelii antecessoris sui, qui ad hoc coëgerat Concilium Episcoporum Italiæ, ut testatur Eusebius apud Bellarminum l. 2. de Conciliorum authoritate Resp. hoc non obstante Cyprianum nullius hæresis labe fuisse suspectum, quia, licèt suam sententiam animosiùs fortè, quàm par erat, tueri voluerit: non tamen pertinaciter; imò semper protestatus est, se velle Ecclesiæ servare unitatem, & nullo modo separari ab illa; nec etiam à sua opinione diffidentes habere voluit pro hæreticis, uti fecerunt Donatistæ, qui propreteà & ob suam contumaciam tanquam hæretici fuerunt damnati. Quòd si in Concilio Africano suam doctrinam existimaverit veram, non noluit illam haberi pro articulo fidei. Quòd etiam noluerit adversari definitioni Ecclesiæ, patet ex Epist. 7. ad Quintum. Si Stephanus oppositum rescripserit Cypriano, ut ex traditione habitum; hoc nondum determinaverat, sed volebat agere contra Cyprianum allegando traditionem Apostolicam. Tandem suam mentem revocavit Cyprianus, ut testatur Hieronymus Dial. contra Luciferianos, in qua, si quid

A fortè humanitus peccavit, id totum expiavit sanguinis baptismus. Si dicat Pelagius Papa, non esse corpus Christi, quod schismaticus conficit, intelligitur, non de corpore reali Christi in Eucharistia, sed de corpore mystico, nempe de Ecclesia, ad quod non pertinent schismatici, utpotè ab illo divisi. Si dicant aliqui Patres, Sacramenta ab hæreticis collata potiùs polluere, quàm mundare; hoc est, quia regulariter peccant adulti suscipiendo Sacramenta ab hæreticis: vel loquuntur de illis qui peccabant in forma, & sic intelligendus est D. Athanasius dicens lib. 3. contra Arianos, illorum baptismum esse nullum; quia multi eorum adulterabant formam illius, unde Concilium Nicænum Can. 19. jubet eos rebaptisari, qui Baptismum à Paulianistis receperant; & Nicephorus lib. 10. c. 35. refert quemdam B Episcopum Arianum baptisasse in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto, moxque evanuisse aquam præparatam, nè hæc sacrilega ablutio perficeretur.

Objicies. Baptismus confertur in nomine Trinitatis; ergo non potest conferri ab illis qui fide Trinitatis carent. Negatur consequentia; non baptisant enim authoritate propriâ, sed Christi, qui sic disposuit, ut infidelis possit ministrare Baptismum. Nec dicas, Extra Ecclesiam non est salus: ergo nec potest recipere infans salutem per baptismum à pagano collatum. Distinguitur enim; Extra Ecclesiam non est salus: formaliter, concedo: mi- C nisterialiter, nego: licèt ergo pagani non pertineant ad Ecclesiam quoad fidem; pertinent tamen quoad ministerium. Si quis dicat, Caput naturale non influit mediantibus venis aridis: ergo nec mysticum mediantibus infidelibus; negabitur consequentia; primum enim procedit ex defectu virtutis capitis naturalis, quod cùm sit finitum in sua efficacitate, non potest per tales venas influere; Christus autem est infinitæ virtutis, unde sicut potest sine ministris justificare, potest etiam per ministros infideles.

Quæstio VII.

An Probitas requiratur in Ministro?

D HÆc quæstio duplicem sensum pati potest: Primò, an probitas ita requiratur in ministro, ut sine illa Sacramentum sit nullum: Secundò, an tantùm requiratur, ad licitè conficiendum, itaut minister improbus non licitè conficiat aut ministret Sacramentum, licèt utrumque faciat validè. Sicut Donatistæ in quæstione præcedenti errarunt, sustinendo fidem ita esse necessariam in Sacramentorum ministris, ut nullus infidelis aut hæreticus possit illa conferre validè; sic alii hæretici, Apostolici nuncupati, negarunt D. Bernardi tempore, improbos posse efficaciter ministrare Sacramenta, ut ipsemet testatur Bernardus Serm. 66. in Cantica. Hos secuti sunt Albigenses posteà, & deinde Vualdenses seu Pauperes de Lugduno qui bonis laïcis concedebant administrationem Sacramentorum, auferebant à malis sacerdotibus, teste S. Antonino p. 4. tit. 11. cap. 1. ss. 2. quam hæresim renovavit initio Lutherus, dicens eos omnes & solos esse sacerdotes, qui spiritum Christi habebant. Vvicleffus, ut videre est apud Thomam Vualdensem tom. 2. cap. 14. hanc hæresim auxit, sustinens nequidem omnes peccatores, sive publicos, sive occultos, arceri ab administratione valida sacramentorum, sed etiam bonos actuales, quos vocat præscitos, seu qui futuri

erant mali & in malo perseveraturi in finem, seu reprobati. Hos omnes condemnavit Concilium Constantiense, quod adversus Joannem Hussium sess. 8. determinavit non requiri absolutè probitatem ministri ad validè Sacramentum perficiendum. Hoc idem denuò confirmavit Tridentinum Sess. 1. Can. 12. de Sacramentis in genere, *Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia servaverit, non conficere aut conferre sacramentum, anathema sit.* Conformiter ergo Ecclesiæ et ir nostra

CONCLUSIO.

AD valorem Sacramenti non requiritur probitas ministri; qui ministrat tamen Sacramentum ex officio, peccat si sit in peccato mortali; si autem ministret per accidens, non peccat: sic omnes Canonistæ.

PROBATUR prima pars: quia Minister agit authoritate, non propriâ, sed sibi concessâ à Deo, quàm Deus non aufert propter peccatum: Sic impius Judas baptisabat validè, ait Augustinus. Deinde, potestas conficiendi Sacramentum non est gratia sanctificans, sed gratis data: ergo compossibilis est cum peccato. Tandem, quia potestas conficiendi Sacramentum non datur communiter in utilitatem ministri: ergo nec debet auferri per peccatum ministri. Porro sicut propter peccatum non aufertur potestas jurisdictionis, secundùm Petri 1. 2. *Subditi estote dominis, non tantùm bonis, sed & discolis:* ergo nec aufertur potestas ordinis. Nam si potestas auferretur ad puniendum illum qui eam possidet, magis deberet spoliari potestate Jurisdictionis, quàm potestate Ordinis, quia illa magis amatur, & proinde magis puniretur per illius privationem, quoniam magis dominantur passiones in imperando quàm in administrando Sacramenta. Cùm ergo potestas Jurisdictionis non tollatur ab impiis, quoniam Petrus loco citato jubet, ut obediatur regibus & aliis magistratibus gentium, qui infideles erant; multò minùs tolletur propter peccatum potestas Ordinis ab illis, qui illam obtinuerunt ad sacramentorum administrationem. His omnibus addatur, quòd sacramenta novæ legis conferant gratiam ex opere operato, sicque semper remanent valida sive à bono sive ab impio ministro conferantur.

Confirmatur plenè nostra doctrina à D. Augustino & à D. Chrysost. Ille enim tract. 5. in Joann. circa medium dicit, *Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est Dominus? quidve impedit malitiosus præco, ubi benevolus est judex?* Ibidem notat, Christum neminem baptisare voluisse, quia volebat indicare se semper esse. Qui baptisabat per qualescumque ministros; quod denuò probare volens, dicit aliud esse baptisare per potestatem, aliud per ministerium, & baptisma tale esse, qualis est ille in cujus potestate datur, & non qualis ille per cujus ministerium datur; & proptereà adducit similitudinem aquæ transeuntis per canalem lapideum, in quo, etsi non fructificet, quia lapideus est, tamen prodest hortis ad quos transit, & quos irrigat; sic etiam de sacramento, quod non prodest quidem malo & improbo ministro, tamen prodest suscipienti benè disposito. Libro etiam contra Crescomium c. 3. utitur insuper exemplo agricolæ, cui non interest, utrùm habeat lotas vel sordidas manus, dum projicit semen suum in terram: *Sic*, inquit, *& bona doctrina datur per malos Ecclesiæ ministros.* Quoad D. Chrysostomum, homil. 85. in Joan. expressè dicit, *Nihil nobis deperire, etiam si sacramenta ab indignis suscipiamus,* A *quia Deus est, qui per illos baptisat; Sacerdos verò præbet solùm manum & linguam.* Quod pariter insinuavit D. Augustinus tract. 5. in Joan. *Quos baptisavit Judas, Christus baptisavit: si quos ergo baptisavit ebriosus, homicida, adulter, si Christi erat baptismus, Christus baptisavit.* Quod si dicatur, tales non habere intentionem Christi, qui non vult ut impuri homines accedant ad divina ministeria: Exodi 19. *Sanctificentur sacerdotes, ne percutiam eos.* Isaïæ 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini;* Resp. tales non servare intentionem Christi quantùm ad modum, quia vult bona benè aeri; servant tamen quantùm ad substantiam, in quantùm habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

B PROBANTUR aliæ partes, quòd scilicet primò ministrans ex officio peccet, si sit in peccato mortali dum ministrat; quia si in veteri lege ad ministranda legalia, quæ erant Sacramenta imperfecta, requirebatur sanctitas legalis, ut habetur Levit. 21. *Sancti erunt Deo suo, qui incensum & panes Deo suo offerunt:* ergo à fortiori in lege gratiæ ministri ex officio peccant, si in peccato ministrent. Hinc tenentur ministri, si non confiteri, habere contritionem, saltem existimatam.

Hanc veritatem probat D. Thomas 3. part. qu. 64. art. 6. In actione aliqua peccatur, quando illa non fit sicut oportet, ex lib. 2. ethic cap. 3. sed actio, quâ minister ex officio peccato mortali obstrictus confert aut conficit sacramentum, non fit C sicut oportet, quia minister Dei in re sacra debet se conformare principali agenti, juxta illud Levitici 19. *Sancti estote quoniam sanctus sum:* ergo minister, qui in peccato sacramentum ministrat, peccat. Deinde, qui tractat rem sacram sicut prophanam, peccat; sed minister conscius peccati mortalis tractat prophanè rem sacram: ergo peccat. Tandem nulli dubium est, quin peccaret ille qui capite cooperto sumeret Eucharistiam ob deformitatem actionis; sed multùm deformius est, animâ immundâ administrare sacramentum: ergo nullus potest dubitare, quin ministrans sacramentum cum peccato, & ipse peccet peccato ex suo genere mortali, D propter deformitatem gravem sacrilegii. Quod si D. Thomas art. 5. hujus quæstionis ad 3. dicat, sanctitatem ministri in sacramenti administratione non requiri, nisi secundùm decentiam; in eodem art. indicat se loqui per respectum ad opus operatum, non verò per respectum ad opus operans; ita quòd velit probitatem ministri decere tantùm, ut validè sacramentum conficiatur, esse tamen necessariam, ut licitè illud ministret. Huic doctrinæ consonat Augustinus lib. 2. contra Epist. Parmeniani cap. 10. *Omnia sacramenta, cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.*

Ratio autem, quare ministrans per accidens & non ex officio, non peccet, v.g. laïcus, qui requiritur baptisare infantem moribundum, est, quia E sanctitas non alligatur puro ministerio, sed ministranti ex officio, ut patet ex rituali Pauli V. *Tit. de his quæ in sacramentorum administratione generaliter sunt observanda,* ubi dicit de sacerdotibus ex officio ministrantibus sacramenta in malo statu, *Quòd impurè & indignè ea ministrantes æternæ mortis reatum incurrant.* Unde, licèt aliqui dicant, peccatum indignè ministrantium repeti ex sanctitate sacramenti, alii ex consecratione abutentis gratiâ pro his functionibus specialiter accepta; alii ex hoc quòd minister non conformetur in sanctitate sacramentorum authori, cujus gerit vices; hæc tamen non convincere ait noster Poncius, disp. 41. quæst. 9. num. 71. ubi refundit hanc obligationem

ministrandi sacramentum in gratia, respectu ministrorum ex officio, in jus positivum, non quidem expressum, sed sufficienter significatum per communem mentem Doctorum, per consensum Ecclesiæ, & per consuetudinem illorum qui ministrant sacramenta, & credunt se peccare dum ex officio, & ad hoc specialiter consecrati, sacramenta ministrant in peccato mortali: Cùm ergo Doctores existiment solos ministros ex officio peccare, ut patet ex Canonistis, proinde illi soli peccant, dum in malo statu existentes administrant sacramenta. Præter hunc casum, in quo ministri per accidens dispensantur à novo peccato, dum in peccato ministrant, reperitur adhuc alter, quando ministratur sacramentum sine solemnitate; unde laïcus in casu necessitatis baptisans sine solemnitate, non peccat denuò, licèt sit obstrictus peccato. Porrò, sicut minister conferens sacramentum in peccato mortali peccat mortaliter, sic postulans sacramentum ab impio ministro, etiam mortaliter peccat, tribus his casibus exceptis: si scilicet teneatur sacramentum dare ex officio, in quantùm est tuus pastor, sive naturalis aut ex commissione; si constitutus sis in necessitate, vel denique si fuerit jam suâ sponte paratus, ut potè sedens in tribunali ad confessiones audiendas; modò nescias illum esse excommunicatum ab Ecclesia præcisum & non toleratum; nullus autem præcisus censendus est, in articulo mortis illius qui indiget sacramento; nec censetur quis esse in necessitate, quando solummodò urget præceptum Ecclesiæ, v.g. communicandi in Paschate, sed requiritur major necessitas, ut quis petat sacramentum ab improbo, qualis est in articulo mortis. Porrò, licèt à ministro aliunde parato tutâ conscientiâ possit recipi sacramentum, quoniam non inducitur, sed se offert ad peccatum; melius tamen est, si petatur ab aliis, quia datur illi occasio, saltem indirecta, peccandi. Eodem modò dicendum est, quòd licèt sacramentum postulari possit à pastore, quia petitur debitum ex justitia; melius tamen est ad alium accedere, qui habeat jurisdictionem, nè adhuc illi indirecta occasio præbeatur peccandi, & tunc nobis habenda est nedum ratio justitiæ, sed etiam charitatis. Porrò nunquam ministro danda est directa occasio peccandi; unde si quis accipit aut petit sacramentum à suo pastore, vel ab illo qui ex se ad hoc paratus est, eâ intentione, ut faciat illos peccare, tunc ipse peccat mortaliter, quia est occasio directa peccandi.

Objicies in primam partem: Nemo dat quod non habet. Ecclesiast. 34. *Ab immundo quis mundabitur?* & posteà, *Qui baptisatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Cum ergo minister improbus non habeat gratiam, non potest illam conferre per Sacramenta. Resp. quòd mali ministri habeant gratiam ministerialiter, non verò formaliter, & quod non possint mundare propriâ virtute, benè autem virtute Christi. Quod si Ecclesiast. 34. habeatur, quod baptismus à mortuo non proficiat, id est, qui lavatur à mortuo, hoc est à tactu mortui, & iterum tangit illum, talis lavatio non prodest; hoc est in textu. Quod si dicatur communiter, quod arbor mala non possit bonos fructus facere: tanquam causa principalis, concedo: tanquam ministerialis, nego. Si etiam Malachias asserat Deum maledicere benedictionibus peccatorum; loquitur de actionibus quæ vim habebant ex opere operantis; tales enim non recipit Deus à peccatore. Si aliquod Concilium dicat, Baptismum infirmorum non sanare: loquitur de Baptismo Arianorum, qui baptisabant in nomine Patris majoris, Filii minoris, & Spiritus sancti.

Ex doctrina præcedenti sequuntur multa scitu necessaria. Primò, quòd sacerdos consecrans, absolvens, baptisans & inungens in extremitate vitæ, peccet mortaliter contra religionem, si in peccato mortali existat; sicut Episcopus ordinans & confirmans, aut Sacerdos hoc faciens ex summi Pontificis commissione; quod similiter dicendum est de Sacerdote & Diacono baptisantibus ex commissione pastoris; quia concurrunt sacramenti sanctitas, & ministri consecratio. Secundò, licèt D. Thomas 3. part. quæst. 64. art. 6. ad 3. existimet, sacerdotem & diaconum sine solemnitate & sine commissione baptisantes non committere peccatum mortale, quia pejùs agit malus minister, quando prophanationi sacramenti juncta est consecratio ministri, ubi est indubitanter peccatum mortale, quàm si consecratio ministri secluderetur, ubi non satis constat, an sit peccatum mortale, vel tantùm veniale, quia non baptisant ut ministri consecrati, sed tantùm ut laïci: Dico tamen tertiò, probabilius esse, quòd ipsi peccent, etiam si non baptisent solemniter, nec ex commissione, quia tales acceperunt gratiam Ordinationis ad baptisandum; unde licet laïci sine solemnitate baptisantes in casu necessitatis non peccarent, attamen peccarent verisimiliter Diaconus & Sacerdos idem facientes, quia illud faciunt ad quod sunt consecrati & potestatem acceperunt & sunt præferendi laïcis.

Quartò, contrahentes Matrimonium in peccato non peccant, in quantùm sunt ministri ejus, quia non sunt ad hoc consecrati & ordinati; peccant tamen mortaliter, quatenùs illud recipiunt, quia recipere sacramentum extra statum gratiæ, peccatum est.

Quintò, non peccat mortaliter parochus, qui in malo statu assistit Matrimonio, & sponsis benedicit; quia ipse non est minister sacramenti, sed tantùm testis publicus ex determinatione Ecclesiæ institutus, juxta decretum Concilii Tridentini sess. 14. cap. 1. Contrarium tamen habent dicere, qui existimant pastores esse verè ministros Matrimonii, sicut aliorum sacramentorum.

Sextò, in mente Scotistarum sacerdos non peccat mortaliter, audiendo confessionem in peccato mortali, modò antequam Absolutionem impendat, Contritionem in se excitet; tum quia confessio est tantùm pars integralis Pœnitentiæ, cujus essentia consistit præcisè in sola absolutione; tum quia obligatio existendi in statu gratiæ ex parte conferentis & suscipientis Sacramentum, solùm urget pro tempore quo perficitur. Septimo, sacerdos administrans Eucharistiam ab alio factam peccat mortaliter, quidquid dicant aliqui cum Vasquesio, fundati in hoc quòd non conficiat sacramentum, nec concurrat proximè ad justificationem communicantis, sed tantùm per motum localem. Contrarium inquam est probabilius, ut patet ex Rituali Pauli V. *Titulo de iis quæ in Sacramentorum administratione generaliter observanda sunt*, ubi dicens, ministrantes sacramenta indignè, æternæ mortis reatum incurrere, infra §. *cæterum*, indicat se etiam agere de administratione dispensatoriâ Eucharistiæ. Ratio hujus est, quia attribuitur peccatum indignæ administrationi, & ibi vera est administratio, licèt Eucharistia sit ab alio confecta. Deinde, sacerdos communicans in munere augustissimo sustinet personam Christi, cujus proprium est nos pascere corpore & sanguine suo: ergo probabilissimum est, quòd in statu gratiæ debeat existere sacerdos, sicut & diaconus, qui ordinatus est, ut in necessitate Eucharistiam ministret ex commissione sacerdotis. An

autem

autem tot sint peccata, quot sint homines, quibus A sine interruptione porrigitur Eucharistia, Coninck & alii hoc existimant & contrarium sentit Diana t. Part. Tract 7. Resolut. 41. ubi citat Henriquen & Tanneron. Porrò qui cum hostia benedicit populum, aut transfert hostiam de loco ac locum extra statum gratiæ, non peccat, quia non est administratio Eucharistiæ.

Octavò, Diaconus, Subdiaconus, & alii Clerici minores non censentur peccare, dum suorum ordinum munia exequuntur in peccato mortali, quia non administrant verè sacramentum. Oppositum tamen multi existimant, de Diacono præsertim, non quatenus fungitur actione ad quam vi ordinationis suæ est consecratus, dum v.g. canit Evangelium, aut sacerdoti ministrat; sed quia proximè B concurrit ad tremendum Sacrificium, tenendo pedes calicis, & offerendo cum celebrante, & pro tunc tale peccatum est tantùm veniale, secluso scandalo & contemptu notabili, licèt non desint, qui contrarium sentiant. Si ergo puniti sint multi à Deo, munia sua sacra obeuntes in malo statu; hoc factum fuit propter peccata præexistentia, quorum punitio forte accelerata est propter temeritatem, licèt tantùm venialem, accedendi irreverenter ad altare.

Nonò, propter eandem rationem non peccant mortaliter Episcopi in peccato benedicentes corporalia, consecrantes calices & ecclesias, conficientes sacrum Chrisma, aut benedicentes oleum C infirmorum; quia licèt fungantur ministerio sui Ordinis, non tamen administrant sacramenta.

Decimò, licèt aliqui credant concionantem extra statum gratiæ, peccare, contrarium tamen vero similius est, nisi peccatum sit publicum, ex quo scandalum grave oriretur in populo.

Quæstio VIII.

Quænam dispositio requiratur in suscipiente Sacramentum?

Constat quidem, ministrum per se loquendo peccare, dum administrat sacramenta illis D qui indique accedunt; sed dubitari potest de conditionibus, quæ sunt ad hoc necessariæ. Minister, inquam, Sacramenta non debet indignis conferre, tùm ex Justitia, tùm ex Charitate. Ex justitia quidem, quia minister obligatur Sacramenta tractare reverenter ex Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus*, & fideliter administrare, juxta D. Paulum 1. ad Corinth. 4. *Hîc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*; sed illi non reverenter tractant Sacramenta, nec fideliter ea dispensant qui ipsa immundis conferunt: ergo non debent ex justitia Sacramenta administrare indignis. Non debent etiam ex Charitate hoc facere, quia ex præcepto charitatis prohibemur cooperari peccato alterius, quod tamen facit minister confe- E rens Sacramentum indignis. Unde præter peccatum speciale contrà reverentiam jure D. debitam Sacramento, quod est sacrilegium; aliud peccatum mortale committit contra charitatem proximi, quod scandalum nuncupatur. Hæc doctrina traditur communiter à Patribus, Chrysostomo, Cypriano, Augustino, & aliis, qui docent arceri debere à participatione sacramentornm peccatores publicos, sive petant publicè, sive privatim, & sive sint publici publicitate juris per judicis sententiam, vel notorietate facti; & hoc juxta Rituale Romanum Titulo de Sacramento Eucharistiæ: *Arcendi sunt publicè indigni, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestèque infames; ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, sortilegi, blasphemi, & alii ejus generis publici peccatores; nisi constet de emendatione facti, & de scandali publici reparatione.* Hoc alii extendunt ad illum casum, in quo de peccato habetur suspicio publica, tam violenta & vehemens, ut probabili ratione non possit deponi, nec ulla haberi probatio in contrarium; pro tunc enim talis suspicio generat moralem certitudinem: unde Suares, Rodrigues, & alii sentiunt, taliter suspectos arceri debere à Sacramentorum participatione, non quidem per modum pœnæ, sed ad tollendum scandalum, donec debitè & sufficienter purgentur. Positâ hac veritate generali, quòd ministri Sacramentorum non possint illa impertiri indignis, ulteriùs quærendum est, quænam sint conditiones requisitæ, ut quis possit dignus ad hoc evadere.

Conclusio.

Ut validum sit Sacramentum, requiritur in adultis voluntas ipsum recipiendi: ut verò Sacramentum conferat gratiam, aliquando requiritur sanctitas in suscipiente, aliquando non. Sed antequam hæc conclusio probetur secundùm omnes sui partes, præsupponenda sunt tria in generali. Primum, quòd soli homines viatores sint Sacramentorum capaces; tum quia Sacramenta sunt signa corporea, quæ non possunt recipere Angeli, qui incorporei sunt; tum quia creaturæ irrationales non sunt capaces effectûs Sacramentorum, nimirum gratiæ: tum quia homines, qui sunt in termino, non possunt ampliùs recipere gratiam, ad quam conferendam essentialiter referuntur Sacramenta: ergo cum nec creaturæ irrationales, nec homines comprehensores, nec Angeli possint recipere Sacramenta, soli homines viatores sunt illorum capaces. Secundum, quòd quilibet masculus suo tempore possit suscipere omnia Sacramenta, excepto Matrimonio, quod nullum redditur per sacros Ordines anteà susceptos. Hoc patebit singula Sacramenta singulis hominibus applicanti. Dixi (suo tempore) quia, licèt infans ante usum rationis possit baptisari, confirmari, Eucharistiâ pasci, & ordinari: non potest tamen ad Pœnitentiam, nec ad Extremam unctionem, nec ad Matrimonium admitti, nisi pervenerit ad annos discretionis. Tertium, quòd quælibet mulier possit etiam suo tempore quodlibet Sacramentum recipere, excepto Ordine, cujus absolutè est incapax. Quod si dicatur B. Mariam fuisse incapacem Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis; omnes concedunt primum, quia nusquam peccavit; multi tamen secundum negant, ut Albertus, S. Antoninus, & Suares, qui existimant hoc Sacramentum B. Mariæ fuisse concessum ab Apostolis. Unde ipsemet Albertus, S. Bonaventura, & Richardus censent, non esse de essentia Extremæ Unctionis, ut homo aliquando peccaverit; quia duos fines habet hoc Sacramentum, ut videlicet sublevet corpus ægrotantis, vel tollat reliquias peccati, si quæ fuerint; unde Jacobus non meminit peccatorum, nisi hypothetice, *si in peccatis fuerit, remittentur ei*: sicque concedi potest, quòd Apostoli contulerint hoc Sacramentum B. Mariæ, ut præservaretur à timore mortis imminentis, à tristitia morbi, & à fatigatione corporis. Hoc posito

Probatur prima pars conclusionis nostræ, quòd

ſcilicet ad Sacramentum validè ſuſcipiendum requiratur voluntas illud ſuſcipiendi, ut patet ex Concil. Carthagin. 3. cap. 34. & ex Arauſicano 1. cap. 12. & ex Innocentio 3. qui *extra de Baptiſmo cap. majores* ait, *Ille verò qui nunquam conſentit, nec rem, nec caracterem ſuſcipit*: unde D. Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo cap. 24. dicit, *Non valet baptiſmus, ſi alter pro adulto reſpondeat, ſupple, qui ſit mentis compos, ſed debet ipſe pro ſeipſo reſpondere.* Ratio hujus concluſionis deſumi poteſt ex Matth. 28. ſi enim Chriſtus ibi præcipiat, ut gentes inſtruantur, antequam Baptiſmum recipiant, *euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos*, & cæt. hoc non alio fine jubet, niſi ut per inſtructionem valoris Baptiſmi excitetur voluntas ad illum recipiendum. Sufficit tamen, quod illa intentio, quæ requiritur tantùm in adultis, non in parvulis, qui ſunt illius incapaces, ſit virtualis & interpretativa; unde, ſi aliquis petat Baptiſmum hodie, & cras in dementiam cadat, poteſt baptiſari; non verò ſi nunquam illum petierit. Et quantùm ad infantes, ſufficit pro illis intentio Chriſti & Eccleſiæ. Quòd ſi Innocentius III. cap. majores de Bapt. dicat, nihil requiri in ſuſcipiente, niſi quòd non habeat obicem contrariæ voluntatis; ſed poteſt non haberi contraria voluntas abſque intentione, quando ſcilicet aliquis ſe habet tantùm negativè: ergo non ſemper in adulto requiritur intentio & voluntas ſuſcipiendi Sacramentum, ſed ſufficit quòd non habeat repugnantiam poſitivam ad receptionem Baptiſmi. Reſp. Innocentium per contrariam voluntatem non ſolùm intelligere poſitivum diſſenſum, ſed etiam negationem conſensûs. Quòd ſi Concilium Florentinum exprimat ſolam intentionem miniſtri, tanquam neceſſariam: hoc eſt, quia illa ſola eſt neceſſaria in parvulis reſpectu Baptiſmi & Euchariſtiæ, quæ aliàs infantibus dabatur.

Objicit Caietanus, Gentilem, qui dormiens baptiſatur & nihil unquam audivit de Baptiſmo, validè baptiſari; ita quòd, ſi Baptiſmus adulti differat à Baptiſmo parvuli, differentia attendi tantùm debeat, quantùm ad Sacramenti effectum, non quantùm ad valorem ejus; itaut Baptiſmum parvuli conferat caracterem & gratiam, Baptiſmus verò adulti ſolùm caracterem. Reſp. negando Caietanum, & rationem ejus; non enim tantùm differunt tales baptiſmi penes effectum, ſed etiam penes valorem; ita quòd, ut validus ſit, non requirantur eædem conditiones, imò diverſæ, juxta cujuſque capacitatem; unde, quia parvulus non eſt capax intentionis perſonalis, ſufficit illi intentio Chriſti & Eccleſiæ; quia verè adultus poteſt admittere propriam, ideo Chriſtus voluit Baptiſmum ab adulto ſuſceptum ſine perſonali intentione eſſe invalidum. Quod ſi Gloſſa *Cap. ſolet de Conſecr. Diſt.* 4. dicat ſufficere intentionem baptiſantis, qualiſcumque ſit intentio baptiſati, etiam ſi invitus baptiſaretur, quòd probat *cap. de Iudæis quæſt.* 45. Reſp. hoc non rectè colligi ex cap. de Judæis, ubi non eſt ſermo de ſuſcipiente Sacramentum abſque omni conſenſu; ſed de illo qui vi adducitur ut conſentiat. Quòd ſi etiam Gloſſa *cap. maj. de Bapt.* dicat, Baptiſmum eſſe validum, ubi adeſt conſenſus oris, licèt ſit diſſenſus cordis, quod probat ex *cap. ſolet de conſecr.* Reſp. neg. hoc, quia mendacium oris nil confert ad valorem Sacramenti; unde, ſicut Sacramentum nihil valeret abſque ullo oris conſenſu, ſic nil valet cum illo mendacio. Nec decretum allegatum prodeſt, quia loquitur tantùm de Baptiſmo fictè, ideſt, cum obice ſumpto, non de recepto cum ficta diſſimulatione conſensûs. Quòd ſi dicatur, Extremam-

A Unctionem eſſe validam ſine expreſſa intentione, quoniam conferri poteſt ægroto, qui amiſit uſum rationis, licèt anteà non habuerit intentionem hoc Sacramentum recipiendi: Reſp. quòd ſi talis ægrotans non duxerit vitam Chriſtianam, ſed vixerit licentioſè in Chriſtianiſmo, non debeat illi Extrema-Unctio conferri, ob rationem ſcilicet communem, quâ Sacramentum ſine intentione ſuſceptum redditur invalidum: ſi verò piè, devotè, & chriſtianè vitam egerit, Extrema-Unctio illi collata valida cenſetur, quia in tali caſu exiſtimatur habere intentionem interpretativam & generalem, quatenus ille qui benè vivit præſumitur velle participare omnibus Sacramentis & remediis ad ſalutem noſtram procurandam inſtitutis à Chriſto:
B unde patet, non requiri intentionem tam particularem, neque tam expreſſam in ſuſcipiente, ac in conferente Sacramentum; quia intentio illius concurrit effectivè ad Sacramentum, & iſtius tantùm diſpoſitivè.

Probatur ſecunda & tertia pars, quod aliquando requiratur ſanctitas in ſuſcipiente, ut Sacramenta conferant ſuum effectum, nimirum gratiam, vel augmentum gratiæ, & aliquando non: qui enim Confirmationem recipit, Euchariſtiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, debet eſſe in gratia: unde talia ſacramenta vocantur ſacramenta vivorum, quia tantùm dantur illis qui in gratia præexiſtunt, vel probabiliter credunt ſe exiſtere, ut quando aliquis probabiliter exiſti-
C mat ſe habere gratiam: Alia verò, nimirum Baptiſmus & Pœnitentia, non præſupponunt gratiam, aut ſanctitatem in ſuſcipientibus; imò illam conferunt. Si enim prærequiretur ſanctitas & gratia in illo qui baptiſatur aut abſolvitur, talia ſacramenta non tollerent peccatum; quod tamen falſum eſt, quoniam Baptiſmus tollit peccatum originale, & Pœnitentia actuale, unde vocantur ſacramenta mortuorum. Quantùm autem ad valorem ſacramentorum, ut illa validè recipiantur, demptâ pœnitentiâ, non requiritur fides, aut pietas, aut devotio, & multo minùs ſanctitas, quæ neque ad Pœnitentiam requiritur, quoniam pœnitentiam verè recipiunt peccatores, tum in ſubſtantia, tum
D in effectu. Quòd ad valorem ſex ſacramentorum recipiendorum non requiratur fides, aut devotio, patet ex D. Auguſt. lib. 2. contra Petilianum cap. 31. *Si quis velit baptiſari ad committendum aliquod flagitium, modò velit baptiſari, verè eſt baptiſatus*: ergo fides & devotio non requiruntur in ſuſcipiente Baptiſmum; admittuntur enim ab Eccleſia hæreticorum baptiſmi collati ab ipſis hæreticis, in quibus nec eſt fides, nec pietas. Quòd verò fides & devotio requirantur ad pœnitentiam, patet ex hoc, quòd fides, pietas, & devotio ſint quaſi partes materiales pœnitentiæ, quæ debent conjungi cum actibus pœnitentis, qui ſaltem debet eſſe attritus,
E & talis eſſe non poteſt abſque fide & devotione: ergo, cùm Sacramentum non poſſit eſſe validum ſine ſuis partibus materialibus, proinde ſine fide & aliqua devotione pœnitentia conferri non poteſt.

Ex hoc quòd diximus in prænotatione hujus quæſtionis, indignos publicos arcendos eſſe à participatione ſacramentorum, niſi conſtet de eorum pœnitentia, de emendatione facti, & de reparatione ſcandali publici, ut præcitavimus *ex Rituali Romano cap. de ſacramento Euchariſtiæ* ſequitur, publicæ meretrici de cujus converſione non conſtat publicè, Euchariſtiam non eſſe adminiſtrandam publicè, etiam ſi in foro ſacramenti fuerit abſoluta, quia talis adminiſtratio foret ſcandaloſa: excepto

mortis articulo, in quo, si non posset fieri administratio privata, prævaleret necessitas extrema scandalo mox auferibili per publicationem resipiscentiæ. Si verò privatim petatur, sufficit, quòd præsentes agnoscant emendationem, videndo peccatorem fuisse absolutum. Quòd si sacerdos ex sola confessione agnoscat peccatum pœnitentis esse publicum; non debet negare sacramentum publicè petenti, ob sigillum confessionis. Quam multis autem debeat esse notum peccatum alicujus, ut publicum censeatur, non potest certò determinari, sed relinquendum est judicio prudentis viri: attendi tantùm debent circunstantiæ loci & personarum, ita quòd peccatum possit dici notorium notorietate facti, quod fit in celebri loco, & cum talibus circunstantiis, ut facilè ad communem omnium notitiam pervenire valeat. Si peccator sit occultus, & ejus indignitas constet ministro, ex notitia non confessionali, debet illi negari Sacramentum privatim petitum: si tamen publicè petatur, & non possit negari sine notabili infamia, non tantùm potest sacramentum porrigi, sed etiam debet, ut patet ex mente communi Doctorum, ex usu perpetuo Ecclesiæ, ex Rituali Rom. tit. de sacr. Eucharist. & ex facto Christi, qui Judam à participatione sui corporis non abdicavit. Ratio hujus est, quia qui negaret Eucharistiam peccatori occulto illam petenti publicè, tunc, ipsam negando, diffamaret proximum, quod est contra jus naturale, sicque ipse positivè graviter peccaret: dum autem ipsam concedit, ipsemet non peccat positivè, sed se habet tantùm permissivè ad peccatum petentis, quod consistit in susceptione sacramenti, quæ de se est sancta, & mala tantùm ex suscipientis [illegible]ersa voluntate. Cùm ergo nullus debeat in se [illegible]tivè committere peccatum, ut impediat peccatum proximi, ad quod concurrit tantùm permissivè & per accidens: ideò nullus potest diffamare proximum, negando Eucharistiam, ut ipsum impediat ab indigna susceptione, ad quam nonnisi permissivè concurrit. Si dicatur, potiùs debere consuli honori Sacramenti & Christi, quàm famæ occulti peccatoris: Resp. certissimum esse, quòd si daretur occasio, in qua teneretur minister diffamare proximum, vel per se positivè prophanare corpus Christi, tunc prius eligendum esset; sed hîc non est quid simile, quia minister per se & positivè non intendit prophanare sacramentum, sed tantùm se habet ad talem susceptionem indignam, tanquam causa accidentaria & permissiva, cui non debet imputari sacrilegium illud, nec licèt diffamare proximum.

Quæstio IX.

An in Sacramentorum administratione admittendæ sint cæremoniæ?

Cæremonia, quæ nihil aliud est, quàm actus externus religionis, qui non aliunde habet laudem, nisi quia fit in honorem Dei; vel quæ aliter describitur, circunstantia exterior religiosa ad Deum decenter colendum instituta; multipliciter dividitur. Primò, ratione finis & effectûs: aliæ instituuntur ad justificandum, ut sacramenta; aliæ ad effectus spirituales, ut exorcismi, qui dæmones coercent, & aqua benedicta quæ delet peccatum veniale; aliæ ad simplicem ornatum & significationem, ut vestis alba Neophitorum, lumina cereorum, & similia. Secundò, à causâ efficiente seu ab A institutore: quædam Cæremoniæ sunt institutæ aliquo modo a naturâ, unde Naturales dicuntur, quales sunt in oratione respicere in cœlum, tollere manus, pectus tundere, flectere genua, & cæteræ, quæ a naturâ quasi docentur; quædam sunt institutæ à Deo in Veteri Testamento, & aliæ à Christo in lege nova, unde vocantur Divinæ; aliæ denique ab Apostolis, & ab illorum successoribus, quæ Ecclesiasticæ nuncupantur. Tertiò, ratione causæ formalis: quædam sunt Cæremoniæ cultûs immediati; ut Sacrificium, Oratio, Adoratio; quædam disponunt ad colendum Deum, ut jejunia, cælibatus, mortificatio carnis; quædam verò sunt instrumenta B divini cultûs, ut templa, altaria, & calices. Quartò, Cæremoniæ ratione objecti materialis, versantur circa personas, ut exorcismi, insufflationes, aspersio cineris, &c. vel circa locum, ut templi consecratio; vel circa tempus, ut dies festi, vigiliæ, quatuor [illegible]pora, vel circa modum, ut quòd sacramenta latinè administrentur; vel circa res ipsas, ut benedictiones aquæ, olei, vestium, palmarûm, &c. Tandem Cæremoniæ dividuntur penes accidentia, ut quòd aliæ sint universales, quæ frequentantur in tota Ecclesia; & aliæ particulares; ut jejunium sabbati Augustini temporibus observatum Romæ, & non Mediolani, & lotio pedum post baptisma, usitata Mediolani & non Romæ. Aliæ etiam sunt temporales, ut abstinentia à sanguine & suffocato, & aliæ perpetuæ, ut ritus Sacramentorum.

C Licèt in tribus conveniant hæretici nobiscum, ut potè in hoc, quòd admittendæ sint aliquæ cæremoniæ in administratione Sacramentorum, præter illas quibus continetur ipsorum essentia: quòd illæ sint admittendæ, quæ habent in S. Scriptura mandatum, vel exemplum Christi, ut gratiarûm actiones, exhortationes, & psalmodiæ, quæ fuerunt in usu apud Apostolos 1. ad Cor. 14. & 1. ad Timoth. 2. & quòd talium cæremoniarum possit Ecclesia statuere modum & ordinem, ut tollatur confusio: multa tamen ipsimet imponunt Catholicis. Dicit enim primò Kemnitius 2. p. exam. f. 152. Concilium Tridentinum approbasse quoscumque ritus ab hominibus excogitatos, etiam absurdissimos, quod falsum est: quoniam non approbavit D nisi illos qui ab universali Ecclesia recepti sunt, contra quos disputare esset insolentissimæ insaniæ, ut testatur Augustinus Epist. 118. Secundò, commentantur de Romanis, quòd retineant ritus cum Dei verbo pugnantes. Tertiò, quod Papa possit immutare Christi instituta. Quartò, quòd minima mutatio in ceremoniis sit peccatum mortale. Quintò, quòd anteponant humanas cæremonias divinis præceptis. Sextò, quòd Sacramenta nullam sine cæremoniis habeant efficaciam. Septimò, quòd efficaciam Sacramentorum tribuant cæremoniis aliquibus, ut cereo Paschali. Octavò, quod asserant, præcipuum Dei cultum consistere in ceremoniis. Talia, inquam, & plura similia fingunt hæ-E retici esse Catholicorum dogmata; ut patet ex Bellarmino lib. 2. de Sacram. in genere cap. 30. Sed in his planè à veritate aberrant, quoniam fatemur, Cæremonias Ecclesiasticas non esse principalem Dei cultum; ab iis non pendere essentiam, & efficaciam Sacramentorum; ipsas non habere vim justificandi ut sacramenta, sed longe esse inferiora illis; non esse approbandos ritus, qui pugnant cum Dei verbo; nec eas esse nimium multiplicandas, nè religionem cui servire debent obruant suâ multitudine. Sed contra illos tenemus, aliquas esse cæremonias institutas à Christo & Apostolis, quæ non

ex Scriptura, sed ex sola Traditione innotescunt: aliquas habere virtutem spiritualem, v. g. coercendi dæmones, quales habent aqua benedicta & signum crucis: Ecclesiam posse novas cæremonias instituere, etiam cum tanta authoritate, ut fideles etiam citra scandalum ipsas observare teneantur in conscientia. Hæc omnia patebunt in transcursu hujus quæstionis, sed præcipuè in hoc insistendum est, quòd Ecclesia convenienter & licitè possit instituere novas cæremonias, ut decentiùs fiant ea, quæ ad cultum Divinum pertinent; unde erit

Conclusio.

POtest Ecclesia in externo Dei cultu novos cæremoniales ritus adhibere, quidquid reclament hæretici; non quidem ad justificandum impium, sed ad alios effectus spirituales, & aliquando etiam corporales; ut potè ad dæmones pellendos, ad remittenda peccata venialia, ad morbos curandos, & alia id genus. Hæc aliquando suum effectum habent, vel *per modum impetrationis*; ut cùm Ecclesia benedicit candelas, palmas, agros, aquam, & similia, quæ valent ad illos effectus, ad quos instituuntur, ex vi orationum Ecclesiæ, quæ exaudiuntur sine dubio. Aliquando *per modum operis operati*, ut patet ex signo crucis, quod ex communi mente Doctorum non terret tantùm Dæmones ex ipsorum apprehensione, quatenus videntes tale signum fieri, recordantur se Christi cruce devictos fuisse, proindeque horrent illud signum: nec tantùm ex devotione hominis, qui se signando opponit Christi passionem dæmonibus, & cuilibet alteri malo, & invocat merita passionis Domini, ita quòd effectus signi crucis magis procedat ex internâ fide & devotione se signantis, quàm ex ipsa figura crucis; sicut, cùm oramus vocaliter, impetratio non tribuitur sono vocis, sed devotioni orantis & fidei illius internæ. Sed insuper ex instituto Christi & aliqualiter ex opere operato. Dixi, aliqualiter ex opere operato; quia signum crucis non habet promissionem divinam sibi annexam, quòd infallibiliter producat suum effectum; unde licèt illum producat, ut ab infidelibus factum, non est propriè ex opere operato, sed ex solo bene placito Dei, per hoc inducere volentis infideles, ut ad Christi fidem perveniant, signum illud suum effectum habet, quoniam Judæi & Pagani sine vera fide aut devotione aliqua præcisè ex solo crucis signo adjuti sunt, ut habetur apud Augustinum lib. 83. Quæst. quæst. 79. ubi ait: *Nil mirum quòd hæc signa valent, cùm à bonis Christianis adhibentur, quando etiam cùm usurpantur ab extraneis, qui omnino suum nomen ad istam militiam non dederunt, propter honorem tamen excellentissimi imperatoris valent. Cùm autem non cedunt his signis hujusmodi potestates, Deus ipse prohibet occultis modis, cùm id justum atque utile judicat: nam nullo modo ulli spiritus audent hæc signa contemnere, contremiscunt ubicumque illa prospexerint.* Hoc sic explicato.

Probatur conclusio nostra, Primò, exemplo Sinagogæ confirmato per Apostolos: videmus enim, quòd in Testamento Veteri, privati homines sine expressò Dei mandato, licèt non sine inspiratione interna, novas cæremonias excogitaverint, ut patet de Jacob, qui cap. 28. Genesis, cùm nondum esset Patriarcha, sed tantùm privatus homo, attamen, Deo non mandante, *erexit lapidem in titulum fundens oleum desuper, & vocavit nomen loci illius Bethel*, in memoriam visionis, quam in illo loco habuerat. Idem in libro Esther cap. 9. Mardo-

A chæus instituit novum festum solemne omnibus celebrandum, quod anteà non erat in usu: sicut & aliud innovatum est tempore Judith, ut habetur capite ult. ejusdem libri, *Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur & colitur à Judæis ex illo tempore, usque in præsentem diem.* Si ergo novi ritus potuerint institui ab hominibus in lege veteri, cur idem non posset fieri ab Ecclesia, quæ speciali Spiritûs sancti assistentiâ dirigitur? Quoad Apostolos, omnibus patet, quòd novam cæremoniam instituerint Act. 15. ubi conciliariter congregati mandaverunt, ut Gentiles abstinerent à sanguine & suffocato, quod certè nusquam Deus jusserat, nisi solis Judæis; imò lex
B illa judaica abrogata erat per mortem Christi: unde Act. 16. vocatum fuit hoc præceptum, præceptum Apostolicum. Si ergo hoc potuit in illo tempore Ecclesia, cur nec idem posset in isto? maximè cùm Apostoli hoc non fecerint ex aliqua revelatione speciali, sed ex potestate ordinaria, quam habebant regendi Ecclesiam?

Probatur secundò, ex hoc quòd si Ecclesia non posset instituere cæremonias; vel hoc repugnaret ex parte Ecclesiæ, vel ex parte cæremoniarum, vel ex parte novitatis, vel quia erant propriæ Veteri Testamento, vel quia non licet addere aliquid cæremoniis Christi, ut dicit Bellarminus lib. 2. de Sacram. in genere cap. 31. Sed non repugnant ex parte
C Ecclesiæ, quasi non haberet potestatem statuendi leges; nam ab illius exordio celebrata sunt Concilia Generalia, in quibus plurimi canones conditi fuerunt. Non repugnant etiam ex parte Cæremoniarum, quia illorum usus non est malus, nec superstitiosus ex natura sua, ut patet ex veteri Testamento, ubi per totum librum Levitici Deu[illegible]stituit plurimas cæremonias in sacrificiis, & [illegible] actionibus ad divinum cultum spectantibus; & ex Novo, ubi Christus legitur cæremonias etiam adhibuisse, ut potè elevando oculos, gratias agendo, accipiendo in manibus panem, ipsum benedicendo, orando flexis genibus, elevatis manibus benedicendo Apostolos, & Luc. 9. 22. Matth. 26. Luc. 22. 24. Non
D repugnant iterum ex parte novitatis, quoniam nullibi Dominus prohibet, nè adderemus cæremonias, ut sacramenta commodiùs, utiliùs, & decentiùs administrentur; imò docet Augustinus epist. 118. cap. 6 quòd cùm Dominus paucissimas cæremonias instituerit, nec tradiderit modum quo ministrarentur sacramenta, id reliquerit curæ & dispositioni Apostolorum & Prælatorum, qui ipsos sequuti sunt in regimine Ecclesiæ. Non repugnant 4. in quantùm cæremoniæ conveniant soli Veteri Testamento, ubi erant leges cæremoniales, quæ abrogatæ fuerunt; quoniam ipsamet Sacramenta à Christo instituta sunt tanquam cæremoniæ principales essentialiter destinatæ ad cultum divinum.
E Non denique repugnant novæ cæremoniæ, ex hac parte, quâ Christus noluerit suis aliquid addi; talis enim prohibitio nullibi reperitur, imò, sicut multa nobis sunt credenda, quæ tamen non declaravit: sic multa facienda reliquit, quæ non fecit ipse. Ex quibus omnibus concludendum est, quòd sit penes Ecclesiam potestas instituendi cæremonias; quæ potestas sufficienter includitur in potestate generali concessa Apostolis. & capitibus Ecclesiæ illorum successoribus, designatis ad regendam Ecclesiam per regulas & mandata, quæ obligant sub peccato, etiam citra scandalum, ut habetur expressè Sess. 7. Conc. Trid. Can. 13. de Sacram. in genere, *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione*

adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Pastorem Ecclesiarum mutari posse; anathema sit.

Probatur 3. admittendas esse cæremonias, quia multiplicem producant utilitatem. Primò, sicut oriuntur ex interna devotione, sic illam augent, ut experientia docet; dum ingredimur enim Ecclesias crucibus & imaginibus ornatas, altaribus instructas, cereis, & lampadibus illuminatas, facilè devotionem concipimus: cùm autem in templa hæreticorum figimus pedem, ubi sola sedes prædicantis, & mensa ad cænam reperiuntur, non domum Dei, sed aulam prophanam videmur ingredi. Secundò, cæremoniæ nedum pium affectum generant in voluntate, sed & intelligentiam juvant ad nostra mysteria concipienda & comprobanda, unde Augustinus epist. 119. ait, cæremonias esse loco Scripturæ, præsertim rudibus; & lib. 6. contra Julianum cap. 5. putat, se sufficienter probasse existentiam peccati originalis ante baptismum, per hoc quòd exorcisentur & insufflentur infantes, atque jubeantur gestantium ore renuntiare diabolo & ejus operibus. Tertiò, sicut cæremoniæ juvant intellectum, ita juvant & memoriam, quoniam in brevi nostra mysteria oblivioni mandarentur, nisi singulis annis celebraremus Conceptionem, Ortum, Mortem, Resurrectionem, & Ascensionem Domini. Quartò, plures cæremoniæ per modum impetrationis conferunt suo tempore pios motus, seu gratias prævenientes, quibus homo disponitur ad pœnitentiam peccatorum, ut tenetur de aqua & pane benedictis & aliis sacramentalibus, quæ ob hoc dicuntur peccata remittere; ratione scilicet precum Ecclesiæ. Quintò, cæremoniæ conservant religionem & impediunt quin vilescat & contemnatur, & tandem pereat; cùm enim religio nostra spiritualis sit & nos corporei, talis religionis oblivisceremur faciliter, si nuda nobis proponerentur mysteria: unde plures cæremonias in illis adhibet Ecclesia, ut ornentur quâdam majestate externâ, sicque objecta sensibus, à mente recipiantur. Sextò, quia nos distinguunt ab infidelibus & hæreticis. Ab infidelibus, inquam, distinguimur per Sacramenta, quæ sunt principales cæremoniæ ad cultum D. destinatæ; & per alias cæremonias ab hæreticis, utpotè per abstinentiam à carnibus, per usum aquæ benedictæ, & per signum crucis, quod æquè ac dæmones abhorrent, contra intentionem Patrum, maximè Tertulliani & Cyrilli Hierosolim. Ille lib. de Corona militis cap. 3. dicit, *Ad omnem progressum atque promotum ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra & mensas, ad lumina, ad sedilia, & cubilia, ad quæcumque nos conversatio exercet frontem crucis signaculo terimus.* Iste autem in fine Cathechesis 13. ait, *Non pudeat nos Crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur; & in aliis omnibus crux fiat: in panibus comedendis, in poculis bibendis, in ingressu & egressu, ante somnum, recumbendo & resurgendo, eundo & quiescendo.*

Probatur 4. specialiter, quòd cæremoniæ ad Ecclesia institutæ, obligent sub peccato, etiam citra scandalum; quia ex tractatu de Legibus, leges Ecclesiasticæ obligant in conscientia, ut patet ex Paulo ad Rom. 13. *Non est potestas, nisi à Deo; quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Tum etiam quia, si cæremoniæ non obligarent, non fuissent in Ecclesia natæ tot dissentiones circa cæremonias,

A quot aliàs visæ sunt; nec sub tam gravibus pœnis impositæ fuissent leges circa cæremoniarum observantiam; nec denique habiti fuissent pro hæreticis, qui tales cæremonias noluissent observare; hæc tamen facta sunt initio nascentis Ecclesiæ, ut patet ex ipsius historia. Primò enim orta est dissentio inter Apostolos, an Gentiles ad Christianismum recenter conversi, subire deberent Circumcisionem, nec-nè; ad quam negativè responderunt Apostoli, dicentes Act. 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil ultrà vobis imponere oneris, præter hæc necessaria, ut abstineatis vos à sanguine*, ubi hæ leges cæremoniales non appellarentur onerosæ, nec necessariæ, nisi obligarent in conscientia. Secundò, fuit

B alia dissentio de alia cæremonia, nempe de tempore Paschatis, quæ tanti momenti reputata est, ut Victor 1. Papa totam Asiam separare voluerit ab unitate fidelium, pro eo quòd nollent Asiatici convenire cum aliis, ex Eusebio lib. 5. Hist. Eccles. cap. 25. Deinde Concilium Nicænum propter hoc congregatum est; ex Epiphanio Hæresi 70. & super hoc pronuntiavit. Posteà Concilium Antiochenum Can. 1. excommunicat eos, qui legem Concilii Nicæni de Paschate non servant. Tandem Patres proclamaverunt hæreticos, qui diverso modo attentabant celebrare Pascha. Tertiò, nova dissentio orta est de ritu baptismi, an scilicet verè baptisarent hæretici, de quâ loquuti fuimus in quæst. 3. hujusce ca-

C pitis, ubi vidimus quantùm hæc controversia exercuerit Ecclesiam, & quot Concilia habita fuerint, præsertim contra Donatistas, qui validitatem baptismi collati ab hæretico aut infideli negabant. Ex his ergo duobus argumentis constat, cæremonias Ecclesiasticas obligare fideles in conscientia; nisi enim ad illarum observantiam obligarentur Christiani, nullus ordo, nec ulla uniformitas reperiri posset in Ecclesia. Quæ ratio Calvinum movit, ut cæremonias suas voluerit firmare legibus, dicens lib. 4. Instit. cap. 10. ß. 27. Ecclesiam dissipari, deformari, & dissolvi suis normis, si unicuique liceat mutare cæremonias.

Objiciunt primò hæretici se non negare usum

D omnium cæremoniarum, quia multis cæremoniis Deus coli potest; sed negare tantum illas, quæ ab hominibus inventæ sunt; quia Deo non placet cultus, quem ipse non instituit, aut saltem quem non approbavit verbo suo: ergo quæcumque à nobis superiùs ad probandum usum cæremoniarum allegata sunt, perperam allegata sunt. Respondeo, negandum esse antecedens Calvini, quo dicit, Deo non placere cultum, quem ipse non instituit; placuit enim illi cultus Abel, qui obtulit de adipibus gregis sui, Genesis 4. Placuit etiam cultus Jacob, qui Genesis 28. erexit lapidem in titulum. Placuit denique cultus B. Virginis, quæ perpetuam vovit virginitatem. Hæc autem non præ-

E ceperat Deus: ergo falsum est quod Calvinus asserit; sufficitque, ut Deo placeat aliqua actio, quòd sit actus alicujus virtutis; unde, cum quælibet cæremonia sit actus religionis ad cultum Dei ordinatus, maximè si institutus aut approbatus fuerit ab Ecclesia universali, ideò quælibet cæremonia potest ab illa adhiberi. Neminem enim latet, quin Petrus Jacobo esurienti largiens eleemosinam actum meritorium eliciat: non quia Deus præcepit in particulari Petro, ut talem eleemosinam impendat Jacobo: sed quia in genere voluit, quòd cuilibet in necessitate posito subveniretur. Sic etiam Deus non præcepit quidem hanc aut illam cæremoniam, sed voluit in genere, ut homines Deum colerent: cùm ergo quælibet cæremonia pia & devota,

sit actus religionis, tendens ad Dei cultum, ideò omnes illæ, quas universa recepit Ecclesia, admittendæ sunt. Dixi, quòd universa Ecclesia recipere debeat cæremonias, aut saltem ejus pars aliqua notabilis; si enim privati homines & mulierculæ ob suam inordinatam devotionem novas inducerent cæremonias, ipsæ non essent usitandæ, imò resecandæ forent, ut docet Augustinus, qui conqueritur, quòd suo tempore privati homines ita Ecclesiam multitudine cæremoniarum oneraverint, ut tolerabilior esset Judæorum conditio. Unde, non ad cæremonias Ecclesiasticas rejiciendas, ut clamant hæretici, sed ad privatas extirpandas, dicit Epist. 119. *Omnia talia, quæ neque sanctarum Scripturarum authoritatibus continentur, neque in Conciliis Episcoporum statuta reperiuntur, neque consuetudine Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, resecanda sunt.*

Objicit Calvinus immensam passuum Scripturæ farraginem, qui si accuratè examinentur, clarè patebit, illos nullomodò contradicere cæremoniis Ecclesiasticis. Arguit primò lib. 4. Instit. cap. 10. ss. 10. & 15. quòd Dominus Math. 15. reprehendat traditiones hominum, quod idem facit Isaiæ 29. *Frustra me colunt mandatis hominum.* Resp. 1. non esse attendendum ad ea quæ dicit Calvinus toto illo paragrapho decimo, cùm multis refertus sit mendaciis, ut potè quòd catholici interdicant conjugium, admittant scorta, & credant illos graviùs peccare, qui die Veneris modico carnis gustu linguam inficerent, quam qui singulis diebus corpus suum scortando fœdarent. Resp. 2. quòd plurimæ Judæorum cæremoniæ jure deberent reprehendi, illæ nimirum, quæ cum mandatis Dei pugnabant. Ut quòd filii donarent sacerdotibus quæ parentibus erant necessaria; Sicut & illæ quæ erant prorsus inutiles, ut pluries lavare manus. Imò arguendus erat modus, quo se habebant Judæi circa traditiones suas, quas pluris faciebant, quam mandata Dei. Traditiones verò Ecclesiæ vituperandæ non sunt, quia non pugnant cum Dei mandato; nec sunt inutiles, sed meritoriæ, quoniam tendunt ad cultum Divinum; nec in illis tamen constituimus religionis summam. Dicit Calvinus ss. 9. Apostolum prohibere ad Galat. 5. nè conscientiæ fidelium in servitutem reducantur: ergo non sunt instituendæ cæremoniæ, quæ obligent in conscientia. Resp. Paulum loqui, non de quacumque obedientia legis, aliàs non doceret ad Rom. 13. *Obediendum esse potestati, non solùm propter iram, sed propter conscientiam*: loquitur verò de servitute Judaica: nam lex vetus jugum servitutis dicebatur, non quia obligabat in conscientia, quia hoc est commune cuilibet legi, sed quia observatu erat difficillima, ut potè carens gratiâ, quâ posset impleri ex amore justitiæ, nisi à Patriarchis, Prophetis, & aliis paucissimis, qui eam, non ex lege, sed ex gratia novi Testamenti servabant, alii verò timore pœnæ, unde gravissimum jugum meritò dicebatur. Notandum tamen est, quòd licèt Judaicus cultus esset corporalis, non tamen placebat Deo sine spirituali, unde exigebat etiam cultum spiritualem, *Diliges Dominum Deum tuum*, Sed qui hunc præstabant, id habebant ex novo Testamento ad quod incipiebant spectare.

Objicit iterum Calvinus præcitati capitis Paragr. 14. in hoc distingui Judæos à Christianis, quòd illi, ut parvuli existentes sub pædagogo, docti fuerint per signa sensibilia, ut habetur ad Galat. 4. nos verò, tanquam viros perfectos, sine talibus signis, & proinde simpliciùs, ut indicat A Christus Joan. 4. dicens, *Venit hora, quâ veri adoratores in spiritu & veritate adorabunt Patrem.* Resp. per hoc non intelligi, quòd populus Judaicus debuerit uti cæremoniis exterioribus, & illas repudiare Christianus; nam sicut in lege veteri erant Sacramenta, & proinde cæremoniæ; sic in lege novâ sunt etiam Sacramenta longè Judaicis nobiliora & consequenter cæremoniæ perfectiores: sed per verba Joannis, *in spiritu & veritate*, intelligi debet, quòd cultus Judaicus erat principaliter externus, consistens in umbris & figuris; cultus verò Christianus est principaliter internus & B spiritualis, quatenus à spiritu charitatis procedit, qui spiritus est ipsa gratia novi Testamenti, quâ carebat vetus; unde Paulus 2. Cor. 3. vocat illud *litteram*, & istud *spiritum*; & Joan. 1. illud dicitur *lex*, & istud *gratia*. Hæc est explicatio Chrysostomi, Cyrilli, & aliorum; licèt etiam non sit contemnenda illa, quam adducunt Theophilactus & D. Thomas, asserentes, cultum Christianorum esse *in spiritu*, respectu cultûs Judaici, qui externus & corporalis erat; & *in veritate*, respectu cultûs Samaritanorum, qui falsitati & errori erat admixtus: quoniam initio, nec verum Deum agnoscebant, nec ipsum proinde colebant, quandoquidem erant Gentiles; & cùm posteà ad agnitionem & cultum Dei pervenerunt, simul colebant idola cum Deo, C ut patet 4. Reg. 16. cultus autem Christianorum est *in spiritu & veritate*, quia fit ex gratia, & nulli errori admixtus est. Arguit insuper Calvinus paragr. 17. nonas Cæremonias non debere admitti, quia in Deuteronomio habetur, *Quod præcipio tibi, hoc observabis ut facias; non addes quicquam nec detrahes.* Resp. his verbis non prohiberi quamlibet additionem; nam post Deuteronomium scripti sunt omnes alii libri sacri, historici & prophetales, sicut & novum Testamentum. David etiam addidit judiciale præceptum de præda belli æqualiter dividenda inter pugnantes & custodientes sarcinas. Posteriores Judæi similiter cæremoniales leges addiderunt de novis solemnitatibus instituendis, ut diximus in probatione 1. nostræ conclusionis: ergo per textum allatum non prohibet Dominus, nisi D additionem corrumpentem; ita quòd dicendo, non addes, nec detrahes, idest, integrè & perfectè observabis quæcumque tibi præcipio.

Instat Calvinus, repudiandas esse novas cæremonias, quoniam reprehendit multoties Dominus & punivit illos, qui aliquas admiserunt; ut patet de Achas qui 4. Regum 16. arguitur, quòd novum altare posuerit in templo, quod potuit fieri ad ornatum ejus. Deinde, qui incolebant Samariam à feris discerpti dicuntur 4. Regum 17. quòd novis cæremoniis Deum colerent. Tandem, crimen Manasse 4. Regum 12. aggravatum est, propterea quòd altare novum exstruxerit in Jerusalem. Resp. pro more suo malâ fide uti Calvinum in his omnibus: E non enim reprehenditur Achas, quòd novum altarè exstruxerit in templo, sed quòd fieri jusserit in eo novum altare ad similitudinem altaris idolorum, quod erat in Damasco, & quod jusserit removeri altare Domini de loco suo, ut in optimo loco constitueretur altare Idololatricum. Similiter non arguuntur Samaritani, quòd novis uterentur cæremonis, sed quòd Deum simul & Idola colerent, ut diximus paulò superiùs. Tandem non solùm altare novum construxit Manasses in templo: sed altare ubi sacrificabatur idolis. Nonobstantibus ergo his omnibus Calvini allegationibus, retinere debemus, omnes & singulas cæremonias, quas Ecclesia instinctu Spiritus sancti directa ordinavit, etiam si

A expreſsè & immediatè non fuerunt à Deo, Chriſto, & Apoſtolis inſtitutæ. Si enim hoc formaliter requireretur, quâ fronte Calvinus ipſe in libello de Formula Sacramentorum miniſtrandorum præſcribere attentaret, quòd infans baptiſandus deferretur ad Eccleſiam, quòd Baptiſmus daretur tantùm die dominicâ, quòd deferentes parvulum interrogentur, quòd ſpondeant ſe infantem, cùm adoleverit, inſtructuros eſſe in fide & moribus, quòd nomen imponatur baptiſandis, quòd forma baptiſmi vernaculâ linguâ proferatur, & ſimilia fiant, quæ non præcipiuntur in verbo Dei?

Tandem, jugiter reprehendunt Hæretici Romanos, quòd linguâ Latinâ, ſacramenta adminiſtrent, etiam illis qui tale idioma non capiunt. Reſp. Non
B eſſe de jure Divino, quâ linguâ miniſtrentur ſacramenta, excepto Matrimonio, quod cum conſiſtat in conſenſu mutuo, requirit verba, vel nutus, qui ab utraque parte intelligantur: exceptâ etiam Confeſſione, quæ debet fieri linguâ utrique notâ: Attamen non ſine cauſa viſum eſt Eccleſiæ & Spiritui ſancto ipſam dirigenti, ut Sacramenta non linguâ vulgari, niſi forſan in caſu neceſſitatis, miniſtrentur. Primò, quia ſi adminiſtrarentur idiomate particulari, Eccleſiarum commercium impediretur, nec poſſent inſimul convenire Germani, Angli, Poloni, Itali, Galli, Hiſpani, & ſimiles, quod multùm noceret unitati, quæ debet eſſe inter membra ejuſdem corporis; & eſſet maximè in-
C commodum paſtoribus & aliis eccleſiaſticis, qui extra ſuas regiones divinis carerent officiis. Secundò, ſacramenta quandam majeſtatem requirunt, ut in majori veneratione habeantur; ſed major habetur gravitas in illis, ſi lingua non vulgari, ſed alienâ adminiſtrentur: ergo ſicut in illis adminiſtrandis utimur aliena domo, eccleſiâ videlicet, extraordinariis veſtibus, alieniſque inſtrumentis, ſic congruum eſt, ut alienâ linguâ utantur miniſtri. Tertiò, expedit, quòd ab Eccleſia, quæ ad ſui eſſentiam requirit unitatem, removeatur omnis mutationis & depravationis occaſio; ſed ad hoc multùm valebit, ſi verbis & expreſſionibus omnibus notis adminiſtrentur Sacramenta: ergo congruum eſt, ut linguâ Latinâ, communi apud Polonos,
D Gallos, Italos, & alios ex imperio occidentali adminiſtrentur. Non quòd credamus linguam Latinam eſſe aliis ſanctiorem, ut Catholicis imponit Kemnitius; ſed ad commercium inter Eccleſias Latinas conſervandum, ad majeſtatem externam Sacramentorum augendam, & arcendum periculum depravationis. Quòd ſi dicatur, linguam Latinam non eſſe communem; hoc falſum eſt reſpectu doctorum, quales ſunt communiter miniſtri.

Confirmatur uſus Latini idiomatis ex conſuetudine antiquiſſima Eccleſiæ; quæ patet ex hoc, quòd Iſidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus, Strabo, Micrologus, Rupertus, & ſimiles, ſcripſerint de Divinis Officiis in Hiſpania, Gallia, Germania,
E Italia, Anglia, &c. & apertè docent, Sacramenta in his omnibus locis Latinè miniſtrari eſſe ſolita, etiamſi jam dudum in talibus plagis lingua Latina deeſſet. Deinde, Æneas Sylvius lib. de origine Bohemorum cap. 13. refert, Moranos obtinuiſſe à Pontifice Romano, licentiam officia D. celebrandi lingua Sclavonica, quòd non expoſtulaſſent, ſi tunc in uſu fuiſſet lingua vulgaris. Tandem, Gregorius VII. ut refertur in 7. libro Epiſtolarum ejus, eandem facultatem negavit Bohemis ſollicitantibus ipſam. Quòd ſi dicatur neceſſarium eſſe, ſacramenta adminiſtrari vulgari linguâ, ut fideles intelligant id quod recipiunt: Reſpondendum eſt negativè; nam verba Sacramentorum vel diriguntur ad elementa, ut conſecratio Euchariſtiæ, benedictio aquæ, ſalis, aut olei, & illa elementa nullam intelligunt linguam; vel diriguntur ad Deum, quando forma Sacramenti profertur deprecatoriè, ut in Unctione extrema, & Deus omnes linguas percipit; vel diriguntur ad perſonas, non quidem inſtruendas, ſed conſecrandas & abſolvendas, ut in Baptiſmo & abſolutione, & tunc non eſt propriè neceſſarium, quòd intelligant verba, quibus ſacramenta recipiunt, ut patet de Baptiſmo qui confertur parvulis, & de abſolutione, quam recipere poſſunt alienati à ſenſibus, qui anteà illam petiere. Adde quòd in adultis ſufficiat, quòd intelligant in genere, per verba Latinè prolata ſibi tale aut tale Sacramentum miniſtrari.

Poſtquam in hac quæſtione, prolixâ ſatis methodo, neceſſariâ tamen, loquuti fuimus de cæremoniis eccleſiaſticis in communi; non ingratum fortè, imo veriſimiliter ſatis curioſitate lectoris dignum videbitur, ſi ex occaſione addamus quædam de celebrioribus cæremoniarum ſpeciebus, ut potè de Aqua benedicta, de Pane benedicto, de Campanis, & de Proceſſionibus.

PUNCTUM PRIMUM.

De Aqua benedicta.

MEMINERUNT ſacra decreta 52. *q.* 5. *c. Meminam* quatuor ſpecierum aquæ benedictæ, quarum prima vocabatur aqua *purgationis ſeu judicii*, quâ antiquitùs utebantur ad notitiam obtinendam alicujus veritatis abſconditæ: ſicut etiam ſolebant uti candenti ferro, ad juſtificandum vel puniendum de crimine ſuſpectos; & talis aquæ *judicii* uſus interdictus & prohibitus fuit ab Eccleſia, quia tentare Deum videbatur, exigendo miracula ab ipſa. Secunda dicebatur *Gregoriana*, inſtituta præcisè ad dedicationem templi, aut reconciliationem ejus, dum pollutum fuerat; & iſtius aquæ forma habetur in Pontificali Romano, & in decreto *extra. de Conſecrat. Eccleſ. cap.* 5. Tertia illa eſt quam ad Baptiſmum conferendum benedicit Eccleſia ſabbatis præcedentibus Paſcha & Pentecoſten; licèt enim quælibet aqua naturalis ſufficiat ad baptiſandum, iſta tamen ordinariò uſurpari ſolet, maximè quando Baptiſmus ſolemniter confertur. Quarta denique eſt illa quæſit ſingulis dominicis, & vocatur communiter *aſperſionis* aqua. Ad ipſius confectionem, ſacerdos primò benedicit ſalem cum pulcherrimis orationibus, deinde benedicit aquam, tandem ſalem in aquam infundit cum multis benedictionibus. Hunc autem modum benedicendi aquam, à ſuis anteceſſoribus obſervatum fuiſſe, teſtatur in lib. de ſacram. Grimaldus Abbas, qui vitam agebat circa annum octingenteſimum quadrageſimum. Quantum ad inſtitutionem hujus aquæ benedictæ de qua ſolùm loqui intendimus; tenent aliqui eam eſſe ab Alexandro 1. Summo Pontifice, qui vixit circa annum centeſimum & vigeſimum, ut patet ex decretis, & teſtatur Valfridus Strabo, qui Anno 830. ſcribens, dixit Tract. de Rebus Eccleſiaſticis cap. 29. *Aquam aſperſionis cum ſale benedici, & in habitantiis fidelium ſpargi Alexandrum Papam conſtituiſſe.* Alij verò prætendunt anteà mẽtionem fieri de aqua benedicta apud D. Clementem lib. 8. Conſtit. Apoſtol. cap. 35. unde colligunt illam eſſe de traditione Apoſtolica, cujus ſolemne decretum ſtabilivit Alexander. Sed hoc fa-

cilè conciliari potest, dicendo, quòd aliud sit benedicere aquam in communi, sicut ab initio Ecclesiæ benedicebantur oleum, cerei, thimiama, & similia, juxta exigentiam fidelium ad effectus aliquos spirituales, aut etiam corporales; & aliud sit benedicere aquam aspersionis in particulari, ut per ipsam sanctificarentur populi, qui illâ aspergerentur, & quæ posteà aspersio determinata est fieri singulis dominicis. Quantùm ad Aquam sumptam primo modo, dici potest, quòd sit ex Traditione Apostolicâ, & quòd illam sic usurpet D. Clemens loco citato, ubi loquens de benedictione aquæ & olei, præscribit illorum formas, quas emanatas fuisse ab Apostolo Matthæo commemorat. Quantùm verò ad aquam benedictam, quæ vocatur Aspersionis, quatenus præscriptum fuit, ut illâ aspergerentur populi, ad sui sanctificationem & alios effectus producendos, verisimilius est, quòd ille usus aquæ benedictæ præscriptus fuerit ab Alexandro Pontifice loco citato.

Idem præceptum renovavit D. Basilius circiter annum 370. lib. de Spiritu sancto cap. 27. *Aquam sale aspersam populis benedicimus, ut cuncti eâ aspersi sanctificentur & purificentur, quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus.* Quoad benedictionem aquæ singulis dominicis diebus faciendam, reperitur apud Reginonem, qui citat Canonem 7. Concilii Nannetensis, dicentem: *Omnibus diebus Dominicis unusquisque presbiter in suâ Ecclesiâ aquam benedicat in vase mundo & ad tale ministerium apto, ut hac aquâ aspergatur populus templum ingrediens.* Paulò post addit, *Qui velet accipiat in vasculis suis ex ea, in domum deferat, & super fructus, vineas, bestias, earum pastum, imò & super cibos & potus suos infundat.* Præcipit insuper idem Concilium, quòd pro momento quo sacerdos agnoverit aliquem ex parochianis esse ægrotantem, statim illius domum accedat, aquam benedictam deferat secum, ipsumque & domicilium aspergat, dicens, *Asperges me Domine hyssopo, & cæt.* Carolus Magnus, qui octavo sæculo regnabat in Occidente, in Capitularibus suis lib. 5. cap. 220. præcipit, ut *quilibet Sacerdos, idest, Pastor aut Vicarius, singulis dominicis diebus, ante missam solemnem, cantando circumeat suam Ecclesiam processionaliter, & deferatur aqua benedicta.* Coccius in thesauro asserit, eandem cæremoniam usitatam esse apud Armenos, Syrios, & Æthiopes, qui licet diversis orationibus uterentur ad benedicendam aquam, conveniebant tamen nobiscum in substantia facti, & eundem finem habebant.

Ut videantur effectus quos producit aqua benedicta, legendus est D. Basilius, qui in Epistola ad Orthodoxos de illa loquens, ait; quòd *sterilitatem rerum humanarum avertat, coinquinatos sanctificet, avertat diaboli insidias, & à phantasmaticis versutiis defendat homines.* Sed longè plures enumerat Ecclesia, quos à Deo postulat suis benedictionibus, dicens; *Ut creatura tua mysteriis tuis serviens, ad abigendos dæmones, morbosque pellendos, divina gratiæ sumat effectum, ut quidquid in domibus vel locis fidelium hac unda resperserit, careat omni immunditiâ, liberetur à noxâ, & cæt.* Ubi patet, tres inter alios insinuari aquæ benedictæ effectæ effectus, quorum primus est, quòd potestatem dæmonum coerceat; secundus, quòd morbos expellat, & sit omnibus sumentibus eam, sanitas, non tantùm animæ, sed etiam corporis; & tertiùs, quòd immunditiam tollat; ut patebit ex inferiùs dicendis. Sed præter hos effectus, multi insuper alii ipsi attribuuntur, nimirum, quòd vim habeat contra insectas bestias, fructus & segetem corrumpentes, quòd diversas gratias obtineat pro defunctis, & peccata venialia deleat communiter; sive hoc fiat *ex opere operato*, per solam applicationem aquæ benedictæ, sine ulteriori actione ex parte illius qui aspergitur, modò in gratiâ existat; *sive ex opere operantis*, ex fervore scilicet & devotione illius qui aquam accipit benedictam.

Quòd potestatem dæmonum coerceat aqua benedicta, patet ex pluribus relationibus Patrum. Sanctus Epiphanius, qui anno post Christum trecentesimo vivebat, vir pietate & doctrinâ insignis narrat 2. lib. contra Hierarch. cap. 30. de quodam Judæo nobis nomine Josepho, divitiis & fervore famoso, qui jam à pluribus annis Judaismum abjuraverat, ut fidem Christi profiteretur; quod cùm suscepisset super vetus templum idolis consecratum Ecclesiam construere; primò ædificari curavit septem clibanos ad coquendam calcem; Judæi autem hoc ægrè ferentes, tale desiderium impedire conati sunt; primò per media naturalia, quæ cùm viderent esse penitùs invalida, ad extraordinaria habuerunt recursum, & potestate dæmonum usi sunt, qui suis incantationibus actionem ignis ità impedierе, ut nullo modo accendi potuerit, quidquid ad hoc fuerit factum: Judæus autem Joseph ad fidem conversus, agnoscens hoc fieri dæmonum artificio, ad Deum precibus convolat, clibanos aqua benedicta aspergit, & protinùs tanta velocitate accenduntur, ut ad tale miraculum, nedum operarii, sed & cuncti astantes obstupuerint. Quid simile referunt Theodoretus & multi alii, apud Nicephorum *lib. 5. cap. 2. Hist. Eccles.* de Marcello Apameæ Episcopo, qui cùm à Constantino Magno licentiam obtinuisset destruendi templum consecratum Jovi, coactus fuit propter soliditatem ædificii avellere fundamenta ejus, & lapidum avulsorum loco apponere sustentacula lignea, quibus apponeretur ignis, sed non obstante omni industria, & omni materia combustibili, ipsa non potuerunt accendi, cujus obstaculi dum quæreretur ratio, visus est diabolus super Templum, sub Æthiopis formâ, illam combustionem impediens. De his commonitus Marcellus Episcopus ad Deum recurrit, benedicit aquam, & diacono suo jubet, ut sustentacula aspergat; quo facto, flammam & ignem tantâ cum violentiâ concipiunt, ut quasi in momento totaliter consummatum fuerit templum, cum æquali Christianorum gaudio, ac timore & stupore paganorum.

Quòd etiam aqua benedicta morbos expellat & sanitatem afferat corpori, de hac re nulli dubium poterit remanere, si attendatur ad infinitas historias ab authoribus fide dignissimis relatas. Ex Metaphraste in vita D. Chrysostomi, iste Sanctus puerum præ gravitate infirmitatis morti proximum per aspersionem aquæ benedictæ sanavit. Ex relatione D. Bernardi sanctus Malachias simile edidit miraculum. Et Theodorus Abbas ejusdem aquæ benedictæ ministerio mirabilia in sanitate ægrotorum faciebat quotidie; & præ cæteris sanitatem restituit filio Mauritii Imperatoris, qui lepræ incurabili morbo laborabat. Quòd etiam immunditiam cordis eripiat aqua benedicta, constat ex precibus Ecclesiæ, quæ aquam benedictam conficiens, à Deo postulat, *Ut quidquid in domibus vel locis fidelium hac unda resperserit, careat omni immunditiâ;* quod sane non diceret, nisi crederet ipsa, talem virtutem esse aquæ benedictæ annexam. Hoc confirmat Palladius, dùm narrat cujusdam monasterii usum non communem: Quando frater aliquis, aut monasterio

monasterio aliquis vicinus gravi tentatione carnis torquebatur, ducebatur ad Ecclesiam, in pulvinari infundebatur aqua, à superiore monasterii benedicebatur, fiebant preces ad Deum pro ipso, deinde universi fratres manus lavabant in illa aqua, quæ posteà capiti illius qui tentatus erat infundebatur, & statim evanescebat tentatio.

Quòd deinde in aquâ benedictâ virtus maxima reperiatur contra locustas & cuncta animalia infecta, quæ fructus corrumpunt, fortius probari nequit, quàm per Theodoreti verba in suo Philotheo cap. 8. ubi vitam magni Aphraatis Anachoretæ scribens, narrat, quòd cùm aliquando ortæ fuissent locustæ in tam ingenti numero, ut omnes fructus terræ devorarent, absumerent pratorum herbas, & vinearum ac arborum depascerent gemmas, ad instar exercitûs volando de plaga in plagam, de loco in locum, ac de provincia in provinciam; vir quidam sanctissimus talem devastationem intuens, Aphraatem accesserit & interpellaverit, quatenus impediret, nè tales locustæ invaderent sua prædia, cujus supplicationi annuens Anachoreta, benedixit aquam, quâ jussit aspergi plantas, arbores, vineas, & fructus; & hoc facto, *locustæ aspersa loca circumvolantes*, inquit Theodoretus, *instar exercitûs, retrocesserunt, benedictionem extrinsecam extimescentes, & veluti quodam ferro progredi ulteriùs prohibitæ*. Si quis instet & dicat, aquam benedictam non semper similes effectus habere, nec semper coercere dæmones, nec infecta animantia impedire, nec expellere tempestates aëris: ad hoc respondendum est ex Philosophorum axiomate, quòd activorum actiones non operentur nisi in subjecto quod benè disponatur. Hoc confirmat Abbas Cluniacensis *lib. 1. miracul. cap.* 8 referens, Monachum quemdam, qui depravatam & prorsùs dissolutam vitam duxerat, in articulo mortis tantopere vexatum fuisse à dæmone, ut neque precibus, neque aspersione aquæ benedictæ etiam multoties repetitâ sublevari potuerit. Hoc videns devotissimus Abbas, astantibus dixit, Desinite mirari quæso, nil externa medicamenta prosunt, ubi putrescunt intima: unde obtinens à Monacho, ut contritus corde confessionem oris emitteret, & ipsum unicâ tantùm vice aspergens aquâ benedictâ, continuò ipsum à dæmone liberavit.

Quòd denique aquæ benedictæ aspersio prosit tùm animabus, tùm corporibus defunctorum, manifestum est ex usu vetustissimo Ecclesiæ: nisi enim aliquam sublevationem & aliquod refrigerium ex aquâ benedictâ obtinerent defunctorum animæ, quare illa adhiberetur in inhumanationibus, anniversariis & cunctis officiis publicis quæ pro defunctis fiunt quingentis aliquando annis post obitum mortui? Certè ad hoc dicendum est, nè talis actus religionis & pietatis videatur imprudenter & frustrà adhiberi, quòd illa aqua elevata à Deo, mediantibus precibus & benedictionibus Ecclesiæ, habeat virtutem aliquam specialem, quâ effectus supernaturales producere valet circa animas, sicut facit erga dæmones; & hoc in virtute potentiæ obedientialis, quæ nihil est aliud, præter jus aliquod speciale, quod retinuit Deus super cunctas creaturas, virtute cujus illas applicare potest ad effectus extraordinarios activitatem suam naturalem excedentes. Quantùm ad defunctorum corpora, illis aqua benecta prodesse censetur, quoniam impedit, nè dæmones illa assumant ad exercendum in ipsis plures prophanationes impias, sicut fertur sæpe sæpiùs adventasse; & propter hoc naturaliter expetunt fideles, ut sua corpora in locis sacris sepelian-

A tur; quia, cùm talia loca consecrata sint per Sacramentorum administrationem, & per multos actus religionis, inter quos recenseri jure meretur usus aquæ benedictæ, ideò illa accedere non audent dæmones.

Addi potest & alia ratio, quæ licet sit vulgaris; non minùs notanda venit, nempe quòd aqua benedicta probabiliter impediat, nè cadavera mortuorum putrescant, licet ipsa corrumpi sinat. Ex historiis habetur, Gentiles, tùm Græcos, tùm Romanos, sicut Judæos & Barbaros, districtè semper prohibuisse, nè sepulchra intra urbes & oppida construerentur, ad impediendum fœtorem cadaverum qui inficere potuisset cives & incolas; unde
B hanc legem Cicero condidit, *Mortuum in urbe nè sepelito*: at fideles ab illo more longè distant, cùm non solùm intra civitatum septa, sed etiam intra Ecclesias, quæ loca sunt undequaque clausa, in quibus magnus fit populorum concursus, mortuos sepeliant, ubi tamen neque malus odor communiter sentitur, neque oritur incolarum contagio, quod aliunde procedere non potest, nisi ex virtute aquæ benedictæ, quæ sicut in se non est corruptibilis, ità impedit, nè alia putrefiant; unde singulis diebus dominicis populi, Ecclesia, & cæmeteria asperguntur. Insuper, ut quilibet Christianus Ecclesiam ingrediens & egrediens possit aquam benedictam accipere & deferre ad domum, à primoribus sæculis
C mos obtinuit, ut ad Ecclesiarum portas vasa figerentur ad continendam hanc aquam, ut refert Synesius *epist.* 121. dicens, *Sunt in templorum vestibulis aquaria*. Quòd si improperent hæretici, nos in hoc imitati Gentiles, qui ingredientes templa idolorum sese aspergebant aquâ, antequam sacrificia inciperent, ut ait S. Justinus *Apologet.* 22. *Qui adeunt templa, seipsos aspergunt, & deinde offerunt libamina*: Respondendum erit, antiquos Ecclesiæ Pastores noluisse repudiare omnes ritus paganorum, nè gloriaretur diabolus, suos adversarios non fuisse ausos uti cæremoniis, quibus ipse colebatur; sed retinendo aliqualiter talium rerum substantiam & apparentiam externam, finem & intentionem mutarunt; præ-
D cipiendo, easdem res cultui dæmonum inservientes anteà, deinceps applicandas esse ad cultum Dei. Sic Augustinus, *Qui Christianas litteras sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant templa, & sacrificia faciant, sed quòd hac idolis exhibeant & dæmoniis.* Porrò, quoad remissionem venialium virtute aquæ benedictæ, de hoc agetur posteà, loquendo de Sacramentalibus.

Punctum Secundum.

De Pane benedicto.

E Tres panes reperiuntur in usu apud fideles ab initio nascentis Ecclesiæ, quorum primus erat Panis Eucharistiæ, qui licet verè & essentialiter sit corpus Christi, tamen communiter dicitur panis, tùm quia retinet omnia accidentia panis, tùm quia ante consecrationem erat panis; tùm denique quia Eucharistia nutrit spiritualiter animas, sicut panis nutrit materialiter corpora. Secundus erat Agaparum panis: Agape autem erat convivium, quod in Ecclesia facere solebant fideles post factam communionem, & cujus meminit D. Paulus 1. *ad Corinth.* 11. & Judas *in Canonica Epistola*; ubi enim Latinè habetur, *Hi sunt in epulis maculæ convivantes sine timore*, Græcè legitur, *ἐν ταῖς ἀγάπαις*. Ritus Agaparum describit Chrysostomus *Homil* 27. *ad* 1.

Corinth. cap. 11. *Statis diebus*, inquit, *mensas faciebant communes, & peractâ synaxi, post sacramentorum communionem inibant convivium; divitibus quidem cibos suppeditantibus, pauperibus vocatis, & omnibus communiter vescentibus.* Hoc idem commemorat Tertullianus in Apologetico, *Cœna nostra de nomine suo rationem ostendit: vocatur enim ἀγάπη, quod est apud Græcos dilectio; quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes isto refrigerio juvamus.* In Synodo Gangrensi intorquetur Anathema in eos, qui Agapas ità despiciunt, ut in eis intervenire nolint; & hoc propter Eustathianos, contra quos hoc Concilium convocatum est Gangræ in Paphlagonia sub imperio Constantini Magni: Eustathius enim Manichæorum deliria propagare contendens solemnes conventus in Ecclesia despiciebat, & agitabat privatos. Quia tamen posteà abusus graves orti sunt in Agaparum celebratione, quos arguunt Paulus & Judas præcitati, ideò Patres Concilii Laodiceni illas intra Ecclesiam vetârunt fieri *Can. 28. Non oportet in dominicis locis, seu Ecclesiis, Agapen facere & intus manducare, vel accubitus sternere.* Tertius denique panis erat panis Eulogiarum, de quo multoties Patres loquuti sunt, sicut & Concilia; & iste est de quo nunc loquimur.

Eulogiarum, seu panis benedicti distributio fiebat in signum amoris, unionis & charitatis inter fideles, modò inter Ecclesiam, modò inter privatas Christianorum ædes, ad quos deferebantur. Imò sæpè sæpiùs fideles privatim ad amicos procul distantes transmittebant in symbolum charitatis mutuæ, sicut & Episcopi inter se invicem. Dictû est difficillimum, quo tempore introductus fuerit Eulogiarum usus: Pius tamen primus jubet, ut de panibus oblatis in Ecclesia, & à sacerdote benedictis, aliquæ partes in frusta scindantur, & distribuantur diebus dominicis & festivis post sacra mysteria illis qui intra missam communionem non receperint. Hujusce Canonis verba habentur apud Burchardum *lib. cap. 27. Vt de illis panibus à presbitero benedictis & in frusta fractis, post missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, Eulogias omni die dominico, & in diebus festis accipiant.* Idem decretum renovat Concilium Nannetense cap. 9. circiter annum 835. *Diebus festivis dantur Eulogia populo, qui communionem non fecit.* Ex quibus patet, Eulogias seu benedictum panem dari pro tunc loco Eucharistiæ; unde in Canone 14. Concilii Laodiceni prohibitum fuit, nè panis sanctus, scilicet Eucharistia, nec Eulogiæ transmitterentur ad alias parœcias in festo Paschæ, quia cum inter festa Paschalia omnes fideles sumerent Eucharistiam non alio symbolo mutuæ charitatis uti debebant; quoniam per Eucharistiam *unus panis & unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus.* Aliquando diebus Paschalibus datæ sunt Eulogiæ Catechumenis, qui non participabant de corpore Christi; sed hoc deinceps prohibuit Conc. Carthag. 3. Can. 5. *Placuit, ut per solemnissimos dies paschales sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal, quia si fideles illis diebus sacramenta non mutant, nec Catechumenis oportet mutare.* Ubi nomen sacramenti non sumitur pro corpore & sanguine Christi, sed latiùs pro mysticis quibuslibet signis, qualia erant panis Eulogiarum & sal benedictum, qui panis non erat revera corpus Christi, sed erat quid sanctius pane communi, ut loquitur Augustinus, qui lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 26. ait de Catechumenis, *Quod accipiunt non est corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi quibus alimur, quo-*
A *niam sacramentum est*; idest, signum aliquod mysticum, fidelium unanimitatem repræsentans.

Antiqui Patres de hoc pane benedicto loquentes sæpissimè, illi multa imposuerunt nomina. Melchiades enim Summus Pontifex prope annum trecentesimum decimum tertium ipsum vocat *fermentum*, sicut & Innocentius Primus, ad differentiam sacrosanctæ Eucharistiæ quæ ex solo pane azimo conficiebatur, ubi panis benedictus est panis communis, cui fermentum admisceri solet. Vocat insuper illum panem, *Eulogiam*, quod nomen vulgare reperitur apud Patres. D. Augustinus cum Innocentio Papa I. hunc panem vocat *Sacramentum*, tùm quia aliquid excellentissimum signi-
B ficat, unionem videlicet charitatis inter fideles; tùm quia locum obtinet inter Sacramentalia, de quibus infra sumus dicturi. S. Paulinus epist. 1. ad Augustinum, illum appellat *panem unanimitatis*, quia est bonæ intelligentiæ symbolum; unde inter Episcopos vulgò transmittebatur, & nullatenus licebat illum accipere ab hæreticis. Audientes enim Apostoli, aliquos Christianos tales accepisse Eulogias ab illis qui erant aliqua hæresi infecti, hoc districtè prohibuerunt Canone 32. *Non accipiantur Eulogiæ ab hæreticis, quæ sunt maledictiones, potius quàm benedictiones.* Adde quòd nulla in illis esse potest concordia nobiscum. Origenes illum vocat *panem sanctificatum*. Gregorius Nazianzenus,
C *panem candidum pro more benedictum ac cruce consignatum*: Et Augustinus, *Catechumenorum panem*, loco præcitato, quia cùm Eucharistiam sumere non possent, illis dabatur Eulogiarum panis in egressu Ecclesiæ ante celebrationem mysteriorum. Ex quo patet, talem panem datum fuisse primis temporibus loco panis Eucharistici; cùm enim ab initio mos esset apud Christianos Eucharistiam sumere singulis diebus, crescente numero fidelium & tepescente pietate illorum, talis usus restrictus fuit ad solos dominicos dies, deinde ad tres vices tantùm in anno, tandemque ad solum Paschatis festum: ut verò conservaretur Christianorum pietas & devotio, statutum est, ut singulis dominicis diebus loco
D Eucharistiæ porrigeretur Eulogiarum panis, qui idem erat ac noster panis benedictus.

Quantùm sit acceptus Deo panis benedicti usus, sufficienter constat ex pluribus miraculis ipsius virtute operatis. Apud Ruffinum in Patrum vita, quicumque recipiebant panem ab Abbate Joanne benedictum, ab omni morborum genere curabantur. In vita S. Pachomii legitur, possessum à dæmone fuisse liberatum virtute panis quem sanctus ille benedixerat. Vincentius Bellovacensis in S. Menantii vita refert, quosdam milites Clodovæi Francorum Regis cæcos & amentes fuisse factos, propterea quòd sanctissimo huic viro vim intulissent; posteà verò fuisse sanatos mediante pane quem benedixit
E & ad illos transmisit Menantius, Clodovæi sollicitatione. Narrat Theodorus in S. Hildegardes vita, nobilem quamdam juvenculam hujus Sanctæ consilio fuisse liberatam à gravi carnis tentatione panis benedicti usu. Sed præ cæteris quænam miracula non edidit D. Bernardus panis istius benedicti ministerio? Dum esset Sarlati in Aquitaniâ contra Albigenses hæreticos, post sermonem quem habuit ad populum, magnus virorum & mulierum concursus ipsi obtulit quamplurimos panes benedicendos, quos benedixit libentissimè, & insuper ostensurus talis panis virtutem, ipsos extollens in altum, clarâ voce protestatus est, ad probandam veritatem religionis Catholicæ & hæreticorum falsitatem; quod quicumque ex eo pane gustaturi es-

sent, reciperent sanitatem, quocumque morbo essent vexati. Carnotensis Episcopus qui cum pluribus aliis Præsulibus Galliæ præsens aderat, dictum D. Bernardi restringere prætendens, addidit; Ægrotos reverà esse valetudinem recuperaturos, modò requisitâ fide manducarent de illis; quam modificationem arguit illicò Bernardus, suumque sermonem absolutè iterans dixit, nullam suis verbis apponendam esse limitationem, & reverà omnes & singulos panem benedictum degustantes esse in convalescentiam redituros absolutè, qualicumque morbo essent gravati; & talis dicti veritatem confirmavit eventus.

Punctum Tertium.

De Processionibus.

INcessum gravem, sive prophanum, sive sacrum, importat nomen Processionis; Ecclesia verò illo utitur tantummodò ad significandum incessum gravem & sacrum, quo Prælati, Clerus & Populus procedunt ad Deum laudandum & benedicendum. Qui quidem incessus apud Græcos vocatur Litania, & Rogationes seu Supplicationes apud Latinos, ut insinuat sæpissime Sidonius. Licèt Processionum usus reperiri nequeat in primitiva Ecclesia, quia pro tunc persecutionum violentia obstabat, quominùs Fideles publicè suam fidem profiterentur, & suæ religionis actus exercerent; eo tamen tempore quo Deus Ecclesiæ pacem reddidit, sub Constantini Magni & illius successorum imperio, instauratæ fuerunt Processiones, testibus Eusebio *Hist. Eccles. lib.* 3. *cap.* 47. & Nicephoro *lib.* 8. *cap.* 26. referentibus hunc Principem rogasse Patres, qui Concilium Nicænum celebraverant, ut se conferrent Constantinopolim, hanc novam civitatem quam recens construi curaverat, dedicaturi. Cùm primò autem cuncti Præsules accessissent, Missam solemniter celebrarunt cum solemni Processione circa muros & in omnibus vicis & plateis civitatis, Hymnos & Cantica intonantes in gloriam Dei, cui curam & protectionem urbis & incolarum commiserunt, sub intercessione Beatæ Mariæ Virginis, ut refert Historia Ecclesiastica.

Maximâ consideratione dignum videtur circa Processiones, id quod referunt Theodoretus *lib.* 3. *cap.* 10. & Sozomenus *cap.* 19. factum fuisse Antiochiæ in translatione reliquiarum sancti Babilæ, qui vivens hujusce urbis Episcopus fuerat, & cui solemnitati se præsentem fuisse dum adhuc puer esset testatur ipsemet Chrysostomus tract. contra Gentiles. Gallus princeps, ità fidei zelator, ac illius frater Julianus cultui idolorum erat addictus, impedire peroptans præstigia dæmonis, qui in suburbio Antiochiæ sub figura Apollinis reddebat sua oracula, curavit, ut in illum locum transferretur corpus sancti Babilæ qui in tali urbe grave subierat martyrium; & protinùs in simulachro ità obmutuit diabolus, ut nullum responsum reddere potuerit quâcumque supplicatione excitaretur. Sed cùm huic piissimo Imperatori è vivis sublato successisset Julianus idololatra, & Antiochiæ sedens vidisset Apollinis oraculum in responsis anteà famosissimum penitùs obmutuisse ob S. Babilæ reliquiarum præsentiam, sub capite præcepit Christianis, ut illud sacrum corpus ex suburbio protinùs auferrent, cum licentia tamen ipsum reducendi in urbem, ubi anteà reconditum fuerat. Mandato principis obtemperarunt fideles; sed præ aliis solemnitatibus, celeberrimam ordinaverunt Processionem, ubi populus cum Clero conveniens, coram & invito Imperatore, Hymnos altâ voce decantabat alternatim, & præcipuè, inquit Sozomenus, hæc verba Davidis Ps. 96. *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris.* Talia effectu suo non caruere apud Deum; imo divinitùs actum est paulò post ad confusionem Imperatoris, quòd templum illud in quo diabolus suorum responsorum redditionem iteraverat, fulmine afflatum fuerit, tantâ cum desolatione, ut tectum Templi & simulachrum Apollinis totaliter consummata remanserint: ex quo apparet manifestè, quantùm Deo acceptæ sint Processiones publicæ, quæ cum pietatis fervore suscipiuntur & fiunt.

De Theodosio Magno narrat Ruffinus lib. 2. Hist. cap. 33. quòd cùm bellum esset initurus contra tyrannum Eugenium, totam suam in Deo reponens fiduciam, à solemni Processione omnia inchoari voluerit: cui cilicio indutus cum sacerdotibus & populo adsuit ipsemet, auxilia Sanctorum quorum reliquiæ ibi gestabantur, implorans. Arcadius & Honorius sui patris pietati & imperio succedentes, omnibus & singulis sub discrimine vitæ prohibuerunt, nè quis Processiones seu Litanias ullo modo perturbare auderet, & nè absque Clericis, oratione & cruce fierent, ut habetur in Codice *lib.* 4. *de Clericis & Episcopis. Laicis facere Litanias interdicimus, sine clericis, quæ sine oratione & cruce fieri non debent.* Tempore Junioris Theodosii, dum abundantia imbrium vim productivam terræ coërceret, Processionem indixit, in quâ Imperator ipse cum plebe indifferenter incedens & veste communi indutus, omnes Hymnos inchoare visus est, teste Nicephoro *lib.* 14. *cap.* 3. Sub eodem Imperatore, Proclo Patriarchâ Ecclesiam Constantinopolitanam regente, alia solemnis processio indicta est in eâdem civitate, ut à D. misericordia obtineretur cessatio horrendi terræ motûs, qui omnes Constantinopolitanos cives ejecerat ab urbe, mortis imminentis vitandæ causâ. Apud eundem Historiographum lib. 12. cap. 43. cùm Antiocheni incolæ ipsummet Theodosium ad extremam provocassent iram, propter ejectionem effigiei Placidiæ ejus uxoris, ad Deum recurrentes, publicas processiones instituerunt. Idem egit D. Chrysostomus ex Socrate *lib.* 6. *cap.* 8. cùm enim non posset aliter Arianorum insolentiam comprimere, solemnes præcepit processiones diu noctuque faciendas, Arianis posteà Catholicos imitari cupientibus, talis usus prohibitus fuit sub Arcadii imperio, propterea quòd indecens esset, ut qui Ecclesiæ obedientiam recusabant, ritus solemnes ipsius adhiberent. Maximâ ariditate afflictâ Palæstinâ, Marcus Diaconus in vita S. Porphirii Gazæ Episcopi, ipsum sic loquentem inducit: *Facto mane, accepto signo venerandæ crucis; quod nos præcedebat egressi sumus cum hymnis ad antiquam Ecclesiam, quæ est à parte Occidentali civitatis.*

Eundem usum antiquissimum evidenter demonstrant ea quæ facta sunt Constantinopoli, dum ea civitas obsidione Barbarorum ad extrema reduceretur. Testantur Græci in suo Triodio, Patriarcham cum clero & populo muros civitatis processionaliter circuisse, delatâ B. Virginis imagine; & felix talis devotionis successus probavit illicò, quantùm processiones illæ Deo essent acceptæ. Neminem ferè latet miraculum à Deo editum tempore Gregorii Magni, in processione quam instituit ipse Pontifex Romæ ad obtinendam cessationem pestis, quæ nedum civitatem hanc, sed & totam devastabat Italiam. Tunc enim Angelus super Adriani machinam, nunc

sancti Angeli castrum, visus est gladium intra vaginam recondere, ut morbi pestiferi denotaretur cessatio. Tandem Rogationes nostræ ita convincunt de vetustissimo Processionum usu, ut nullus ambigendi locus remaneat. Sanctus Mammertus Viennensis Episcopus circa annum 440. illas, non instituit, sed renovavit, inquit Sidonius Apollinaris Mammerti coævus lib. 5. epist. 14. *Erant quidem prius, sed vaga, repentes, atque oscitabunda supplicationes.* Cum grandines, fulmina, gravissimi terræ motus, & feroces bestiæ, urbis & provinciæ minarentur ruinam, ad Deum confugiens Pontifex solemniores reddidit processiones ante Ascensionem Domini fieri solitas, quibus addidit abstinentiam, jejunium, psalmodiam & orationes, ut suum pristinum recuperarent splendorem. Concilium Aurelianense sub temporibus Clodovæi primi Galliarum Regis Christiani, rogationes commendat *cap.* 12. ubi dicit: *Rogationes seu Litania ante Ascensionem Domini celebrentur; ita ut trium dierum jejunia in festo Ascensionis finem habeant.*

Ex his omnibus colligendum est duo esse genera Processionum; quarum aliæ erant extraordinariæ, quæ urgente aliquâ necessitate extraordinariâ fiebant; & aliæ ordinariæ, quæ singulis dominicis celebrabantur, inquit Durandus *in suo Rationali lib.* 4. *cap.* 6. ubi asserit, Agapetum Papam versus annum 535. primò dominicas processiones instituisse. Tali autem die institutæ sunt processiones in memoriam dominicæ Resurrectionis, quâ die Christus indixit Apostolis, ut irent in Galilæam ipsum exspectaturi & audituri. Processiones interim Christi vitam, quæ fuit processio continua, significant. Illicò enim ac natus est, de stabulo fuit delatus ad templum; de templo, Nazareth; exinde in Ægyptum; posteàque in Judæam revertitur; & ad vitam publicam provectus de locis in loca gradiebatur, ut omnes & singuli suæ benevolentiæ experirentur dona: Tempore suæ passionis, de urbe Jerusalem in hortum Olivarum migravit, de horto in civitatem regreditur cum militibus, apud Annam scilicet; à domo Annæ apud Caipham vadit: deinde apud Pilatum, posteà apud Herodem, exinde ad Prætorium, post ad crucem, de cruce ad tumulum, posteà resurgens undequaque transmigrabat ad discipulos, Tandem in die Ascensionis, cùm Matri, Apostolis, & Discipulis assignasset horam, cum illis progressus est ad montem Olivarum, ubi hæc præclarissima Christi processio finita est: unde aliàs singulis diebus Jovis processiones fieri solebant, sicut dominicis; ut narrat Durandus loco citato.

Quantùm ad Processionum ritus, crux semper præferebatur in illis, ut diximus anteà ex Marco Diacono in S. Porphirii vita. Apud Socratem lib. 6. cap. 8. & Sozomenum lib. 8. cap. 8. in processionibus à D. Chrysostomo factis contra Arianos crux præcedens deferebatur cum luminaribus, sumptibus Imperatricis. In vita S. Barnabæ apud Surium, reperto hujus Apostoli corpore, ad ipsum processionaliter Salaminæ Episcopus in Cipro, *Clero, populoque congregato, & cruce portatâ processit.* In 2. Synodo Nicæna reliquiis S. Anastasii martyris obviaverunt clerici & laici processionaliter, *cum supplicationibus & cruce.* Concilium Nannetense Can. 5. præcepit *ut dominicis diebus atrium cum crucibus circumeundo aspergatur.* Authenticâ 123. Justiniani statuit, *quòd sacerdotes cum venerabilibus crucibus in supplicationibus egrediantur.* Apud Anastasium Bibliothecarium, inter munera quæ contulit Carolus Magnus Lateranensi Ecclesiæ, magnificentissima crux ex auro fabricata numeratur quam obtinuit à Leone III. ut in processionibus Romæ faciendis deferretur ante Summum Pontificem, quod de facto exinde observatum est. Talis autem ritus deferendi crucem in supplicationum publicarum capite, ideò institutus est, ut illius aspectu excitarentur Christiani ad dirigendas suas orationes in Christum, cujus intercessione gressus, preces, & cantica apud Patrem illius redderentur accepta.

Punctum Quartum.

De Campanis.

Tempus, quo campanarum usus in Ecclesia introductus est, certò assignari nequit; nam ante Constantini tempora, exercitia religionis publicè observari non poterant, sicque ex Baronio anno 58. Incarnationis officiario quodam sub nomine cursoris utebantur fideles, qui de domo in domum ibat Christianos commoniturus de tempore quo divinum officium celebrandum foret. Romani quidem, durante paganismo, certa quædam tintinnabula ærea habebant in usu, sicut & summus Pontifex in Testamento Veteri, qui ea in vestimenti sui fimbria portabat, ut suus in sanctuarium ingressus innotesceret populo; sed talis usus longè diversus erat à nostro. Præsumitur ergo communiter, campanarum usum inventum fuisse Nolæ in Campania, unde Campanæ dictæ sunt: imò S. Paulinus hujusce urbis Episcopus, qui vitam agebat an. 410. primus fertur qui ipsis usus est. V. Beda circa annum 850. sufficienter insinuat in Historia Anglic. lib. 4. cap. 23. campanas fuisse suo tempore communes, & illas fuisse in usu etiam pro mortuis: loquens enim de obitu Hildæ Abbatissæ, affirmat ipsius mortem innotuisse cuidam Moniali longè distanti, quæ à somno excitata est per sonum extraordinarium cujusdam campanæ, quo ad orationem excitari & convocari solebant Moniales, cùm quædam earum de sæculo fuisset evocata; quo momento animam Hildæ per Angelos in cœlum deferri intuita est.

Neminem latet, quin institutæ sint campanæ in Ecclesia, ad hoc ut commoniti fiant Christiani, aliquando distantes à templo, de tempore quo sacra peraguntur mysteria, & de divinorum officiorum qualitate; sed illorum usus non-nisi post multas cæremonias adhiberi solet. Primò præcipit Ecclesia ut benedicantur solemniter, quæ benedictio abusivè dicitur baptismus; quia in tali benedictione adhibetur aqua benedicta, oleum sanctum, imponitur nomen ut distinguantur, & similia quæ habentur etiam in baptismo. Iste autem campanarum baptismus non est *justificationis*, ut baptismus sacramentum, sed est baptismus *consecrationis*, quo res aliqua Deo consecratur: nec talis vocabuli usus novitatis accusari debet, quoniam jam ante octingentos annos Alcuinus illo usus est, ad hoc Rituale Romanum adducens; imò multi existimant, Joannem IV. Pontificem maximum primùm ordinasse, quòd campanæ & templa nomine aliquo insignirentur; unde ipsemet suum nomen basilicæ S. Joannis in Laterano imponi voluit.

Quantùm ad campanarum utilitatem; nedum prosunt ad convocandum populum ad orationes & sacrificia, sed etiam, ut ipsis aures nostras corporaliter pulsantibus, cor nostrum à Deo moveatur spiritualiter. Si enim populo dicat Moyses in Exodo: *Vlulantibus tubis erit recordatio vestri*

coram Domino, minorem certè virtutem non obtinebunt campanæ nostræ, maximè, cùm Ecclesiæ precibus & benedictionibus suffultæ sint. Multis in locis, dum quis agonizat, pulsantur campanæ, ut excitentur populi ad preces pro moribundis effundendas. Tales soni defunctis utilissimi sunt, & censentur esse tanquam voces à mortuis editæ ad vivos, quorum preces sollicitant. Ipsis utimur ad tempestatum dissipationem, quod sæpissimè succedit utiliter, non tam propter illarum rumorem & strepitum, quàm propter benedictionem illis inditam, quâ fulgura & coruscationes fugandi virtutem à Deo obtinuerunt. Tandem maligni spiritus ità nostratum campanarum perhorrescunt sonos, ut ex responsis sortilegorum multoties acceptum sit, ipsos fuisse derelictos à diabolo & in terram datos præcipites, dum à perniciosis diaboli comitiis revertendo campanas audierunt, quæ fideles summo mane vel nocte mediâ ad orationem excitabant.

CAPUT ULTIMUM.

De effectu Sacramentorum.

QUANDOQUIDEM ad causam sequitur effectus, ideò; postquam egimus de causâ Sacramentorum, nunc ad ipsorum effectum transeundum est. Effectus autem Sacramentorum sunt duo: quorum unus est gratia, sive habitualis, sive actualis; alius verò est caracter, qui si non per omnia Sacramenta conferatur, per tria tamen solet communicari, nimirum per Baptismum, Confirmationem & Ordinem. De his omnibus dicetur suo loco in præsenti capite.

QUÆSTIO PRIMA.

An Sacramenta conferant Gratiam habitualem?

HÆRETICI hujus temporis volunt Sacramenta non producere gratiam efficienter, sed tantùm objectivè, in ratione scilicet signi, excitando in nobis fidem passionis Christi, & mediante fide gratiam, sicut imagines rerum sacrarum solent in nobis excitare devotionem: sed si hoc verum esset, non deberent necessariò Sacramenta accipi à quolibet; sufficeret enim, si viderentur illi qui talia Sacramenta suscipiunt; nam per hoc fides æqualiter in illis excitari posset, ac si actualiter ea reciperent: Nos autem qui dicimus quòd Sacramenta conferant gratiam efficienter, non ut causa principalis, quia solus Deus illam sic confert; nec ut causa principalis meritoria, quia solus Christus est talis causa, sed ut causa instrumentalis, aliter habemus concludere.

CONCLUSIO.

SACRAMENTA gratiam habitualem conferunt: & per gratiam habitualem intelligimus aliquam qualitatem inhærentem animæ & divinitùs infusam, quâ homo justificatur, unde vocatur gratia justificans; qua etiam sanctificatur, unde vocatur sanctificans; vel gratus Deo efficitur, unde vocatur tandem gratum faciens. Hæc conclusio habetur ex Concilio Nicæno, in cujus versione è Græco in Latinum ab Alphonso Pisano, doctrinâ de Baptismo ante octavum Canonem, ait: *Descendit quidem is qui baptisatur, peccatis obnoxius, & servitutis cor-*

A *ruptione detentus; ascendit autem ab ea servitute liber, & à peccatis, filius Dei & heres, coheres autem Christi.* Ex Concilio Constantinopolitano 1. in Symbolo, *Credimus unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Ex Concilio Milevitano cap. 2. *Parvuli, qui nihil peccatorum in se admittere potuerunt, ideò in remissionem peccatorum veraciter baptisantur, ut in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt*: At in eis baptismus non excitavit fidem, quàm non habuerunt: ergo non justificant Sacramenta per fidem quam excitant. Hoc idem determinant Concilia Florentinum & Tridentinum *Sess. 7. de Sacramentis cap. 6.* ubi habetur, *Si quis dixerit sacramenta nova legis non continere gratiam*
B *quam significant, aut ipsam sublato obice non conferre, anathema sit.*

Confirmatur nostra conclusio ex Scripturâ, quæ ostendit, loquendo de quolibet Sacramento, omnia gratiam conferre. De Baptismo enim habetur Act. 2. *Baptisetur unusquisque vestrûm in remissionem peccatorum*; non tollitur verò peccatum, nisi per gratiam habitualem. De Confirmatione habetur Act. 8. quòd per manuum impositionem dabatur Spiritus sanctus. De Eucharistiâ habetur Joann. 6. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam.* De Pœnitentiâ fertur Joann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* De Matrimonio habetur ad Ephes. 5.
C *Quòd sit magnum Sacramentum*; non esset autem magnum inter Sacramenta, si non conferret gratiam, sicut alia conferunt. De Ordine habetur 2. ad Timoth. 1. *Vt resuscites gratiam qua in te est per manuum impositionem.* De Extremâ unctione denique Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ.*

Ad tales contextus & plurimas authoritates, quas ex Patribus Græcis & Latinis adducit Bellarminus *lib. de Sacram. in genere c. 6. & 7.* respondet Lutherus, Sacramenta dici quidem conferre gratiam conformiter allegatis Scripturis, Conciliis & Patribus, sed non immediatè & efficienter, ut volunt Catholici; bene autem mediatè; quatenus excitant, vel alunt
D fidem, quæ homines justificat, quòd adhuc ipsa contendit non facere nisi objectivè, & per repræsentationem: ità quòd velit Sacramenta eo modo concurrere ad justificationem, quo prædicatio verbi, cùm eâ sola distinctione, quòd prædicatio adhibetur auribus & per auditum excitet fidem, Sacramenta verò adhibeantur oculis, & per visum etiam fidem excitent. Ad hanc perversam opinionem insinuandam ait Lutherus An. 1520. lib. de Captivit. Babylon. cap. de Baptismo, *Baptismus neminem justificat, nec ulli prodest; sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus; hac enim justificat.* Idem An. 1521. in assertione 1. artic. scripsit, *Nos dicimus, nec novi, nec veteris Testamenti Sacramenta,*
E *sed solam fidem justificasse.* Philippus Melanchton in locis editis An. 1522. cap. de signis, idest de Sacramentis, dicit horrendum esse errorem scholasticorum, quòd Sacramenta justificent. Et addit; *Non justificant signa, ut Apostolus ait, Circumcisio nihil est; ità baptismus nihil est, participatio mensæ Domini nihil est: sed testes sunt divinæ voluntatis erga te.* Hos sequutus est Calvinus, qui lib. 4 Institut. cap. 14. ff. 17. ait cavendum esse, *nè in errorem nos abducant quæ ad amplificandam Sacramentorum dignitatem, paulò magnificentiùs scripta sunt, ut scilicet arbitremur, latentem aliquam virtutem sacramentis annexam affixamque esse, quâ ipsa Spiritûs sancti gratiam nobis conferant, cùm hoc tantùm illis injunctum sit munus, testificari nobis ac sancire*

Dei in nos benevolentiam. Ex hoc apparet in hoc nobiscum convenire hæreticos, quòd simul asseramus, sacramenta esse causas instrumentales gratiæ quàm conferunt; dissentire autem, quòd nos teneamus sacramenta gratiam conferre immediatè, & illi mediatè: mediante scilicet fide, quam excitant: ita quòd primò requiramus fidem, tanquam dispositionem cui succedit sacramentum immediatè gratiam conferens; illi verò primò requirunt sacramentum ad excitandam fidem, quæ justificat & peccata remittit.

Sed quantùm hæc responsio à Catholicâ veritate aberret, constat ex Scripturâ, *Matth.* 3. *Marc.* 1. *Luc.* 3. & *Ioan.* 1. ubi iste dicit, *Ego baptiso vos aqua, ille vos baptisabit Spiritu sancto*, quibus verbis innuit Evangelista tantum esse discrimen inter baptismum Joannis & Christi, quantum est inter aquam & gratiam; sed baptismus Joannis erat efficax ad alendam fidem æquè ac baptismus Christi, quoniam in illo erat externa ablutio quæ internam promittebat, nam *prædicabat baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, Luc. 3. & prædicabat simul fidem Mediatoris, dicens, *ut crederent in eum qui venturus erat*, Act. 19. Ergo baptismus Christi in hoc efficacior erat, quòd gratiam efficienter produceret; unde ibidem Paulus jussit baptismo Christi baptisari eos, qui baptismo Joannis baptisati fuerant. Marci etiam ultimo, baptismo attribuitur vis salvandi, *qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit*; sed nec salvare nec justificare posset, nisi abluendo peccata, & conferendo gratiam: ergo facit utrumque. Nec responderi potest, quòd salvet & justificet excitando fidem; nam in hoc contextu fides præcedit baptismum, & absurdum esset ponere effectum ante causam: ergo non est fides quæ justificat, sed baptismus qui fidem supponit, in adultis saltem. Deinde Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum*, ubi per particulam *ex*, denotatur causam novæ nativitatis debere attribui aquæ baptismali & non fidei. Tandem Act. 2. *Pœnitentiam agite & baptisetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*, ubi baptismo tribuitur remissio peccatorum. Nec dici potest, quòd hoc faciat baptismus excitando fidem, quoniam illi quos alloquitur Petrus jam erant credentes, ut ibi notat Lucas, auditâ enim Petri concione, corde compuncti dixerunt, *Quid faciemus?* & illis non dixit Petrus, Credite, sed *Pœnitentiam agite & baptisetur unusquisque vestrum.*

Non desunt rationes nostram conclusionem probantes. *Primò* enim hæc est differentia inter signa speculativa, quæ tantummodò ad significandum instituta sunt; & practica, quæ ad significandum & efficiendum sunt ordinata; quòd illa nihil immediatè & vi sua operentur; ista verò dicantur operari; sed sacramenta dicuntur esse operativa & effectiva gratiæ, quâ remittunt peccata, ut diximus in antecedenti probatione: ergo Sacramenta non sunt nuda signa gratiæ, quæ subjectivè tantùm operentur, excitando fidem.

Hoc confirmari potest *secundò*, quia signa speculativa adhibentur solum intelligentibus; cùm enim non operentur nisi repræsentando aliquid menti, absurdum esset ea adhibere illis qui talia signa non intelligerent; sed Sacramenta adhibentur infantibus, surdis, amentibus, dormientibus, & illis qui idiomata quibus administrantur ignorant: ergo sunt signa practica gratiæ quæ illam efficienter conferunt. Minorem tradunt Concilium Carthaginense 4. *Can.* 76. Arausicanum 1. *Can.* 12. Augustinus *lib.* 1. *de Adulterinis Conjugiis cap.* 26. & 28. & D. Leo *Epist.* 91. ad Theodorum, ubi docetur, sacramenta Baptismi & Absolutionis posse conferri etiam iis qui morbo oppressi non habent usum rationis vel sensuum. Quomodo autem in talibus posset excitari fides?

Tertio, si verba Sacramentorum essent tantùm signa speculativa destinata ad excitandam fidem, qualia sunt verba concionis, talia verba non penderent ex institutione divina, sed possent propria authoritate institui ab hominibus, quoniam ad nudam significationem nil refert, quis signa instituerit, modò res significetur; sicque æquè potuissent Petrus & Paulus instituere verba sacramentorum, & res sacramentorum, & proinde sacramenta ipsa, ac Christus, modò per ea excitarent fidem; sed hoc nusquam affirmabunt hæretici: ergo fateri debent juxta mentem Catholicorum, quòd sacramenta sint signa practica, quibus Christus alligavit efficientiam gratiæ, & quæ proinde institui non potuerunt ab hominibus, nec mutari substantialiter.

Quartò, verbum præcedit fidem, ad Rom. 10. *Fides ex auditu*; sed Sacramenta fidem præsupponunt, saltem in adultis: ergo non operantur ad modum verbi & concionis. Minor habetur ex Actorum. cap. 8. ubi Eunucho regis Candacis dicenti, *Ecce aqua, quis prohibet me baptisari?* respondit Philippus, *Si credis ex toto corde, licet.*

Quintò, ut jam attigimus, Sacramenta dantur Græcè, Latinè, & Hebraïcè, etiam illis qui tales linguas non capiunt, & Calvinus cum Luthero approbat baptismum à Romanis Latinè collatum, etiam rudibus & muliërculis: non ergo operatur ad modum concionis, quæ instruit, ut concipiatur fides: ergo habet alium effectum præter fidei excitationem, qui nil aliud esse potest, quàm collatio gratiæ.

Sextò, si Sacramenta operarentur tantùm excitando fidem, non deberent applicari hominibus doctis, qui legere possunt Scripturas, nec illis qui audiunt conciones, quoniam Scripturæ & conciones meliùs excitarent fidem, quàm Baptismus & Eucharistia.

Septimò, si operarentur more concionis, prodessent æqualiter omnibus audientibus; sed Sacramenta non prosunt nisi suscipientibus, licet alii sint præsentes, audiant, & videant omnia quæ geruntur: ergo signum est illa non operari excitando fidem per modum concionis, aliàs sufficeret unum baptisari aut sumere Eucharistiam, sicut sufficit unica concio pro omnibus. Si dicatur unum sacramentum ad unum dirigi: respondebitur, unam concionem dirigi posse etiam ad unum, attamen excitabit in omnibus fidem. Nam dum baptisans dicit, Ego te baptiso, non intendit dicere, ego te abluo à peccatis, sed ego testificor tibi remitti peccata, ut exponit Calvinus lib. 4. Instit. cap. 15. §. 15. illa autem verba non prosunt baptisato, nisi quia interim credit Deum sibi propitium esse per Christum; sed possunt omnes qui talia verba audiunt idem cogitare & credere; quia promissio est communis, & quod uni dicitur omnibus convenit: ergo sufficeret, quòd unus coram aliis baptisaretur.

OBJICIUNT hæretici Paulum ad Hebr. 10. dicentem, *Iustus ex fide vivit:* ergo non vivit per Sacramenta: ergo Sacramenta non conferunt vitam spiritualem, nempe gratiam. Resp. negando consequentiam; non dicit enim Paulus, ex solâ fide vivit; sed relinquitur etiam locus Sacramentis qui vivificant; aliàs nec Deus, nec Christus, nec actus amoris D. aut doloris de peccato gratiam conferrent.

Deinde, licet Scriptura non dicat expressè, hominem vivere ex Sacramentis; hoc tamen virtualiter insinuat, cùm ait Joann. 3. hominem per baptismum regenerari, quod est baptismum conferre vitam. Tandem per hæc verba malè credunt Lutherani & Calvinistæ, hominem justum fieri aut reputari per fidem; sed intelligi debet, quòd justus ex fide constanter expectet quæ Deus promisit & non frangatur & deficiat, etiam si promissiones multùm videantur retardari, ut patebit clarè legenti textum. Lutherus videns Marcum cap. ult. dicentem: *qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur*; infert: ergo non baptismus, sed fides salvat. Falsa est hæc consequentia, aliàs ex hoc quod Paulus 1. Corinth. 13. dicit, fidem sine charitate nihil prodesse, posset inferri, charitatem sine fide posse justificare, quod tamen falsum est: unde ex utroque textu tantùm est inferendum, quòd solus baptismus non salvet sine fide, sicut nec charitas sine illa. Objiciunt postea Augustinum dicentem, non sacramentum, sed fidem sacramenti justificare. Resp. non reperiri locum ubi hoc habeatur apud sanctum Doctorem; imò in epist. 23. ad Bonifacium ait, parvulos esse fideles, si moriantur post baptismum, quia etiamsi non habent fidem, habent tamen fidei sacramentum: quod est dicere fidem non salvare parvulos, sed Sacramentum fidei.

Ex his ergo patet, Sacramenta nostra non causare gratiam tantùm objectivè in ratione signi, sicut solent picturæ aut imagines rerum factarum, quæ excitare solent pios motus in mente; nec per modum concionis, quæ excitat in suscipientibus fidem, quâ justificentur; sed verè, efficienter & virtute propriâ gratiam sanctificantem producunt; quâ ablato obice, suscipientes justificantur & remissionem peccatorum obtinent, conformiter Augustino, Ambrosio, & aliis, quos citat Bellarminus; ille enim *Tract.* 80. *in Ioan.* 14. ait, *Tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat.* Et iste lib. 1. de Sacram. cap. 5. *Non omnis aqua sanat, sed aqua sanat quæ habet gratiam Christi; nec sanat aqua, nisi priùs descenderit Spiritus sanctus, & aquam sanctificaverit.* Illi autem loquendi modi probant majorem vim inesse Sacramentis nostris, quàm virtutem objectivam, extrinsecam, & remotam, per modum signi, aut concionis. Pessimè tamen imponunt hæretici Catholicis, quòd asserendo in Sacramentis esse vim justificandi, velint Sacramenta esse causas totales & principales gratiæ, illisque symbolis externis Deum resignasse vices suas justificandi, sicque abstrahere homines à Christo & à passione ejus, & alligare signis externis; sic Calvinus *lib.* 4. *Instit. cap.* 4 *§.* 14. In hoc inquam maximè calumniantur Catholicos, quorum nullus dubitat, quin Deus, tanquam causa principalis virtute sibi propriâ & intrinsecâ, nostram sanctificationem operetur ulteriùs, licet secundum nos externis symbolis, seu signis sensibilibus, tanquam instrumentis (quæ sunt sacramenta) uti dignetur ad sanctificandas animas ritè dispositas. Nec in hoc abstrahimus homines à Christo, quoniam fatemur Christum per suam passionem meruisse à Deo, ut alligaret suam gratiam talibus signis Sacramentalibus: unde profitemur, Deum esse causam principalem gratiæ, Christum esse causam meritoriam, & Sacramenta esse causas instrumentales.

QUÆRES. An idem Sacramentum conferat æqualem gratiam suscipientibus. Hæc quæstio non intelligitur de Sacramentis diversæ speciei, constat enim illa conferre inæqualem gratiam, licet determinatè lateat, quænam majorem conferant, aliis existimantibus initerabilia excedere, propter suam initerabilitatem; aliis censentibus, sacram Eucharistiam uberiores absolute communicare fructus; sed intelligitur de Sacramentis ejusdem speciei, an v. g. duo baptismi conferant eandem gratiam Petro & Paulo: Ad quod respondeo affirmativè, modò habeant æqualem dispositionem; secùs si disponantur inæqualiter. Prima pars ex hoc patet, quòd causa uniformis uniformem debeat habere causalitatem & uniformem effectum, si sit uniformis dispositio in patiente; sed baptismus v. g. (quod idem dicendum est de aliis Sacramentis) est unus tùm materialiter, quia semper habet eandem materiam; tùm formaliter, quia habet eandem formam; unde habetur *ad Ephes.* 4. *una Fides, unum Baptisma:* ergo Baptismus & alia Sacramenta habent eundem effectum, si suscipiantur ab æqualiter dispositis. Nam, si positâ æquali dispositione, daretur inæqualis gratia, hoc fieret vel ex vi prædestinationis Dei decernentis dare majorem gloriam uni, & proinde majorem gratiam; vel ex majori merito ministrorum. Non primum, quia licet electio ad gloriam fiat, juxta aliquos, independenter à meritis, tamen prædestinatio secundùm omnes non impletur nec perficitur quantùm ad executionem, nisi juxta merita; ita quod major gloria supponat majus meritum. 2. *ad Corinth.* 5. *Vnusquisque recipiet prout gessit, sive bonum sive malum*: Ergo non dabitur major gratia ex vi prædestinationis per Sacramentum, ubi æqualis erit dispositio. Non etiam secundùm, quia Augustinus *Tract.* 5. *in Ioan.* ministrum sacramentorum comparat cum canali, qui sive fuerit lapideus, vel aureus, semper æqualiter hortum irrigat: D. Gregorius Nazianzenus illum confert cum sigillo Orat. 4. sive autem sigillum sit ferreum vel aureum, imprimit semper æqualiter: Ergo sive minister sit malus sive bonus, sive majoris meriti, sive minoris, æqualiter operatur in administratione Sacramenti. Hoc tamen intelligi debet de ministris formaliter sumptis, & ut ministri sunt; quia si considerentur ut viri particulares, sanctitatem habentes personalem; tunc possunt augere gratiam seu effectum Sacramenti, precibus suis, sicut & quilibet laïcus; sed pro tunc tale augmentum gratiæ non esset ex opere operato, nec Sacramento correspondens, sed tantùm ex opere operantis, causatum scilicet à pietate viri illius, qui Sacramentum ministrat, sicque idem Sacramentum, suppositâ æquali dispositione, æqualem effectum sortitur, & æqualem communicat gratiam.

Quòd si dispositio suscipientium sit inæqualis, tunc inæqualiter operantur Sacramenta. Sic cum D. Thoma Scotus in 4. dist. 4. q. 7. num. 5. quod colligitur ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi agens de justificatione per baptismum factâ, docet unumquemque recipere gratiam secundum propriam cujusque dispositionem. Sic etiam præ cæteris D. Damascenus *lib.* 4. *cap.* 25. *Quamvis peccatorum remissio per baptismum æqualiter detur omnibus, tamen spiritus gratia pro fidei ac præcedentis purgationis modulo obtinetur.* Ratio hujus est, quia agentia naturalia perfectiùs aut imperfectiùs agunt pro dispositione majori aut minori subjectorum; unde celeriùs accenduntur sicca quàm humida, & ardentior concipitur calor in ferro quàm in stuppa, ratione majoris soliditatis: Ergo cum majori efficacitate agunt Sacramenta, ubi major erit dispositio; & cum minori, ubi erit minor; quod fideles maximè excitat, ut majori cum devotione sacramenta suscipiant. Nec dicendum est ex Cypriano, Deum

esse similem Soli, qui æqualiter omnibus lumen suum distribuit: hoc enim intelligendum est, quando subjectum est æqualiter dispositum, quod nedum de sole concedimus, sed etiam de Sacramentis fatemur. Dum idem Cyprianus *Epist.* 53. asserit, Deum æqualiter dare gratiam omnibus baptisatis; intelligendus est de gratia præcisè correspondenti baptismo, non baptismo simul & dispositioni. Si quis dicat, majorem intensionem gratiæ, quam dicimus dari illi qui majorem habet dispositionem, esse solùm ex opere operantis, & non ex opere operato & virtute Sacramenti: Ergo non esse Sacramentum, quod majorem illam gratiam conferat: Resp. Antecedens esse falsum, quia fieri potest, ut illa major dispositio pertineat tantùm ad attritionem, quâ nullus potest mereri gratiam justificantem; & non ad contritionem: Ergo illa intensio gratiæ justificantis & habitualis, quæ datur major intuitu majoris dispositionis, non debet dici procedere ex opere operantis, quo homo nondum est in statu merendi; sed debet attribui Sacramento, quod illam ex opere operato communicat, supposità majori dispositione ex parte subjecti, sicut agens naturale, præexistente majori dispositione in subjecto, fortiùs operatur.

Quæstio II.

Vtrùm Sacramenta conferant habitus supernaturales cum gratia?

IN homine justo, præter gratiam habitualem, reperiuntur habitus supernaturales, ut Fides, Spes, Charitas, Temperantia, Justitia, Fortitudo, Prudentia; qui facilitant hominem ad benè agendum, & benè utendum creaturis. Hic ergo quæritur, utrùm Sacramenta infundant hos supernaturales bitus cum gratiâ habituali.

Conclusio.

SACRAMENTA cum gratiâ habituali conferunt gratiam donorum & virtutum; idest, habitus supernaturales, tùm Theologicos, ut sunt Fides, Spes & Charitas; tùm Cardinales, ut sunt Justitia, Temperantia, Fortitudo & Prudentia; tùm Morales, ut sunt Humilitas, &c. Sic Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. Cujus ratio est, quia sicut in vitâ corporali Deus conferendo animam, quæ est principium vitæ, potentias superaddit ut anima producat actiones vitales; sic etiam Deus dans gratiam, dat etiam habitus supernaturales, quibus homo possit in genere gratiæ actiones vitales producere; & hoc fit tùm respectu adultorum, tùm respectu infantium.

OBJICIES: Omnia Sacramenta non conferunt gratiam, sed tantùm duo, nimirùm Baptismus & Pœnitentia; alia enim quæ dicuntur Sacramenta vivorum, illam præsupponunt: Ergo malè dicitur in præcedenti conclusione, quòd Sacramenta conferant gratiam habitualem; & minùs rectè in istâ, quòd conferant cum gratiâ habituali habitus supernaturales; quia tales habitus non infunduntur nisi cum gratia: cùm ergo in Sacramentis vivorum gratia non infundatur, propterea non infunduntur in illis habitus supernaturales. Resp. quòd quando diximus in præcedenti conclusione Sacramenta conferre gratiam, hoc est, vel in se, vel in augmento; idest, vel producunt gratiam ut sic, vel producunt augmentationem gratiæ: sic etiam, quando dicimus in præsenti conclusione, quòd Sacramenta conferunt habitus supernaturales, hoc est, vel in se, vel in augmento; v.g. ille qui recipiens Eucharistiam habet gratiam, habet etiam Fidem, Spem & Charitatem, & alios habitus supernaturales; augentur tamen, sicut & gratia, per sumptionem Eucharistiæ.

OBJICIES 2. Habitus dantur propter actus; sed infantes non sunt capaces actuum supernaturalium: ergo nec illis infunduntur habitus supernaturales. Pro adultis etiam videtur, quòd habeant æqualem difficultatem operandi post Baptismum, ac antè; quòd est signum, ipsos per Baptismum non recepisse habitus supernaturales, quibus promptiores fierent ad benè agendum. Resp. tales habitus infundi infantibus, ut illis possint benè uti, cùm adoleverint. Quoad adultos verò, si sentiant difficultatem benè agendi post Baptismum; hoc non provenit ex defectu habituum; sed ob inordinatos concupiscentiæ motus, quæ per Baptismum non tollitur.

QUÆRES: Utrùm omnia Sacramenta per se & ex primaria institutione gratiam habitualem conferant? Resp. negativè: & hoc juxta omnes Theologos, qui communiter distingunt Sacramenta mortuorum à Sacramentis vivorum, quòd Sacramenta mortuorum sint instituta ad peccatorum remissionem & infusionem gratiæ habitualis, Baptismus videlicet ad remissionem peccati originalis, & Pœnitentia ad remissionem actualis; Sacramenta verò vivorum sint ordinata tantummodò ad augmentum gratiæ habitualis conferendum; unde, cùm ista præsupponant gratiam in suscipientibus, ideò illam non conferunt in se, sed tantùm in augmento; proindeque omnia Sacramenta ex sua primariâ institutione gratiam habitualem non communicant. Hoc tamen non impedit, quin etiam Sacramenta vivorum per accidens producant primam gratiam seu habitualem, maximè in eo casu, quo aliquis recipit Eucharistiam, dum bona fide credit se esse in statu gratiæ, ut potè validè absolutum cum attritione, ubi tamen non est reverà absolutus, defectu jurisdictionis in confessario. Tunc, inquam, Eucharistiam sumendo, gratiam habitualem acquirit, quam anteà non possidebat: sicque Sacramenta vivorum censentur aliquando primam gratiam communicare. Licèt enim omnis virtus Sacramentorum sit ab institutione, & Christus principaliter instituerit Sacramenta vivorum, ut augmentum gratiæ, & non gratiam ipsam conferrent in se ideòque vetuerit nè susciperentur à conscio peccati mortalis; hoc tamen non impedit, quin si quis bonâ fide credat se esse in gratia, mediante absolutione attritioni conjuncta, & sic accedat ad Eucharistiam, gratiam habitualem obtineat. Hanc veritatem asserunt D. Thomas, Scotus, Richardus, & alii ferè communiter, loquentes specialiter de Eucharistia, contra Vasquesium & quosdam alios, qui pro se allegant D. Bonaventuram.

Sed licèt Seraphicus Doctor favere videatur huic ultimæ sententiæ *in* 4. *dist.* 3. *a.* 2. *q.* 3. *in Corp.* attamen magis in contrariam inclinat *in* 4. *dist.* 12. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. *in Corp.* dicens de Eucharistia, ***Non limitamus largitatem Dei, quin in hoc sacramento possit, & aliquando faciat remissionem omnis culpæ. Sed secundum forum commune & principalem rationem institutionis Sacramenti dicendum, quòd istud Sacramentum datum est in cibum illis, qui sunt de corpore Christi, & omnes habent talem charitatem, ideò effectum habet in solis justis.*** Dum ergo dist. 9. præcitata aliquid videtur innuere contrarium, intelligitur de illis, qui putant se esse attrito

attritos & absolutos, non tamen attriti sunt. Ratio nostra, quâ existimamus in hoc casu sacramenta vivorum operari primam gratiam seu habitualem, petitur ex hoc, quòd ille qui bonâ fide accedit ad Eucharistiam, tunc non ponat obicem novum ad recipiendum effectum hujus sacramenti, quandoquidem se sufficienter præparavit ad illud, & antiquus obex sit sufficienter retractatus per attritionem quam elicuit de suis peccatis, quæ subjecit clavibus Ecclesiæ in confessione præcedenti, & quorum se recepisse absolutionem probabiliter existimat: Ergo, sicut Sacramenta mortuorum, quæ per se ordinata sunt ad conferendam primam gratiam, conferunt aliquando secundam, seu augmentum gratiæ, ut potè, quando quis contritus baptisatur aut absolvitur; sic Sacramenta vivorum ex primaria intentione Christi destinata ad augmentum gratiæ conferendum, aliquando conferunt primam gratiam, faciendo hominem de attrito contritum.

Quòd si quis dicat in contrarium hujus veritatis, quòd antiquus obex non sufficienter sublatus fuerit, quoniam de præcedentibus peccatis elicita tantùm fuerit attritio, quæ vim non habet remittendi peccatum, nisi absolutio accesserit, quæ tamen in proposito casu supponitur nulla, defectu jurisdictionis in confessario: ergo manente illo antiquo obice, non possint Sacramenta vivorum primam gratiam conferre: Resp. antiquum illum obicem non remanere in suppositione factâ; quia de illis prioribus peccatis elicita est attritio: deinde illa subjecta fuerunt absolutioni sacerdotis, qui probabiliter existimabatur jurisdictionem habere: Ergo probabilissimum est, quòd sicut absolutio superveniens remisisset peccatum, si collata fuisset à confessario jurisdictionem habente; sic etiam Eucharistia superveniens attritioni & absolutioni præsumptæ remittat etiam peccatum, quoniam talis exactè facit omnia quæ sunt sibi moraliter possibilia; quod satis constat ex communi mente Theologorum, qui ferè unanimiter à plurimis sæculis hoc tradiderunt; & quibus addi potest Concilium Tridentinum, non sine cauta ratione dicens, *Sess. 13. Can. 5. Si quis dixerit, vel præcipuum fructum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.* Si enim dicat Concilium, remissionem peccatorum non esse præcipuum effectum Eucharistiæ: ergo fatetur quòd illa possit esse aliquando minus præcipuum. Si etiam admittat, quòd alii effectus ex Eucharistia procedant præter remissionem peccatorum, fatetur remissionem peccatorum, & proinde primam gratiam, aliqualiter ex illa procedere. Et hæc est ratio cur diximus, Sacramenta omnia non conferre gratiam habitualem ex primaria sua institutione, sed per accidens illam conferre aliquando, quoniam sacramenta vivorum illam utcumque communicant. Quòd si dicatur, Eucharistiam esse cibum animæ, & cibum nunquam dare vitam: Resp. non in omnibus stare similitudinem cibi corporalis cum spirituali.

QUÆSTIO III.

An Sacramenta conferant Gratias actuales?

EX dictis & ex dicendis in hâc quæstione, patet triplicem esse gratiam. Prima vocatur gratia habitualis, & est ea, ut diximus, quâ homo gratus est Deo; alia est gratia virtutum coinfusarum cum gratiâ habituali, quæ datur ut homo justus faciliùs prorumpat in actus supernaturales, v. g. Fidei, Temperantiæ, aut Humilitatis: alia tandem est gratia actualis, quâ excitatur homo ad hoc, ut operetur benè. De duabus primis egimus; superest ergo loquendum de tertiâ.

CONCLUSIO.

PRÆTER gratiam habitualem, quam Sacramenta conferunt, præter etiam habitus supernaturales, qui confunduntur cum gratiâ habituali, Sacramenta conferunt gratias speciales, quæ Sacramentales dicuntur, & quæ sunt auxilia quædam actualia ad rectè fungendum muneribus ad quæ destinamur per ipsa Sacramenta: & sic Sacramenta habent duos effectus; unum communem, nempe gratiam sanctificantem & habitualem, quæ ab omnibus Sacramentis confertur, sive in se, sive in augmento; & alium particularem, nempe gratiam actualem, quæ Sacramentalis vocatur, & quæ est necessaria ad ritè obeunda muneta, quibus per Sacramenta destinamur. Baptismus v. g. nedùm confert gratiam habitualem quâ regeneramur, sed & gratiam actualem, sive excitantem, sive adjuvantem, ut dignè suscipiamus alia Sacramenta, cùm opus fuerit. Confirmatio non solùm confert augmentum gratiæ habitualis, sed etiam auxilium actuale, ad profitendam publicè fidem cùm opus fuerit. Pœnitentia præter gratiam habitualem quam infundit ad tollendum peccatum actuale, confert pro occasione gratias actuales ad vitanda peccata. Eucharistia dat gratiam actualem ad nutriendam & exercendam charitatem. Extrema-unctio dat gratias actuales necessarias ad vincendas tentationes, quæ in articulo mortis oriri solent. Ordo nedum dat gratiam habitualem ordinato, sed & specialem, & actualem, quâ ritè exerceat actus sui ordinis. Matrimonium tandem præter gratiam habitualem quam auget in contrahentibus, dat specialia auxilia illis ad onera conjugii faciliùs toleranda. Ex quâ inductione patet, quòd singula Sacramenta gratiam habitualem habeant pro effectu communi, & Sacramentalem pro effectu singulari. Superest tantùm, quòd notetur gratiam habitualem conferri cùm applicatur Sacramentum; gratiam verò Sacramentalem, quæ actualis est, dari tantùm quando occasio se præbet vel malum vitandi, vel bonum faciendi, vel munus suum obeundi. Quod ut clarius innotescat;

QUÆRES, quo tempore Sacramenta gratiam conferant. Resp. *primò*, Sacramenta non conferre gratiam habitualem aut sacramentalem ex opere operato, quando tantùm in voto habentur, sed solùm quando suscipiuntur actu. Sic omnes paucis exceptis. Promittitur enim gratia solùm iis qui actualiter recipiunt Sacramenta. Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, & cæt. Joan. 6. *Nisi manducaveritis*, & cæt. Deinde aliquando Sacramentum in voto nunquam actu recipitur, sicque talis gratia non esset sacramentalis: ergo nec ex opere operato. Tertiò, votum de Sacramento posset, sicut Sacramentum actuale, facere contritum de attrito; quod nullus dicet. Quartò, quando posteà actu recipitur, confert totam gratiam, ac si non fuisset voto receptum, quòd denotat nil anteà contulisse ex opere operato. Tandem, si conferret gratiam, conferret caracterem, quod falsum est, aliàs non posset quis posteà actu baptisari. Dicendum est ergo, Sacramentum in voto non conferre gratiam ex opere operato; benè tamen ex opere operantis, quando scilicet veræ contritioni, vel amori Dei super omnia conjungitur votum baptismi: tunc enim

confertur gratia habitualis, non quæ propriè Sacramentalis dici debeat, sed quæ omnino est similis illi gratiæ, quam Sacramentum contulisset, si actu fuisset susceptum. Sicque intelligi debet D. Thomas dicens 3. *p. q.* 8. *art.* 1. *ad* 3. Sacramenti effectum posse percipi ab aliquo, modò votum habeat Sacramenti: intelligi, inquam, debet de effectu simili effectui Sacramentali, qui non correspondet Sacramento, sed contritioni, aut amori Dei, voto sacramenti junctis, quæ gratia non conferretur, nisi admitteretur tale votum, quando susceptio sacramenti est de præcepto.

Resp. *secundò*, Sacramenta conferre gratiam habitualem pro eo instanti quo completa sunt: Tùm quia vis communicandi gratiam annexa est essentiæ Sacramentorum; sed essentia illorum habetur, quando illa completa sunt: ergo tunc conferunt illam: Tùm quia sacramenta operantur ad modum causarum naturalium, quæ non agunt nisi completè existant: Tùm denique quia agunt vi suæ significationis, quæ Sacramentis non competit, nisi completo Sacramento: Ergo sacramenta conferunt gratiam pro eo instanti quo sunt completa, & terminata est verborum prolatio; quod dici potest instans externum Sacramenti, seu primum instans, non esse illius, quia pro tunc sacramentum præteriit, nec minus tunc causare potest gratiam, quia talis est modus agentium moralium, quòd suum effectum producant in eo instanti quo ampliùs non sunt, sed immediatè anteà fuerunt.

Respondeo *tertio*, Sacramenta non conferre gratias sacramentales pro eo instanti quo collata sunt & quo confertur gratia sanctificans: quia cùm gratia sacramentalis non sit habitualis, sed tantùm actualis, consistens in aliquo auxilio supernaturali, quo Deus excitat & adjuvat homines, ut benè exerceant munia ad quæ destinantur per susceptionem sacramentorum; ideò talia auxilia non dantur, nisi eo tempore, quo sese offert occasio talia munia exequendi; sicque non semper datur tota gratia sacramentalis eo tempore quo suscipitur sacramentum. Licet enim tunc detur gratia habitualis non ponentibus obicem, & jus conferatur ad auxilia gratiæ actualis; ista tamen non dantur nisi successu temporis, prout Deo videntur esse necessaria hominibus ad suos fines obtinendos. Quantùm ad jus illud ad gratias actuales seu sacramentales, quod accipit recipiens sacramentum, tria notanda sunt. *Primò*, ille qui ponendo obicem sacramento non recipit gratiam habitualem, non accipit jus ad gratias actuales; quia illa est quasi radix in qua jus istud fundatur, tanquam aliquid accessorium, à Deo annexum gratiæ habituali, quæ sola non sufficit diversis finibus diversorum sacramentorum: unde indispositus ad effectum principalem non participat de accessorio: aliàs frequentes sacrilegæ communiones prodessent, acquirendo videlicet jus ad plurima auxilia, quod est absurdum. *Secundò*, sicut indignè accipiens sacramentum non acquirit jus ad gratias sacramentales actuales; sic illud deperdit destructâ gratiâ habituali per novum peccatum, quia accessorium principale sequitur. Nec refert quòd Deus dat etiam gratias actuales peccatoribus nonobstante peccato: Nam licèt gratia actualis, ut sic, detur singulis peccatoribus, attamen ut sacramentalis, & ut datur intuitu sacramenti, non ampliùs solet dari à Deo (qui hoc tamen absolutè facere posset) quia sicut illa pendet ab habituali gratia in fieri, sic & dependet in conservari. *Tertiò*, probabile est, tale jus per Pœnitentiam recuperari; ita quòd, sicut quis amittendo gratiam per peccatum, amittit jus ad gratias actuales; sic recuperando gratiam per pœnitentiam, jus etiam recuperat ad talia auxilia. Similiter dicendum est, quod, dum revivisit aliquod sacramentum tollendo obicem, ut potè baptismus, reviviscat nedum gratia habitualis, sed & jus ad actuales.

Quæstio IV.

An Sacramenta reviviscant sublatâ fictione.

Aliquis potest dupliciter intelligi fictè recipere Sacramentum; Primò modo, quando illud simularè recipit, nullam habens voluntatem recipiendi ipsum, sed tantùm cæremoniam externam; & pro tunc sacramentum reverà non suscipit, quando quidem ad veram & actualem sacramenti cujuslibet susceptionem requiritur in adultis personalis voluntas ad hunc effectum; & in parvulis qui baptisantur, voluntas parentum, aut saltem Ecclesiæ. Secundò modo Sacramentum dicitur recipi fictè, quando aliquis volens accedit ad ministrum, ut ab ipso recipiat sacramentum, sed cum tali volitione retinet & conservat affectionem ad peccatum mortale, nec vult elicere contritionem, aut saltem attritionem circa illud: tunc sacramentum reverà recipitur, & character imprimitur in anima recipientis, si tale sacramentum sit aptum ad illius productionem; & tunc licèt res sacramenti recipiatur, effectus tamen primarius sacramenti, nempe gratia habitualis, non recipitur. Non quærimus hîc, an sacramentum susceptum cum prima fictione reviviscat fictione recedente, seu accedente volitione; quoniam enim nunquam habuit veram rationem sacramenti, illam recuperare non potest: sed loquimur de secunda fictione, quærentes, an ille qui voluntariè sacramentum suscepit cum affectione ad peccatum mortale, qui proinde non accepit gratiam habitualem ob talem obicem, recedente tali fictione, seu tali obice remoto per Pœnitentiam, recipiat tunc illam gratiam, quam anteà recepisset in collatione sacramenti, si fuisset ad hoc benè dispositus.

Conclusio.

Baptismus, inter Sacramenta, fictè susceptus revivisit recedente fictione: Sic *D. Thomas p.* 3. *q.* 69. *art.* 10. *Scotus in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 5. *num.* 3. *& alii Scholastici* communiter innixi super authoritatem Patrum, & præsertim Augustini: qui *lib. de baptismo contra Donatistas cap.* 12. ait, *Tunc valere incipit baptismus cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ* juxta præcedentia verba *corde in malitia vel sacrilegio perseverante peccatorum abolitionem non sinebat fieri.* Ibi Augustinus agebat contra Donatistas, qui contendebant se esse in vera Ecclesia, quia juxta mentem etiam Catholicorum baptismus collatus apud illos existimabatur validus, & remittere peccata quod ad solam Ecclesiam pertinere potest: ad quod respondere volens sanctus Doctor dicit, esse quidem validum in substantia, sed tunc solum remittere peccata formaliter, quando derelicto schismate indispositio recedebat per veram & legitimam confessionem peccatourm. Hæc est eadem mens S. Gregorii *lib.* 9. *epist.* 61. dicentis, ut refertur *cap. ab antiqua* 44. *de Consecrat. dist.* 4. *quia sanctum baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipi, cùm.... sanctæ & universalis Ecclesiæ*

visceribus fuerint uniti. Idem habet Cyprianus Sermone de Passione Domini, *Licet indigni sint qui Sacramentum accipiunt, tamen ubi ad cor redierint, constat ablutionis donum & redit effectus.*

Confirmatur duplici ratione conclusio. Primò, quia Conc. Trident. *Sess.6. cap.4.* docet baptismum esse ità necessarium ad justificationem, ut illa sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri nequeat; sed qui fictè baptisati sunt, non habentes displicentiam suorum peccatorum dum receperunt baptismum, recedente fictione & accedente displicentiâ, justificantur: ergo talem justificationem receperunt per Baptismum, aut per votum ipsius: non per votum Baptismi, quia sicut rebaptisari nequeunt, sic non possunt emittere votum de baptismo rursùs accipiendo: ergo per Baptismum præcedentem gratiam receperunt & peccata illorum fuerunt remissa: sicque recedente fictione baptismus revixiscit. Secundò, quia si baptismus fictè susceptus non reviviscceret recedente fictione, adulti post talem fictionem in receptione sui baptismi adhibitam, omni prorsus remedio ad salutem destituerentur, sicque laberentur in desperationem, videntes se non posse obtinere remedium pro peccato originali, nec pro actualibus ante baptismum commissis. Nam præcedentia peccata non remitterentur per baptismum fictè susceptum, qui defectu dispositionis non contulisset gratiam: nec per sacramentum Pœnitentiæ subsequens, quoniam solummodò institutum est in Ecclesia ad remissionem peccatorum post baptismum commissorum, ut tradit Concilium Trident. *Sess.* 14. *cap.*2. Ergo si Baptismus non reviviscceret, desperate haberent illi qui fictè baptisati fuissent, quod nullus dixerit, agnoscens divinam bonitatem, quæ omnibus omnino hominibus semper media ad salutem necessaria suppeditat: ergo ut tale removeatur inconveniens, dicendum est, Baptismum fictè susceptum per pœnitentiam reviviscere, & gratiam conferre habitualem.

Objicies: Fictè baptisatum recipere quidem gratiam habitualem & recuperare jus ad auxilia actualia suo tempore conferenda, imò & obtinere remissionem omnium pœnarum temporalium quæ debebantur peccatis ante baptismum commissis; sed hoc fieri per pœnitentiam sequentem, non verò per baptismum reviviscentem, qui cùm pro tunc ampliùs non sit, tales effectus nequit producere. Respondeo, quòd licet glossa credere videatur, talem remissionem fieri virtute solius Pœnitentiæ subsequentis, probabiliùs tamen sentiunt omnes Theologi, præcedentes effectus producere ex vi solius Baptismi suscepti anteà, qui incipit reviviscere & suam applicare virtutem, eo ipso quo fictio recedit per pœnitentiam, quâ accedit peccatorum detestatio, ut vult Augustinus cum Patribus citatis: sicque Pœnitentia concurrit quidem, ut reviviscat Baptismus, non verò concurrit efficienter ad justificationem, nisi tanquam conditio sine qua baptismus non reviviscceret, nec proinde conferret gratiam; nam, ut prædiximus, solus baptismus remittere potest peccata præcedentia Baptismum & relaxare pœnas illis debitas absolutè, quod pœnitentiæ non competit. Deinde glossa citata capitulo *tunc valere dist.* 4. dicit, quòd sublato obice incipiat valor & effectus baptismi, quod denotat, justificationem, remissionem peccati, & relaxationem pœnarum, esse baptismi reviviscentis effectus, non verò subsequentis pœnitentiæ.

Ad id quod dicunt, Baptismum non ampliùs esse quando producuntur tales effectus, ergo ipsos non produci ab illo, quia id quod non est non potest operari: Respondeo, pro tunc Baptismum non esse actu physicè, & sic non posse operari actu physicè; est tamen actû moraliter, nimirum in acceptatione divina, & sic potest producere tales effectus, quoniam Sacramenta agunt tantùm moraliter, ut posteà dicemus. Igitur asseverandum est, quòd post receptionem fictam baptismi, effectus illius secundarius, nempe gratiæ infusio, remaneat suspensus, taliter ut sublato impedimento mox producatur, qualiter suspensus lapis & funiculo alligatus cadere incipit eo momento quo funis fuerit præcisus; sicut autem præcisio funis non causat motum lapidis, qui est à principio lapidis, nimirum à gravitate lapidis, ità nec pœnitentia est propriè causa remissionis peccatorum, sed solus baptismus jam anteà susceptus, remoto impedimento, tales effectus operatur moraliter: ità quòd gratia baptismi reviviscentis fit à tribus causis principaliter, nimirum à Deo, dispositivè à remotione obicis causata per pœnitentiam, & instrumentaliter & ex opere operato ab ipso Baptismo præterito, sicut res taliter evenisset, si Baptismus fuisset receptus cum dispositione debita.

Quæris, per quid tollatur fictio; idest, an attritio sufficiat ad removendum obicem, vel an contritio requiratur. Primum sentiunt aliqui, dicentes, quod sicut sufficit attritio, ut baptismus conferat gratiam actualem, sic & sufficiat, ut ipsemet reviviscat, & talem conferat gratiam. Alii è contra existimant, contritionem requiri; quia fictio nihil aliud est, quam peccatum mortale, quod dici potest sacrilegium, in quantùm consistit in prophanatione Sacramenti indignè recepti; sed attritio extra Sacramentum non tollit peccatum mortale: ergo nec obicem tollere potest. Ante responsionem nostram, notandum est, duplicem esse obicem Sacramentum impediens; Negativum scilicet & Positivum. Primus est ille, qui consistit in carentia dispositionis quæ est sine peccato, ut quando aliquis putat se esse attritum quando ad baptismum accedit, aut invincibiliter putat sufficere volitionem Sacramentum suscipiendi, aut non requiri attritionem; talis obex vocatur Negativus, seu fictio Negativa inculpata. Alius obex est Positivus, consistens in carentia dispositionis debitæ, quæ est cum peccato mortali, ut quando aliquis adultus credit necessariam esse attritionem de peccatis mortalibus actualibus ante baptismum commissis, nec tamen vult atteri antequam baptisetur; tunc est fictio positiva & positivus obex: Hoc posito

Respondeo primò, ut tollatur obex Negativus, qui est sine peccato mortali, sufficit sola attritio; sic communiter omnes Theologi; quia, quando Baptismus suscipitur ab adulto qui peccavit mortaliter, tunc sufficit attritio de peccatis præcedentibus: ergo ut reviviscat & conferat gratiam, sufficit attritio, quando-quidem secundùm Augustinum habet eandem vim. Deinde, qui post Baptismum cum obice negativo susceptum non peccasset, non posset justificari nisi per contritionem, sicut in Lege veteri; quod falsum est, alias non essemus melioris conditionis. Tertiò, fictio negativa consistit in sola carentia dispositionis sine peccato: ergo, positâ dispositione, tollitur fictio; sed ponitur dispositio per attritionem: ergo per attritionem tollitur obex Negativus. Hoc tamen intelligi debet, si post Baptismum fictè susceptum non admissum fuit peccatum mortale, tunc enim requireretur contritio; quia peccatum post baptismum commis-

sum non potest tolli per baptismum qui præcessit, nec potest tolli per solam attritionem extra Sacramentum; nec etiam tolli potest, nisi fictione sublatâ, & post remissionem peccatorum ante baptismum commissorum, quia unum peccatum mortale non potest remitti sine alio: ergo ad tollendam fictionem requiritur contritio, quando aliqua peccata mortalia commissa sunt post Baptismum fictè receptum.

Respondeo secundò: Ut tollatur obex Positivus, in quo est peccatum mortale sacrilegii, non sufficit attritio, sed contritio necessaria est, vel attritio cum sacramento Pœnitentiæ & confessione actuali, ut tradunt D. Thomas, Scotus, Paludanus, Soto, & alii *in* 4. *Sentent. dist.* 4. Ratio est, quia attritio non potest tollere peccatum mortale absque Sacramento, sed illa fictio est cum peccato mortali: ergo non potest tolli, nisi per pœnitentiam cum attritione, aut per contritionem solam. Nec quis dicat, illam fictionem præcedere baptismum, ergo posse tolli per baptismum reviviscentem, quando accedit attritio; quia scilicet peccata quæ præcesserunt Baptismum, remittuntur recedente fictione, quæ tollitur per attritionem supervenientem. Hoc enim falsum est, nam talis fictio dici debet antecedens, saltem ordine naturæ, quia prius est recipere baptismum simpliciter, quàm benè aut malè illum recipere. Deinde, talis fictio, quam habuit adultus toto tempore sui baptismi, non solet statim immediatè desinere ipso completo, unde dicenda est illa fictio quid consequens ad baptismum. Si tamen intra actualem susceptionem Baptismi desineret talis fictio, & alia peccata quæ concomitarentur baptismum, ut potè furti, fornicationis, aut odii voluntas, ità ut nullo modo actu post baptismum perseverarent, tunc posset dici, talia peccata remitti per baptismum vi solius attritionis.

Quæres, an alia quædam Sacramenta, præter Baptismum, reviviscant, remoto obice. D. Bonaventura favere videtur illis qui existimant, Confirmationem & Ordinem reviviscere; *in* 4. *dist.* 3. *p.* 1. *art.* 2. *q.* 3. desumens potentiam reviviscendi ex Sacramenti initerabilitate & caractere, quæ cùm sint æqualiter in istis Sacramentis, ac in illo, proinde æqualiter reviviscere debent. Alii cum Suare idem docent de Extrema-unctione & Matrimonio, quæ licet non conferant caracterem, attamen durante eâdem infirmitate, & vitâ conjugis, iterari non possunt. Alii denique hoc extendunt ad Sacramentum Eucharistiæ, allegantes D. Augustinum, qui *lib.* 6. *de Baptismo cap.* 5. potentiam reviviscendi fundat in Sacramenti sanctitate, quæ majorem locum habet in Eucharistiæ sacramento, quod est omnium sanctissimum. Respondeo tamen, verisimilius esse, quòd alia Sacramenta, à baptismo, fictè suscepta non reviviscant; quia scilicet de hoc non habetur solidum fundamentum, nec ex Scriptura, nec ex Patribus, nec ex ratione, sine altero quorum non sunt attribuendi effectus particulares Sacramentis; quoniam illorum effectus totaliter dependent ex beneplacito divino quod debet nobis innotescere aliquo ex prædictis modis: Cùm ergo habeamus ex D. Augustino, ex D. Gregorio, & ex D. Cypriano præallatis, Baptismum fictè susceptum reviviscere, ideò tantis Patribus subscribimus libenter. Cùm verò nihil simile habeatur pro aliis sacramentis, proinde temerarium videretur talem reviviscentiam illis attribuere. Maximè cùm sine tali reviviscentia aliorum Sacramentorum, posset obtineri peccatorum remissio, quod fieri non posset sine reviviscentia baptismi, sine quo

A peccatum originale remitti non potest. Non censerem tamen improbabile, Eucharistiam reviviscere posse, quandiu remanent species in stomacho, quia perseverat Sacramentum. Quando dictum fuit, Augustinum fundare reviviscentiam in sanctitate Sacramentali; talis ratio est inadæquata, ulteriùs requiritur beneplacitum Dei, qui voluit baptismum reviviscere, nè in desperationem inducerentur illi qui ipsum fictè recepissent, agnoscentes se nullum habere remedium pro originali peccato, quod dici nequit pro aliis Sacramentis, nec etiam pro Ordine & Confirmatione, quæ etiamsi conferant caracterem & sint initerabilia, attamen Deus noluit ipsa reviviscere, & sic respondetur ad rationes illorum, qui virtutem reviviscendi attribuunt aliis Sacramentis.

B

Quæstio V.

An Sacramenta conferant gratiam ex opere operato.

Theologi dicunt, duplicem esse modum quo gratia ordinariè obtinetur: ex opere operantis, & ex opere operato. Sacramentum autem conferre gratiam ex opere operantis, est illam causare intuitu boni operis interni conjuncti cum receptione Sacramenti, cui debetur gratia, v. g. intuitu Fidei, Devotionis aut Charitatis suscipientis

C Sacramentum: Sacramentum vero conferre gratiam ex opere operato, est eam causare in virtute ipsius operis externi quod Deus instituit, & non intuitu meriti vel dispositionis illius qui Sacramentum recipit: unde licet fides & devotio requirantur in suscipiente, nullam tamen efficaciam habent circa gratiam, sed sunt tantùm dispositiones præviæ, quæ requiruntur, non ex parte agentis, sed ex parte subjecti. Non requiruntur, inquam, ut agens possit agere, sed ut subjectum possit recipere formam, v. g. ignis ex suâ ratione propria, & si sic fari liceat, ex opere operato est calefactivus: ut tamen calefaciat actu, requiritur expulsio humiditatis; talis autem expulsio requiritur tanquam dispositio prævia ex parte subjecti, non verò ex parte agentis.

D

Hæretici reprehendunt nomen operis operati; Calvinusque *in antidoto Concilii Tridentini lib.* 4. *Sess.* 6. *Can.* 8. dicit, monstra esse verborum, conferre gratiam ex opere operato; asseruntque omnes, hoc nomen nedum esse novum, sed barbarum: attamen non est cur de nomine contentionem habeamus, modo constet de veritate rei significatæ per nomen & illam intelligant auditores. D. Augustinus enim *in Psalmum* 138. se excusans, quòd maluerit dicere ossum ossi, quam os ossis, ut faciliùs intelligeretur, ait, *Melius est ut nos reprehendant grammatici quàm ut non intelligant populi.* Quoad novitatem hujus nominis quam nobis objiciunt adversarii, non est ità recens ac

E proclamant novatores, quoniam Innocentius III. qui sedem Petri ascendit Anno 1197. illo usus est ante quadringentos annos, dicens *Lib.* 3. *de mysteriis Missæ cap.* 5. *Missæ sacrificium conferre gratiam, licet per malos ministros, quia etsi opus operans fortasse sit immundum ex parte ministri, attamen operatum semper est mundum respectu Dei.* Non obstante ergo novatorum clamore, eris

CONCLUSIO.

SACRAMENTA novæ legis causant gratiam ex opere operato, non ex opere operantis, nisi tantum dispositivè. Sic Conc. Trid. sess. 7. can. 8. *Si quis dixerit, novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferre gratiam, Anathema sit*; sic anteà Conc. Arausic. 1. can. 11. sic etiam Carth. 4 can. 7. Idem sentiunt communiter doctores Catholici, Augustinus præ cæteris, qui lib. 4. contra Cresconium cap. 61. ait: *Non horum meritis à quibus ministratur, constat Baptismus, sed propriâ constat sanctitate & virtute, propter eum à quo constitutus est.* Hoc est ergo, quasi Augustinus diceret, Sacramenta non conferre gratiam ex meritis illius qui ministrat, nec illius qui suscipit, sed suâ propriâ virtute: ergo ex opere operato. Idem sentire videntur omnes Patres, tum Latini, tum Græci; ex Latinis Tertullianus *lib. de resurrectione carnis*, probat corpus resurrecturum ut ad animam transeat sacramentorum effectus. *Caro, inquit, abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur.* Cum ergo attribuantur hi effectus Sacramentis, proinde non putat Tertullianus, ipsa tantùm excitare fidem, quâ justificentur recipientes; sed illa propriâ virtute justificare & ex opere operato. Idem probat Cyprianus *lib. 2. epist. 2. ad Donatum*, cui scribit se, antequam baptisaretur, vix potuisse credere quod prædicabatur à Christianis de virtute baptismi, quòd videlicet repentè mutet hominem, peccata abstergat, virtutesque infundat; sed posteà id experientiâ suâ didicisse esse verum. Silvester Papa ex Nicephoro *lib. 7. cap. 33.* cùm Constantinum baptisaret, ita locutus est, *Hæc aqua divinâ virtute per invocationem Trinitatis concepta, sicut extrà corpus hominis abluit, ità animum intrà à sorde & inquinatione mundans, splendidiorem radiis solaribus efficit.* Ambrosius *lib. 2. de Pœnitentiâ. Naaman Sirus lepram suam mundari per aquam posse non credidit, sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile, qui tantam nobis donavit gratiam.* Optatus *lib. 5. contra Parmenianum: Baptisma Christianorum Trinitate confectum confert gratiam; si repetatur, facit vitæ jacturam.* Longius esset cæteros Patres Latinos eandem veritatem confirmantes recensere.

Quoad Græcos, videri possunt Justinus martyr in Apologia ad Antoninum, dicens, *Remissionem peccatorum ante commissorum consequimur in aqua.* Origenes *Homil. 14. in cap. 2. Lucæ, Parvuli baptisantur in remissionem peccatorum.* Cyrillus in præfatione Catecheseos, *Magnum est sanè propositum hoc baptisma; captivitatis liberatio, peccatorum remissio, animæ regeneratio, currus ad cœlum, &c.* Basilius *lib. de Spiritu sancto cap. 15.* respondens ad hæreticos, dicentes, si ideò Spiritus sanctus æqualis est Patri & Filio, quia in ipso baptisamur, aqua erit utique æqualis, quia baptisamur in ipsa: ad hoc, inquam, respondet Basilius: *Si in aqua est aliqua gratia, non ex natura aquæ est, sed ex præsentia Spiritus sancti.* Gregorius Nicenus *lib. de Baptismo* ait: *Baptisma peccatorum expiatio, remissio delictorum & regenerationis causa.* Ex omnibus ergo Patribus concludendum est, Sacramenta ex se & propriâ virtute (quod est ex opere operato) conferre gratiam, & remissionem peccatorum, non verò tantùm objectivè, ut contendunt hæretici, volentes, ipsa tantùm excitare fidem in recipientium mente, qua formaliter justificentur, cujus contrarium probavimus in quæstione 1. hujus Capituli: aliàs non dicerent ipsi Patres, baptismum v. g. causare gratiam, sed potiùs excitare fidem, quâ fit peccatorum remissio, quod apud nullum eorum reperitur. Non tamen ità vim justificandi Sacramentis attribuunt Catholici, quin exigant in adultis certas dispositiones, nimirum actus Fidei, Pœnitentiæ, & similes; sed volunt, hæc omnia requiri tantùm ut dispositiones sine quibus Sacramenta non operarentur; non verò tanquam causas gratiæ sacramentalis, ut dictum est in annotatione, & mox dicetur adhuc.

Confirmatur ratione; quia si vetera Sacramenta conferebant gratiam legalem ex opere operato quam significabant primariò: ergo nostra causant gratiam habitualem ex opere operato; aliàs non essent nobiliora veteribus, quæ gratiam habitualem & sanctificantem causabant ex opere operantis. Secundò, Sacramenta nostra se habent ut medicinæ quædam supernaturales à Christo institutæ, quibus curatur anima à morbis spiritualibus; sed medicinæ non habent quòd sanent, à bonitate medici nec ægroti, sed à seipsis & ex virtute ipsius medicinæ: ergo Sacramenta virtute propriâ & ex opere operato habent virtutem producendi gratiam. Tandem ex ipsismet hæreticis, Baptismus prodest tùm infantibus, tùm amentibus, in quibus non est opus; opus enim operans est opus aliquod meritorium, cujus non sunt capaces illi qui non habent usum rationis: ergo inferendum est; quod Baptismus gratiam conferat ex se, seu ex opere operato. Hîc uti possumus rationibus illis quas adduximus in prima quæst. hujus cap. quæ probant sacramenta non producere gratiam objectivè, excitando gratiam justificantem, sed illam immediatè efficere & ex virtute propria, quod est illam conferre ex opere operato.

Quòd si Sacramenta causent gratiam ex opere operantis; hoc est tantùm dispositivè, ut scilicet tollatur obex, qui impedit introductionem formæ ex parte subjecti, ut diximus de expulsione humiditatis in ligno, quæ est requisita dispositio ex parte subjecti, ad hoc ut recipiat calorem; non verò requiritur ex parte ignis, qui semper ex suâ virtute propriâ est calefactivus. Sic ergo ut Baptismus v. g. conferat gratiam adulto, requiritur intentio in ipso, & aliquis dolor de peccatis suis; sed hoc est ex parte subjecti, non verò ex parte causæ. Quòd si dolor requiratur in adulto, talis dolor non pertinet ad Pœnitentiam ut est Sacramentum, sed ad Pœnitentiam quæ est virtus; quid sit autem Pœnitentia virtus, & Pœnitentia Sacramentum, dicetur agendo de Sacramento Pœnitentiæ. Quòd si quæratur, cur debeat præexistere dolor de peccatis anteà commissis in adulto baptisando; est, quia justum videtur, quòd ille qui voluntariè à Deo aversus est per peccatum, voluntariè ad Deum revertatur per resipiscentiam, seu dolorem de peccato, & ille dolor in adultis supponit fidem & spem, non quidem infusam, quia per Baptismum datur, sed acquisitam: Pro parvulis autem non sic dicendum est; quia cùm alienâ voluntate peccaverint, per solum Baptismum proprio actu sanctificantur.

OBJICIES, D. Petrus cap. 3. 1. Epist. dicit, Baptismum esse similem Arcæ Noé, quæ nihil produxit conservando ipsum Noé. Resp. talem similitudinem non esse omnimodam; sed in hoc tantùm stare, quòd sicut nullus eorum qui fuerunt in Arcâ periit per aquas diluvii, sic nullus eorum qui baptisati fuerunt, peribit per peccatum originale. Quòd si Marc. 16. habeatur, *Qui crediderit & baptisatus*

fuerit, salvus erit; ex hoc non est inferendum, Baptismum non justificare, sed solam fidem: imò, ex hoc potest tantùm inferri, quòd fides requiratur in adulto baptisando, non tanquam aliquid complens efficacitatem baptismi, quia pro tunc non conferret gratiam ex opere operato; sed tanquam aliquid removens impedimentum à subjecto; & sic fides non justificat, ut volunt hæretici, sed est conditio sine quâ esset obex in suscipiente: unde, si dicatur quòd *Justus ex fide vivit*; hoc est, non fide solâ, sed fide quæ est à Sacramentis, vel quæ præsupponit Sacramenta. Si etiam Petrus loco præcitato dicat, quòd ablutio non salvat, sed bonæ conscientiæ interrogatio; loquitur de adultis, ubi ablutio sine intentione, sine fide acquisitâ, & sine dolore de peccato non producit gratiam; licet producat caracterem & rem Sacramenti; non verò effectum ejus primarium.

OBJICIES: Si Sacramenta justificarent hominem ex opere operato, Deus esset alligatus Sacramentis, cùm non posset non justificare illum, qui Sacramentum percipit. Respondeo, ex hoc colligi tantùm, quòd Sacramenta non sint causæ principales gratiæ, sed instrumentales tantùm; in quantùm Deus elegit Sacramenta, per quæ suam gratiam communicare decrevit, licet ipsam sine talibus instrumentis conferre valeat absolutè. Non ergo Deus est alligatus Sacramentis, sed è contrà, Sacramenta sunt alligata Deo; quoniam Deus sine Sacramentis justificare potest, non verò Sacramenta sine Deo. Quod autem Deus non possit non justificare illum, qui fideliter Sacramenta recipit, hoc non ideo est, quasi sit alligatus Sacramentis, sed alligatus est decreto suo, quo scilicet decrevit communicare gratiam mediantibus signis sacramentalibus, quæ Christus designavit, & quibus per passionem suam alligari meruit gratiam, quæ propterea sacramentalis vocatur.

OBJICIES. Conferre gratiam ex opere operato est illam absolutè conferre peccatori sine fide, sine pœnitentia, & bono motu cordis; ita quòd vis operis operati sit excogitata ad excludendam fidem & detestationem peccati in justificationis negotio, quod est absurdum dicere. Respondeo, hæreticos hanc explicationem reverà imponere Catholicis; Lutherum videlicet, libro de Captivitate Babil. cap. de Baptismo. Calvinum in Antidoto Concilii Trident. Sess. 7. Can. 5. Kemnitium in 2. parte Examinis pag. 125. ubi ait; *Pontificii defendunt opinionem operis operati, quod scilicet per Sacramenta ità gratia conferatur utentibus, ut non requiratur bonus motus interior in suscipiente*: hoc tamen falsissimum est, nam licet Catholici credant, sacramenta conferre gratiam ex opere operato, non minus tamen in adulto suscipiente sacramenta requirunt voluntatem, Fidem, & Pœnitentiam; sed non ut causas efficientes gratiæ, bene autem, ut dispositiones ex parte subjecti necessariò requisitas: Fides enim & Pœnitentia non producunt gratiam sacramentalem, sed solùm tollunt obstacula quæ impedirent nè sacramenta suam efficaciam possent exercere; unde in pueris, ubi non requiritur dispositio, justificatio fit sine illis rebus. Exemplificari potest de ligno comburendo: Ipsum primò exsiccatur, secundò excutitur ignis ex silice, tertiò applicatur ligno, & tandem combustio resurgit; nemo tamen dicet, causam combustionis esse exsiccationem ligni, aut excussionem ignis, aut applicationem illius ad lignum: sed solum, ignem esse causam primariam, & calorem causam instrumentariam. Sic licet in adulto fides, pœnitentia & bo-

A ni motus interni sint dispositiones prærequisitæ ad recipiendam gratiam sacramentalem, solus tamen Deus erit causa principalis gratiæ, & Sacramenta causæ instrumentales.

INSTANT hæretici, ipsosmet Catholicos approbare explicationem prææallatam operatis operis; Tùm quia Gabriel in 4. dist. 1. quæst. 1. dicit, *tunc esse opus operatum, cum non requiritur motus internus.* Tùm quia Paludanus in 4. dist. 1. quæst. 1. conclus. 2. ait: *non requiri in Sacramentis, ut homo se disponat; sed dispositionem effici ab ipso Sacramento, & hoc esse causare gratiam ex opere operato.* Tùm quia Marcillius in 4. quæst. 2. art. 2. distinguit opus operatum contra devotionem internam operantis. Tùm
B quia Concilium Tridentinum Can. 8. opponit opus operatum fidei, sicque opus operatum excludit fidem. Tùm denique, quia Catholicorum plurimi probant, Sacramenta efficere gratiam ex opere operato, quia baptismus prodest parvulis non habentibus fidem, aut ullum motum internum: ergo operatur etiam sine fide in adultis non habentibus fidem, quoniam operatur similiter in illis ex opere operato.

Respondeo in communi, negandam esse hæreticorum instantiam: Quantùm autem ad rationes, quas allegant, Dico 1. Gabrielem non excludere omnem motum internum disponentem ad effectum Sacramenti, sed excludere tantùm motum disponen-
C tem, qui sit meritorius gratiæ de condigno, ut potè ex charitate procedens; admittit tamen dispositiones, quæ tollunt obstacula ad gratiam Sacramenti recipiendam. Dico 2. Paludanum non etiam loqui de motu interno suscipientis, quales sunt fides & pœnitentia, quas expresse vult requiri dist. 4. quæst. 5. sed loquitur de quadam dispositione ultima; ad quam putat continuò sequi gratiam; & eam dispositionem dicit esse caracterem in tribus sacramentis, & ornatum quemdam animæ in aliis, quem caracterem seu dispositionem efficit Sacramentum; non negat tamen, quin ad receptionem gratiæ requiratur dispositio alia, adhibita ab adulto recipiente.

D DICO 3. quòd Marcillius non distinguat opus operatum contra operationem operantis, quasi devotionem excludat omninò; sed illam excludit ab efficientia gratiæ, quia licet Fides, Pœnitentia, & Devotio disponant adultum ad dignam receptionem Sacramenti, non tamen efficiunt gratiam, quæ à solo sacramento causatur. Sic etiam intelligendum est Concilium Tridentinum. Dico 4. juxta sanctum Thomam, Paludanum, & alios, Missam prodesse quidem impœnitentibus corde, in quantum sacrificium est, non verò ut est Sacramentum; prodest, inquam, peccatoribus per modum impetrationis, illis conversionem impetrando. Tandem dico 5. Catholicos probare quidem efficaci-
E ter, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, quia in parvulis non pendet ab ulla qualitate suscipientis; non propterea tamen excludunt fidem & pœnitentiam in adultis, qui talibus dispositionibus indigent, non verò parvuli.

QUÆSTIO VI.

An Sacramenta legis antiquæ contulerint gratiam ex opere operato?

NON dubitatur, quin illa Sacramenta sanctitatem legalem ex opere operato contulerint; in veteri enim lege contrahebatur immunditia per par-

tum, per tactum mortui, & per alios modos; ità quòd qui contraxerant talem immunditiam, erant aliquo modo irregulares; & ob hoc arcebantur ab ingressu templi, & convictu cum aliis fidelibus; Sacramenta autem tollebant talem immunditiam ex opere operato, quatenùs talem virtutem habebant ex institutione divinâ, & talis emundatio dicebatur collatio sanctitatis legalis. Quoad gratiam justificantem, constat eam Sacramenta veteris legis aliquando contulisse, non ex opere operato, sed ex opere operantis; hoc est in virtute amoris Dei, vel contritionis eorum qui talia Sacramenta recipiebant; an autem gratiam contulerint ex opere operato, hoc quærimus. Sed notandum est, quòd sermo noster sit de Sacramentis purè Mosaïcis, & quæ præcisè ad veterem legem pertinebant; unde non loquitur de Circumcisione quæ instituta erat in lege naturæ, tempore scilicet Abrahæ; de illâ enim dicetur in quæstione sequenti, sed ante solutionem quæstionis propositæ;

Notandum, juxta mentem communem Catholicorum & Hæreticorum, sex ad minus esse differentias inter Sacramenta veteris legis & novæ. Primò enim differunt in ritibus externis, quoniam aliæ sunt cæremoniæ sacramentales veteris Testamenti, & aliæ novi. Secundò, multo plura tunc erant, & nunc pauciora sunt sacramenta. Tertiò, nostra sunt faciliora, ut patet in Baptismo, qui faciliùs suscipitur quam Circumcisio antiqua; & in sacrificiis veteribus & novis. Quartò, nostra sunt nobiliora, saltem ratione authoris; quia à Christo immediatè instituta sunt & promulgata; Mosaïca verò à Moïse, si non instituta, saltem promulgata habentur. Quintò, illa erant figura nostrorum. Sextò, vetera erant data ad tempus, scilicet usque ad adventum Messiæ; nova verò, quandiu mundus durabit, perseveratura sunt. Præter has sex differentias, quæritur, utrùm differant in effectu principali, in hoc scilicet, quòd Sacramenta veteris legis gratiam tantùm significaverint & non contulerint, sacramenta autem novæ legis gratiam simul significent & conferant. Anabaptistæ, Carlostadiani & Zuingliani nihil tribuunt sacramentis nostris, nisi quòd discernant fideles ab infidelibus, vel admoneant bonorum operum, quæ tenentur producere qui sacramenta receperunt; & sic plus tribuunt Sacramentis veteribus, quàm novis, ut patet de Circumcisione, qua meliùs discernit Judæum à non Judæo; quia scilicet permanet, & cerni potest; quàm Baptismus, qui semel tantùm applicatur, & non remanet visibilis; meliùs etiam admonet de bonis operibus faciendis, cùm sit permanens & sensibilior. Lutherus, qui vult sacramenta nostra tantùm excitare fidem, eundem effectum utrisque Sacramentis tribuit; unde lib. de Captivit. Babil. cap. de Baptismo, ait: *Error est, Sacramenta nova legis differre à Sacramentis veteris, penes significationis efficaciam, idest, quòd nostra efficienter significent faciendo quod figurant, non illa.*

Calvinus idem sentit cum Luthero, Sacramenta scilicet vetera eodem modo significare, quo nostra, nimirum alendo fidem: Lib. enim 4. Instit. cap. 14. ff. 23. ait; *Hoc dogma scholasticum, quo tam longum discrimen notatur inter veteris & nova legis sacramenta, proinde, acsi illa non aliud quàm Dei gratiam adumbraverint, hac vero præsentem conferant, penitùs explodendum est.* In duobus tamen dissentit ab illo. Primò, in quantum existimat Calvinus novæ legis Sacramenta uberiorem conferre gratiam, quia clariùs excitant fidem, & major fides magis justificat. Sic habet in Antidoto Concilii Trident. Sess. 7. Can. 2. Secundò, idem Calvinus vult omnes cæremonias antiquas quæ dabant gratiam, esse sacramenta, ut purificationes Judæorum, ubi Lutherus contendit, solas illas esse sacramentales quæ annexas promissiones habebant in lege, & ipsas conferre gratiam æqualiter. Quantum ad Catholicos, fatentur omnes, Sacramenta purè Mosaïca non contulisse gratiam in opere operato, juxta Concil. Florent. in instructione Armenorum, & Trident. Sess. 7. Can. 2. sed bene ex opere operantis, excepto Magistro Sententiarum, qui in 4. dist. 1. ait Sacramenta purè Mosaïca non justificasse ex opere operantis, quia data erant ut essent oneri, non verò ut justificarent: quod est contra D. Paulum ad Rom. 2. dicentem, *factores legis justificabuntur.* Unde, si idem Apostolus ad Rom. 4. docet, Abrahamum non esse justificatum ex operibus; loquitur de operibus, quæ fiunt ex solis viribus liberi arbitrii, ex quibus nos ipsi fatemur neminem justificari: non autem loquitur de operibus cum gratia Dei factis, de quibus Jacobus loquitur cap. 2. dicens, *Nonne Abraham ex operibus justificatus est?*

Conclusio.

Legis antiquæ Sacramenta non conferebant gratiam ex opere operato. Primò, quia Paulus vocat Sacramenta vetera, *Elementa vacua, egena, & infirma*; unde ad Galatas 3. dicebat; *In lege nemo justificatur apud Deum*; unde etiam Joann. 1. ait quòd *Lex per Moysen data est, gratia verò per Jesum Christum.* Secundò, quia potissima ratio distinctionis per quam lex nostra differt à Mosaïcâ, est quia nostra habet vim justificandi, unde aptè vocatur lex gratiæ; vetus autem non sic; per legem enim nemo justificabatur, nisi ex opere operantis. Tertiò, quia ut Sacramentum ex se & ex opere operato conferat gratiam, debet habere annexam Dei promissionem; talis autem promissio non habetur neque ex Scripturâ, neque ex Traditione, neque ex Conciliis aut Patribus; imò Paulus loquens de Christo, dicit, *Melius sortitus est ministerium, quanto & melioris testamenti mediator est, quod in melioribus promissionibus sancitum est*; Et posteà explicans tales promissiones, addit ipse, *Propitius ero iniquitatibus eorum*; quod reverà non promisit testamentum vetus. Ad Rom. 3. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*; ad Hebr. 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem & inutilitatem.* Tandem, in veteri lege sacrificia non justificabant: ergo multò minus aliæ cæremoniæ, quæ minus clariores promissiones habebant de remissione peccatorum. Antecedens constat ex Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, holocaustum & pro peccato non postulasti.* Ubi David non negat, Deum velle sacrificia, cum illa jusserit; sed ipsa non vult ad expiandum peccatum. Psal. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis, sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Quasi diceret, si sacrificium voluisses ad expiandum peccatum, dedissem reverà, sed sola tibi placet cordis contritio; ubi opponens sacrificium contritioni, vult Psalmista, sacrificium non concurrere ad justificationem, sicut contritio. *Postea Ieremias* cap. 11. ait; *Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias, in quibus gloriata es?* Paulus denique præ cæteris ad Hebræos 10. dicit; *Impossibile est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.*

Probatur ex Patribus eadem veritas. Dionysius lib. de Hierarchia Ecclesiastica cap. 1. docet, Eccle-

siam esse mediam inter Synagogam & cœlestem patriam; quòd Synagoga carnalia sacramenta; umbras & figuras habuerit; cœlestis Jerusalem habeat nudam veritatem, sine ullis signis corporalibus; Ecclesia verò nostra cum utrâque communicet, quòd habeat signa corporalia & simul spiritualia dona. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 14. sic ait, comparando Sacramenta vetera cum novis, *Quid confers lavacra cum lavacris, quæ solam nominis appellationem habent communem; rerum verò tanta est differentia, quanta est inter somnia & veritatem; inter umbras & imagines, & inter ea quæ reverà sunt?* Eusebius Emissenus Homil. in Sabbato post primam dominicam Quadragesimæ, commentans hæc verba, *Faciamus hìc tria tabernacula*, dicit: *Primum tabernaculum est Synagoga, secundum est Ecclesia, tertium est Cœlum. Primum in umbra & figura fuit. Secundum in figura & veritate. Tertium in veritate sola. In primo via ostenditur, in secundo invenitur, in tertio possidetur; non enim Sacramenta Ecclesiæ, sicut sacramenta Synagogæ, medicinam tantùm docent & ostendunt, sed ipsa potiùs sunt medicina & remissio peccatorum.* Augustinus, qui lib. 2. de nuptiis & concupiscentia existimat Circumcisionem gratiam contulisse ex opere operato, de aliis sacramentis in Psalmum 73. ait, *Sacramenta non sunt eadem; quia alia sunt Sacramenta dantia salutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Testamenti dant salutem. Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Salvatorem.*

PROBATUR ratione. Ut Sacramentum aliquod possit justificare ex opere operato, seu ex vi operis externi, requiritur pactum & promissio divina; sed talis promissio pro veteribus Sacramentis non reperitur in Scriptura, neque in Conciliis, aut in Patribus: ergo talia Sacramenta non conferebant gratiam ex opere operato. Major est certa, nedum apud Catholicos, sed etiam apud hæreticos, Lutherum scilicet in assertione primi articuli, Philippum in locis anni 58. tit. de Sacramentis, Calvinum lib. 4. Institutionum cap. 14. ss. 3. & Kemnitium in parte secundâ examinis paginâ 42. ubi in definitione Sacramenti ponit, quòd habeat promissionem gratiæ, non cujuscumque, sed remissionis peccatorum. Minor probatur ex Apostolo ad Hebr. 8. ubi de Christo mediatore loquens Apostolus dicit, *Meliùs sortitus est ministerium, quanto & melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus promissionibus sancitum est.* Et posteà explicans, quæ sint istæ meliores promissiones novi Testamenti, adducit Jeremiam cap. 31. dicentem, *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor ampliùs.* Quasi diceret Paulus, promissiones nobis factas esse longè meliores veteribus; in quantùm nostræ sunt cœlestes & spirituales, illæ verò erant carnales & terrenæ, ut distinctè habet Augustinus in Psalmum 72.

CONFIRMATUR ratione alterâ. In quantùm scilicet distingui solet lex vetus à novâ, quòd illa non justificet, bene autem ista: ergo fieri nequit, ut Sacramenta, quæ ad legem veterem pertinebant, justificarent. Probatur antecedens ex Joannis 1. *Lex per Moysem data est, gratia per Iesum Christum*; quod falsum esset, si Sacramenta Mosaica justificassent. Deinde, lex vetus ad Corinth. 3. vocatur *littera occidens*, & nova *spiritus vivificans*, quod non esset verum, si justificarent sacramenta illius, sicut ista. Tertiò ad Galat. 4. illa in servitutem generabat & nostra libertatem attulit, quod de illa falsum esset, si ejus Sacramenta gratiam contulissent liberantem à servitute peccati. Tandem

A illa lex dicitur vetus Testamentum; quia pertinet ad veterem hominem, quem renovare non novit; nostra autem dicitur novum Testamentum, quia eum renovat per collationem gratiæ, ut ait Augustinus lib. 3. contra duas epistolas Pelagianorum. Propter hæc omnia non est dicendum, sanctos Patres veteris Testamenti non fuisse à peccatis justificatos virtute Sacramentorum Testamenti veteris: quia, si non obtinuerunt gratiam ex virtute operis operati Sacramentorum, ut probavimus; illam tamen habuerunt ex opere operantis, non solitariè sumpti, sed conjunctì cum Sacramento, ut clariùs patebit ex solutione objectionis sequentis.

OBJICIES: Si Sacramenta veteris legis non
B contulerint gratiam ex opere operato: ergo superflua, & planè inutilia erant; quia nec illam conferebant ex opere operantis, quoniam gratia, quæ dabatur piè, devotè, & cum charitate recipientibus, potiùs debebatur tali operi operanti, quàm Sacramento. Respondeo, negando consequentiam; licet enim pro tunc non essent propriè instrumenta, quibus conferebatur gratia; erant tamen saltem signa & conditiones sine quibus Deus statuerat gratiam non conferre, nec remittere peccata, ut habetur Genesis 17. *Masculus, cujus caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo.* Per quæ verba D.D. Augustinus, Gregorius, Bernardus, & Thomas non solùm intelligunt pœnam aliquam
C hujus vitæ, sed pœnam spiritualem, nimirum privationem gratiæ in præsenti sæculo & gloriæ in futuro. Hìc adduci potest dictum Isayæ 54. *His qui custodierint præcepta mea, dabo in domo mea locum nominatissimum*; ex quo patet, in antiqua lege Sacramenta non referri solummodò ad aliquid terrenum & temporale, sed etiam respiciebant finem aliquem supernaturalem. Nec dicendum, quòd, si in lege veteri fuissent promissiones gratiæ & gloriæ, sacramenta egissent ex opere operato: hoc enim non sequitur, quia illæ promissiones non erant factæ respectu Sacramenti in se considerati, sed potiùs respectu devotionis, quâ fideles ad Sacramentum accedebant; licèt interim Sacramentum esset
D tantùm conditio sine qua Deus nollet conferre gratiam, quod apertè declaratur ex Genesis 4. *Respexit Deus ad Abel & ad munera ejus*, quod denotat devotionem agentis esse causam meritoriam gratiæ, & sacrificium esse tantùm conditionem sine qua gratia non daretur.

OBJIC. 2. ex Levitici cap. 4. 5. & 6. *Anima quæ peccaverit, negando proximo suo depositum, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, sive rem perditam invenerit, & inficians pejeraverit, & quodlibet ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, convicta delicti reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere integra, & quintam insuper partem domino, cui damnum intulerat; pro peccato
E suo offeret arietem immaculatum, quem dabit sacerdoti, qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur ei pro singulis quæ faciendo peccavit.* Hinc colligitur, quòd si promittatur his verbis remissio cujuscumque peccati etiam, perjurii, quod gravissimum est, sacrificium conferat offerenti gratiam ex opere operato. Respondeo, sacrificia vetera profuisse quidem ad expiandum peccatum, quoad penam temporalem, & quoad legalem immunditiam; non verò quoad pœnas inferni, nisi quatenus junguntur cum protestatione fidei in Christum; aliàs non diceret D.Paulus ad Hebr. 10. *Impossibile est, sanguine hircorum & taurorum auferri peccata.* Quòd autem verba præallata sic debeant intelligi, quòd tollant solùm pœnam temporalem & non æternam,

æternam, patet ex hoc quòd aliàs deberent institui sacrificia pro omnibus peccatis, & illic instituuntur tantùm pro peccatis ignorantiæ contra cæremonias legis ex Levit. 4. & 5. & pro illis, quæ sunt circa damnum proximi in rebus externis, & pro perjurio procedente ex cupiditate habendi res alienas, Levit. 6. Pro aliis autem peccatis gravioribus, v. g. pro blasphemia, homicidio, idololatria, & aliis, nullum erat Sacrificium. Quòd si instent, ex Levit. 6. Sacrificio arietis expiari omne peccatum, quo peccare solent homines: non fit ibi mentio de omni peccato simpliciter, sed de omni peccato circa ablationem rei alienæ; alioquin non fuisset opus aliis sacrificiis. Si ergo Sacrificia vetera non expiabant omnia peccata simul, sed tantùm quædam; hoc denotat, quòd peccata expiabant solùm quoad immunditiam legalem, & temporalem pœnam, non quoad culpam & pœnam æternam; quia Deus non remittit quoad hæc unum peccatum sine alio, quoniam remittit illa per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ conferri non potest, si remaneat peccatum mortale, aliàs idem homo esset simul in peccato & in gratia.

Objicies. Vetera Sacramenta promittebant remissionem peccatorum, Levitici 4. 5. & 6. sed non possunt remitti peccata saltem mortalia sine infusione gratiæ: ergo gratiam ipsam promittebant: ergo conferebant ex se & ex opere operato. Resp. quòd duo sint in peccato; scilicet macula peccati quam contrahit anima per actum peccaminosum, & quæ in ipsâ remanet post actum peccati; & est pœna peccati; eo enim instanti quo quis in peccatum incidit, pœnam peccati meretur: Sacramenta autem vetera promittebant remissionem peccati, quantùm ad pœnam temporalem, concedo: quantùm ad culpam & pœnam gehennæ, nego. Quod patet per hoc, quòd sacrificia veteris legis remittebant tantùm aliqua peccata in particulari; si verò remisissent culpam peccati, omnia simul remisissent, non remittitur enim unum sine alio. Quòd si quis dicat, immolationem arietis omnia peccata remisisse; hoc verum est de omnibus peccatis commissis in ablatione rei alienæ, non verò de omnibus peccatis simpliciter.

Quæstio VII.

An Circumcisio contulerit gratiam ex opere operato?

Circumcisio præcipuum erat legis antiquæ Sacramentum, constans amputatione præputii ex institutione Divinâ. Data fuit à Deo ad designandam familiam Abrahæ & discernendos Judæos ab aliis gentibus, ex quâ familiâ oriundus erat Christus. Data etiam fuit ad deletionem peccati originalis. In eâ Circumcisione plura sunt notatu digna. Primò minister, de quo tenent communiter doctores, quemlibet, etiam fœminam, in necessariis saltem, potuisse circumcidere. Secundò instrumentum, quod erat aliquando culter lapideus, ut habetur Exodi 4. & Josué 5. licet potuerit etiam esse ferreus juxta D. Thomam, cùm nusquam lapideus præscriptus fuerit, & adhuc Judæi circumcidere faciant pueros chirurgorum manu, & cultro ferreo. Tertiò tempus, quod erat octavus dies à Nativitate, juxta illud Levitici, *Die octavo circumcidetur puer*; & hoc tempus non poterat anticipari; unde imminente periculo, si infantes essent moribundi ante octavum diem, utebantur parentes remedio legis naturæ sicut

A utebantur pro fœminis; quòd si posteà convaluissent parvuli, debebant circumcidi, non quidem in deletionem peccati, quia jam sublatum erat; sed in observationem præcepti, & ut infantes in populo Dei annumerarentur. Licet tamen Circumcisio non posset anticipari, poterat tamen differri occurrentibus legitimis causis, v. g. morbo, aut alio mortis periculo: Sic pueri Hebræorum in deserto nati, ob iter continuum, & novas quotidie castrametationes, manserunt incircumcisi spatio quadraginta annorum, quibus fuerunt in deserto; sic Josue 5. & pro tunc probabile est, quòd usi fuerint remedio legis naturæ contrà originale peccatum. Ubi sciendum, quòd si octavus dies in Sabbatum incideret, in eo

B non minùs fiebat Circumcisio. Quartum tandem quod est notatu dignum in Circumcisione, erat nominis impositio; Deus enim Circumcisionem instituens, mutavit nomen Abram in Abraham, & Sarai in Sara; hinc Judæi soliti erant dare nomina pueris in Circumcisione.

Conclusio.

Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato. Sic Scotus in 4. dist. 1. quæst. 6. Alensis 4. par. quæst. 5. memb. 3. Gabriel ibid. q. 4. art. 1. Paludanus dist. 1. q. 5. art. 4. Durandus dist. 1. q. 5. & 6. Sic etiam Augustinus lib. 2. de nuptiis & con-

C cupiscentiâ; *Ex quo*, inquit, *instituta est Circumcisio in populo Dei in purgationem hujus peccati veteris, valebat magnis & parvulis, sicut Baptismus cœpit valere ex quo institutus est*: ergo sicut Baptismus confert gratiam ex opere operato, sic & Circumcisio. Idem etiam habet libri 4. de Baptismo cap. 24. *Præceptum est Abrahæ, ut circumcideret parvulos, quia ipsum Sacramentum multùm per se valet*; quæ particula, *per se*, denotat collationem gratiæ ex opere operato. Idem Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 72. habet, *Antiquus populus Dei Circumcisionem pro baptismo habebat.* Similiter Gregorius lib. 4. Moralium cap. 2. ait: *Quòd apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud*

D *veteres, pro iis, qui de stirpe Abrahæ prodierunt, mysterium Circumcisionis.* Omissis aliis Patribus, nimirum Prospero epist. ad Demedriadem, Fulgentio cap. 5. de Incarnatione, Isidoro, Bedâ, Bernardo, Ruperto, & similibus, adduci potest Innocentius 3. qui cap. *Majores, extra de baptismo* dicit, culpam olim remissam fuisse per Circumcisionis mysterium, Baptisma Circumcisioni successisse, & confert posteà verba Genesis 17. *Masculus, cujus caro præputii circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*, cum verbis Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*: unde post hæc explicans Circumcisionis & Baptismi effectus, addit:

E *Etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cælorum, quod usque ad mortem Christi fuit obseratum omnibus.* Ubi ex collatione Circumcisionis cum Baptismo, patet ex illo Summo Pontifice, quòd sicut Baptismus confert gratiam ex opere operato, sic & illam communicabat Circumcisio.

Probatur ratione nostra conclusio; quia, si Circumcisio conferret gratiam tantùm ex opere operantis; vel esset respectu operis operantis eorum qui Circumcisionem recipiebant; vel respectu operis operantis ministri: sed hoc non potest dici respectu operantis ministri; Circumcisio enim erat valida, etiamsi per infideles & Samaritanos conferre-

tur, ut notat Augustinus lib. 1. contra Cresconium: Non producebat etiam gratiam ex opere operantis recipientium, quia erant communiter parvuli qui non poterant mereri nec demereri: ergo nec producere opus operans, cujus intuitu reciperent gratiam; unde superest, quòd asseramus circumcisionem producere gratiam ex opere operato: quod debet intelligi, nedum de infantibus, sed etiam de adultis, juxta verba Genesis 17. quæ sunt generalia: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo*; ubi enim non discernit Scriptura de infantibus & adultis, sic neque nos debemus distinguere: Ratio nostra est, quòd sicut remedium legis naturalis conferebat gratiam ex opere operato omnibus, ut sentiunt plurimi; & taliter operatur Baptismus in lege novâ; sic & in lege veteri Circumcisio conferebat gratiam ex opere operato, tàm adultis, quàm parvulis, ut tradit Scotus cum plurimis in 4. dist. 1. quæst. 6. num. 11. & præcitatus Augustinus dicens, *Ex quo instituta est Circumcisio in populo Dei in purgationem peccati veteris, valebat magnis & parvulis, sicut baptismus cœpit valere ex quo institutus est.*

Objicies. Circumcisio ex Apostolo *non est reputata Abraha in justitiam*: ergo non contulit illi gratiam. Resp. Circumcisionem dupliciter spectari posse: Primò, ut est quædam externa ceremonia, quâ fiebat scissio præputii, & tunc non erat destinata ad conferendam justitiam, sed distinguebat tantùm posteros Abrahæ, scilicet Judæos, à Gentilibus: Secundò, sumitur quatenùs illa ceremonia conjungebatur cum protestatione fidei in Christum venturum, & tunc delebat peccatum originale, & gratiam conferebat ex opere operato. In primâ acceptione intelligendi sunt Patres dicentes Circumcisionem nihil profuisse, & esse tantùm infirmum & egenum elementum. Dicendum ergo est, quòd Circumcisio primariò instituta fuerit, ut esset signaculum fœderis quod pepigit Deus cum Abrahamo, & distinctivum posteritatis & familiæ Abrahæ à reliquis populis; secundariò tamen instituta, fuit in remedium peccati originalis pro masculis, qui circumcidi debebant, non ante octavum diem; licet, si aliquando facta fuisset ante diem prædictum, fuisset valida, cùm juxta D. Bonaventuræ mentem in 4. distinct. 1. part. 2. art. 2. quæst. 2. tale tempus determinatum, esset tantùm necessarium quo ad observantiam legis, non verò quo ad efficaciam; estò, ut anteà diximus in annotatione, non debuerit anticipari tempus illud, sed adhiberi legis naturæ remedium.

Objicies secundò: Infantes post Circumcisionem decedentes cælum non ingrediebantur, quod signum est non contulisse gratiam. Resp. quòd si non intrarent cælum, non erat ex defectu Circumcisionis, sed quia nondum pretium solutum erat; & ob hoc non poterat cælum aperire. Si dicas, Ergo Circumcisio non differt à Baptismo. Resp. ideò differre, quia majorem confert Baptismus gratiam: sic intellige Patres dicentes eam non conferre gratiam; idest, comparatè ad Baptismum, quatenus non tantam conferebat gratiam, quantam Baptismus confert. Si inferatur: Ergo lex vetus non differt à novâ, si Sacramenta veteris legis conferebant gratiam ex opere operato; Resp. differre in Sacramentis purè Mosaïcis; Circumcisio autem pertinet tùm ad legem naturæ, quoniam data est tempore Abrahæ, tùm ad legem scriptam, quia in eâ perseveravit. Idem dicendum est ad Concilium Florentinum, ubi in decreto de Armenis Patres, volentes assignare distinctionem inter Sacramenta vetera & nova, dicunt: *Illa non causabant gratiam, sed eam solùm per passionem Christi dandam figurabant, hæc verò nostra & continent gratiam & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Similis, inquam, responsio adhibenda est, quòd scilicet Sacramenta veteris legis non contulerint quidem gratiam sanctificantem; hoc tamen esse particulare Circumcisioni, quæ non erat Sacramentum purè Mosaïcum, quoniam data fuerat tempore Abrahami, quo nondum erat Moyses, qui fuit tantùm quingentis ferè annis posteà; unde Joannes cap. 1. dicit, Circumcisionem non esse ex Moyse, sed ex Patribus. Porrò, idem dicendum est de remedio legis naturæ ac de Circumcisione, quòd scilicet tale remedium gratiam contulerit ex opere operato.

Quæstio VIII.

An Sacramenta conferant gratiam vel moraliter vel physicè?

Divus Thomas Sacramenta vocat causas instrumentales physicas gratiæ, in quantùm vult ipsa gratiam physicè producere per modum instrumenti physici: antequam verò detur nostra opinio, sciendum est, quòd Sacramenta possint intelligi quadrupliciter conferre gratiam. Primò ad modum causæ sine quâ non, itaut dicantur signa externa, quibus positis Deus dicatur conferre gratiam: sicut v. g. sigillum repræsentatum eleemosinario esset signum ad recipiendam eleemosinam. Secundò, possunt dici causæ mediatæ gratiæ, ita quòd non attingant gratiam, sed vel producant caracterem in animâ, vel ornatum aut dispositionem in eâ, ad cujus positionem gratia producitur. Tertiò, possunt intelligi gratiam producere physicè, ita quòd reali & physico influxu gratiam producant. Quartò tandem, intelligi potest quòd moraliter gratiam conferant, quatenùs scilicet movent causam physicam, nempè Deum, ut gratiam producat in animâ illius qui Sacramentum suscipit. Si Sacramenta producerent gratiam primo modo, ut denarius plumbeus, quo exhibito datur aliqua merces pro labore, propriè Sacramenta non producerent gratiam, sicut nec denarius exhibitus producit mercedem; quod est contrà Concilia, præsertim Tridentinum, dicens; *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non conferre gratiam, Anathema sit.* Asserere etiam Sacramenta esse causas mediatas gratiæ, in quantùm producunt caracterem, vel dispositionem in animâ, quibus positis Deus infunderet gratiam, hoc æquè esset contra Concilia, determinantia Sacramenta gratiam conferre; licet enim homo generans producat ultimam organisationem corporis, quâ positâ anima rationalis infunditur, non proptereà dicitur animam producere. Tota ergo difficultas consistit, an Sacramenta conferant gratiam physicè, ut vult D. Thomas; vel moraliter, ut sentit Scotus; producere autem moraliter, est movere causam physicam, vel jussu, vel prece, vel consilio, vel merito, ad aliquid producendum.

Conclusio.

Sacramenta non producunt gratiam ut causæ physicæ, sed ut causæ morales; quatenùs impetrant à Deo gratiam, quam ipsemet Deus statuit dare infallibiliter, quotiescumque hæ actiones religiosæ exercerentur. Sic Scotus in 4. dist. qu. 5. num. 12. & 13. D. Bonaventura in 4. dist. 1. p. 1.

art. 1. q. 4. ad 2. quæst. lateralem. Altissiod. lib. 4. tract. 3. Durandus dist. 1. q. 4. Canus de Sacram. in genere part. 4. Ledesmius, & plures alii.

Probatur conclusio; primò, quia ex D. Thomâ 1. parte quæst. 45. art. 5 creatura non potest creare, neque principaliter, neque instrumentaliter, saltem physicè; quia creare est potentiæ infinitæ; sed Sacramenta sunt creaturæ: ergo non possunt producere gratiam ut causæ physicæ; quoniam gratia habet esse per creationem. Secundò, quia causæ physicæ non producunt gratiam, nisi quando actu existunt; sed Sacramenta conferunt gratiam aliquando pro eo tempore quo non ampliùs existunt; Augustinus enim & D. Thomas q. 69. art. 10. aiunt, si quis hodie fictè reciperet Baptismum, idest, non attritus, nec volens atteri, reciperet rem & caracterem Baptismi; & si cràs deponeret fictionem, idest, attereretur, reciperet cràs gratiam virtute Baptismi hodie suscepti. Tertiò, quia Sacramenta non sunt nobilioris conditionis quam Christus; sed Christus non causavit gratiam per veram & physicam efficientiam, sed tantùm per influxum moralem, in quantùm meruit à Patre, ut daret gratias hominibus intuitu suæ mortis: ergo nil mirum est, si dicamus, Sacramenta conferre tantùm gratiam moraliter. Quartò, quia eodem modo Sacramenta conferunt gratiam habitualem, quo gratias actuales sacramentales tribuunt; sed istas causant moraliter, quandoquidem dantur, quando sacramenta amplius non sunt: ergo non conferunt physicè gratiam habitualem, quoniam causa physica, etiam instrumentalis, debet existere, quando producit effectum. Quintò, Baptismus, qui fictè recipitur, recedente posteà fictione, confert gratiam habitualem; sed non potest pro tunc illam causare per efficientiam physicam, quandoquidem non ampliùs existit: ergo est tantùm causa moralis. Sextò, Sacramenta sunt successiva, quia constant partibus sibi invicem succedentibus; sed talia entia non possunt producere suos effectus physicè: ergo tantùm moraliter. Probatur minor. Si conferrent gratiam physicè, vel id facerent secundùm se tota, vel secundùm aliquam sui partem. Non secundùm se tota, quia taliter nunquam existunt, quoniam sunt successiva. Non etiam secundùm aliquam sui partem, quia talis pars operaretur, vel suâ solâ propriâ virtute, vel virtute præcedentium. Non ex se solâ, quia sola non est Sacramentum, ad quod pertinet gratiam conferre. Non etiam virtute præcedentium, quæ non sunt ampliùs nec proinde possunt agere physicè: ergo producunt gratiam tantùm moraliter.

Confirmatur nostra conclusio ex Patribus, Cypriano Sermone de Baptismo Christi dicente, *Remissio peccatorum, sive per Baptismum, sive per alia sacramenta donetur, propria Spiritûs sancti est, & ipsi soli hujus efficientiæ privilegium manet. Verborum solemnitas & sacri invocatio nominis, & signa sacerdotum ministeriis attributa visibile celebrant Sacramentum; rem verò Sacramenti format & efficit Spiritus sanctus.* Quasi diceret, solum Deum esse causam efficientem gratiæ, & Sacramentum esse causam moralem instrumentalem ipsius, ubi Christus est causa principalis & meritoria, cur gratia tribuatur Sacramento, tanquam causæ instrumentali morali. Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 26. ait, *Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum; orabant quippe, ut veniret in eos, quibus imponebant manum, non ipsi eum dabant.* Idem habet epistola 23. *Aqua exhibet forensecus sacramentum gratiæ, Spiritus vero operatur* A *intrinsecus gratiæ beneficium & solvit vinculum culpæ.* D. Bernardus Serm. de Cœna domini habet: *Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, ita gratiarum divisiones traditæ sunt* Sacramentis. Cùm ergo liber, baculus, & annulus, non agant physicè, sed tantùm moraliter, idem sentiendum est de Sacramentis. Quod ulteriùs probari potest ratione novâ: in quantum scilicet efficacia Sacramentorum fundatur in illorum significatione, quatenus efficiunt id quod significant; sed Sacramentorum significatio est tantùm moralis, quoniam dependet ex institutione Christi, nec est signum naturale: ergo fundat tantùm efficaciam moralem. Nec refert, quòd Sacramenta dicantur causæ propriæ respectu gra- B tiæ: nam causa moralis est verè & simpliciter causa, juxta Philosophos, qui inter quatuor causarum genera, moralem reponunt. Nam licet non concurrat per influxum physicum, ità tamen se habet, ut effectus ei meritò imputetur; unde peccator dicitur causa suæ damnationis, Sancti dicuntur verè operari miracula, judex verè liberare captivum jubendo carcerem aperiri, & sic de aliis. Imò nec ipsa humanitas Christi aliter dicitur in gratiam influere, quàm meritoriè & moraliter: nec debet perfectior causalitas tribui Sacramentis, quàm humanitati & passioni Christi, cujus sunt instrumenta.

Objicies ex Scriptura & Patribus. Homo dicitur renasci ex aqua & per aquam, habere gratiam per impositionem manuum, Eucharistia vi- C tam dare recipientibus, quæ omnia physicum prorsus redolent influxum. Respondeo, per has locutiones intelligi tantùm, quòd sacramenta nostra non sint nuda signa & vacua, ut imagines, sed concurrant efficaciter, tanquam causæ instrumentales morales, non vero physicæ. Licet enim dicatur communiter, signum crucis, exorcismos, & aquam benedictam, fugare dæmones; non tamen sequitur, quòd ad talem effectum concurrant physicè, sed solùm moraliter objectivè; quatenus in talibus signis externis apprehendunt Christum, tanquam suum adversarium, cujus metu fugiunt illicò. Idem dicendum est ad concilia Florentinum & Trident. quæ dicunt, sacramenta nova gratiam D continere, gratiam conferre, & esse causas instrumentales gratiæ producendæ, quæ verba sonare videntur efficientiam physicam; nam per talem modum loquendi intelligitur, quòd gratiam contineant & conferant moraliter, tanquam instrumenta moralia, quia ex divinâ institutione certò & infallibiliter illam conferunt: nedum enim in physicis, sed etiam in moralibus dantur instrumenta, quemadmodum sunt aliæ causæ physicæ, & aliæ morales. Quando etiam dicitur sacramenta gratiam conferre ex opere operato; hoc est ex opere operato, non physico, sed morali, quod consistit in hoc, quòd posito signo externo, tanquam morali causâ, ponatur infallibiliter ex divina institutione E effectus, nimirum gratia, quæ efficitur à Deo, tanquam à causâ physicâ; à Christo tanquam à causâ principali morali, seu meritoriâ; & à sacramento, tanquam à causâ morali instrumentariâ.

Objicies ex Patribus. D. Leo Serm. 5. de Nativitate asserit, *virtutem Altissimi, quæ fecit, ut Maria pareret Salvatorem, facere quoque, ut unda regeneret credentem*; at qui ad formandum Christum, physicè concurrit Maria: ergo. D. Cyrillus cap. 42. lib. 2. in Joannem inquit, *Sicut aqua igne calefacta posteà efficit calorem, sic etiam aqua Spiritûs sancti operatione elevata abluit baptizatum.* D. Augustinus denique Tractatu 81. in Joannem habet, *Tanta*

virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat. Respondeo comparationes claudicare in aliquo communiter. In hoc ergo se tenent istæ, ut sicut beata Virgo verè & realiter peperit Salvatorem: sicut aqua calefacta verè & realiter calefacit; & sicut aqua verè & realiter corpus tangit: sic verè & realiter unda baptismi regenerat, abluit baptisatum, & corpus tangendo abluit cor. Deinde, licet in omnibus Sacramentis inveniatur aliqua actio physica; ut in Baptismo ablutio corporis, in Confirmatione unctio ex oleo, in Ordine impositio manuum, in sumptione Eucharistiæ actio specierum in gustum, & in aliis Sacramentis, saltem prolatio verborum, & declaratio nutûs, quæ omnia sunt physicæ operationes; non tamen reperitur Physica productio gratiæ, de quo solùm est quæstio.

Objicies. Si Sacramenta producant gratiam tantùm moraliter; maximè quia movent voluntatem Dei ad eam producendam; sed voluntas divina, cùm sit Deus ipse, non potest moveri à creaturâ: ergo Sacramenta non producunt gratiam moraliter. Resp. quòd reverà creatura non potest esse causa volitionis divinæ quâ velit gratiam creare ad receptionem Sacramenti, quia talis volitio est ab æterno, & nihil temporaneum potest esse causa actionis æternæ; sed creatura per receptionem Sacramenti potest esse causa actûs, quo gratiam producat in tempore; & talis actus est tantùm respectus rationis, sicut creatio mundi, prædestinatio Petri, reprobatio Judæ, & providentia circa omnes creaturas.

Instabis. Quando v. g. amicus regis movet ipsum regem precibus, ut parcat alicui reo; preces illius amici non tantùm movent regem ad actum quo veniam indulget, sed etiam ad volitionem, quâ rex vult dare veniam: ergo à pari, quando Sacramenta, ut causæ morales impetrant gratiam à Deo, non tantùm movent Deum ad actum externum quo dat gratiam, sed etiam movent ad actum internum quo Deus vult dare illam gratiam; & sic volitio divina est causata à creaturâ. Resp. concedendo comparationem, sed valet tantùm respectu agentium creatorum, non verò respectu Dei; causa enim moralis aliter operatur respectu creaturæ, & respectu Dei; respectu enim Dei est tantùm causa actûs externi, non verò interni, quia increatus est; respectu verò creaturæ, causa moralis quæ movet, est causa, tùm actûs interni, quo voluntas se determinat ad volendum; tùm actûs externi, quo causa principalis aliquid operatur.

Objicies. Si Sacramenta producunt tantùm moraliter gratiam; est potiùs Deus qui ad præsentiam Sacramentorum gratiam producit, quàm ipsa Sacramenta: & sic Sacramenta sunt tantùm signa vacua, quæ nullam habent excellentiam supra Sacramenta legis Mosaïcæ. Resp. negando consequentiam, quia Sacramenta nostra reverà sunt plena gratiæ, quatenùs illam impetrant; sicut v. g. passio Christi dicitur propriè causa gratiæ, quia per passionem Christus nobis gratias meruit: non est ergo par ratio de denario plumbeo, quo exhibito datur merces; quia talis denarius non est impetratorius, nullum enim habet meritum: Sacramenta autem sunt meritoria & impetratoria, quia continent ipsum Christum vel realiter, ut in Eucharistia; vel virtualiter, ut in aliis Sacramentis, quæ fundantur in virtute sanguinis Christi, ut constat ex 6. ad Rom. *Quicumque baptisati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptisati sumus.*

Objicies. Si Sacrámenta non producunt gratiam physicè, sed potiùs Deus ad receptionem Sacra-

A menti: ergo sacerdos non potest dicere, Ego te absolvo, sed potiùs Deus est qui te absolvit ad præsentiam sacerdotis & Sacramenti. Resp. negando consequentiam, quia minister non profert verba absolutionis tantùm concionatoriè & declaratoriè; sed ea profert efficaciter & juridicè per potestatem sibi traditam, licet non physicè attingat effectum: quia tamen necessitat Deum conferre gratiam ex pacto, debet dicere, Ego te absolvo; sicut is qui cogit custodem carceris ad aperiendam januam, dicitur incarceratum liberare; sicut etiam rex dicitur reum absolvere, qui jubet eum absolvi.

Objicies ultimò. Si Sacramenta conferrent

B gratiam tantùm moraliter, talis modus producendi gratiam esset similis illi modo quo maleficus arte Dæmonis operatur maleficia; non sunt enim verba quæ efficiunt maleficium, sed ipse Dæmon ad prolationem verborum. Resp. quòd per exempla turpia non debeant explicari mysteria divina: est tamen aliqua similitudo, ex quâ colligitur iniquitas & superbia Dæmonis; videns enim Diabolus Deum instituisse aliqua signa quibus pollicitus est gratiam ad sanctificationem animarum; sic etiam Dæmon, adinstar Dei, voluit instituere signa sensibilia, quibus promisit assistere suis Magis ad maleficia facienda in ruinam animarum: hoc autem agit Dæmon, ut sicut Deus per Sacramenta honoratur, ita & ipse Diabolus colatur per maleficia. Licet autem inter utrumque modum producendi sit aliqua similitudo, est tamen disparitas; quia signa Diaboli non sunt

C signa infallibilia, sunt enim aliquando falsa & illusoria. Adde quòd illa signa Diaboli non sunt impetratoria, sicut Sacramenta, quæ infallibiliter gratiam impetrant, ratione contenti, scilicet Christi; quem continent vel realiter, vel virtualiter, ut diximus in secundâ objectione.

Quæstio Ultima.

An Sacramenta imprimant caracterem?

Posquam egimus de gratiâ, quæ est primarius Sacramentorum effectus, de caractere superest agendum, qui est secundarius effectus aliquorum.

D Caracter autem græcè idem est ac signum latinè, quo una res distinguitur ab aliâ. Definitur autem caracter, signum spirituale indelebile, quo fideles Christo consignantur, & ad ipsius cultum destinantur: qui enim tali caractere sunt insigniti, sunt quasi ipsius gregis, & ab aliis distinguntur.

Conclusio.

Non omnia Sacramenta conferunt caracterem, sed tria tantùm: Baptismus nempè, Confirmatio, & Ordo. Sic Conc. Trid. sess. 2. can. 9. de Sacramentis in genere. Quia Christianus tripliciter distinguitur ab alio; primò, ut

E Christianus simpliciter à non Christiano, & hoc habet per caracterem Baptismi; secundo, ut fortis miles ab infirmo, quod habetur per Confirmationem; tertiò, ut perfectus à non perfecto, & tales designantur per caracterem Ordinis. Ratione talis caracteris, qui est indelebilis, & nullo peccato obliterari potest, Sacramenta quæ conferunt tales caracteres non possunt iterari. Quia etiam tales caracteres sunt indelebiles, non solùm manent in hâc vitâ, sed perseverant in animabus beatorum & damnatorum; in illis ad majorem ornatum & splendorem, in his verò ad majorem ignominiam. Quoad

effectus caracteris, tres sunt, quos producit in animâ; primò enim per caracterem confertur quædam potestas spiritualis ad ea peragenda quæ spectant ad cultum divinum; quæ quidem potestas vel est passiva ut in Baptismo, quo homo redditur idoneus ad alia Sacramenta licitè vel validè suscipienda; vel est activa, ut in Ordine, quo homo fit idoneus ad Sacramenta aliis ministranda, & in Confirmatione, quâ est idoneus ad fidem profitendam. Secundò, caracter configurat hominem Christo, à quo, tanquam à summo sacerdote, derivatur omnis potestas spiritualis; & sic, qui aliquo Sacramentali caractere insigniti sunt, efficiuntur Christo similiores, quàm alii. Tertiò, tandem caracter discernit eos, qui ipsum receperunt ab aliis; unde per totam æternitatem distinguetur Baptisatus à non Baptisato, Confirmatus à non Confirmato, & Ordinatus à non Ordinato.

Veritatem hujus conclusionis contestantur hæretici, & circa illam Catholici opinantur diversimodè. Calvinus enim in Antidoto Concilii Tridentini sess. 7. Can. 9. Kemnitius 2. Parte Examinis pag. 129. & alii, contendunt, per Sacramentum nullum conferri caracterem, quia nulla fit mentio illius in Scripturâ, nec apud Patres; imò proclamant, tanquam excogitatorem caracteris, Innocentium III. Summum Pontificem, qui multa mala, secundùm Kemnitium, decrevit & fecit, maximè excommunicando & deponendo Othonem, quem antea creari imperatorem curaverat. Sed duo hæc pura esse mendacia constat; nam primò ipsemet Innocentius Cap. Majores Extra de Baptismo refert opinionem quorumdam dicentium, eos qui inviti baptisantur, recipere tantùm caracterem, ut fictè baptisatos: ergo non adinvenit impressionem caracteris. Quòd etiam prædictus Pontifex malus non fuerit; nedum apparet ex Libro de contemptu mundi, ex Epistolis & Sermonibus ab illo editis, immò ejus pietas relucet, nedum etiam ex Historiographis Italicis, Blondo, Platinâ, & aliis, à quibus laudatur; sed præsertim ex Alberto Krantio, qui eùm scripserit ante Lutheranas contentiones, nec odio ducebatur, nec amore; ipse tamen lib. 9. Metropolis cap. 1. de illo loquens dixit, *Multa laudabilia scripsit & constituit.* Et lib. 12. cap. 2. *Præfuit*, inquit *Innocentius III. Pontifex, cui parem doctrinâ, rerum magnificentiâ, ætas illa non habuit.* Tandem lib. 7. Saxoniæ scribit, Othonem imperatorem fuisse ecclesiæ rebellem; ex quo, cùm nulla ipsi prospera successissent, tantum concepit dolorem in morte, ut à famulis, in signum pœnitentiæ, collum suum voluerit pedibus conculcari. Quod certè contra Kemnitium denotat, non Papam errasse, sed Imperatorem. Idem confirmat Abbas Urspengensis, etiam Germanus, tempore Innocentii degens; hic, licet non benè affectus erga Innocentium, loquens de excommunicatione Othonis ait, Othonem contra juramentum D. Papæ factum invasisse hostiliter, & sibi usurpare voluisse patrimonium S. Petri; quod ultrò Papa pro bono pacis tolerare voluit, nec ullo modo potuit obstinationem Othonis flectere. Hoc evidenter demonstrat calumnias Kemnitii, qui solum hunc allegat Abbatem contra Innocentium.

Quantùm ad Catholicos; omnes admittunt unanimiter, Caracterem conferri in tribus præallegatis Sacramentis; licet disconveniant in assignandâ ratione essentiali ipsius. Durandus enim dist. 4. qu. 1. contendit, caracterem esse tantummodò respectum extrinsecum, seu relationem rationis, quâ homo intelligitur deputatus ad peculiarem Dei cultum, A sicut apud homines aliquis dicitur fieri judex, vel prætor ex commissione regis: sed hæc opinio contraria videtur Conciliis Florentino & Tridentino, ubi caracter vocatur signum spirituale, indelebiliter animæ impressum; quæ intelligi non possunt, nisi de ente reali, non verò de ente rationis. Scotus in 4. dist. 6. quæst. 6. agnoscit quidem caracterem esse ens reale, sed existimare videtur, esse tantùm relationem realem, non verò qualitatem absolutam; quia caracter est signum, & signum est de genere relativorum. Sed si Doctor noster maturè examinetur, licet admittat relationem realem inter caracterem & munia ad quæ destinatur caracterisatus; non B tamen negat, quin hæc relatio habeat pro fundamento suo qualitatem spiritualem, in qua fundetur talis potentia ad horum muniorum executionem; sicque fatetur caracterem consistere præcisè in qualitate spirituali. Et hoc cum cæteris Catholicis, qui statuunt, caracterem nihil esse aliud, quàm qualitatem quandam supernaturalem, animæ impressam indelebiliter, quâ insigniuntur ii, qui ad specialem Dei cultum sunt destinati. Quòd caracter non sit tantùm denominatio extrinseca, patet ex ipsismet hæreticis, admittentibus quidem denominationem aliquam extrinsecam in anima baptisati, resultantem ex Baptismo, quam initerabilem vocant, attamen caracterem rejiciunt, sicque C Caracter non consistit in tali denominatione. Quòd etiam Caracter non sit relatio realis, probatur ex hoc, quòd esset relatio, vel transcendentalis, vel categorica; non est autem transcendentalis, quia hæc non distinguitur realiter à subjecto; uti distinguitur caracter: non est etiam categorica, quia ad illam non datur motus, ubi caracter imprimitur animæ, & non resultat ex extremis, sed libere imprimitur à Deo, ut verba conciliorum denotant: ergo caracter non est relatio, sed induit rationem qualitatis, juxta communem mentem Catholicorum.

Hanc qualitatem reponunt aliqui in secunda specie, ut D. Bonaventura in 4. dist. 6. art. 4. Alensis 4. parte quæst. 19. num. 4. & Suares in 3. part. disput. 11. quia, ut aiunt, caracter afficit subjectum D in quo est, & illud disponit ad aliquos effectus producendos & conservandos. Alij, ut Marcillius in 4. dist. 4. art. 4. probabile sentiunt, quòd caracter sit de quarta specie qualitatis, ad formam vel figuram pertinens, in quantùm caracter nos configurat Christo; sed forma & figura apud Philosophos sunt quid corporeum quantitatem terminans; caracter verò nos configurat Christo secundùm animam, ut signum spirituale. D. Thomas, Cajetanus, Soto, de Valentia, & alij, probantes primò, caracterem non esse de prima, tertia, aut quarta specie qualitatis, concludunt tandem, ipsum ad secundam pertinere, nempe ad potentiam activam, vel passivam, ministrandi vel recipiendi alia sacramenta, aut denique exequendi cultum divinum. Scotus deE nique in 4. dist. 6. quæst. 9. num. 18. probabilius reputat, caracterem spectare ad tertiam speciem qualitatis, nimirum ad patibilem qualitatem & passionem: non quatenus in ea reponuntur solùm qualitates sensibiles & corporeæ, sed etiam spirituales, quæ principaliter dantur ad ornatum animæ, quod non potest negari de caractere, qui maximè exornat animas illorum, qui nobiliori titulo ad familiam Christi deputantur. Porro, non inconveniens est dicere, caracterem juxta diversas rationes formales, quas induit, ad diversas reduci species qualitatis; ita ut ad figuram pertineat, quatenus nos configurat Christo spiritualiter: ad patibilem qualitatem, quatenus ornat spiritualiter animam: ad na-

turalem potentiam, quatenus dat potentiam conficiendi & recipiendi Sacramenta: ad habitum denique, in quantùm suum subjectum facilitat, ut in executionem suorum muniorum prorumpat. Quantum ad subjectum Caracteris, tenetur communiter, quòd resideat in anima tanquam in subjecto remoto; sed de subjecto proximo disconveniunt D. Thomas & Scotus; ille enim in 3. p. quæst. 63. art. 4. ipsum constituit immediatè in intellectu; Scotus verò in 4. dist. 6. quæst. 11. num. 4. ipsum collocat in voluntate, quia est quædam dispositio ad gratiam baptismi & aliorum Sacramentorum recipiendam.

Quòd detur Caracter, nemo Catholicus dubitat; imò Præpositus quæst. 63. art. 1. malè imponit Scoto, quòd existimaverit, doctrinam de Caractere esse tantummodò probabilem. Fatetur quidem Doctor subtilis, nullum posse convinci de veritate Caracteris, nec ex Scriptura, nec ex expressis Patrum authoritatibus, quin juxta alium sensum explicari possint, ut ipse notat in 4. dist. 6. qu. 9. num. 13. Videns tamen ipse Innocentium III. *cap. majores* de baptismo, qui determinaverat tribus Sacramentis Caracterem conferri, ideò concludit num. 17. *Quòd sit necessitas admittendi Caracterem, quia Ecclesia ponit; sufficit enim authoritas Ecclesiæ.* Et ibi subjungit dictum Augustini, libri contra Epistolam Fundamenti cap. 5. dicentis, *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret authoritas.* Hæc Innocentii III. determinatio posteà confirmata fuit per definitionem solemnem duorum Conciliorum Oecumenicorum, Florentini videlicet in Decreto de Armenis, & Tridentini sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, ubi expressè pronuntiaverunt Patres, in tribus præallegatis Sacramentis conferri Caracterem. Positâ ergo istâ determinatione Ecclesiæ, existimandum est, quòd Scripturæ & Patres loquentes de Caractere, intelligi debeant eo sensu, quo nos ipsi Caracterem admittimus conferri per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem. Hi textus Scripturæ reperiuntur apud D. Paulum 2. ad Corinth. 1. *Qui unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus spiritûs in cordibus nostris.* Ubi Apostolus agens de Baptismo, vel de Confirmatione, juxta alios, tres effectus notat, nimirum unctionem per gratiam, obsignationem per caracterem, quo deputamur ad cultum Dei; & dationem pignoris, seu testimonium bonæ conscientiæ. Similiter loquitur de caractere ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Sic adhuc ad Ephes. 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.*

Quantùm ad Patres, suppositâ etiam determinatione Ecclesiæ, intelligendi sunt de Caractere nostro, dum Caracterem reverà commemorant; nimirum Cyrillus Hierosolimitanus Catechesi 4. *Spiritus sanctus tempore Baptismi animam tuam obsignat.* Basilius Orat. 13. quæ est Exhortatio ad Baptismum, hoc Sacramentum vocat *Signaculum inviolabile.* Gregorius Nazianzenus Orat. in sanctum Lavacrum, dicit *Baptismum esse sigillum, quo conservantur fideles, & quo, tanquam signo, cognoscimur esse Dei possessio.* Chrysostomus Homil. 2 in Epistolam ad Ephes. *Signati sunt Israëlitæ, sed Circumcisionis notâ, ut pecora; nos autem, ut Filii, signati sumus Spiritu sancto.* Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto cap. 6. *Spiritu signamur, ut splendorem atque imaginem ejus & gratiam possimus tenere, quod est utique speciale signaculum.* Augustinus denique lib. 6. de Baptismo cap. 1. loquens de Baptisato ab hæreticis, ait, *Dominicum caracterem à fal-*

A *lacibus deprædatoribus suis foris acceperat.*

Quantùm denique ad rationes hujus veritatis; nulla equidem convincens potest adduci, nisi sola Christi voluntas, quæ nobis innotescit per traditionem, & per authoritatem Ecclesiæ; attamen tria hæc argumenta adhiberi possunt ad corroborationem nostræ conclusionis. Primum, quòd Deus in hoc suam liberalitatem commendet supra homines, quòd isti injungentes aliquibus quoddam officium, non tribuant illis aliquid, quo fiant apti ad illud; sicut nec quando diligunt aliquem, faciunt illum bonum, sed illorum amor in solâ denominatione extrinseca consistit. Deus autem, aliquem diligendo, ipsum facit pulchrum & bonum per infusionem gratiæ: cùm vult etiam sibi credi, in se sperare, & se diligi, infundit habitum fidei, spei, &
B charitatis: sic etiam, cùm aliquem deputat ad Sacramenta conferenda, vel alia ministeria exequenda, infundit aliquas qualitates, quibus ad hæc homines redduntur idonei, quæ nihil aliud, quàm caracteres, sunt. Secundum argumentum desumitur ex communi mente omnium, etiam Calvinistarum, & Lutheranorum, qui, si demantur Anabaptistæ, sentiunt, in Baptismo collato ab infideli & ab infideli recepto, recipi aliquid sacramentale, quod non recipitur in Absolutione aut Eucharistia; sed illud non est gratia, quoniam gratia non datur sine fide; non est etiam actio sacramentalis exterior, quia ipsa reperitur etiam in Absolutione &
C Eucharistia: ergo est aliquid aliud intrinsecum in anima remanens, quod Caracter vocatur. Idem dicendum est de Confirmatione & Ordine. Tertium denique argumentum habetur ex initerabilitate horum trium Sacramentorum, quam hæretici ipsimet fatentur in Baptismo, exceptis Anabaptistis, ubi alia Sacramenta repeti possunt; cujus nulla dari potest causa, nisi quòd illa imprimant Caracterem, non verò cætera: Et hæc est ratio, per quam Concilia Florentinum & Tridentinum probant, Caracterem imprimi per Sacramenta prædicta.

Quantùm denique ad indelebilitatem Caracteris: constat ex iisdem Conciliis Florentino & Tridentino, ipsam certissimam esse; definiunt enim, nostrorum trium Sacramentorum caracterem esse signum
D indelebile. Imò, hoc etiam habetur in *Capite majores, extra de Baptismo.* Quod Patres confirmant, asserendo, ipsum manere in reprobis & hæreticis, & infigi lupis per lupos, ut tradit Augustinus. Ratio à priori est, quia à solo Deo dependet in fieri & in conservari, nec habet contrarium à quo expelli queat. Ratio verò à posteriori sumitur, quòd hæc tria Sacramenta nunquam repetat Ecclesia, quia scilicet Caracter in illis impressus est indelebilis. Indelebilis, inquam, tùm in hac vita, ut definitum est; tùm in alia, ut tradunt Theologi cum Scoto in 4. Dist. 6. Quæst. 9. Num. 19. unde Christianus, qui post mortem miraculosè revivisceret, non baptisaretur iterum, nec ordinaretur denuò Sacerdos. Cujus ratio jam antè dicta est, quòd scilicet Cara-
E cter, qui non habet contrarium, à nullo possit destrui. Hoc tamen non est de fide, sed ita proximè ad fidem accedit, ut sine gravi temeritate & peccato negari queat; cùm simpliciter dicant Concilia, Caracterem esse indelebilem. Licet ergo in damnatis non maneant Fides & alia dona, quæ, cùm demeritoriè in hac vita possint deleri, à fortiori auferuntur à damnatis; quia tendunt in operationes, quæ damnatis sunt impossibiles: attamen Caracter ab illis non tollitur, quia datur principaliter tantùm in signum potestatis acceptæ in familia Christi, quod signum congruenter remanere dicitur in beatis ad

decorem aliquem & gloriam; & in damnatis ad confusionem, ut tradit D. Bonaventura. Si quæratur autem, quo pacto Caracter possit cedere in confusionem damnatorum, cum sit forma supernaturalis, quæ non potest videri ab aliis damnatis, qui non possunt agere supernaturaliter: Respondendum erit, quòd illorum confusio procedat ex hoc, quòd ipsi damnati sciant se à beatis videri, tanquam insignitos signo Christi. Deinde, non est improbabile, quin Deus concurrat specialiter cum damnatis ut caracterem videant ad majorem damnatorum confusionem.

Ulteriùs inquiri potest, an Circumcisio Caracterem impresserit in veteri lege. D. Thomas 3. parte qu. 63. art. 1. ad 3. negativè respondet, asserens, Caracterem esse proprium novæ legi, nec ullo modo fuisse concessum in antiqua; cùm Scriptura id non doceat, nec authoritas Ecclesiæ, nec Patrum traditio, nec exigat status ille veteris legis; qui, cùm esset valdè imperfectus, non merebatur obtinere tam excellentem effectum, qualis est caracter; qui, cùm sit effectus purè supernaturalis, non est stabiliendus, nisi optima de causa & justissimâ ratione: unde D. Chrysostomus Hom. 2. in Epist. ad Ephes. ait obsignatos fuisse Israëlitas, sed Circumcisione corporali, tanquam pecudes. Et Theophilactus in cap. 1. ejusdem Epistolæ asseverat, Judæos fuisse signatos per Circumcisionem, & tanquam bruta animalia accepisse corporale signaculum; nos verò, ut filios Dei Spiritu sancto fuisse signatos. Scotus verò in 4. dist. 6. quæst. 9. num. 21. existimat quidem, contrarium posse dici; quia per Circumcisionem homines ascribebantur in peculiarem familiam Dei, sicut in lege nova per Baptismum ascribuntur; ita quòd, sicut Circumcisio privilegium habebat conferendi gratiam ex opere operato, ut tribuunt Sacramenta novæ legis; sic etiam hoc singulare habebat, quòd etiam conferret Caracterem; quia tamen hoc non assertivè & decisivè pronuntiat Doctor, ideo opinio contraria communiùs tenetur, etiam à Scotistis.



DISPUTATIO SECUNDA.

De Sacramentis in specie.

AD disputationem de Sacramentis in communi, ordo doctrinæ postulat, ut adjungamus examinationem eorum, quæ dici possunt de Sacramentis sigillatim sumptis.



CAPUT PRIMUM.

De Baptismo.

AGENTES de multiplicitate Sacramentorum, probavimus ea esse septem numero, & talem numerum collegimus ex comparatione hominis naturaliter sumpti ad comparationem Christiani; ubi facientes analogiam vitæ corporalis ad spiritualem, diximus quòd sicut in homine generatio est primum quod considerari debet, sic etiam in vitâ spirituali Baptismus, qui generationi correspondet, est primum Sacramentorum, cujus naturam explicare debemus. Ut omnia, quæ de hoc Sacramento scitu sunt necessaria, innotescant; septem quæstiones proponemus; quarum prima erit de naturâ, institutione, & multiplicitate Baptismi; secunda de materiâ tùm remotâ, tum proximâ ejus; tertia erit de formâ; quarta de ministro; quinta de effectu & dispositione ad illum; sexta de suscipientibus; septima denique de ritu & de ceremoniis illius.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Baptismus? Quando fuerit institutus? & quotuplex sit?

NON loquimur hîc de baptismo Joannis, qui habebat tantùm vim justificandi ex opere operantis, quatenus scilicet ex signo humilitatis junctæ cum quâdam peccatorum confessione generali, seu in communi factâ, poterat excitare contritionem, & sic justificare, & erat tantùm præparatio ad Baptismum Christi; unde ipsemet Joannes dicebat, *Ego vos baptiso in aquâ, ille vos baptisabit in spiritu;* & ipse Joannes baptisans baptisabat in nomine venturi, id est Christi: sermo ergo noster est tantùm de Baptismo Christi.

CONCLUSIO PRIMA.

BAPTISMUS, qui secundùm ethymologiam nominis, nihil aliud est, quàm ablutio; sive tollat tantùm maculas corporis, sive abluat etiam animam, inquantum est Sacramentum, potest definiri physicè, & metaphysicè. Physicè, est ablutio corporis sub præscriptâ verborum formâ; metaphoricè verò, est primum legis novæ Sacramentum, divinitùs à Christo institutum, ad significandam & conferendam gratiam originalem. Hoc ex se satis constat. Notandum tamen est, quòd gratia illa, quæ est effectus Baptismi, vocatur impropriè originalis; quia per gratiam originalem intelligitur ea, quæ habetur in ipsâmet conceptione, quam nullus hominum, demptâ Virgine Maria, habuit, sed vocatur originalis impropriè, quia tenet locum gra-

tiæ illius, quam habuissemus ab origine, si Adamus non peccasset.

Nomen Græcum Baptismi, quod alias indifferenter usurpatur pro omni sensibili ablutione, ut habetur Lucæ 11. ubi Pharisæus indignatur, quòd Christus accumberet mensæ ad prandendum, non baptisatus; attamen, juxta communem & hodiernum usum Theologiæ, sumitur pro solo Sacramento, quo regenerantur spiritualiter homines, quorum corpus ità exterius abluitur, ut anima mundetur interiùs à peccati originalis labe. Præter nomina communia, quæ huic sacramento tribuunt Patres, præsertim Clemens, Nazianzenus, & Chrysostomus, qui illum vocant gratiam, donum, sigillum, mysterium expurgationem, circumcisionem non manufactam, aquam salutarem, lavacrum vitale, diluvium peccatorum, sacramentum fidei, & similia: Tribus tamen particularibus illum insigniunt, ut pote dum appellant ipsum, primò mysterium sepulturæ Christi ad Rom. 6. *Consepulti sumus cum illo per baptismum.* Sicut enim Christus non fuit sepultus, nisi quia anteà mortuus est; & sicut Christus sepultus statim resurrexit, ità nemo baptisatur, nisi mortuus per peccatum Adæ, omnesque baptisati statim resurgunt ad vitam spiritualem. Ipsum vocant secundò illuminationem seu φωτισμὸν, juxta id quod habetur: *impossibile est eos, qui semel sunt illuminati*, id est, qui semel baptisati sunt, *& prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Ratio hujus in promptu habetur, quia baptisati fidem profitentur, affirmantque se credere; fides verò illuminat intellectum, ut cognoscamus quæ agenda, quæ fugienda, & quæ speranda sunt. Tertiò dicunt, quòd Sacramentum hoc sit Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ, ut ipsum definit D. Thomas 3. part. quæst. 66. art. 1. quia scilicet per Baptismum renascimur ad gratiam, mediante verbo baptisantis & aquâ, quæ est materia ablutionis sacramentalis.

Quòd Baptismus sit verum & proprium sacramentum, hoc ita unanimiter fatentur omnes, ut ipsum in quæstionem non adducat Scotus, sed tanquam verissimum supponat in 4. dist. 3. quæst. 4. Hæc veritas definita in Conciliis Florentino & Tridentino, & recepta ab hæreticis, manifestè colligitur ex Scriptura ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*; & ex pluribus aliis contextibus, in quibus Scriptura tribuens Baptismo salvandi gratiam & in regnum cælorum introducendi virtutem, manifestè docet, ipsum esse collativum gratiæ sanctificantis ex opere operato, & sic esse sacramentum.

Conclusio Secunda.

Omnibus constat, Baptismum institutum fuisse à Christo, sicut & reliqua sacramenta, quemadmodum tradidimus in quæst. 1. cap. 2. de Sacramentis in genere, ubi hoc determinatur à Concilio Tridentino sess. 7. can. 10. Conveniunt etiam ferè omnes, Baptismum fuisse institutum ante passionem Christi, sed non constat præcisè, quâ die, vel quâ horâ Christus Baptismum instituerit, ut tradit Scotus in 4. dist. 3. q. 4. Aliis volentibus, institutum fuisse in domo Nicodemi, quando dixit Christus Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei*; Cæteris verò, in numero majori, & probabiliùs existimantibus, Christum illum instituisse, quando baptisatus fuit in Jordane Joan. 1. Non quòd doce- A re intendamus, Christum verbaliter pro tunc docuisse materiam, aut formam Baptismi; id enim nullo modo reperitur, sed tantùm suo facto declaravit, se elegisse, per tactum suæ sanctissimæ carnis, aquas, ut essent materia Baptismi, & invocationem trium Personarum sanctissimæ Trinitatis, ut esset forma ejusdem sacramenti: unde tota Trinitas distinctè & clarè apparuit in hoc mysterio: innotuit siquidem persona Patris per hanc vocem dicentem *Hic est Filius meus*; Persona Filii designata fuit per eadem verba, quæ denotabant illum qui baptisabatur esse Filium Dei; & persona Spiritûs sancti apparuit sub specie columbæ. Ob hanc causam tenent B communiter Scholastici, institutum fuisse baptismum in tali occasione, quod ratificatum fuit, quando Joan. 3. dixit Christus in domo Nicodemi, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

Quòd Baptismus fuerit institutus ante passionem Christi, hæc est mens communis Scholasticorum, quam tradunt Magister in 4. dist. 3. D. Bonaventura p. 2. art. 1. quæst. 1. ad 5. Scotus in 4. dist. 3. q. 4. num. 2. D. Thomas quæst. 66. art. 2. quibus astipulantur Cyrillus lib. 2. in Joan. cap. 57. Augustinus tract. 13. & 15. in Joan. Hugo à sancto Victore lib. 2. de Sacramentis part. 6. cap. 4. & multi alii, contra Albertum, Canum, Chrysostomum homil. 28. in Joan. Theophilactum, & D. Leonem; propter quorum authoritatem profectò non auderem censurâ notare contrariam opinionem, qualiter eam C taxat Maldonatus in cap. 3. Joannis, licèt nostra conclusio multùm probabilior sit, ut potè conformior sacræ Scripturæ Joan. 3. & 4. ubi Christus baptisavit per discipulos, quod nequit intelligi de Baptismo Joannis, quoniam Actuum 18. rebaptisabantur illi quos Joannes baptisaverat, & nusquam legitur baptisatos fuisse qui baptisati fuerant per discipulos Christi ante illius passionem. Imò Augustinus probabilissimum tenet, Apostolos non fuisse baptisatos, nisi ante Christi passionem, epist. 108. Deinde, non decebat, ut Christus institueret inanem cæremoniam, qualis erat Baptismus Joannis, nec illâ uteretur. Denique, dum Joan. 3. dicitur, Christum baptisasse, qui tamen non baptisabat per se, sed per discipulos; hoc non potuit intelligi de baptismo D Joannis, aliàs debuisset dici, quòd Joannes baptisaret, non verò Christus; quandoquidem nec Christus baptisabat per se, nec discipuli utebantur suo baptismo, sed Baptismo Joannis.

Confirmatur hæc assertio ex hoc, quòd Christus in ultima cœna dederit ante passionem suam Eucharistiam Apostolis, ut tradunt Evangelistæ; imò eos Ordine Sacerdotii insignivit, juxta Concilium Tridentinum sess. 22. can. 2. & c. 2. sed non dedisset Eucharistiam aut Ordinem illis, qui non fuissent baptisati, quoniam Sacramentorum janua est Baptismus secundùm legem ordinariam, de cujus dispensatione nulla fit mentio: ergo Baptismus institutus est ante Passionem Christi. Imò probabile est, quod E scribit Euthymius in cap. 3. Joannis, Beatam Virginem fuisse à Christo baptisatam: sicut & id quod refert Nicephorus lib. 2. cap. 3. Christum suis manibus Petrum baptisasse; & posteà Petrum baptisasse Jacobum & Joannem filios Zebedæi, à quibus & à Petro alii Apostoli baptisati fuerunt. Denique D. Thomas 3. part. quæst. 38. art. 6. ad 3. vult Christum mox ac baptisatus fuit à Joanne, ipsum Joannem baptisasse. Ex quibus patet, Baptismum fuisse à Christo institutum ante passionem suam, licet nullibi legatur, Apostolis fuisse traditam formam baptismi, nisi post passionem, dum Matthæi

Matthæi ultimo Christus mittens discipulos ad prædicandum, dixit illis, *Ite, prædicate, baptisantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: Nam Christus potuit privatim docuisse discipulos talem formam, quàm, sicut & materiam, instituerat in sua baptisatione per usum aquæ, quâ baptisatus est, & per comparitionem sanctissimæ Trinitatis. Quod posteà clariùs expressit Matthæi ultimo pronuncians mandatum generale Discipulis baptisandi, & populis suscipiendi Baptismum.

Objicies. Potior ratio, cur tenetur communiter, Baptismum esse ante passionem institutum, desumitur ex hoc, quòd Ioan. 3. Christus aliquos baptisaverit, saltem per discipulos; sed hæc ratio nulla est, quia licet ipsi baptisaverint revera, non constat tamen, an usi fuerint baptismo Christi, vel Ioannis. Imò, Chrysostomus Hom. in Ioannem & Theophilactus in cap. 3. Ioannis, apertè docent, talem baptismum non remisisse peccatum, & fuisse in aqua tantùm, sine spiritu, nullamque fuisse differentiam inter baptismum discipulorum Christi & Ioannis.

Respondeo, nostram conclusionem non esse adeò certam, ex prædiximus, quin aliqui existiment, baptismum fuisse tantummodò institutum Matthæi ultimo post resurrectionem Christi, etiam ex Patribus, qui proinde tenentur explicare baptismum factum à discipulis Christi, de Baptismo Ioannis, non de baptismo nostro, quod sacramentum est: verisimiliùs tamen contrarium apparet ex rationibus allegatis in nostra probatione; quibus addi potest, quòd nisi Apostoli baptisassent alio Baptismo, quàm Ioannis; discipuli Ioannis non fuissent indignati, quòd Christi discipuli baptisarent; quòd tamen habetur Ioan. 3. Deinde. Christus loquens ad Nicodemum de suo baptismo, loquitur de illo, quasi de re jam instituta, quamvis ibi fiat sermo de necessitate Baptismi per respectum ad tempus futurum. Tandem, à nostris stant longè plures numero Patres Ecclesiæ, & glossa ordinaria & interlinearis super caput tertium Ioannis.

Objicies secundò. Si Baptismus Christi, qui dabatur non solùm in aqua, ut baptismus Ioannis, sed etiam in spiritu, quoniam verum erat Sacramentum gratiam conferens, institutus fuisset ante passionem Christi, Spiritus sanctus fuisset datus ante Christi Domini Ascensionem, quod contrarium est Ioan. 5 *Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Christus nondum erat glorificatus*. Respondeo, hunc Scripturæ contextum esse fundamentum cui nituntur Chrysostomus & Theophilactus præcitati; quæ ratio cùm invalida sit contra nostram conclusionem, ideò ab illa nequit infirmari. Dictum ergo Ioannis intelligi debet de datione solemni & visibili Spiritûs sancti, quæ reverà debuit tantùm fieri post Christi glorificationem, in die scilicet Pentecostes; quod non impedit, quin multoties antea datus fuerit Spiritus sanctus, seu ipsius gratia, invisibiliter & privatim ut pote Magdalenæ, cui dimissa sunt peccata multa; aliis etiam, qui fuerunt justificati in Euangelio; & Apostolis, qui sumentes Eucharistiam & Sacerdotium, gratiam pariter receperunt. Si forma baptismi data tantùm fuerit, cùm dixit Christus, Euntes prædicate, baptisantes: verum est, quòd tunc reverà fuerit data ritu solemni & publico; sed hoc non obstabat, quin antea data fuerit Apostolis ritu saltem privato. Si quis adhuc instet, Sacramenta habere tantùm vim à passione Christi; ergo non potuisse institui ante illam: Antecedens verum est de passione Christi, vel inchoatâ vel consummatâ; in-

A choata autem fuit, quando in conceptione sua acceptavit mortem pro salute hominum. Porro, si Leo Papa epist. 4. ad Episcopos Siciliæ cap. 3. dicat, *Christum discipulis suis, in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, tradidisse formam & potestatem baptisandi, de quo illos potuisset instruere ante passionem, nisi voluisset intelligi, regenerationis gratiam cœpisse ex resurrectione sua*; Respondeo, posse illi anteponi aliorum Patrum authoritatem; nihil enim ibi definivit, sed hanc allegavit rationem, ad ostendendum congruentiùs statutam fuisse solemnitatem Baptismi in Paschate & Pentecoste, quàm in Epiphania, quo die Siciliæ Episcopi celebrabant solemnem baptismum. Porro, poterat loqui de forma baptismi, quantùm
B ad præceptum generale conferendi & suscipiendi baptismum, quod tunc tantùm vigere cœpit, ut dicitur in sequentibus; licet antea institutum fuerit.

Conclusio III.

Baptismus strictè sumptus est unicus; latè autem usurpatus, triplex dici potest: nimirum Baptismus fluminis, flaminis, & sanguinis. Primum patet ex 4. ad Ephes. ubi habetur; quòd sit *unus Deus, una fides, & unum baptisma*. Quòd tamen baptismus triplex sit, quando latè scilicet sumitur, patet ex sacrâ scripturâ: Marci enim 10. mors Christi appellatur Baptismus: nam dixit
C Christus, *Potestis calicem, quem ego bibiturus sum; aut baptismo, quo ego baptisor, baptisari?* Vnde Doctores vocant martyrium, Baptismum sanguinis. Quoad pœnitentiam perfectam, vocatur etiam Baptismus; Marci enim 1. & Lucæ 3. *Erat Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ*; & sic adest alius Baptismus, nempe flaminis, quo scilicet gratia Spiritûs sancti, qui vocatur flamen, confertur. Insuper est tertius Baptismus, qui dicitur fluminis; & est ille de quo loquimur in præsenti disputatione. Baptismus sanguinis iterari potest, si scilicet martyr in vitam rediret, baptismus flaminis reiteratur ordinariè, sed nunquam baptismus fluminis. Baptismus fluminis confert gratiam ex opere operato,
D quia Sacramentum est: baptismus flaminis confert gratiam ex opere operantis: baptismus sanguinis confert gratiam ex opere operato; non quidem vi Sacramenti, quia non est Sacramentum; sed ex privilegio speciali, cujus meminit Matthæus cap. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Baptismus fluminis habet rationem Sacramenti, baptismus tamen sanguinis aut flaminis non sunt propriè Sacramenta, licet conferant effectum Sacramenti, nempè gratiam. Ratio autem quare hi baptismi non sunt Sacramenta, est, quia Sacramenta constant verbis & signis sensibilibus, sed in Martyrio non sunt verba, & in pœni-
E tentiâ non est signum sensibile, quia potest consistere in dolore interno. Quoad effectus tamen, habent eosdem quos baptismus habet, quia pœnitentia & martyrium delent peccata, tùm originale, tùm actuale; tollunt etiam pœnam peccati, ut patet de Latrone cum Christo moriente, qui ita intensum elicuit actum contritionis, ut reverà dispensatus fuerit ab omni pœnâ Purgatorii; ipso enim die quo mortuus est, fuit cum Christo in paradiso. Martyrium etiam habet eundem effectum; Ecclesia enim nunquam orat pro martyre, immò, inquit Augustinus, qui pro martyre orat, injuriam facit martyri. Porrò, per Martyrium intelligitur actus religionis imperatus à charitate & elicitus à

fortitudine, quo aliquis mortem patitur ob honestam causam, qualis est conservatio fidei, religionis, castitatis, immunitatis Ecclesiæ, vel ob aliam virtutem. Per baptismum autem flaminis non intelligitur quælibet conversio, sed perfecta, quæ includit contritionem veram & charitatem cum desiderio baptismi; votum enim baptismi fluminis requiritur, vel implicitè, tum in pœnitentiâ, tum in martyrio: Immò martyrium ipsum, ut gratiam conferat, exigit actum attritionis, seu displicentiam de peccato; & pro tunc martyr mediante martyrio de attrito fit contritus; quod intelligitur tamen de adultis; Innocentes enim ab Herode mactati, ut Sancti reputantur ab Ecclesiâ, licet dolorem de peccato, nec voluntatem Martyrij habuerint. Tandem, quia diximus, votum baptismi esse necessarium; ideò si quis posset baptisari, & ex negligentiâ suâ non baptisaretur, non haberet gratiam per pœnitentiam aut martyrium, nisi ipsum in fine pœniteret de suâ negligentiâ.

Ex his patet, baptismum strictè, ut sacramentum est, esse unicum; metaphoricè verò usurpatum, & per comparationem ad effectus, esse triplicem; nempe baptismum aquæ, qui solus Sacramentum est: baptismum flaminis, seu spiritûs, qui est perfectus dolor & perfecta animi contritio cum proposito recipiendi baptismum aquæ, ubi nondum fuerit receptus: ac denique baptismum sanguinis, seu martyrium, quod, ut diximus, est actus religionis elicitus à fortitudine & imperatus à charitate. Primus habet locum pro adultis & parvulis, ut probabimus posteà contra Anabaptistas. Secundus est tantùm pro adultis, quoniam consistit in contritione perfectissimâ, cujus infantes non possunt elicere actum. Tertius tandem aptari valet adultis & infantibus, qui possunt martyrium subire, ut patet de sanctis Innocentibus, qui jussu Herodis sunt trucidati. Vbi tamen est attendendum, quòd illi, qui circumcisi anteà fuerant, martyrium quidem subierint, quia pro Christo mortui sunt: non receperint tamen baptismum, quia in illis solùm martyrium induit rationem baptismi, qui, mediante ipso martyrio, obtinuerunt remissionem peccati originalis; quia principalis effectus baptismi est deletio talis peccati; sed in illis, qui anteà circumcisi fuerant jam in illis remissum erat peccatum originale: ergo in illis solis martyrium erat baptismus, qui anteà non fuerant circumcisi, quales erant illi, qui ante octavum diem mortem sustinuerant.

Quòd perfecta conversio, seu perfecta pœnitentia, rectè dicatur baptismus flaminis, probatur ex hoc, quòd baptismum aquæ, saltem in necessitate, suppleat; ut patet ex Ezechielis 18. *Si peccator egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*: quibus verbis constat, peccata mortalia actualia, quæcunque sint, remitti per contritionem: ergo à fortiori peccatum originale, si nondum aliquis habuerit illius remissionem per baptismum; quoniam ex sua natura levius est peccato mortali actuali. Cum ergo contritio deleat omnia peccata originalia & actualia, & tollat omnem pœnam debitam peccatis, si fuerit perfectissima & intensissima, potest jure vocari metaphoricè baptismus; in quantùm habet eosdem effectus, quos obtinet baptismus sacramentum. Modò tamen, ut diximus de martyrio, eliciatur ante baptismum aquæ, & includat votum baptismi. Ob hoc Lucæ 3. Ioannes dicitur *prædicasse baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*. Licet hæc veritas communiter teneatur ab omnibus, attamen tempore sancti Bernardi, ut patet ex Epistola 77. asseruerunt aliqui, non salvari catechumenum, etiamsi in bonis operibus vixerit, nisi baptismo aquæ aut sanguinis fuerit purgatus.

Quòd etiam baptismus sanguinis rectè, metaphoricè tamen, possit dici baptismus; probatum est ex Marci 10. *Potestis bibere calicem, &c. & baptismo quo ego baptizor, baptizari?* quod idem habetur Lucæ 12. ubi Christus de passione sua agens dicit, *Baptismo habeo baptisari, & coarctor, donec perficiatur.* Ob hoc Tertullianus lib. de Bapt. ait, de martyrio loquens, *Hic est baptismus, qui lavacrum regenerationis non acceptum refert, vel perditum reddit.* Cyprianus in Præfatione Libri de exhortatione ad martyrium, dicit; *Martyrium esse baptismum, & quidem baptismo aquæ præstantiorem.* Ambrosius in Psalmum 118. Sermone 3. tria baptismata distinguit, unum Aquæ, alterum Sanguinis, tertium Purgatorii in alia vita. Denique duo ista baptismata admittunt Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. Augustinus lib. 13. de Civitate Dei cap. 7. Cyrillus Catechesi 3. Bernardus epist. 77. & alii. Ratio hujus veritatis est, quia Martyrium convenit cum baptismo aquæ in tribus effectibus principalibus. Primò, quia configurat hominem Christi passioni, & hoc nobiliùs, quàm baptismus aquæ, cujus configuratio est tantùm sacramentalis & in genere signi, ubi ista est realis. Secundò, remittit peccatum originale cum aliis, si quæ sint, conferendo gratiam ex opere operato, ità quòd, si quis in peccatis adhuc existens accedat ad martyrium, tamen sine affectu ad peccatum, & cum pœnitentia imperfecta, seu attritione supernaturali, qualis requiritur ad baptismum aquæ, immediatè justificabitur ex opere operato Martyrii. Sic probabiliùs tenent D. Thomas, Scotus & ferè omnes, contra Sotum & Ledesmam; sed de hoc infrà. Tertiò, remittit omnem pœnam peccato debitam, tam æternam, quàm temporalem; ut patet ex hoc, quòd Ecclesia nunquam oret pro martyribus, sed illis se commendat: unde Innocentius cap. *Cum Martha. extra de celebratione Missarum.* & anteà Augustinus Sermone 17. de verbis Apostoli, dicunt, *Injuriam facit martyri qui orat pro martyre.*

Quæres primò, horum trium baptismorum quis sit præstatior? Ad quod respondetur communiter, juxta mentem D. Thomæ 3. parte quæst. 66. art. 12. antecellere baptismum sanguinis, in quo habetur perfectior configuratio Christo patienti, & expressio nobilior mortis ejus; quandoquidem in baptismo fluminis mors Christi exprimitur tantùm per figuram & in genere signi; & in baptismo flaminis exprimitur tantùm per affectum & desiderium, baptismus autem sanguinis realiter imitatur passionem Christi, moriendo pro Christo, sicut pro nobis mortuus est Christus. Deinde, Ecclesia plus veneratur martyrium, quàm baptismum aquæ, aut pœnitentiam; quoniam credit statim martyres esse beatos mox ac vitam finierunt, quod non existimat de aliis; imò pro istis orat, & eos deprecatur. Unde Cyprianus lib. 4. epist. 2. ad Antonianum conferens Martyres cum aliis Christianis morientibus, dicit, *Aliud est ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire; aliud missum in carcerem non inde exire, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem; aliud pro peccatis longo dolore cruciatuum emendari & purgari diu igne, aliud peccata omnia passione purgasse; aliud denique pendere diu ad sententiam Domini, aliud statim commendari à Domino.* Tandem, actus martyrii per se omnino heroïcus est, versatur circa bonum maximé arduum, & necessa-

riò exigit perfectissimam dilectionem in illis, qui A suâ sponte acerbam mortem præferunt negationi Christi; unde meritò habetur Joan. 15. *Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Hoc tamen non impedit, quin multi absque martyrio habuerint majorem charitatem, ut patet de B. Maria, Joanne Evangelista, & aliis. Hoc non obstat etiam, quin secundùm quid Baptismus Aquæ præstantior dicatur, quatenus est Sacramentum, & caracterem imprimit; simpliciter tamen Baptismus Sanguinis debet perfectior dici, ratione nobilioris configurationis cum Christo, & majoris charitatis, quam includit. Unde, si dicat Paulus 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest:* ibi non loquitur de martyrio, quasi possit esse sine charitate; sed probare B tantum intendit; charitatem ipsam esse animam Martyrii, sine qua martyrium nullum esset, unde optimè ait D. Thomas, quòd Martyrium sit actus religionis elicitus à fortitudine & imperatus à charitate.

QUÆRES secundò, quid requiratur ad martyrium. Respondeo primò, quòd licet ad completissimum genus martyrii requiratur mors actualis, satis tamen esse censetur, quòd adhibeatur causa sufficiẽs, ex qua mors naturaliter consequeretur, nisi impediretur à Deo, ut patet in tribus Pueris conjectis in fornalem Babylonicam, & in Joanne Evangelista C in ferventis olei dolium misso; tales enim numerantur inter martyres ab Ecclesia; quia talis acceptatio mortis est tam efficax fidei testimonium, ac si mors actu sequeretur, unde consequerentur aureolam martyrii reverà, si in gratia finali decederent, quod piè credi debet esse futurum, in quantùm jam ad terminum suæ vitæ pervenissent, subeundo mortem ad quam erant parati, nisi Deus illos præservasset. Licet olim pro martyribus habiti fuerint illi, qui cœperant pati pro Christo, licet mortalia vulnera nondum accepissent, nunc tamen tales non solent martyres censeri; nisi saltem mortem subierint in ærumnis, in quibus appositi sunt, quæ de se aliquando non sunt lethales, ut patet de D Marcello Pontifice, qui conjectus in stabulum, conf ctus fuit tabe, & martyr existimatus.

Respondeo secundò, ad martyrium requiri, ut non repugnet moriens; tùm quia qui mori recusaret, esset tanquam miles victus, non verò tanquam testis Christi; tùm quia martyr debet conformari Christo patienti, qui passus est sine repugnantia. Ob hoc milites in bello propter fidem suscepto occisi, nunquam pro martyribus habiti sunt, nisi jam victi sine resistentia occiderentur odio religionis.

Respondeo tertiò, licet adultus debeat mortem acceptare, quia nulla actio, aut passio prodest, nisi sit voluntaria; hoc tamen non requiritur in parvu- E lis, quia non loquendo, sed moriendo Christum confitentur, ut canit Ecclesia de Innocentibus, qui mortui sunt pro Christo existimato esse inter illos; unde à Deo misericorditer suppletur actualis illorum acceptatio mortis. Pro adultis sufficit acceptatio habitualis, vel interpretativa; & ideò incarceratus ob fidem, statuens, se potiùs vitam perdere, quàm negare fidem, & postea ex improviso dormiens occisus in odium fidei, pro martyre habendus esset: sicut & ille, qui prævidens periculum mortis ex actu virtutis alicujus *futura*, in illo tamen perseveraret, & sic subiret mortem, circa quam nullum tamen actum expressum habuisset.

Respondeo quartò, ad martyrium requiri in adultis & in parvulis, ut mors inferatur in odium Christi, vel Religionis, vel ob aliquam Virtutem; quia martyrium est testimonium Deo datum per passionem & mortem pro ipso toleratam; unde dicit Augustinus serm. 2. in Psal. 34. non pœnam, sed causam facere martyres, pœnamque esse communem latroni & martyri, hæretico & Catholico, sed causam disparem. Ob hanc conditionem sanctus Franciscus stigmata recipiens à Christo, quæ erant vulnera lethalia, non est censendus verè martyr; nec bonus latro in cruce moriens, ut tradit Augustinus lib. de Bapt. cap. 22. nisi fortè in odium Christi, quem confessus est, mors fuerit illi accelerata, quia, ut subdit Augustinus, non quia credidit, passus est, sed dum patitur, credidit. Nec etiam censeri debent martyres, qui moriuntur in pia causa, sese v. g. applicando ad servitium pestiferorum; pro talibus enim orat Ecclesia, quod sanè injuriam martyrio inferret. Impropriè tamen Martyrologium Romanum ad diem 28. Februarii tales appellat martyres, loquens de sanctis Presbyteris, Diaconis, & aliis plurimis, qui tempore Valeriani Imperatoris, cùm pestis sævissima grassaretur Alexandriæ, morbo laborantibus ministrantes, libentissimè mortem oppetiere. Sed ideò illos appellat martyres, non quòd verum martyrium subierint, sed quòd opus heroïcum affine martyrio exercuerint. Quòd si quis ob aliquam virtutem mortem libenter subeat, hoc sufficit ad martyrium, ut patet de S. Thoma Cantuariensi, qui occisus fuit pro defensione Ecclesiasticæ libertatis: de S. Joanne Baptista, qui occisus est ob reprehensum adulterium: & de pluribus virginibus, quæ in conservationem suæ castitatis occisæ sunt. Imò, etiamsi tyranni falsos prætextus fingant occidendi fideles, modò in odium Christi, aut Religionis, aut Virtutis alicujus, illos trucident, reverà, tales martyrii obtinent gloriam: nam Judæi quidem prætexebant contra Christum, quòd peccasset in legem Moïsi, non minùs tamen, ut princeps martyrum colitur ab omnibus.

QUÆRES tertiò, an Martyrium conferat parvulis gratiam habitualem, quâ justificentur à peccato originali. Hoc negavit Armacanus apud Suarem *disp.* 29. *sect.* 1. dicens, Innocentes martyres per mortem suam non consecutos fuisse aliquid gratiæ aut sanctitatis; imò, si aliqui eorum non fuissent circumcisi, tales salutem non obtinuisse, sed fuisse in peccato originali decessos. Contra ipsum pronunciant communiter omnes Doctores; unde

Respondeo, Martyrium conferre gratiam habitualem infantibus, quâ à peccato originali purgantur. Sic Scotus *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 3. *num.* 2. Et hoc conformiter menti Ecclesiæ, quæ omnes Innocentes indifferenter & sine exceptione, tanquam sanctos martyres, commendat; quorum tamen multi nondum erant justificati, tùm quia multi nondum ad octavum diem pervenerant, tùm quia multi erant filii infidelium, qui non utebantur Circumcisione. Si autem Martyrium contulerit gratiam habitualem Innocentibus, idem dicendum est de aliis parvulis, quia non est specialis ratio pro illis, quàm pro istis. Ratio nostra desumitur ex Marci 8. *Qui perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam.* Quod dictum, cùm sit generale, locum etiam habet in parvulis, qui animam suam dicuntur perdere propter Christum, dum occiduntur in odium illius. Quantùm ad parvulum in utero matris occisum ex odio Christi; dicendum est, quòd si tyrannus intendat illum occidere, verus sit

martyr; si verò hoc non intendat, nesciens v. g. matrem esse gravidam, quam occidit in Christi odium, negat Præpositus *quæst. 68. art. 3. dubio 6.* Affirmant tamen probabiliùs alii; quia animam suam perdit propter Christum, quoniam vulnus quo moritur, infertur ex odio Christi, licet non intendatur. Si quis etiam in odium Christi aliquem vulneraret, cum intentione actuali non occidendi, ille tamen martyrio coronaretur, qui sic mortem subiret. In præcedenti casu videtur differentia inter baptismum & martyrium, quòd nequeat infans baptisari in utero materno, benè autem martyr fieri valeat, quia aqua non potest pertingere infantem, benè autem mors.

Quæres quartò, utrùm Martyrium conferat adultis gratiam ex opere operato? Ad hoc jam pauló anteà respondimus affirmativè cùm communi turba doctorum. Hoc etiam potest inferri ex antecedenti responsione, ubi probatum est, Innocentes haberi tanquam martyres ab Ecclesiâ, quod non esset verum, si Martyrium non contulisset illis gratiam justificantem ex opere operato, quandoquidem erant incapaces operis operantis. Si ergo martyrium ex opere operato infantibus prodest, hoc idem tenendum de adultis, in quibus nobilius & efficacius est, quàm in infantibus. Deinde, ad hoc ut Ecclesia aliquem colat ut martyrem, non examinat, an anteà fuerit justus, necne; sed mox omnes honorat, quos agnoscit esse occisos pro Christo in confessione veræ fidei & unitate Ecclesiæ; quia nec hæretici, nec schismatici possunt esse verè martyres, cùm ponant obicem gratiæ Dei per infidelitatem suam & schisma actuale. Posteà, si Martyrium non conferret gratiam ex opere operato, sed tantùm ex fervore charitatis, martyrium illud non distingueretur à Baptismo flaminis, quia utrumque consisteret in interna conversione animi ad Deum. Tandem, remissio omnis pœnæ, quæ fit martyri, fit ex opere operato: ergo & remissio culpæ. Probatur antecedens: quia si remitteretur pœna martyri, ex opere operantis, vel remitteretur ex ipsa tolerantia pœnæ, quæ reperitur in martyrio, vel ex fervore charitatis quam haberet maryr, dum mortem patitur propter Christum; sed primum fieri non potest, quia multi martyres fuerunt anteà scelestissimi, qui per capitis abscissionem, quæ est mors levissima, non potuerunt promereri relaxationem pœnarum gravissimarum, quarum se dignos fecerant. Nec etiam secundùm, cùm multi confessores habuerint charitatem longè majorem plurimis martribus, quibus tamen non est concessa omnium pœnarum indulgentia: ergo concludendum remanet, quòd remissio omnis pœnæ, quæ conceditur martyribus, conferatur ex opere operato: ergo & remissio culpæ, & concessio gratiæ justificantis. Proindeque verum est id quod diximus ante quæstiunculam primam, quòd si quis in peccatis adhuc existens accedat ad martyrium sine affectu ad peccatum & cum pœnitentia imperfecta, seu attritione supernaturali, remissionem omnium peccatorum recipiat, gratiam obtineat habitualem, salutemque consequatur æternam.

Quæres ultimò, quænam dispositio requiratur in martyre, ut effectum martyrii consequatur. Alii credunt, requiri actum charitatis Dei super omnia, juxta dictum Joannis 15. *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Ex quo concludunt martyrem ante martyrium debere esse justificatum, utpotè veram charitatem habentem. Alii sentiunt cum Vega *lib. 6. in Concilium Tridentinum cap. 27.* nequidem attritionem supernaturalem requiri, sed solam voluntatem sufficere moriendi pro Christo, absque ullo dolore de peccatis.

Responeeo contra primam opinionem, in martyre non requiri nisi per accidens contritionem, seu actum amoris Dei super omnia; quia baptismus hoc non exigit: ergo nec martyrium, quod non est infirmius baptismo, ut tradit Cyprianus in epistola ad Jubajanum: *Nunquid potest vis baptismi esse major aut potior, quàm confessio & passio?* Deinde, omnes asserunt martyrium delere peccata, quod falsum esset, si præsupponeret perfectam charitatem, quæ anteà ipsa remisisset. Dum ergo Joannes dicit, maximam charitatem esse in martyre ponente animam pro amicis suis; non loquitur de charitate quæ martyrium præcedat, sed quæ ipsum concomitetur aut subsequatur. Aliquando tamen per accidens, ut diximus, debet præcedere actus amoris Dei, ut quis justificetur per martyrium; si scilicet martyr in tota vita præcedenti non elicuisset talem actum, ad quem tenetur per primum præceptum Decalogi. Quòd si ille, qui ad martyrium accedit, esset in mortali peccato, teneretur confiteri, habito confessario, alioquin conteri & baptismum saltem in voto suscipere, si nondum illum haberet: quia, cum martyrium sit medium extraordinarium ad salutem, non excusat à mediis ordinariis, quæ possunt adhiberi; maximè, cùm multi doctores post D. Bonaventuram in *4. dist. 4. part. 2. cap. 1. quæst. 2.* credant, Martyrium non justificare sine contritione aut actu amoris D.

Respondeo contra secundam opinionem, quòd ad effectum martyrii requiratur saltem attritio supernaturalis; quia ipsamet Sacramenta non possunt conferre gratiam, nec justificare, nisi tollatur obex à recipiente sacramentum; sed non tollitur obex sine dolore de peccato, quo peccator retractet sua peccata: & talis dolor debet esse supernaturalis; quia nihil naturale concurrere potest ad receptionem gratiæ, quæ est supernaturalis: ergo, sicut ad obtentionem gratiæ per sacramentum, requiritur supernaturalis attritio, sic, ut quis per martyrium justificetur, debet de suo peccato atteri supernaturaliter, quoniam æqualis efficaciæ sunt ad agendum in subjectum dispositum, licèt quantùm ad conferendam majorem gratiam, Patres aliquando dicant, martyrium excedere sacramenta.

Quæstio II.

Quænam sit materia Baptismi?

Hermini & Seleucitæ excludebant aquam à materiâ Sacramenti, quia affirmabant Joannem baptisasse in aquâ, & Christum baptisaturum in Spiritu sancto & igne; sed non attendebant sensum Scripturæ, quæ innuere volebat, Joannem baptisasse in solâ aquâ, & non in spiritu & gratiâ, Christum verò baptisaturum in aquâ & Spiritu. Jacobitæ loco aquæ utebantur ferro candenti, quod imprimiebant fronti: quia, inquiebant, Joannes promisit quòd Christus esset baptisaturus in Spiritu S. & in igne. Quod non debet tamen intelligi de igne elementari, sed de igne spirituali, nempe de Spiritu sancto, qui in die Pentecostes descendit super Apostolos in formâ ignis. Flagellantes juxta Vasquesium dist. 141. cap. 1. docebant homines esse baptisando in proprio sanguine, quem flagellis ex corpore eliciebant, unde taliter denominati sunt. Lutherus tandem, qui aliquando interrogatus, utrùm in

necessitate Baptismus posset fieri in vino, vel lacte, respondit hoc esse dimittendum justo Dei judicio; posteà tamen asseveravit omnem liquorem, ex quo balneum fieri potest, posse esse materiam Baptismi. Quæ sit mens nostra, tùm de materiâ proximâ, tùm de remotâ, aperietur.

Conclusio Prima.

MATERIA remota Baptismi est aqua naturalis. Sic Concilium Tridentinum conformiter Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ*: & Act. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptisari?* Convenienter autem aqua est assumpta ad Baptismum, quia cùm Baptismus sit necessarius singulis, bonitas divina illum conferri voluit in re communissimâ. Deinde est quædam convenientia inter aquam & Baptismum; sicut enim aqua extinguit ignem & lavat sordes corporis, sic Baptismus extinguit peccatum, & maculam animæ abluit. Illa autem aqua, quæ est materia Baptismi, debet esse pura & elementaris; & sic excluduntur aquæ distillatæ, saliva, sudor, lachrymæ & urina. Debet etiam esse usualis; & sic nix, grando, & glacies non possunt esse materia Baptismi, nisi resolvantur in aquam, ad minùs dùm proferuntur verba. Debet etiam esse simplex, & sic aqua ita permixta cum alio corpore, ut perdat denominationem aquæ, est inepta; sic non potest fieri Baptismus ubi caro & succus admixtus ita densarent aquam, ut non amplius esset aqua, sic nec in luto. Quoad lixivium, transit communiter pro materiâ dubiâ, sicut sal etiam resolutum. Quoad cervisiam verò, secundùm communem usum transit in tertiam entitatem, & sic non est materia propria Baptismi; potest verò Baptismus fieri in aquâ calidâ, falsâ, lutosâ & transeunte per meatus sulphureos. Quòd si Papa Stephanus dicatur approbasse Baptismum factum in vino ex necessitate; hoc fecit ut persona particularis; quòd tamen multi de eo non credunt.

OBJICIES, Judæum quemdam, testibus Nicephoro lib. 3. cap. ultimo, & Cedreno, morbo correptum, quo subitò moriturus existimabatur, dum per deserta loca, in quibus aqua inveniri non poterat, peragebat iter, baptismum expostulantem solâ arenâ aspersum fuisse cum invocatione sanctissimæ Trinitatis, statimque liberatum à morbo, quod denotabat effectum Baptismi sine aqua facti: ergo aqua non est materia necessaria & essentialis hujus Sacramenti.

Respondeo, Deum reverà approbasse devotionem Judæi, & ob hoc ipsi restituisse sanitatem, non ut approbaret validitatem baptismi illius, sed ut haberet, tempus baptismum validum recipiendi posteà; unde ex Baronio *ad ann. Christi* 181. Dionysius Alexandrinus Judæum jussit rebaptisari. Quòd si baptismus apud Patres vocetur illuminatio, & lumen respondeat igni, non aquæ: non à materia dicitur talis, sed ab effectu speciali; quia scilicet est Sacramentum fidei intellectum illuminantis. Si aqua fluens ex latere Christi dicatur baptismi symbolum, sicut sanguis Eucharistiæ, quæ aqua non fuit vera: non ex eo concludendum est, aquam naturalem non esse baptismi materiam; quia talis aqua erat vera & naturalis, sed miraculosè producta; unde si deficiente aquâ, Deus aliquam produceret, ex illa posset fieri Baptismus, quia esse naturalis in suâ entitate & supernaturalis tantùm, quantùm ad principium. Si denique Matth. 3. Joannes baptista dicat: *Ego baptiso vos in aqua, ipse vos baptisabit in Spiritu sancto & igni*: per hoc non vult excludere aquam à baptismo Christi, sed insinuare contendit Christum baptisaturum, nedum in aquâ, sed & in gratia & cum gratia, quæ designatur per Spiritum sanctum & ignem.

Porrò, quia possunt multæ difficultates oriri super veritatem materiæ baptismi & sacramentorum, inter alias regulas, quæ videri possunt apud Authores, hæc generalis & utilissima notanda venit ex Soto *dist. 3. quæst. unic. art. 4.* Si post Sacramentum factum dubitetur probabiliter de veritate aquæ, debet Baptismus iterari sub conditione. Quòd si ante factum Sacramentum, de veritate aquæ dubitetur, & alia aqua possit adhiberi, nullo modo baptismus fieri debet in illo liquore de quo probabile est dubium. Quod si verò urgeat necessitas & alia aqua non reperiatur, sub conditione potest & debet fieri baptismus.

Conclusio Secunda.

MATERIA proxima Baptismi est ablutio, & sic aqua debet lavare aliquo modo & abluere; illa autem ablutio consistit in contactu physico: unde si parvulus inclusus in corio, uterò, vel secundinis, abluatur secundùm id tantùm in quo inclusus est, non erit baptisatus; sicut nec ille cujus vestes tantùm abluerentur: si verò aqua caderet super capillos tantùm, hoc sufficeret ad Baptismum. Contactus etiam aquæ debet esse successivus; & puer inclusus in dolio aquæ etiamsi proferrentur verba, non esset baptisatus. Quoad partes quæ debent ablui, dicendum est, nec totum corpus debere necessariò ablui, nec minimam partem sufficere extra necessitatem; licet enim ablueretur digitus, non propterhoc ablutus diceretur homo; sed debet communiter fieri ablutio in capite, ubi vigent tùm interiores, tum exteriores sensus. Si puer emittat tantùm pedem vel manum ex utero matris, potest in eâ parte baptisari; quia anima, ad cujus salutem Baptismus instituitur, viget in illâ; si tamen vivus egrediatur, debet iterari Baptismus sub conditione. Quoad quantitatem aquæ, dico illam sufficere, quæ potest contingere corpus, & successivè fluere per partem corporis sufficientem; sivè fluat proprio pondere, sivè per actionem externam; unde judicatum est, Baptismum fuisse validum factum à muliere, quæ digito tantùm madefacto impressit signum crucis super frontem pueri moribundi.

In hâc conclusione tria sunt consideranda: nempè contactus physicus aquæ, partes corporis baptisandi, & quantitas aquæ, quâ baptismus fieri debet. Primò, quantum ad contactum, ... merito diximus ipsum debere esse talem, quod immediatè corpus tangat, aliàs enim non esset vera ablutio corporis, unde non baptisaretur ille, qui tingeretur tantummodò secundùm vestes; quia non ablueretur ipsa persona, quatenus est subjectum peccati originalis; licet Sotus præcitatus Art. 7. notet addendam esse conditionem. Si tamen soli capilli aspergerentur, probabiliùs existimatur, talem Baptismum esse validum; quia sunt pars, non componens, sed ornans hominem. Non sic de pelle secundina, quidquid dicat Sylvester, quæ potiùs est tegumentum quàm pars infantis. Quia tamen multi & graves Doctores de his controvertuntur, ideò taliter baptisati censentur sub conditione rebaptisandi. Ex Positione præcedenti sequitur, non satis esse, si uterus matris, in quo continetur infans, abluatur, quia pro tunc persona infantis non censeretur ablui, quod tamen necessarium est. Sic censent omnes & ità habetur *de consecratione* dist. 4.

Can. *Qui maternis.* Si tamen, arte & industriâ obstetricis & medicorum, posset aqua ità infundi, ut perveniret ad corpus infantis inclusi in utero materno, baptismus esset validus; quia tunc nihil deesset, si debita adhiberetur forma. Non desunt tamen, qui hoc in dubium revocent, juxta Sotum, art. 8. dicentes, infantem in utero materno non posse baptisari; quia non est omninò alterum suppositum distinctum à supposito matris, per se capax baptismi; quod confirmare prætendunt ex Epistola 97. Augustini, dicentis, debere hominem priùs nasci, quàm renasci: sed hoc omnino falsum est, quia suppositum pueri est numero distinctum à supposito matris: habet animam rationalem, & inquinatus est peccato originali; sicque est baptismi capax: & quamvis non sit natus ex utero, est tamen natus in utero, ubi est verus homo naturaliter existens. Si Isidorus cap. *Qui in maternis* loquatur de secunda nativitate, seu ex utero, quam dicit necessariam; hoc verum est eo sensu, quo ibi loquitur Isidorus, factâ scilicet suppositione, quod abluatur sola mater. Si etiam dicatur, non posse physicè renasci qui non est natus; ergo nec moraliter renasci in Christo qui non est natus in Adamo: Respondeo eo ipso quo quis est conceptus, est etiam natus in Adamo, primâ nativitate, scilicet in utero, & sic potest renasci in Christo, licet non sit natus ex utero. Quod si vivus exiret posteà; ob authoritatem illorum, qui validitatem talis baptismi negant, esset rebaptisandus sub conditione.

Sibi duo objicit Gamachæus: Primò, quòd ex tali incisione, quâ infunderetur aqua, posset accelerari obitus matris, quod fieri non debet; & secundò, quòd posset esse monstrum inclusum in matre, & proinde profanaretur Baptismus. Ad primum respondetur communiter, semper consulendos esse medicos, an matri suppetant sufficientes vires ad talem incisionem sustinendam: si enim deficerent, tunc non esset tentanda talis operatio, per quam mors matri acceleraretur; in hoc casu tamen illicito validus esset baptismus. Quamvis etiam mors esset proximè imminens matri, accelerari nullo modo deberet, nec etiam ipsâ consentiente, ob commune axioma, quo, non sunt facienda mala, ut inde bona eveniant. Quòd si mater ob crimen perpessum sit damnata vel damnanda ad mortem: licet, juxta jura 5. *de pœnis*, lege *prægnantis mulieris*, differendum sit supplicium donec pepererit; nihilominus probabile est accelerari posse mortem, ob necessitatem baptisandi puerum; quia quodcumque jus super vitam suam mater amisit crimine suo.

Respondetur etiam ad secundam difficultatem; semper præsumendum esse non esse monstrum; quoniam monstra sunt de rarò contingentibus & nullum dubium rationabile esse potest, quin proles ex patre & matre hominibus genita, sit homo. Occasione monstri, de quo dubitari potest aliquando, an baptisandum sit necne, Comitolius lib. 1. quæstionum Moralium cap. 8. existimat, monstrum natum cum membris humanis exterioribus excepto capite esse baptisandum, etiam sine conditione, modo ex forma pectoris certò conjici possit, ipsum habere cor humanum: quo supposito, dubitari non debet de anima rationali, quoniam ex Aristotele 2. de Partibus animalium capp. 3. & 4. principatus animæ est in corde, quod est primum vivens & ultimum moriens: alii tamen, probabiliùs, ni fallor, existimant, conditionem esse apponendam, quam superfluam contendit esse Comitolius, nisi dubia sit

A conjectura de veritate cordis humani. Porrò, si monstrum habeat omnia membra geminata conjuncta solo pectore, exactè inquirendum est, num habeat duo corda & duo pectora, quod videri poterit, si habeat diversos motus; tunc enim concludetur esse duo supposita seorsim baptisanda: si veró appareat esse unicum cor, unicus applicari debet baptismus; & dubio remanente, an sint unum vel duo supposita, unus debet baptisari absolutè, & alter sub conditione, quòd non fuerit jam baptisatus, vel quòd sit aliud suppositum à jam baptisato.

Secundò, quantùm ad partes corporis, quæ ablui debent; in genere respondendum est, talem
B corporis partem esse abluendam, ut ab eâ homo denominetur ablutus simpliciter. Quænam vero sit ea pars; dissident doctores inter se, quoniam D. Thomas loco citato docet oportere caput ablui, in quo vigent omnes sensus; quæ sententia refertur esse D. Augustini de Consecratione *dist.* 4. *Can. postquam vos:* Alii vero dicunt sufficere, ut abluatur alia pars principalis; quales sunt, pectus, humeri, aut uterus. Quod si alia pars præter istas ablueretur, magnum remaneret dubium, & sic baptisatus rebaptisari deberet sub conditione; quia in re tanti momenti tutior pars est eligenda, quidquid dicat Vasques D. 145. *nu.* 28. existimans cum quibusdam aliis, quamcunque minimam partem sufficere, v. g.
C manum & pedem, imo & digitum. Ratio illius est, quòd hoc sufficiat, ut quis dicatur simpliciter aquâ aspersus, sicut ille diceretur vulneratus simpliciter, qui accepisset vulnus in digito; nec tunc ad talem denominationem requiri, ut sumatur à majori parte, quia licet hoc necesse sit in qualitatibus habentibus contrarium, v. g. in Æthiope habente oculos tantum albos & residuum corporis nigrum; hoc tamen non requiri in isto casu, quoniam caput non est major pars corporis; verùm si ungatur in confirmatione & abluatur in baptismo, homo dicitur unctus simpliciter & baptisatus. Nonobstante tamen hac probabili ratione, non minus censerem, baptismum factum in digito solo esse iterandum ob
D sententiam oppositam, quæ sua probabilitate non caret. Si ergo nihil obstet, semper abluendum est caput, ubi vigent omnes sensus tum interni, tum externi. Quòd si infirmitas baptisandi ablutionem capitis pati non posset, abluendi essent humeri, aut pectus; quæ si aspergi non possent, lavanda esset manus, aut digitus; & si posteà cessaret infirmitas, deberet fieri iteratio baptismi sub conditione. Porrò, quando D. Thomas dicit caput esse abluendum; rectè notat Sotus, id non dicere tantum Doctorem, quasi velit, sine ablutione capitis invalidum esse baptismum, sed tantùm illicitum.

Tertiò denique, quoad quantitatem aquæ; tanta esse debet ad validitatem baptismi ut quis censeatur
E moraliter ablutus, ad quod tamen existimat Vasques D. 145. cum aliis, unam guttam esse sufficientem, contra Bonacinam & alios, quorum fundamentum est, quòd ad verum baptismum necessaria sit vera ablutio moraliter sumpta, per quam corpus humanum verè & propriè abluatur, quod fieri non potest per unicam guttam: sed ad hoc possunt respondere alii, quòd licet una gutta ex se non fluens per partem sufficientem corporis non sufficiat, possit tamen sufficere, si fluat aliquo modo per actionem externam baptisantis; unde diximus anteà, baptismum quendam judicatum fuisse validum factum à muliere, quæ digito madefacto impressisset signum Crucis super frontem pueri moribundi. Quòd si aliqui dicant, etiam minimulam quan-

titatem aquæ posse esse materiam hujus sacramenti, quia minimula particula panis est materia Eucharistiæ: non est par ratio, quia in Eucharistia sufficit, quòd sit verus panis, & non sufficit ad baptismum, quòd sit vera aqua; sed debet esse talis & tanta, ut ex eâ fiat ablutio corporis, ad quod minima pars aquæ non sufficeret.

CONCLUSIO TERTIA.

TRIPLICI ablutione potest fieri baptismus, nimirum per immersionem, per aspersionem, & per infusionem, & altera quæque harum sufficit, sive fiat semel ad significandam unitatem Essentiæ D. sive fiat ter ad denotandam Trinitatem Personarum. Sic cum D. Thoma omnes Scholastici & Rituale Romanum titulo de forma Baptismi, cujus ratio communis desumi potest ex eo quòd, his modis sufficienter homo possit dici ablutus. Baptismum primò posse fieri per immersionem, probatur ex antiquo usu Ecclesiæ, quæ communiùs adhibebat immersionem, quàm ablutionem, ut patet ex Canone 55. Apostolorum ex D. Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia cap. 2. Tertulliano de Corona Militis cap. 3. Cypriano, Basilio, & aliis Patribus. Imò immersio meliùs repræsentat sepulturam Christi, cujus baptismus est symbolum: quia per illam homo totus involvitur aquâ, sicut totum corpus in sepulchro tegitur. Baptismum secundò posse fieri per aspersionem, colligi potest ex hoc quòd D. Laurentius dicatur baptisasse aspersione solâ, quâ ceremoniâ dicuntur anteà Apostoli usi fuisse, quando erat ingens numerus baptisandorum, ut *Act.* 2. ubi tria millia hominum baptismum recepisse uno die legimus. Ratio nostra in promptu erit, quia necessaria est sola ablutio, quæ fieri potest per aspersionem copiosam. Baptismum tertiò fieri possit per infusionem, sufficienter probat communis & receptus usus Ecclesiæ Latinæ, quæ nec mergit, nec aspergit, sed solùm infundit aquam, conformiter doctrinæ Cypriani, qui in *Epist.* 66. citat Ezechielem *cap.* 36. dicentem: *Effundam super vos aquam mundam.* Verum quidem est, aspersionem non ità perfectè representare sepulturam Christi, ac immersionem: attamen aliquo modo illam exprimit ex D. Thoma, in quantùm non potest quis copiosè aspergi aquâ, nisi aliqua vel aliquæ partes corporis sub aqua ponantur. Deinde, aliter potest figurari sepultura Christi per baptismum, in quantùm, sicut corpus Christi non fuit sepultum, nisi post mortem naturalem; sic nec quis baptisari potest, nisi mortuus per peccatum originale. Tandem, non est essentiale in baptismo, quòd figuret sepulturam Christi, sed tantùm quòd corpus abluatur, quoquo modo id fiat.

OBJICIES contra id quod dictum fuit, indifferens esse, ut fiat una aut trina ablutio. Primò D. Thomas *in* 4. *dist.* 3. *art.* 14. dicit non perfici baptismum, nisi post trinam mersionem. Secundò Gelasius Papa *de consecratione dist.* 4. *cap. multi sunt,* asserit, esse evangelicum præceptum ex traditione ipsius Christi, quòd ter mergatur baptisandus. Tertiò, hoc determinasse videtur Canon Apostolorum quinquagesimus. *Evangelicum preceptum ipso Deo & Domino nostro Iesu Christo tradente nos admonet, in nomine Trinitatis*, trinâ etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere. Respondeo unicam reverà posse admitti ablutionem propter unitatem essentiæ, vel trinam ob trinitatem personarum; sed unicam sufficere ad substantiam sacramenti, ut monit D. Thomas in 3. *p. q.* 66. *a.* 8. quòd

A etiam determinavit Concilium Tolitanum 4. *cap.* 5. ubi statuitur, unicam mersionem sufficere ob hæresim Arianorum, qui trinâ mersione profitebantur naturarum triplicitatem. Ex quo patet, quòd si Ecclesia ob diversas rationes occurrentes unicam modò immersionem admiserit, & modò trinam, proinde substantialiter validus sit baptismus, sive fiat cum una aut multiplici ablutione. Quod ultrò confirmat D. Gregorius *lib.* 1. *epist.* 41. asserens, ut refertur *dist.* 4. *de consecratione*, valere baptismum utroque modo factum, licet primis temporibus doceat diligentissimè servatam fuisse consuetudinem adhibendi tres mersiones, tùm ad profitendam personarum Trinitatem & triduanam sepul-
B turam Christi; ob quas rationes hisce quoque temporibus trina immersio apud Græcos & trina infusio apud Latinos expressè præcipitur.

RESPONDENDUM ergo est primò ad D. Thomam, ipsum intelligi quando baptisans non absolvit verba nisi in ultima mersione; si enim illa absolvat in prima aut secunda, tunc validus est baptismus: si verò non absolvat ante ultimam mersionem, non valet baptismus, nisi post perfectam prolationem illorum. Quantùm ad Gelasium; non edidit canonem præcisè baptisandi sub una aut trina mersione, sed baptisandi in nomine sanctissimæ Trinitatis, quod tunc solùm in quæstionem venerat, certis quibusdam volentibus, illud posse fieri in nomine solius Christi: per
C accidens tamen addidit, trinam fieri debere mersionem, sed hoc tantùm erat ex præcepto; sicque, non obstante hoc canone, validus semper est baptismus cum unica aspersione, quandoquidem in decretis Ecclesiæ & in Conciliis nihil est propriè de fide, nisi quod directè definitur & ex instituto. Dum ergo canon allatus capite *multi sunt*, dicit, *evangelico præcepto & ex traditione Christi nos admoneri; ut in nomine Trinitatis trinâ etiam mersione sanctum baptisma fiat*; hæc particula, trina mersione, additur per accidens, quia non erat intentio Ecclesiæ pronuntiandi super illam circumstantiam, sed tantùm super hoc, quòd deberet necessariò fieri baptismus in nomine Trinitatis. Quantùm
D denique ad canonem Apostolorum; quia hactenus non certò habetur, à quo sint illi canones, ut habetur posteà agendo de Canonibus Apostolorum, ideò non sunt perfectæ authoritatis. Porrò, si omnes scriptores invehant contra Eunomium, quòd unicam tantùm adhiberet mersionem; hoc ideo est factum, quia Eunomius agebat in odium Trinitatis conabaturque amovere etiam signa illa quibus ipsa probari poterat: unde ex tali odio, illos qui in nomine sanctissimæ Trinitatis baptismum receperant, rebaptisabat. Porro si baptisans crederet triplicem ablutionem esse necessariam & absolveret formam in primâ ablutione, sequeretur mox effectus Sacramenti; quia non est in potestate mini-
E stri differre positionem sacramenti, positâ sufficienti materiâ & formâ ejus cum debita intentione Ecclesiæ; modò, non haberet intentionem actualem & formalem non conficiendi sacramentum, nisi adesset trina ablutio.

CONCLUSIO QUARTA.

IMMERSIO sine emersione sufficit; quando enim baptisans immergit puerum in flumen, etiamsi è manibus cadens parvulus non emergatur, in tali actione est vera & propria ablutio: ergo validus est Baptismus, dummodò habeatur intentio, & proferantur verba: Immò, si aliquis carens aquâ projiceret infantem in puteum, modò proferret ver-

ba, dùm illum tangit aqua, vel paulò ante, vel paulò post, & modò hoc fiat antè mortem puerii valet Baptismus. Nec quis dicat, quòd non sit ablutio, sed projectio ordinata communiter ad suffocationem; quia præcedit aliquo tempore ablutio, & suffocatio sequens non tollit rationem ablutionis.

Nec obstat, quòd minister non tangat baptisatum; tangit enim mediatè, in quantùm projiciendo est causa cur abluatur, sicut aspergens est vera causa ut aqua tangat baptisatum: in illo tamen casu quo deesset aqua, non est projiciendus puer in puteum; esset enim peccatum mortale, & incurreretur irregularitas, & suæ saluti magis consulendum est, quàm alienæ: Unde in hoc casu idem esset, ac si deesset aqua: B immò quia hæc opinio est in praxi dubia, & multi Doctores tenent puerum sic projectum non baptisari, si posteà emergeretur puer, deberet iterari Baptismus sub conditione, Controvertuntur inquam Doctores in hac quæstione, quoniam Antoninus, Angelus, Henriques, Sotus, Toletus, & alii cum Scoto *dist.* 4. *quæst.* 3. *num.* 3. negant validum esse baptismum, si cum prolatione verborum & intentione baptisandi projiciatur infans submergendus in flumen, ut accidit reverà apud Montem Pessullanum, ubi cùm baptismi causâ deferretur infans baptisandus ad locum valde distantem, morte improvisâ ipsum invadente, qui ipsum deferebat, non habens aliud remedium, infantem de C ponte, ubi erat, projecit in fluvium, dicens, *Ego te baptiso*, sicut habetur apud Panormitanum relatum à Sylvestro verbo *Baptismus* cap. 4. num. 8. Ratio, cur negant talem baptismum esse validum præfati authores, desumitur ex hoc, quòd Christus non instituerit pro materia hujus sacramenti occisionem hominis, quæ per se mala est. Sed quidquid dicant, probabilior est contraria opinio, quam tenent Panormitanus, Joannes Major, Gabriel, Soto, Suares, Valentia, Ledesma, Vasques, & Recentio cuncti: quia scilicet res nihil deest tali actioni, quo minùs sit vera & physica ablutio, sicque habentur omnia essentialia ad baptismum, licet sit etiam occisio; quia pro tunc eadem actio sortitur D duas denominationes, juxta duas moralitates quas continet; & licet, juxta communem, moralem, & usitatum modum loquendi, non posset illa actio dici ablutio, sed potiùs occisio, & projiciens potiùs deberet nominari occidens, quàm lavans, seclusis circumstantiis actionis illius; attamen illis spectatis, & considerata ipsius intentione, deberet rationabiliori titulo denominari lavans, quàm occidens, quia ipsius intentio formalis & principalior est intentio lavandi, ad quam sequitur tantùm per accidens ad suam intentionem alia intentio eundem occidendi. Quantùm ad rationem quàm allegant adversarii, Christum non instituisse occisionem pro materiâ hujus Sacramenti; hoc verùm est directè & per se, quia instituit tantùm ablutionem pro E materia; indirectè tamen & per accidens fieri potest, ut eadem actio, quæ per se tendebat tantùm ad ablutionem, tendat etiam per accidens ad occisionem.

Hoc tamen facere nullomodò est licitum, unde homo ille præfatus, qui in flumen puerum baptisandum projecit, peccavit mortaliter, & verum patravit homicidium in utroque foro, maximè in externo, quod non judicat de occultis, sed de allegatis & probatis. Deinde fieri potuit, ut talis infans moribundus suffocatus fuerit in aëre, antequam ad flumen perveniret, sicque talis præcautio potuit esse inutilis, & semper omninò est illicita, quia non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona; & A quisque tenetur magis consulere suæ saluti, quàm alterius. Hæc tamen non impediunt, quin baptismus præcitatus fuerit validus, sicut & quilibet similis foret, quia habentur semper omnia necessaria ad substantiam baptismi, nempe materia, forma & intentio ministri. Addit Sotus, si quis mergendo puerum, ipsum contra suam intentionem fineret labi è manibus suis, ita quòd submergeretur infans, nemo dubitat, quin talis Baptismus esset validus, pro tunc tamen talis ablutio esset ex parte baptisati similis projectioni: ergo in utroque casu baptismus valeret. Quoad Doctorem nostrum, licet huic opinioni videatur contrarius, alibi tamen innuere videtur oppositum, vel saltem dubius manet, ut notat Cavellus in Scholio super locum citatum & ad *dist.* 5. *quæst.* 3. ubi asserit, Scotum solùm referre quid dicatur à Richardo & aliis; ait enim: *Dicitur etiam quòd talis sic projectus non sit baptisatus.*

Quæstio III.

Quænam sit forma Baptismi?

Multi in forma Baptismi erraverunt: Gnostici, teste Irenæo, baptisabant in nomine ignoti Patris, in veritate matris omnium, & in nomine Jesu descendentis. Paulianistæ non baptisabant in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, ut testatur Innocentius primus Epistolâ 22. cap 5. Unde Concilium Nicænum jubet ipsos rebaptisari. Aliqui Arianorum baptisabant in nomine Patris per Filium in Spiritu sancto; unde Nicephorus lib. 13. cap. 35. refert quemdam Deuterium Arianum Episcopum voluisse sic baptisari, & subitò evanuit aqua. Alii alio modo baptisabant non servatâ formâ præscriptâ, ut in nomine Patris majoris, Filii minoris, & Spiritûs sancti. Alii tandem baptisabant ritu Catholico: unde in Concilio primo Arelatensi can. 8. jubetur interrogari Arianos sub quâ formâ baptisati sint. Eunomiani baptisabant in mortem Domini. Græci, qui baptisabant sub hâc formâ, *Baptisetur talis servus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, validè quidem baptisabant, quia utebantur tali modo, ut vitarent occasionem schismatis orti inter primos Christianos, quorum alii dicebant, *Ego sum Pauli, ego Cephæ*; quia baptisati erant, vel à Paulò, vel à Cephâ, ut habetur, 1. Corinth. 3. Sed errabant in hoc, quòd auderent rebaptisare illos qui erant baptisati more latino, & hic error damnatus fuit in Conc. Later. sub Innocentio III. Lutherus tandem baptisabat sub nostro ritu; at volebat hoc non esse necessarium ad substantiam Baptismi, sed dicebat esse validum, dummodò esset datus in nomine non hominis, sed Domini; immò, volebat Baptismum quocumque nomine datum valere, dummodò suscipiens illum reciperet in nomine Domini. Superest nobis explicare mentem Catholicam, quod fiet in conclusionibus sequentibus.

Conclusio Prima.

Forma Baptismi est hæc; *Ego te baptiso in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Sic Concilia Florentinum & Tridentinum; hoc etiam habetur ex scripturâ, Christo scilicet dicente Apostolis, *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*; ex hoc tamen textu non ita clarè extrahitur forma Baptismi, ut non

ut non recurrendum sit ad traditionem & declarationem Ecclesiæ; quia licet Evangelium præcipiat baptisare in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S. non jubet tamen dicere, *Ego te baptiso in nomine Patris, &c.* sicut quando Christus præcepit prædicare vel dare eleemosinam, non tenemur dicere, ego vos doceo, nec, ego vobis eleemosinam do in nomine Christi; sed sufficit, quòd illam demus ob Christum; sic etiam quando Christus jubet baptisare in nomine, &c. satisfit præcepto, quando aliquis infundit aquam ob nomen Patri, & Filii, & Spiritûs sancti, & non est necessarium, quòd hoc exprimatur, dummodò habeat in mente. Forma ergo Baptismi habetur tùm ex sacrâ Scripturâ, quæ docet Baptismum debere fieri in nomine Patris, & Filii, & Spiritu sancti; tùm ex traditione Ecclesiæ, quæ declarat quòd debeamus dicere expressè & vocaliter, *Ego te baptiso.*

Conclusio Secunda.

IN formâ Baptismi debet necessariò exprimi actio baptisantis, non verò necessariò exprimitur persona ministri. Prima hujus conclusionis patet ex Concilio Florentino cap. 1. de Bapt. ubi habetur, *Si quis puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, & non dixerit, Ego te baptiso, puer non est baptisatus.* Illa autem actio potest exprimi verbo activo; dicendo, *Ego te baptiso*; vel verbo passivo, ut, *Baptisaris à me in nomine Patris, &c.* vel imperativo, ut, *Baptisetur servus Christi*, sicut aïunt Græci; vel *Baptiseris à me*; immò, sufficit, ut quis utatur nomine synonimo, dicendo, *Ego te lavo, abluo, intingo, mergo, mundo, &c.* hoc tamen non licet. Valet etiam si repetatur ter, *baptiso*, dicendo nimirum, *Ego te baptiso in nomine Patris, ego te baptiso in nomine Filii, ego te baptiso in nomine Spiritûs sancti*, modò eodem tempore morali proferantur verba. Secunda pars conclusionis patet ex formâ Græcorum, quæ supprimit expressionem personæ ministri; ministri enim apud Græcos non dicunt, *Ego te baptiso*, sed *Baptisetur servus Christi*, ubi talis forma ministrum supprimit; & ipsa est legitima, ut docet Concilium Florentinum. Quòd etiam apud Latinos pronomen, *ego*, possit omitti, patet; quia intelligitur sub verbo; *baptiso*; ob præceptum tamen Ecclesiæ omittendum non est; & qui scienter omitteret, peccaret.

Quantùm ad sensum substantialem, coincidit forma Græcorum cum eâ quæ habetur apud Latinos, quia in utrâque exprimitur persona baptisantis; explicitè quidem apud Latinos, qui dicunt *Ego te baptiso*, tacitè verò apud Græcos, ubi ex circunstantiis tacitè subintelligitur respectus ad ministrum, dum dicitur *Baptisetur servus Christi*, id est, (à me;) unde validus censetur baptismus, si conferatur à Latino sub forma Græcorum & vice versâ; non obstante glossâ Innocentii in caput. *Si quis extra de baptismo.* Ubi docet, non valere baptismum inter Latinos collatus sub forma græca, sicut refert Adrianus *in 4. cap. de Baptism. quæst. 2.* Nam talis opinio erat tanquam Doctoris privati; quoniam erat tantùm glossa, quam scripsit, inquiunt plurimi, antequam esset Pontifex. Quod si Albertus *in 4. dist. 3. art. 2.* referat tres religiosos more græco baptisatos, fuisse rebaptisatos Romæ; respondetur communiter, quòd incerta sit hæc historia, vel quòd acciderit eo tempore quo nondum definita erat quæstio; unde Gregorius IX. cùm primò jussisset Dalmatas sic baptisatos rebaptisari; post exactiorem deliberationem hoc fieri prohibuit. Porrò, ratio diversitatis Græcorum à Latinis quoad expressionem orta est ex hoc quòd 1. ad Corinth. 1. acciderit schisma inter Corinthios, quorum alii dicebant, *Ego sum Pauli*; alii, *Ego sum Apollo*: alii, *Ego sum Cephæ, quos ibi reprehendit* Apostolus, dicens, *Numquid in nomine Pauli baptisati estis?* unde ad vitandam tale schisma, noluerunt Græci exprimere nomen ministri, quod retinuerunt Latini. Ubi tamen notandum est, quòd licèt non sit necessarium exprimere formaliter personam baptisantis, illa tamen semper exprimatur implicitè apud Græcos, quia quando dicunt, *baptisatur, vel baptisetur talis*; idem est, inquit Scotus *in 4. dist. 6. qu. 2. num. 5.* ac per istum actum meum circa istum, baptisetur ille.

Conclusio Tertia.

PERSONA baptisanda debet necessariò exprimi; sicut enim materia proxima seu ablutio debet versari circa determinatam personam quæ abluitur, sic & verba debent talem personam exprimere. Persona autem baptisanda potest exprimi vel per pronomen, *te*, aut *vos*, dignitatis causâ, modò baptisans velit semper significare singularem personam; hoc tamen faciens peccaret, non verò si essent plures personæ quæ baptisarentur; pro tunc enim minister posset dicere, *Ego baptiso vos*, id est, *te & te*; & hoc etiam non debet fieri nisi in necessitate; licet enim teneret Baptismus, peccaret tamen baptisans in plurali. Potest etiam exprimi persona baptisanda per verbum passivum secundæ personæ; ut, *Baptiseris à me*, aut, per nomen proprium; dicendo, *Ego baptiso Petrum*; aut per appellativum, *Ego baptiso tuam dominationem*. In Ecclesiâ etiam Græcâ exprimi debet persona baptisanda, saltem sub his verbis, *Baptisetur hic servus Christi, &c.* non tollitur autem Baptismus, si sit error in nomine, aut personâ, ut si quis diceret, *Baptiso te Petre*, cùm sit Joannes, aut crederet baptisare puerum, & baptisaret puellam, valeret Sacramentum, nisi restringeret suam intentionem ad talem personam; tamen qui sic ageret graviter peccaret.

Conclusio Quarta.

AD legitimam formam Baptismi requiritur expressio unitatis Naturæ D. & expressa invocatio sanctissimæ Trinitatis. Probatur prima pars ex ipso usu Ecclesiæ, quæ baptisat in nomine & non in nominibus, Patris & Filii & Spiritus S. Quando enim dicitur *in nomine*, idem est, ac in virtute, autoritate, divinitate, & invocatione Patris, & Filii, & Spiritûs S. unde non est dicendum, *in nominibus*, juxta dictum Augustini *lib. 3. contra Maximinum cap. 22.* ubi inquit: *Dicitur in nomine, non in nominibus; hi enim tres unum sunt & hi tres unus est Deus.* Idem habet Hieronymus *in cap. 4. ad Ephes. Non baptisamur, ait, in nominibus Patris, & Filii, &c. sed in uno nomine, quod intelligitur Deus.* Cum ergo ly *in nomine* significet Deitatem, & Deitas sit una, & hoc mysterium spectet ad primum articulum fidei, & præcipuum, debet proinde exprimi in eo ipsa unitas essentiæ D. & dici proinde *Ego te baptiso in nomine.* Quòd si dicant aliqui, baptismum collatum in nomine Patris & in nomine Filii & in nomine Spiritûs sancti, esse validum, quod tamen æquipollet *nominibus*, quia multa singularia correspondent uni plurali: Respondeo, propter hanc rationem, multos invalidare talem baptismum; alios verò existimare quidem probabiliter, illum esse va-

lidum, si per talem modum loquendi intelligatur tantùm repetitio nominis, non verò nominum multiplicatio; quando enim multa singularia multiplicantur, important plurale; quando verò tantummodò repetuntur, nulla exurgit pluralitas. Quidquid sit, nunquam utendum est tali formâ, imò rebaptisandus foret sub conditione ille qui sic fuisset baptisatus.

PROBATUR secunda pars, quòd sit necessaria expressa invocatio Trinitatis; Matth. enim ultimo habetur, *Baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Hoc tamen non sufficit ad probandam expressam invocationem Trinitatis, ut diximus in prima conclusione; quia licet Evangelium præcipiat baptisare in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, non tamen dicere præcipit, *Ego te baptiso in nomine Patris,* unde recurrendum est ad traditionem, quâ reperitur talem modum baptisandi semper fuisse usitatum in Ecclesia. Ratio à priori, quare talis expressio fieri debeat petitur ex sola institutione Christi; ratio verò à posteriori est, quia baptismus est sacramentum fidei, quo per fidem jungimur Ecclesiæ, unde necessarium est in illo profiteri explicitè mysterium Trinitatis, quod est nostræ religionis primum; & designare tres personas in particulari, unde baptismus factus in nomine Trinitatis esset invalidus, sicut & ille qui fieret in nomine Christi, ut habetur Canone 50. Apostolorum improbante baptismum datum in morte Christi, cujus hæc ratio allegatur, quòd non dixerit Dominus, In morte meâ baptisate; sed, Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti. Cùm ergo non dixerit etiam Christus, Baptisate in nomine Christi, ideò talis baptismus esset invalidus.

OBJICIES, baptismum fuisse collatum ab Apostolis in nomine Christi, ut habetur *Act.* 2. 8. 10. & 19. Aliqui respondent, id fecisse Apostolos in principio Ecclesiæ per dispensationem particularem, ad nomen Christi divulgandum reddendumque gloriosius, quod tunc erat apud Judæos & gentes maximè odiosum. Sic D. Thomas 3. *part. quæst.* 66. *art.* 6. *ad* 1. D. Bonaventura *dist.* 3. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 2. *ad* 3. Scotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst.* 2. *num.* 7. Imò & ferè omnes veteres Theologi, fundati in hoc, quòd tam frequens reperiatur repetitio talis modi baptisandi, ut negare non liceat, talem modum fuisse in usu, quod nunc ampliùs facere non liceret. Probabiliùs tamen hoc negant alii, fuisse aliquando aiunt factum, aut fieri licitum, talemque dispensationem gratis esse fictam, cùm de eâ nulla reperiatur mentio, nequidem apud Patres. Unde respondent communiter, quòd per textus allatos Scripturæ, intelligi debeat, baptismum fuisse collatum non in expressione nominis Christi, sed in fide & in merito ipsius, sicut Marci ultimo dicitur, *In nomine meo dæmonia ejicient.* Deinde, si baptisaverunt Apostoli in nomine Christi, hoc est baptismo instituto per Christum, non verò baptismo Joannis. Tandem, licet semper Apostoli expresserint in particulari tres personas, attamen probabile est, quòd ad majorem Salvatoris gloriam & ut ejus nomen magis commendaretur, usi potiùs fuerint nomine Christi, dicendo, *Ego te baptiso in nomine Patris, Christi, & Spiritûs sancti.*

QUÒD si Nicolaus Papa, ut refertur 24. *de Consecratione dist.* 4. consultus, an Baptismus collatus à Judæo in nomine Trinitatis, vel tantùm in nomine Christi esset validus, responderit affirmativè; alii dicunt, determinasse quidem authoritate Pontificiâ, Baptismum à Judæo collatum esse validum, sicut & in nomine Trinitatis, exprimendo scilicet personas; determinasse verò tantùm, ut privatum doctorem, validum esse baptismum datum in nomine Christi: in quam sententiam adductus fuerat authoritate S. Ambrosii qui hoc crediderat, ut patet *ex lib.* 1. *de Spiritu sancto cap.* 3. non recordatus, quid anteà Pelagius & Zacharias determinaverant. Nam verum est, quod Pelagius Papa ex cap. *Si reverà.* 30. *de Consecratione. d.* 4. reprobaverat baptismum collatum solummodò in nomine Christi, sicut Zacharias Papa Epist. 10. ad S. Bonifacium, ut refertur *cap. in Synodo.* 83. *eâdem dist.* Alii autem sentiunt, Nicolaum Papam non approbasse Baptismum datum in nomine Christi, per exclusionem aliarum personarum; benè autem per illarum inclusionem, specificando scilicet Patrem, & Spiritum sanctum & loco Filii apponendo nomen Christi. Quantum ad illos qui baptisarent *in nomine primæ, & secundæ, & tertiæ personæ,* dicitur communiter, tales non baptisare validè, quia non sufficienter exprimeretur mysterium Trinitatis. Sicut nec quando diceretur, *In nomine omnipotentis & sapientis & boni;* quia sunt tantùm nomina appropriata, non propria. Si baptismus detur *in nomine Genitoris, & Geniti, & procedentis ab utroque,* talem invalidant veteres Theologi, nimirum D. Thomas 3. *part. quæst.* 66. *art.* 5. *ad* 7. D. Bonaventura, Scotus, Richardus, Soto, Suares, & alii; quia, ut inquit D. Thomas, verba quibus confertur sacramentum, debent esse maximè communia. Quia tamen ex hac ratione sequeretur, baptismum linguâ ignotâ collatum non esse validum, quia illius verba non essent perspicua; ideò ad aliam rationem recurrendum est, quòd scilicet sic Ecclesia nunquam dederit baptismum; quod Christus præceperit vocabula Patris, & Filii, &c. & quòd magni nominis doctores dubitent de tali baptismo. His tamen non obstantibus, non desunt multi, qui contrarium sentiant: nimirum Cajetanus, Innocentius, Godfredus, Joannes Andreas, Franciscus à Victoria, & quidam alii; unde ob tale dubium hic baptismus esset sub conditione iterandus. Si quis inter baptisandum dicat, *Ego te baptiso in nomine Patris, Filii, Spiritûs sancti,* omittendo copulam, probabiliùs tenet major doctorum turma, hunc baptismum non valere, quia videntur personæ confundi more Sabellianorum, & solis distingui nominibus. Non desunt tamen qui contrarium teneant, quia sæpe Latini idem tribuentes pluribus, subintelligunt copulam, solam virgulam addendo. Si quis dicat, *Ego te baptiso nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti,* subticendo particulam: *In,* communiùs tenetur validum esse baptismum: imò aliqui censent esse culpam tantùm venialem; Angelus verò, Sylvester & Præpositus censent, talem baptismum invalidum, quia talia verba tunc præ se ferunt alium sensum, quòd scilicet baptisans baptiset vice Patris, ubi particula *in* denotat, ipsum fieri authoritate Patris, & Filii, & Spiritûs sancti; unde etiam rebaptisandus esset propter has differentes opiniones taliter baptisatus: non sic verò, si omittatur particula, *amen;* quoniam ipsa non reperitur in Rituali Romano.

QUÆSTIO IV.

De Ministro Baptismi.

ALIAS dubitatum fuit an Baptismus esset validè collatus à non baptisato; unde Augustinus in hac difficultate dubius hæret, dicens, se non audere super id determinare quidquam, lib. scilicet

2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. sed hoc A determinavit Concilium Florentinum, ut Augustinus cupiebat; scilicet licere in casu necessitatis, sivè laïco, sivè viro, sivè fœminæ, sivè Christiano, sivè pagano, baptisare, modò adsint materia, forma & intentio. Quæ sit mens nostra super diversitatem ministrorum, aperietur; si priùs notaverimus, nullum posse se baptisare Baptismo Fluminis, licet possit se baptisare Baptismo Flaminis, eliciendo scilicet actum contritionis perfectæ cum voto Baptismi Fluminis.

Conclusio Prima.

Quilibet homo, dummodò possit loqui & abluere, sivè sit homo, sivè mulier, sivè Catholicus, sivè hæreticus, sivè fidelis, sivè infidelis & paganus, potest esse minister Baptismi. Sic Concilium Florentinum in decreto de Armenis, ubi dicitur: *In causâ necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laïcus & mulier, immò & paganus & hæreticus baptisare potest, modò Ecclesiæ formam servet, & facere intendat quod illa facit.* De hâc re jam nulla superest difficultas inter Catholicos, licet fuerit maxima tempore Cypriani & Augustini, ut diximus. Hæc conclusio intelligi debet, conformiter Concilio citato, in necessitate; extra enim necessitatem licet validus esset Baptismus, tamen committeretur peccatum, si aliquis non Pastor, non Sacerdos, non fidelis baptisaret. Sacerdos, qui extra necessitatem sine solemnitate baptisaret, peccaret mortaliter, sicut & ille qui baptisaret in domo privatâ nisi ex commissione. Porrò, ratio conclusionis nostræ petitur ex institutione Christi, quæ nobis innotescit ex traditione Apostolicâ. Ratio verò congruentiæ desumitur ex hoc, quòd sicut hoc Sacramentum est omnibus necessarium, ideò Christus congruenter voluit ipsum instituere in materiâ communi & à ministro communissimo, saltem in necessitate. Nec ejusdem rationis est Pœnitentia, quia pendet à jurisdictione. Si quis autem quærat, quinam ordo debeat servari inter hos ministros necessitatis; respondetur, quòd cæteris paribus, Sacerdoti debeat cedere Diaconus, isti Subdiaconus, Laïcus Clerico, Infidelis Fideli, & Fœmina Viro; omnes enim isti ministri, sunt ministri necessitatis; ubi autem est vir, non est necessaria mulier. Dixi, cæteris paribus, nam si Sacerdos non posset ritè Baptismum ministrare, aut non vellet, nisi daretur pecunia; quilibet alius baptisare posset, servato semper ordine. Si fiat taliter in verso, ut Clerici inferiores, Laïci, vel fœminæ, baptisent coram Sacerdote, vel Diacono, paratis ad baptisandum, peccatum est mortale, quidquid dicant Suares & Valentia, esse tantùm veniale; quia tunc indebitè usurpatur munus alienum, quod Sacerdoti & Diacono competit vi ordinationis, aut jure Parochiali, si adsit Parochus: unde Augustinus agens de Laïco baptisante ait lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13. *Nullâ cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est: Si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum*; quod denotat, extra necessitatem, hoc esse grave peccatum. Inversio autem ordinis inter alias personas, dicit quidem aliqualem incongruentiam, quæ tamen doctoribus non censetur peccatum mortale.

Conclusio Secunda.

Solus Sacerdos, isque Parochus, est minister ex officio; quatenus enim Presbyter, habet potestatem ordinis ex jure divino; & quatenus Parochus habet potestatem jurisdictionis in suos subditos, ex concessione Episcopi; unde in Canone, *interdicimus*, prohibetur districtissimè, nè Sacerdos extra casum necessitatis baptiset non sibi subditum. Licet autem solus Sacerdos sit minister ex officio, Diaconus tamen est capax hujus ministerii ex concessione, vel jussu Sacerdotis, etiam so- B lemniter, ut patet ex Pontificali Romano dicente, *Diaconum debere baptisare*, ex commissione scilicet, & absente Presbytero; non verò ex officio, ut determinavit in jure Canonico Clemens Romanus lib. 8. Constit. Apostolic. 46. Ratione talis commissionis olim Diaconi baptisabant cum solemnitate, ob penuriam Sacerdotum; Subdiaconi autem & alii clerici non possunt baptisare extra necessitatem, nisi ex commissione Summi Pontificis. Quòd si quis quærat, utrùm ministri unitas requiratur in Baptismo; respondebitur affirmativè: unde si unus ablueret & alter proferret verba Baptismi, non esset Baptismus: illi enim qui non ablueret, & diceret, *Ego te baptiso*, mentiretur; plures tamen possunt unum baptisare, quatenus scilicet quilibet infunderet aquam & proferret verba, & pro tunc, si simul infunderent & verba proferrent, omnes C baptisarent; si verò unus priùs alio aquam infunderet & verba proferret, ille solus baptisaret.

Circa hanc quæstionem quinque admittunt Catholici, ut optimè notat Bellarminus. Primò: Ordinario jure competit Episcopis & Sacerdotibus potestas baptisandi ex officio; primariò scilicet Episcopis, qui illud communicant secundariò Sacerdotibus; potentia enim baptisandi est actus jurisdictionis, unde Sacerdotes illâ uti nequeunt, nisi in quantùm ipsis conceditur ab Episcopo, sicut nec absolvendi facultas. Quòd autem Sacerdotibus tantùm competat hoc officium, patet ex Concilio Florentino *in decreto de Armenis*, ubi reliqui inferiores excluduntur. Secundò, Licet Diaconis ex officio non conveniat baptisare, possunt tamen so- D lemniter ex commissione Episcopi & Sacerdotis. Sic communiter Doctores cum Catechismo Concil. Trident. cap. de baptismo; ubi habetur expressè, posse Diaconum baptisare permissu Episcopi, aut Sacerdotis. Unde in ordinatione Diaconi ex Pontificali Romano habetur, Diaconum oportet baptizare; sicque Diaconi, ex vi ordinationis suæ, sunt ministri extraordinarii Sacramenti hujus; quod nusquam competere potest Subdiacono, nec aliis Clericis minoribus; qui, quâcunque urgente necessitate non possunt baptisare solemniter per commissionem Episcoporum, aut Parochorum, sed opus habent dispensatione Summi Pontificis, qui potiùs dicendus est tum illis dispensare, quàm ipsis com- E mittere tale officium. Licet Diaconus ex commissione possit baptisare solemniter, hoc non potest tamen, etiam in extrema necessitate, nisi actu talem licentiam habeat à superioribus, ut patet ex Catechismo Pij V. Posset tamen quilibet Sacerdos simplex in necessitate baptisare solemniter in absentia proprii Pastoris. Quòd si Sacerdos simplex baptisaret solemniter in præsentia Pastoris, peccaret quidem, sed non incurreret irregularitatem, sicut Diaconus, qui solemniter baptisaret in absentia Pastoris, non obtentâ ipsius licentiâ. Hanc irregularitatem respectu Diaconi probant Sylvester, Navarrus, Soto

& aliqui alii ex capite. *Si quis extra de clerico non ordinato ministrante*: ubi hæc pœna imponitur cuilibet homini baptisanti, aut aliud divinum officium exercenti quod non fuerit ordinatus: quam pœnam proinde extendunt ad diaconum baptisantem solemniter sine commissione, quia, inquiunt, ad hoc non est ordinatus. Sed alii negant hanc pœnam incurri à diacono, quia ex vi ordinationis suæ habet potentiā proximam, ut tale ministerium sibi concedatur. Sic inter alios noster Herinck disputatione 6. de Ministro §. *secunda pars*. Porro, diacono potest committi administratio baptismi, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in occasione qualibet judicio ministri ordinarii determinandâ; v. g. ob multitudinem baptisandorum, infirmitatem sacerdotis, aliasque graves causas, vel occupationes in quibus baptismus diu differretur cum notabili incommodo illorum, qui parati accedunt; unde Apostoli baptismum commiserunt diaconis, ut faciliùs prædicationi vacarent.

Tertiò, nunquam licet laïcis solemniter baptisare, neque etiam privatim, quando adest sacerdos, diaconus, aut alii clerici minores, nec etiam ipsis absentibus, extra casum necessitatis. Sic Augustinus *l. 2. contra epist. Parmeniani c.* 13. Cujus ratio est respectu saltem sacerdotis & diaconi, quòd non liceat usurpare officium alterius; in casu tamen extremæ necessitatis laïcos baptisare posse, perpetua est Ecclesiæ consuetudo, cujus initium ostendi nequit, quod denotat talem usum esse ex traditione apostolica, ut sæpius argumentatur Augustinus; unde ineptè Calvinus excogitavit *lib.* 4. *Institutionum cap.* 15. *§§.* 20. 21. *&* 22. nec in extrema necessitate licere baptisare iis qui non sunt ordinarii Ecclesiæ ministri adhoc ipsum vocati & ordinati. Quod dicitur communiter de casu necessitatis, idem dicendum est quoad valorem baptismi extra necessitatis casum; quia necessitas non mutat Sacramentorum essentiam: unde sacramentum, quod taliter factum validum est in necessitate, extra necessitatem non est invalidum, sed tantùm taliter fieri non licet, & peccarent illi, qui ipsum tali modo conficerent.

Quartò, Catholici fatentur baptismum à non baptisatis collatum valere, modò ritum baptisandi legitimum observent. Hoc aliquando controversum fuit apud Catholicos, ut patet *ex Concilio Elibertino*, ubi *Can.* 38. determinatum est, laïcos posse baptisare, modò ipsimet baptisati sint, & non bigami. Imò Augustinus *lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap.* 13. proponit quæstionem, an non baptisatus possit baptisare, & dicit se non audere determinare rem, cum in nullo generali Concilio ipsa definita sit; nunc autem in Concilio generali Florentino præcitato determinatum est, in casu necessitatis hoc posse fieri, etiam à pagano, ut diximus anteà: ergo conveniunt Catholici, quòd validus sit baptismus à non baptisato collatus, sicut probavimus agendo de Sacramentis in genere, probitatem scilicet & fidem non requiri in sacramentorum ministris. Quod ante Concilium Florentinum statuerat Nicolaus Papa Can. *à quodam Judæo, de consecrat. dist.* 4. Unde si Gregorius II. jussit in epistola ad Bonifacium Can. *quos à paganis. de consecrat. dist.* 4. rebaptisari à paganis baptisatos; hoc non tam fecit propter vitium ministri, quàm ob vitium formæ sacramentalis. Quoad Concilium Elibertinum, asseruit, quod certum erat laïcos baptisatos posse baptisare; ad reliqua autem non extendit suum canonem, sed ea reliquit sub dubio. Ad Augustinum denique, ultrà quod loco citato erat paratus determinationi Ecclesiæ, quæ posteà facta est à Stephano Papa, & publicè à Concilio Florentino, *lib.* etiam 7. *de Baptismo cap.* 53. dicit, quòd si sua sententia quæreretur, responsurus esset, baptismum à quocunque & ubicunque, esse ratum, modò verbis Evangelicis consecretur.

Quintò denique, conveniunt omnes Ecclesiæ doctores, fœminas etiam in extrema necessitate posse baptisare, ut habet expressè Concilium Florentinum loco præcitato, Carthaginense 4. *Can.* 100. Urbanus II. in epistola ad Vitalem, ut habetur 30. *quæst.* 3 *Can. super his*. & usitatur communiter in Ecclesia, conformiter exemplo Testamenti Veteris, ubi *Exodi* 4. Sephora uxor Moysis filium suum circumcidit; quæ Circumcisio erat figura Baptismi, & idem ex ipso Calvino operabatur ac baptismus. Quod si in Concilio Carthaginensi suprà memorato, *Can.* 100. prohibentur mulieres baptisare; excipitur casus necessitatis, ut patet ex Petro Lombardo *lib. 4. sentent. dist.* 6. & ex Gratiano Canone *mulier. de consecrat. dist.* 4. qui canoni simpliciter dicenti, *Mulier baptisare non præsumat*, addunt, *nisi necessitate cogente*. Deinde, hoc intelligitur de potestate unquam baptisandi solemniter; quia sibi officium tingendi seu baptisandi eo tempore arrogabant mulieres. Contra quas etiam agit Tertullianus *lib. de Baptismo cap.* 17 Si quis dicat solis episcopis licere conferre baptismum, quia illis solùm dictum est in persona Apostolorum: Docete omnes gentes: ergo nec laïcis nec fœminis licet tradere baptismũ: Respondeo, ibi Christum non dedisse potestatem baptisandi, quam anteà habebant & exercebant Apostoli ante passionem, dum nondum erant episcopi aut sacerdotes: ibi ergo dedit tantùm ipsis episcopis mandatum baptisandi vel jus baptisandi primarium. Si quis dicat cum Calvino, Collatio baptismi pertinet ad ecclesiasticum ministerium: ergo nec ad laïcos, nec ad mulieres potest spectare: Respondeo, baptisare solemniter pertinere quidem ad ministerium ecclesiasticum, sicut & prædicare, aut docere; attamen hæc omnia privatim licent & in necessitate, ut patet Actuum 18. ubi Aquila & Priscilla uxor ejus quemdam Apollinem non sat instructum docuerunt. Imò mulieres catechisant communiter, & præsertim Moniales S. Ursulæ, conformiter Diaconissis primitivæ Ecclesiæ fœminas baptisandas instruentibus.

Nè id quod in fine hujusce conclusionis diximus de unitate, aut pluralitate ministrorum, obscurum remaneat, tria nobis superaddenda sunt. Primò, licet unus minister possit plures baptisare, dicendo, *Ego vos baptiso*, ut vult Scotus in 4. *dist. 6. quæst.* 2. *num.* 6. cum aliis communiter; quoniam potest minister iisdem verbis consecrare plures hostias & absolvere plures pœnitentes imminente naufragio: hoc tamen fieri nequit sine peccato mortali extra gravem necessitatem, quidquid censeant aliqui. Quòd si hoc taliter aliquando fiat, quòd baptisentur plures simul, tunc erunt plura baptismata, ut notat Scotus, quia baptisatio est actio transiens, quæ afficit terminum & ad multiplicationem illius multiplicari debet; sicut plures dicuntur creationes, quando Deus eodem actu creat plures creaturas. Quòd si dicatur esse tantùm unicam formam; respondet esse virtualiter multiplicem, quia *vos* includit multiplex singulare, ita quòd sit idem ac *baptiso te & baptiso te in nomine Patris*. Secundò, ut diximus, non potest baptismus perfici à pluribus ministris partialiter concurrentibus ad sacramentum, uno scilicet fundente aquam & alio proferente verba. Tunc, inquam, baptismus invalidus est, quia

talis semper fuit sensus Ecclesiæ, quòd intellexerit A Christum sic instituisse baptisma, ut vellet eundem abluere & verba proferre, quod omnes doctores asserunt. Quòd si plures sic baptisarent, ut unus diceret, *Nos te baptisamus*, & alius infunderet aquam, nec etiam pro tunc sacramentum esset validum; *nos* enim idem valet ac ego & ille, quod tunc falsum esset, quia unus tantùm baptisaret, non verò alius. Ejusmodi tamen opinio, quâ existimaretur baptismum taliter collatum esse validum, non est hæretica, sicut nec si diceretur more græco, *Baptisetur servus Christi*; quia nunquam fuit damnata, imò aliqui scolastici eam probabilem judicant; nimirum Marsillius *in 4. dist. 4. art. 4.* Caietanus 3. *p. q. 67. art. 6.* Paludanus *dist. 3. quæst. 2. art. 3.* & Durandus B eodem loco *quæst. 3.* Quia licet *nos* in sensu diviso idem sit ac ego & alius, ut quando dicitur, nos currimus, idem est ac ego curro & ille; in sensu tamen composito potest *nos* sic intelligi, ut denotet plures facere eandem actionem sicut quando dicitur, nos duo trahimus currum, illa actio non dividitur, nec verum est, quòd ab unoquoque separatim currus trahatur; sed quòd duo simul trahant. Licet ergo non non verum sit, quòd illi duo baptisent seorsim, dici tamen poterit, quòd baptisent simul. Etsi autem hæc ratio reddat opinionem Marsilii & Durandi probabilem, non est tamen admittenda in praxi; imò, Synodus Mechliniensis 2. approbata à Paulo V. dicit, talem modum esse contra C antiquissimam traditionem, unde clarissimi Theologi cum D. Thoma, D. Bonaventura & Scoto affirmant positive, talem baptismum à duobus collatum, esse absolutè invalidum. Nec est eadem ratio de sacramento matrimonii à duobus administrato, quia includit rationem contractûs. Nec idem de sacramento pœnitentiæ, ubi pœnitens adhibet materiam & sacerdos formam; quia in hoc casu necessarium est, quoniam nullus potest absolvere se ipsum, neque baptisare; unus autem & idem alium baptisare potest & applicare simul materiam & formam; unde hoc debet semper fieri juxta communem usum Ecclesiæ, quæ nunquam permisit, ut unus infunderet aquam & alter proferret verba.

Tertiò denique, quando plures eundem independenter à se invicem baptisare contendunt, singulis D adhibentibus omnia necessaria, solus ille qui prius absolvit conficit sacramentum. Si autem eodem instanti plures perficiunt, baptisabunt illi validè: quia applicant omnia ad essentiam baptismi necessaria, sicut noviter ordinati sacerdotes conficiunt sacramentum, dum cùm episcopo absolvunt verba consecrationis. Et tunc sunt plura baptismata physicè loquendo, quia sunt plures formæ & plures materiæ integræ, proindeque plura composita; taliter tamen baptisatus non debet dici bis baptisatus, sed semel duplici baptismo; sicut qui simul acciperet duo vulnera, non diceretur bis vulneratus, quia accepisset illa eodem instanti, sed diceretur semel vulneratus duplici vulnere. Porrò, licet ob has rationes, in E tali occasione possint dici plura baptismata physicè sumpta, moraliter tamen dicendum est unum sacramentum & signum rei sacræ, quia est unicum subjectum, unicum principale agens, unicus effectus, seu gratia, & unicus caracter, quia duo simul recipi non possunt; sicque secundùm communem & moralem usum loquendi diceretur esse unicus baptismus, si plures v. g. parochi eundem puerum independenter baptisarent, contendentes inter se de sua jurisdictione super talem puerum baptisandum. Hoc optimè notavit noster Guillelmus Herincx.

Quæstio V.

Quinam sint effectus baptismi & quæ dispositio?

Hæretici hujus temporis docent, peccata per Baptismum non tolli, sed tantùm tegi, aut non imputari; & fundantur in dicto Davidis: *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum, & cujus tecta sunt peccata*, sed hic error repugnat Paulo ad Ephes. 5. dicenti, *Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ.* Adversatur etiam toti Ecclesiæ dicenti, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum*, & Concilio Tridentino sess. 5. can. 5. Ad solutionem ergo Psalmistæ, dicendum est; peccata tegi & non imputari, quia auferuntur ita planè, ut videri & imputari non possint. Iidem hæretici qui veros & legitimos effectus tollere conantur à Baptismo, dicentes ipsum non verè tollere peccata, nec justificare hominem ex opere operato, neque caracterem illi conferre; falsos & purè commentitios illi attribuere contendunt, falsò asserentes, Baptismum homines impeccabiles reddere, baptismum liberare ab observatione legis divinæ, illos liberare ab obligatione ecclesiasticæ legis, per ipsum omnia vota fieri irrita, solamque memoriam baptismi posse dimittere peccata quæ post baptismum committuntur, faciendo scilicet quòd illa non imputentur.

Conclusio Prima.

Baptismus verè & propriè tollit omne peccatum, omnem pœnam peccatis debitam, gratiam habitualem confert, & cum eâ habitus supernatules coinfusos, & gratiam Sacramentalem.

Primæ partes habentur in Concilio Florentino in decreto de Armenis, ubi dicit, *Hujus Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis, & omnis pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur.* Quòd Baptismus tollat culpam originalē constat apud omnes; quia ad hoc instituitur. Quòd tollat omne peccatum tùm actuale, tùm mortale, tùm veniale, patet; quia per Baptismum datur gratia sanctificans, cujus effectus est delere peccatum. Quòd tandem remittat omnem pœnam peccati, petitur ex Conc. Trident sess. 14. cap. 8. & ex communi traditione Ecclesiæ, quæ nunquam baptisatis imponit pœnam satisfactoriam. Ubi notandum tamen, quòd licet Baptismus tollat pœnam inflictam à Deo, non tamen ab homine; unde puniuntur illi post Baptismum, qui ante Baptismum fuerunt homicidæ; sicut enim homines scandalisati sunt per cuulpam publicam, sic debent reparari per pœnam publicam; in foro tamen interiori possunt judices parcere in favorem Baptismi.

Quoad alias partes, probatæ sunt in primis quæstionibus capitis ultimi de Sacramentis in genere, ubi probavimus Sacramenta conferre primò gratiam habitualem, secundò habitus supernaturales coinfusos, seu gratiam virtutum, & tandem gratias Sacramentales; sed his addimus aliqua, quòd scilicet Baptismus pro secundariis effectibus conferat primò caracterem, ut probavimus in quæst. ultima de Sacramentis in genere; secundò apertionem januæ cælestis, quia confert gratiam, & gratia tollit peccatum, removetque omnia impedimenta ad ingressum cæli: tertiò confert conjunctionem hominis cum Christo: Baptismus enim confert fidem, & per fidem homo est membrum corporis Ec-

clesiæ, cujus caput est Christus: quartò tandem Baptismus facit hominem subditum jurisdictioni Ecclesiæ: quilibet enim per Baptismum fit membrum Ecclesiæ, & membrum subditur voluntati capitis.

CONFIRMATUR ampliùs, quòd baptismus non tantùm tegat, sed propriè & verè tollat peccata, ex Concilio scilicet Florentino in decreto unionis. Ex Tridentino *Sess.* 4. *c.* 2. ubi habetur. *Per Baptismum Christum induentes nova prorsus efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes.* Ac denique ex Constantinopolitano in quo decantamus communiter, *Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum.* Deinde, idem habetur in sacra Scriptura. Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*; illi autem non dicuntur propriè mundari, in quibus inquinamenta remanent, licèt tegantur. Ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis.* Ad Coloss. 2. *Cùm essemus mortui propter delicta, convivificavit nos Christo.* 1. Petri 2. *Quasi modò geniti infantes.* Ex quibus patet, peccata absolutè destrui, quoniam ista salus, ista generatio, convivificatio ista, & vita, requirunt veram mortem peccatorum & veram mutationem interiorem, non verò solam non imputationem, quandoquidem illi non verè & propriè vivificati & regeniti dicuntur, in quibus mors adhuc manet, ut prætendunt adversarii, qui volunt diabolum simul & Deum in nobis simul habitare; diabolum quidem per peccatum, quod dicunt semper in nobis remanere, Christum verò per justificationem, quam admittunt in baptisatis. Tertiò, hoc ipsum probant Patres. D. Augustinus in Enchirid. cap. 52. *Quemadmodum in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.* D. Gregorius *Lib.* 9. *Epistolarum epist.* 39. tractans comparationem baptismi cum mari rubro. 1. *ad Corinth.* 10. in quo verè & propriè suffocati sunt Ægyptii, quibus Hebræi anteà serviebant, ait: *Qui dicit peccata in baptismate non funditùs dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Idem præ aliis habet Cyprianus serm. de Ablutione pedum, dicens *Baptismum animam abluere, ut nec actualis, nec originalis culpæ vestigia relinquat.* Quoad rationem substantialem hujus veritatis, nulla alia est, quàm voluntas Christi ex Scriptura & traditione cognita, quâ instituit sacramenta tanquam productiva gratiæ sanctificantis non posito obice.

CONFIRMATUR insuper, quòd sicut Baptismus tollit omne peccatum, sic etiam remittat omnem pœnam peccatis debitam. Sic Concilium Florentinum *in decreto unionis*, ubi expressè habetur: *Hujus sacramenti effectus est remissio omnis pœnæ, quæ pro ipsa culpa debetur, propterea baptisatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio; sed morientes, antequam culpam aliquam committant, statim ad regnum cœlorum & Dei visionem perveniunt.* Idem habet Concilium Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 14. ubi distinguit pœnitentiam à baptismo, quòd in illâ pœna temporalis non tota semper dimittatur ut fit in baptismo. *Sess. etiam* 5. *Can.* 5. Renati per baptismum sunt innocentes, puri, ac dilecti Deo, ità ut nihil prorsus eos à cœli ingressu remoretur: ergo nullus remanet pœnæ reatus, quoniam ipse impedit ingressum gloriæ cœlestis. Quoad rationem hujus veritatis, nulla adhuc alia adhiberi potest, præter voluntatem Christi, nobis notam ex traditione apostolica, quam ostendit Suares. Ratio autem congruentiæ, cur Christus voluerit,

A totam pœnam relaxari in baptismo, quod non fit semper in pœnitentia, petitur, tum ex hoc quòd prima condonatio soleat semper esse liberalior, tum quia in baptismo expressiùs repræsentantur mors, sepultura & resurrectio Christi, quibus peractis nihil mansit in Christo innoxium: tum denique, quia exigit justitia, ut aliter peccata condonentur illis, qui ignoranter ante baptismum deliquerunt, quàm illis, qui scienter templum Dei attentarunt violare, agnoscentes, se per illius misericordiam fuisse liberatos à dæmonis servitute & in adoptionem Filiorum Dei susceptos: ergo congruum est, ut in prima justificatione, nedum remittatur culpa, sed & pœna relaxetur. Non tamen existimandum est, quòd ex naturâ rei major sit

B gratia Baptismi, quàm pœnitentiæ, imò est ejusdem rationis, & aliquando major in Pœnitentia, ratione majoris dispositionis & fervoris; sed differentia, quæ inter utramque intercedit, petitur ex sola voluntate Christi, innixa forsan super congruentiis præcedentes, quâ scilicet voluit, ut in prima justificatione relaxaretur omnis pœna, non verò in secunda. Porrò, licet baptismus remittat pœnas peccati, non remittit tamen pœnalitates, quales sunt fomes, mors, dolores, morbi, fames, & similes defectus, qui oriuntur ex ipsâ naturâ hominis conditi in statu puræ naturæ. Experimur enim, illa omnia remanere in nobis, quod Deus permittit, ut hæc tolerando habeamus occasionem meriti, profundiùs humiliemur, & lapsus plurimos ex-

C periendo, agnoscamus beneficium redemptionis nostræ.

OBJICIES in primam conclusionem: D. Paulus vocat concupiscentiam peccatum; sed Baptismus non tollit concupiscentiam, etiam in his qui habent omnes dispositiones requisitas ad Baptismum. Resp. Paulum appellare concupiscentiam peccatum per metonimiam, quia scilicet est causa peccati, nos enim allicit ad peccandum; non debet autem vocari propriè peccatum, sed potiùs pœna peccati. Instabis: Ergo saltem falsum est quòd dicimus, Baptismum tollere omnem pœnam peccati, quandoquidem non tollit concupiscentiam, nec malitiam, nec ignorantiam, nec infirmitatem, quæ

D sunt peccati pœnæ. Resp. duplicem esse pœnam peccati; prima dicitur pœna directa peccati, quæ est damnatio, vel aliquod opus satisfactorium, quod de lege communi debemus elicere, quando culpa peccati deleta est; secunda dicitur pœna indirecta peccati, quæ consistit in quibusdam inordinatis motibus, qui in nobis insurgere solent, quia per peccatum perdidimus justitiam originalem, quæ nos liberasset à talibus motibus. A pœnâ directâ nos liberat Baptismus, non verò liberat à pœnis indirectis, quæ à Theologis communiter potiùs vocantur pœnalitates peccati, quàm pœnæ.

E

CONCLUSIO II.

IN parvulis nulla requiritur dispositio personalis, quia non sunt illius capaces; unde super fidem alienam, nempe patrinorum, baptisantur: in adultis verò requiritur aliquid ex parte intellectûs, & aliquid ex parte voluntatis; fides nimirum in intellectu, *sine fide enim impossibile est placere Deo*, quæ quidem fides non est habitualis; habitus enim fidei datur per Baptismum, sed est actualis procedens ex speciali & supernaturali auxilio Dei. Ex parte voluntatis aliud requiritur; sed distinguendum est inter illos qui baptisantur cum solo peccato originali, & alios qui baptisantur habentes tùm

peccatum originale, tùm peccatum actuale; si enim baptisandi adulti habeant tantùm peccatum originale, sufficit voluntas recipiendi Baptismum cum proposito servandi legem Christi; & hoc requiritur, quia Deus non justificat adultum, nisi consentientem & volentem observare ea, ad quæ destinatur per Baptismum. Si verò adultus cum peccato originali habet peccatum actuale, requiritur detestatio peccati, & conversio ad Deum; non remittitur enim peccatum actuale, nisi retractetur à peccante: sicut ergo peccatum consistit in aversione à Deo & conversione ad creaturam, seu ad actum peccati; sic non potest remitti, nisi peccator per Pœnitentiam præcedentem Baptismum se convertat ad Deum, & se avertat à peccato; unde Act. 2. habetur, *Pœnitentiam agite & baptisetur unusquisque vestrum*; unde etiam Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. & 6. docet ad justificationem, quæ fit in adultis per Baptismum in re vel in voto, requiri detestationem peccatorum & conversionem ad Deum; illa autem detestatio, si habeatur per attritionem supernaturalem, sufficit.

Objicies, Augustinum lib. de Baptismo cap. 12. dicere, quòd non impediatur gratia baptismi, nec remissio omnium peccatorum, licet fraternum odium perseveret in animo baptisati; attamen peccata redire statim: ergo baptismus potest validè conferri & suum effectum habere, etiam sine pœnitentia. Respondeo, hoc non dicere Augustinum ex sua sententiâ, sed ex opinione illorum, cum quibus disputabat, & quibus loquebatur ad hominem, veluti dicens: Quamvis ex vestrâ sententiâ daretur Deum remittere adultis peccata mortalia, remanente fraterno odio, dum baptisantur, attamen illa peccata redirent statim atque desineret baptismus, eo quòd taliter baptisati noluissent absolutè resipiscere ab odio fraterno. Quod autem Augustinus sit in nostra mente, patet ex hoc quòd *Lib. de Fide ac Operibus cap. 17.* refellat quosdam, qui asserebant baptismum esse omnibus tribuendum, quamvis perseverarent in peccato, cujus oppositum docet *Lib. de verâ & falsâ pœnitentiâ cap. 8.* ubi ait: *Baptismus sine pœnitentiâ nunquam ei profuit, qui peccavit spontanè.* Nostra opinio est planè conformis sacræ Scripturæ. Act. 2. *Pœnitentiam agite, & sic baptisetur unusquisque vestrûm.* Imò & Joannes Baptista prædicabat baptismum Pœnitentiæ, ut disponeret homines ad baptismum Christi. Pœnitentia tamen ista, quæ ad effectum baptismi requiritur, non se extendit ad culpas veniales, quæ non impediunt infusionem gratiæ. Quòd si quæratur, quanta debeat esse talis pœnitentia; Cajetanus censet, sufficere voluntatem suscipiendi baptismum, quæ tamen non sit actu peccato affecta; Gabriel è contrà existimat, debere esse perfectam contritionem: sed mediâ viâ incedunt communiter Doctores, & asserunt, non sufficere voluntatem suscipiendi baptismum, nec ad illum requiri contritionem; sed necessariam esse attritionem supernaturalem, quæ sufficit. Ratio primi est, quia justitia exigit, ut qui liberè se avertit per peccatum à Deo, liberè se convertat ad Deum per retractationem & detestationem peccati. Ratio secundi desumitur ex hoc, quòd ex Conciliis Florentino *in decreto de Armenis* & Tridentino *Sess. 5. Can. 3.* Baptismus sit per se ordinatus ad deletionem peccati originalis & actualis, quod tamen nunquam faceret, si ad baptismum requireretur contritio, cujus virtus tanta est, ut omne peccatum tollat eo instanti quo animæ accedit.

Quantùm ad fidem, quæ requiritur in baptis-A mo; illa quidem non est absolutè necessaria in parvulis, ad valorem sacramenti, neque etiam aliena; si enim Infidelis quidam reperiret infantem non baptisatum, qui non haberet fidem Christi, ut pote incapacem rationis, nec haberet patrinos, qui ejus nomine postularent baptismum, non minùs validum esset nec minùs fructuosum Sacramentum, quia fides non est de essentia justificationis vel baptismi. Nihilominus tamen necessaria est ad solemnitatem ritûs, & sæpissimè ad ipsum baptismum parvulis tradendum; quia, si nemo haberet fidem, nullus expostularet baptismum pro parvulis, sicque illis sæpissimè non administraretur: Unde dicitur communiter, quòd fides saltem aliena, requi-
B tatur in parvulis, juxta Augustinum *Serm. 10. de verbis Apostoli dicentem, Accommodat mater Ecclesia infantibus aliorum pedes, ut veniant; aliorum cor, ut credant; aliorum linguam, ut confiteantur.* Quantùm ad adultos, in illis requiritur actualis & personalis fides baptismi; unde Christus *Matthæi ultimo* non tantùm præcepit Apostolis, ut baptisarent omnes Gentes, sed & ut ipsas docerent anteà, *docete omnes Gentes baptisantes eos, &c.* Marci etiam ultimo non designatur salvandus ille, qui solùm baptisatus fuerit, sed ille qui crediderit & baptisatus fuerit. Imò ille adultus qui non crediderit, licet baptisatus fuerit, condemnabitur. Quod confirmatur ex responsione Philippi Eunucho Candacis Æthiopiæ Regi-
C næ postulanti baptismum, cui dixit; *Si credis ex toto corde, licet.* Idem determinavit Concilium Tridentinum *Sess. 6. cap. 6.* & 7. Hæc autem fides, quæ requiritur, non est fides habitualis, quia habitus fidei infunditur tantùm primariò per baptismum. sed est actualis, elicita per auxilium divinum, mediante instructione: nam *fides ex auditu, & auditus per verbum Dei.* ad Rom. 10. Unde adulti qui prætendunt ad baptismum, debent anteà esse Catechumeni, seu audire fidei rudimenta, ut pro se ipsis respondeant.

Conclusio Tertia.

D Ille qui fictè Baptismum recipit, non recipit effectus Baptismi, sublatâ tamen fictione, effectus Baptismi redit; fictio autem non intelligitur de simulatione quam aliquis adhibet, cùm sine ullâ voluntate Baptismum recipit, quia pro tunc non est Sacramentum; sed ille intelligitur fictè Baptismum recipere, qui habens voluntatem recipiendi Baptismum retinet affectionem ad peccatum mortale, nec vult elicere actum contritionis, aut saltem attritionis. Primum patet ex jam dictis in conclusione præcedenti; ubi asseruimus, detestationem peccati requiri saltem in adultis, ut possint gratiam Baptismatis recipere. Quoad secundum, peritur ex Augustino, & post eum ex omnibus Theologis do-
E centibus, recedente fictione per detestationem peccati redire effectum Baptismi, seu gratiam habitualem, quæ anteà data fuisset, si non fuisset apposita fictio. Exemplificatur: Aliquis adultus vult hodie Baptismum recipere, non vult tamen deserere suum peccatum mortale, ipsum detestando; fictè recipit baptismum; & tantùm accipit rem, non verò effectum ejus, scilicet gratiam; crastinâ verò die deponit suam fictionem, id est, atteritur vel conteritur de peccatis suis, & pro tunc gratia, quam recepisset in acceptione baptismi, redit. Ratio hujus est, quia solus Baptismus potest remittere peccatum originale: debet ergo ablatâ fictione Baptismus suum habere effectum, vel iterari; secundum non potest fieri: ergo primum debet admitti; & sic re-

cedente fictione, redit gratia delens tùm peccatum originale, tùm peccatum actuale. Hæc est, inquam, mens Augustini lib. 1. contra Donatistas cap. 12. Ubi notandum, quòd recedente fictione omnia peccata, tùm originale, tùm mortale, tùm veniale, ante Baptismum commissa remittantur, & pœna etiam ipsorum, & hoc per solam attritionem, quia illa sufficit cum Baptismo. Quoad peccata verò mortalia post Baptismum & in illo Baptismo commissa, non tolluntur nisi per contritionem, quia talia peccata non habent favorem Baptismi, qui datus est ante illa. Dicendum ergo est, quòd ille qui fictè Baptismum recipit, committat sacrilegium, & illud sacrilegium non potest tolli, nisi tollatur fictio per contritionem. Sciendum etiam est, quòd sublatâ fictione per contritionem, non tollitur pœna peccatis post Baptismum commissis debita, sed tantùm de æterna fit temporalis, ut in pœnitentia. Portò, non est idem dicendum de Confirmatione, ac de Baptismo; licet enim Confirmatio non possit iterari, si quis confirmationem fictè recipiat, recipit quidem caracterem, non verò gratiam; recedente tamen fictione, non recipitur gratia habitualis, licet possit recipi gratia quædam actualis ad fidem profitendam. Ratio autem, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; cum autem augmentum gratiæ habitualis possit accipi cum attritione junctâ Eucharistiæ, non est dicendum, quòd debeat redire Confirmationis effectus.

Quæres primò, utrùm Baptismus faciat homines impeccabiles? Hoc affirmavit aliàs Jovinianus, qui testibus Hieronymo *lib. 2. contra Iovinianum*, & Augustino *libro de hæresibus cap. 82.* docuit hominem verè baptisatum non posse ampliùs peccare, nec fuisse verè baptisatum, si fortè peccet ampliùs. Hunc errorem instauravit *Ioannes Calvinus in antidoto Concilii Tridentini sess. 7.* dicens, *Baptismo tanquam Dei chirographo nos certiores reddi de perpetua adoptionis gratia, seu de prædestinatione*; vult autem electos non posse peccare, nec illos posse amittere fidem, quam semel habuerunt, *lib. 3. Institutionum cap. 2. ss. 11. & 12.* Contra hunc errorem Respondeo, Baptismum non reddere homines impeccabiles, quoniam *Act. 8.* Simon Magus credidit & baptisatus fuit; & paulò post excidit à fide & charitate. Deinde, si Baptismo homines redderentur impeccabiles, nulli unquam fierent Apostatæ, nec ulli hæretici, quod pugnat cum experientia communi approbata à Scripturis. 1. *ad Timoth.* 1. *Quidam circa fidem naufragaverunt.* 1. *ad Timoth.* 4. *In novissimis temporibus discedent quidam à fide.* Sic capite 6. & 1. Joan. 2. *Ex nobis exierunt.* Tandem, hæc hæresis refutatur à Scriptura. Ad Rom. 11. *Tu fide stas, noli altum sapere, sed time.* Ad Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati & prolapsi sunt, rursus reverti ad pœnitentiam.* 2. Petri 2. *Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ.* Quòd si ex 1. Joan. 3. *Omnis qui natus est ex Deo non potest peccare, quoniã ex Deo natus est*; hoc, & similia, in sensu composito accipienda sunt, sicut quando dicit Matthæus c. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Sic Augustinus Tract. 5. in Epistolam Joannis; & Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum exponit præallata verba, quibus solùm vult ostendere Joannes, veram justitiam non posse consistere cum peccato, nec illum esse justum qui peccat.

Quæres secundò, an baptisati possint damnari? Hoc negaverunt antiqui hæretici, qui, ut refert Augustinus *lib. 21. de Civitate Dei cap. 25.* docebant, baptisatos qui non recederent ab Ecclesia

A non posse damnari, licet impiissimè viverent. Eundem errorem renovavit Lutherus *in libro de Captivitate Babylonica, cap. de Baptismo*, ubi ait, hominem baptisatum non posse damnari, nisi nolit credere. Sed contra utrosque respondeo, hoc esse falsissimum, ut definivit Concilium Tridentinum *Sess. 6. Can. 6.* taliter enim hæretici intelligebant, baptisatos non posse damnari, retinendo fidem, quia licet committerent peccata, quæ ex naturâ suâ hominem reum facerent, tamen fides permanens in corde facit, nè imputentur talia peccata, nec gratia amittatur, nec damnari possint illi qui per baptismum obtinuerunt fidem, quam nolunt amittere. Concilium autem contra illos sic pronun-

B tiat, *Si quis dixerit, baptisatum non posse, si velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere, anathema sit.* Cum ergo juxta mentem Concilii baptisatus possit amittere gratiam, damnari consequenter potest, in tali statu moriendo. Ad hunc errorem refellendum scripsit librum integrum Augustinus inscriptum de Fide & Operibus; & contra eundem multi contextus Scripturæ allegari possunt, utpote ad Rom. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* 1. ad Corinth. 6. *Nolite errare, neque fornicarii, neque fures, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Ad Galat. 5. *Invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes: quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum*

C *Dei non consequentur.* Ubi hæc omnia dicuntur baptisatis.

Quæres tertiò, an per baptismum liberentur homines ab observatione legis divinæ? Respondeo negativè contra Lutherum *in lib. de Libertate Christiana*, ubi ait: Nullo opere, nullâ lege Christiano homini opus est, cum per fidem liber sit ab omni lege. Et contra Calvinum *Lib. 3. Institutionum cap. 19. ss. 2. 4. & 7.* & sectatores utriusque, qui existimant, Christianos non esse ità debitores legis, ut ab ejus obedientiâ pendeat illorum salus, sed à sola misericordia, quæ per fidem apprehenditur. Imò, in hoc constituunt summam libertatis Evangelicæ, quòd fidelis conscientia sit libera ob omnibus operibus, non quidem faciendis, quia volunt ea fieri, ut fi-

D dei fructus; sed accusantibus & defendentibus, quandoquidem nulla opera tam mala sunt, ut credentem accusare & damnare valeant, & nulla tam bona, quæ ipsum defendere & justificare possint. Sic Lutherus de votis monasticis. Sed quantùm hoc à veritate distet, constat ex Scriptura. Ad Galat. 6. *Nolite errare, Deus non irridetur, quæ seminaverit homo hæc & metet.* 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, sive bonum sive malum.* Ad Rom. 8. *Debitores sumus, non carni, ut secundùm carnem vivamus: si enim secundùm carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Denique Matth. 19. dixit Christus, *Si vis ad vitam ingredi, serva man-*

E *data.* Porrò eandem hæresim condemnant Patres Concilii Tridentini *Sess. 6. Can. 7. Si quis dixerit, baptisatos solius fidei fieri debitores per baptismum, non autem universæ legis Christi servandæ, anathema sit.* Idem dicendum est de lege Ecclesiastica, quòd scilicet, non obstante Baptismo, teneantur Christiani ad illius observationem, juxta Concilium Tridentinum *Sess. 6. Can. 8. Si quis dixerit, baptisatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, ità ut ea observare non teneantur, anathema sit.* Hoc definierunt Patres contra Lutherum *Lib. de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo*, & Calvinum, in suo antidoto contra Canonem istum, qui docent,

nec

nec Papam, nec ullum hominem alium posse statuere unam syllabam, quâ baptisati obligentur. Aliter tamen dicunt, liberari fideles à legibus divinis & humanis, in quantùm leges humanæ, sive politicæ, sive Ecclesiasticæ, non obligent in conscientia, nisi ratione scandali, aut contemptûs, quæ lex divina prohibet; leges autem divinæ obligent in conscientia, ita quòd eas violare sit peccatum, quod tamen non imputatur fidelibus per Dei misericordiam.

Quæres quartò, an Baptismus vim habeat irritandi vota? Hoc affirmant Lutherus in *lib. de Captivit. Babil. Cap. de Baptismo.* Calvinus in Antidoto, & Kemnitius in examine Canonis 9. Tridentini Concilii, ubi hi omnes docent, hominem per baptismum liberari ab omnibus votis, ante & post ipsum factis, dempto illo, quo, dum baptisamur, promittimus observationem legis divinæ. Contra illos respondet Concilium Tridentinum *Sess. 6. de Baptismo Can. 9. Si quis dixerit, ità revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant, anathema sit.* Hoc firmiùs probari non potest, quàm ex refutatione fundamentorum, quibus nituntur hæretici, qui dicunt primò, Christum & Apostolos nihil de votis præcepisse, nisi unicam promissionem, quam faciunt Christiani in baptismo, conformiter verbis Apostoli, Mathæi ultimo, *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos*, &c. *docentes servare omnia quæcumque mandavi vobis*: licèt Deus disposuerit de votis in Veteri Testamento, quomodò scilicet, quando, & de quibus rebus deberent fieri. Sed ad hoc respondeo, quòd, licèt nulla mentio fieret in lege novâ de votis, non minùs observari deberent, cùm sint de lege naturæ, ut patet ex Genesis 28. ubi votum emisit Jacob Patriarcha. Deinde, cùm Paulus 1. *ad Timoth.* 5. dicit, *viduas se ipsas nubentes damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt*: per hæc ultima verba de voto continentiæ loquitur, sicque falsum est quòd jactitant hæretici, Apostolos nihil tradidisse de votis. Dicunt secundò iidem hæretici, vota non posse emitti à baptisatis; quia vel fierent de rebus præceptis, & tales frustra voventur, cùm in baptismo voverint omnia præcepta servare; vel fierent de non præceptis, quod pugnat cum baptismo, qui nos ab omnibus inventionibus humanis liberavit. Ad hoc Respondeo, voveri posse, tum ea quæ præcepta sunt, tum quæ non præcepta. Præcepta siquidem, ut per votum & baptismum homo eliciat actum excellentiorem, qui producitur à duabus virtutibus, nimirum ab obedientiâ & à religione: non præcepta verò, quia, licèt baptismus liberet à peccato, non tamen absolvit ab executione eorum, quæ nos magis subjiciunt Deo, & quæ non sunt humanæ inventiones; sed potiùs sunt de Jure divino. Psal. 75. *Vovete & reddite.* Et Ecclesiastici 5. *Si quid vovisti Deo, non moreris reddere.* Nec dicendum est, præcepta antiquæ legis esse abolita; quoniam hoc verum est tantùm de cæremonialibus, non de moralibus (qualia sunt ista, quæ in utrâque lege vigent.) Dicunt tertiò, Baptisatos jam vovisse in baptismo observare legem, quam servare tamen non possunt, proindeque injuriam ulteriùs facere baptismo, si aliquid aliud voveant, quasi primum votum esset insufficiens. Respondeo, Christianos in baptismo non plus promittere quàm adimplere possint, quia Christus vocat Matth. 11 legem suam *jugum suave.* & Paulus *ad Rom.* 8. asserit Christum mortuum esse, ut lex impleretur in nobis, & Concilium Arausicanum 2. *Can.* 25. definivit, hominem baptisatum posse servare omnia Dei mandata: Nec qui post baptismum voveat aliquid, putant votum in baptismo factum esse insufficiens; quia sufficit reverà ad suum finem, nempe ut ad salutem conducat; licet addat aliquid votum subsequens, ut faciliùs aut excellentiùs salvetur aliquis.

Sibi insuper fingunt hæretici, solam memoriam baptismi in fide suscepti remittere peccata, quæ fiunt post baptismum. Sic Lutherus *Lib. de Captivit. Babil. Cap. de Baptismo.* Calvinus *Lib. 4. Institut. Cap. 15. §. 3. & 4.* & Kemnitius in censura *Can. 10. Concilii Tridentini Sess. 6.* ubi contra hanc hæresim definit Concilium, *Si quis dixerit, peccata omnia quæ post baptismum fiunt, solâ recordatione & fide suscepti baptismi, vel dimitti, vel venialia fieri, anathema sit.* In hoc fundantur Novatores, quòd sicut baptismus justificat, subjiciendo ante oculos promissiones à Deo factas, ità memoria & cogitatio baptismi justificat eodem modo à peccatis post Baptismum factis, excitando fidem; unde dicunt, sacramentum pœnitentiæ nihil aliud esse, quàm ipsum baptismum memoriâ & fide repetitum; ita quòd, sicut post baptismum non remanet ulla satisfactio reddenda, nec sunt necessariæ indulgentiæ, nec purgatorium, ità existimant post pœnitentiam, id est, post memoriam baptismi, nullam exigi satisfactionem. Contra talem errorem asserunt Catholici, memoriam baptismi esse quidem utilem, cùm sit quasi frænum ad non peccandum, & nos excitet ad gratias Deo agendas; non tamen esse sufficientem ad recuperandam gratiam amissam per peccata nova, quia, cùm sacramenta remittant peccata ex opere operato, hoc fit tantùm in illorum applicatione, & sic sola memoria baptismi non sufficit ad illorum remissionem.

Quæstio VI.

Quomodo Baptismus sit necessarius?

Calvinus in antidoto Concilii Tridentini *Sess. 7. Can.* 5. fatetur quidem, baptismum esse necessarium necessitate præcepti, Christo dicente Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*; negat tamen esse necessarium necessitate medii, quia contendit, infantes natos ex parentibus fidelibus justificari in fide parentum, sicque baptismum conferri illis qui jam justificati sunt, quibus tamen baptismus necessarius est ratione præcepti quod Deus dedit omnibus hominibus loco præcitato. Præcipua rationum quas allegat Calvinus est hæc, quòd si baptismus esset medium absolutè necessarium ad salutem, infantes, qui sine sua culpa baptismum non reciperent, privarentur medio necessario ad salutem, quod longè distat à misericordia divina; & sic vult, ad tollendum hoc inconveniens, quod filii Christianorum nascantur sancti, licet indigeant baptismo ad exequendum præceptum divinum; ita tamen, ut si absque culpa sua non recipiant illum, non minus salventur, quia non debet illis imputari in peccatum quod facere non potuerunt; sed si privatio baptismi procedat ex negligentia parentum, illi peccatum committant, sicut & adulti, qui baptismum recipere negligerent. Pelagiani olim necessitatem baptismi ad tollendum peccatum originale negaverunt, quia tale peccatum negabant; volebant tamen hoc sacramentum esse necessarium ad assecutionem gloriæ cœlestis, negare non va-

lentes præceptum Christi circa baptismi susceptionem. Sic Augustinus *Lib. de Hæresibus Cap.* 88. Contrarium horum docet Ecclesia.

Conclusio Prima.

Baptismus est necessarius tùm necessitate medii, quod colligitur ex Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum*: tum necessitate præcepti, quod desumitur ex eodem loco; quod enim est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti; illud autem præceptum obligat etiam justos, unde Apostoli & B. Virgo debuerunt baptisari; non quidem necessitate medii, quia jam anteà erant justi, sed necessitate præcepti. Hoc præceptum obligat etiam infideles, Christus enim habet potestatem excellentiæ super omnes; non obligat autem parvulos ante usum rationis; non sunt enim capaces præcepti, sed obligat parentes, in casu saltem necessitatis baptisare pueros; immò, Concilium Provinciale Rothomagi celebratum constituit sub excommunicatione parentibus, ut infans baptisetur ante nonum diem. Quoad tempus autem quo præceptum Baptismi obligavit, fuit illud (saltem quoad omnes) quo Evangelium fuit sufficienter promulgatum; in die autem Pentecostes videtur facta fuisse solemnis promulgatio Evangelii, postquam enim Petrus confutavit Judæos, qui credebant Apostolos madere musto, compunctione tacti Judæi scire voluerunt, quomodo salvari possent; hinc cepit occasionem Petrus promulgandi Evangelium, Baptismum & alia præcepta legis novæ; & in hoc sermone tria millia Judæorum sunt conversa & baptisata; quia autem in illo consessu fuerunt populi ex omni gente & regione populorum, ut habetur Act. 2. sic fuit promulgatum Evangelium, saltem in universum; hoc tamen non prohibet, quin respectu alicujus provinciæ vel civitatis, promulgatio talis fuerit insufficiens, unde posteà, *In omnem terram exivit sonus eorum*, & Evangelii & Apostolorum clamor, ad ampliorem legis novæ publicationem.

Confirmatur necessitas baptismi ex Concilio Tridentino *Sess. 7. Can. 2. Si quis dixerit baptismum non esse necessarium ad salutem, anathema sit.* Hoc idem jam anteà fuerat definitum in Concilio Carthaginensi, & Milevitano apud Augustinum *Epist.* 90. unde ipsemet Augustinus, *Lib.* 30. *de Anima cap.* 9. ait, *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptisentur morte præventos, pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* Hujus ratio est, quia id dicitur necessarium necessitate medii ad aliquem finem obtinendum, sine quo finis ille haberi non potest; sed sine baptismo non potest haberi salus, Christo dicente apud Joannem cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, non intrabit in regnum cælorum*: ergo necessarius est baptismus necessitate medii, & proinde necessitate præcepti. Nec dicendum est cum Calvino, Deum ergo non dare media ad salutem necessaria, præsertim infantibus qui inculpabiliter baptismum non recipiunt: nam, ut tradunt Augustinus *lib. 2. de Bono perseverantia cap* 12. & Prosper *lib. 2. de Vocatione gentium cap.* 8. licet Dei judicia, cur tot parvulos sinat perire, sint occulta, attamen justissima sunt; nam estò sine suâ culpâ non baptisentur, non tamen sine culpa sua pereunt, cum originale peccatum habeant. Quantùm ad adultos, baptismus suppleri potest per martyrium ex Matth. 10. *Qui perdiderit animam suam*

A *propter me, inveniet eum*; sicut & per contritionem, seu amorem Dei perfectum; ex Ezechielis 18. *Si egerit pœnitentiam impius, vitâ vivet, & non morietur.* Unde alias diximus, triplicem esse baptismum, fluminis, flaminis, & sanguinis; in quantùm hi duo, licet non sint Sacramenta, habent virtutem remittendi peccatum, sicut baptismus aquæ; modò tamen martyrium & contritio involvant votum baptismi aquæ, juxta Concilium Tridentinum *Sess. 6. cap. 4.* determinans, *neminem transferri à peccato ad gratiam sine lavacro regenerationis, aut voto illius*; quod tamen sufficier, si tale votum implicitum sit, quando scilicet habetur generale propositum servandi omnia præcepta legis Evangelicæ; nec requiritur, quòd sit explicitum & involvens
B propositum suscipiendi baptismum expressè. Quòd si Gennadius *cap.* 74. de Ecclesiasticis dogmatibus dicat, nullum Catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere, dempto martyrio: hoc debet intelligi de remissione peccati, quoad culpam & quoad pœnam, ità quòd Catechumenus in statu gratiæ moriens non habeat immediatè vitam æternam, sicut per baptismum & martyrium haberet.

Objicies, Si certò constaret, baptismum esse necessarium, non dubitaretur, quin Apostoli baptismum suscepissent, de quo tamen dubium esse notat D. Thomas 3. *p. quæst.* 38. *art.* 6. imò Chrysostomus *Homil.* 1. *in Acta Apostolorum*; & Tertullianus *lib. de Baptismo cap.* 12. dicunt, ipsos non
C recepisse baptismum Christi. Respondeo, longè plures existimasse Apostolos fuisse baptisatos Christi baptismo, ut testantur Evodius, Nicephorus, Clemens Alexandrinus, D. Augustinus *Epist.* 108. & D. Thomas præcitatus. Quòd si alii de hoc dubitaverint, causa dubii est, quia Christus per potestatem excellentiæ potuit conferre Apostolis omnem baptismi effectum. Si autem, ut verisimilius est, Apostoli fuerint baptisati, hoc non ideo factum est, ut obtinerent deletionem peccati originalis, quæ præcesserat per Circumcisionem, sed ob alios fines, v. g. ut reciperent caracterem, ut ad alia sacramenta essent idonei, ut augmentum gratiæ habitualis, & gratiam sacramentalem reciperent, ut non da-
D rent aliis scandalum, ac denique, ut observarent præceptum Christi, qui ante mortem baptismum instituerat, ut diximus. Licet enim talis lex non obligaret in rigore ante mortem Christi, attamen melius erat, ut illi, qui baptisabant dum Christus viveret, etiam baptisarentur, maximè quia recepturi erant Ordinem & Eucharistiam, quibus sicut & aliis sacramentis Baptismus janua est. Porro, si Christus non receperit suum baptismum, nihil inde; quia loquimur de puris hominibus, quibus baptismus necessarius est. Quòd si dicat Calvinus, filios, qui nascuntur ex parentibus fidelibus, esse sanctos, quia, sicut *ex* 1. *ad Corinth.* 7. sanctificatur
E vir infidelis per mulierem fidelem, sic mundi fiunt filii, qui ex parentibus fidelibus nascuntur: Respondeo cum Augustino *lib.* 2. de peccatorum meritis & remissione *cap.* 26. duplicem esse sanctificationem; unam scilicet, quæ fit per veram & internam mutationem à peccato ad gratiam, quæ sufficit ad salutem, & hæc non est in filiis fidelium non baptisatis, quia Paulus illam sanctificationem comparat illi sanctificationi quâ vir infidelis sanctificatur per mulierem fidelem, quam nullus dixerit esse sanctificationem internam; sed volebat Apostolus, virum sanctificari quidem per mulierem fidelem, & filios per parentes fideles, sanctificatione civili; ità ut tales filii dicerentur sancti, quia non erant spurii, sed

legitimi. Controvertebantur enim inter se Corinthii noviter conversi, an vir infidelis posset perseverare in matrimonio cum muliere fideli, & illud matrimonium esset legitimum, non obstante disparitate religionis; quia putabantur pollui fideles cum infideli cohabitantes. Ad quod respondet Apostolus, tale matrimonium esse legitimum, quia vir infidelis sanctificabatur per mulierem fidelem, sanctificatione scilicet civili; & filii eorum non erant immundi, immunditiâ adhuc civili, licet immundi essent per peccatum originale, donec recepissent baptismum.

Quantùm ad tempus, quo baptismus cœpit esse necessarius, tria respondentur communiter. Primò, ante mortem Christi non fuisse necessarium necessitate medii, aut præcepti; quia lex antiqua, quam Christus observavit respectu Agni paschalis etiam pridiè quàm pateretur, duravit usque ad mortem ejus, sicque usque ad tale tempus extitit circumcisio in remedium peccati originalis; unde verba Christi Nicodemo dicentis Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, non denotant baptismum ex illo tempore fuisse necessarium; sed tantùm pro lege nova, postquam cessarent legales cæremoniæ. Secundò respondetur, quòd in morte Christi cessaverit efficacia legis veteris, ut patet ex Joan. 19. ubi Christus in cruce dixit, *Consummatum est*. Ideò, si Lucæ 16. habeatur, *Lex & Propheta usque ad Ioannem*; hoc non intelligitur de lege, quantùm ad vim obligatoriam, sed quantùm ad prædicationem, quia tunc desiit veteris legis prædicatio, & Joannes dictus est ultimus Prophetarum, per quem cœpit regnum Dei evangelisari, ut patet ex adjunctione horum verborum. *Ex eo regnum Dei evangelisatur*. Respondeo tertiò, quòd licet lex vetus cessaverit in morte Christi, & sacramenta nova multùm profuerint, antequam Christus moreretur; attamen non habuit lex evangelica veram rationem legis, quantùm ad omnes, nisi post solemnem illius promulgationem, ex Concilio Tridentino *Sess. 6. cap. 4.* quia scilicet promulgatio est de essentia legis obligatoriæ; promulgatio autem illa solemnis non est facta, nisi in die Pentecostes, quoniam usque ad tempus illud, neque Christus, neque Apostoli, publicum sermonem habuerunt ad populos. Facta, inquam, fuit cum omnibus suis conditionibus illa solemnis publicatio; primò, quia facta est in Jerusalem urbe regiâ; facta est præsentibus hominibus cunctarum nationum, ut testatur Lucas; facta est à D. Petro summo præcone Evangelii; facta est cum explicatione præcipuorum capitum doctrinæ Christi; tandem, illâ promulgatione factâ, cœpit sacramentorum usus, quandoquidem, ut habetur *Act. cap. 2.* post suam prædicationem in die Pentecostes factam tria millia hominum baptisavit Petrus.

Quæstio VII.

Utrùm infantes ante usum rationis baptisari valeant, & filii Hæreticorum, Iudæorum, & Paganorum?

Petrobusiani & Henriciani antiquitus negaverunt posse baptisari parvulos, eo quòd existimarent ad valorem baptismi requiri fidem in quolibet suscipiente, unde posteà rebaptisabant illos qui baptisati in pueritiâ ad adultam ætatem pervenerant. Sæculo autem præcedenti, hunc antiquatum errorem, quem refutaverat D. Bernardus, ut patet *ex Sermone 66. in Cant.* resuscitarunt Anabaptistæ, nolentes baptismum tradi, nisi adultis, qui per se

A sacramentum hoc postularent. Imò testatur Calvinus *Lib. 4. Institut. cap. 16. §. 29.* Michaëlem Servetum cum quibusdam aliis Anabaptistarum magistris nolle Baptismum suscipi, nisi trigesimo ætatis suæ anno, quo Christus baptismum suscepit. Hæc hæresis orta est circa annum D. 1528. authore quodam Balthasaro Pacimontano, posteà Viennæ cremato, quem secuti sunt ministri transylvani. Occasio illius processit ex hoc, quòd ad baptismum suscipiendum requiratur Fides; ex quo dogmate tres sectæ hæreticorum natæ sunt. Alii enim negarunt absolutè, fidem in parvulis requiri; quam opinionem secuti sunt Sacramentarii. Alii, ut Ana-

B baptistæ, censuerunt defectu fidei non posse baptisari parvulos. Alii denique, ut Lutherani, convenientes ad Conciliabulum Wittembergense, tria pronuntiarunt; scilicet non salvari infantes sine aliquâ ipsorum actione; in illis, dum baptisantur, fieri certos aliquos motus, sanctos & supernaturales, sicut in Joanne Baptistâ, quando exultavit in utero; & denique tales motus, qui tendunt ad credendum & diligendum Deum, esse similes fidei & dilectioni divinæ: juxta quod Melanchton Lutheranus titulo de baptismo parvulorum, ait de infantibus, *Hoc satis est tenere; Spiritus sanctus per baptismum eis datur qui efficit in eis novos motus & novas inclinationes ad Deum pro ipsorum modo.* Contra tres istos errores tria asserunt Catholici. Primò, infantes non justificari sine ulla fide; *sine fide enim impossibile est placere Deo, unde illis in Baptismo in-*

C *funditur habitus fidei, spei, & charitatis.* Cùm enim per fidem importetur vel actus, vel habitus fidei, & simul constet, in parvulis non dari fidei actum, certum est, quòd in illis sit habitus fidei; non quidem ante baptismum, sed saltem pro illo instanti, quo baptisati sunt. Quòd si dicatur, requiri fidem præcedentem baptismum; hoc verum est respectu adultorum, qui debent habere actum fidei ex auxilio divino supernaturaliter procedentem: quantùm verò ad parvulos, aliena saltem fides illis sufficit. Imò, nec ista absolutè requiritur, ut retulimus anteà ex Bellarmino *lib. 1.* de Sacramento Baptismi cap. 11. §. *ex quibus*. Secundò, contra Conciliabulum Wittembergense & Lutheranos, asserunt Catholici, ridiculum esse admittere novos

D motus in pueris, qui sint similes actibus fidei & dilectionis; quia implicat, quòd dentur tales motus sine cognitione, quoniam non potest voluntas inclinari, nisi præcedente cognitione, neque potest in illis pueris esse ulla cognitio, cùm fides sit ex auditu, *ad Rom. 10.* Asserunt tertiò iidem Catholici, parvulos etiam recens natos baptisari posse, contra Anabaptistas & & Erasmum, qui in præfatione paraphrasis in Matthæum docuit, in infantiâ baptisatos interrogandos esse, dum adoleverint, an ratas habeant promissiones, quæ ipsorum nomine factæ sunt in baptismo, ità quòd, si ipsas non ratificaverint, sint dimittendi liberi.

E

Conclusio Prima.

Infantes nondum provecti ad rationis ætatem baptisari legitimè possunt. Sic traditio Apostolica & perpetuus Ecclesiæ usus, cujus initium ostendere nequeunt hæretici, teste Augustino *lib. 4. de Baptismo cap. 23.* *Quod traditum tenet universitas Ecclesiæ, cum parvuli infantes baptisantur, qui certè non possunt corde credere ad justitiam, & ore confiteri ad salutem; attamen*, ut infrà habet, *nullus Christianorum dixerit, ipsos baptisari inaniter.* Eandem traditionem approbant Origenes *lib. 5. in*

cap. 6. ad Rom. ubi ait, *Ecclesia ab Apostolis traditionem accepit, etiam parvulis dare baptismum.* Et Patres alii, teste ipsomet Calvino, qui *lib. 4. Institut. cap. 16. §. 8.* ait, *fœdissime mentiri illos, qui disseminant baptismum infantulorum multis annis cœpisse post resurrectionem Christi, cùm nullus sit scriptor, qui ejus originem ad Apostolorum sæculum non referat.* Sicque falsi convincuntur Anabaptistæ, qui usum baptisandi infantulos referunt ad tempus Nicolai 2. circiter Annum 1058. Verum quidem est, Tertullianum putasse differendum esse baptismum usque ad usum rationis; sed nihil mirum est, si ille, qui in multis aliis gravioribus erravit, defecerit etiam in isto. Si etiam Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum Lavacrum dicat, *seclusis periculis se optare differri baptisma ad triennium, ut parvuli possent de suâ fide respondere aliquid*; tale consilium est tantùm conditionatum, imò in contrarium propendet Gregorius, quandoquidem supponit hoc non esse faciendum si periculum adsit, quòd semper reverà adest, in ætate tam tenera.

Confirmatur veritas nostræ Conclusionis, primò, ex Scripturâ; secundò, ex Conciliis; tertiò, ratione. Ex Scriptura, inquam, quia verba Christi generalia sunt Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, non intrabit in regnum cœlorum*; Deinde, Lucæ 18. idem Christus dicit: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum;* At ipsi non possent regnum cœlorum consequi, nisi baptismi essent capaces. Tandem Act. 16. *Baptisata est Lydia & domus ejus, custos carceris & domus ejus, & baptisata fuit Stephana & domus ejus, 1. ad Corinth. 1.* Non est autem verisimile, quin reperti fuerint aliqui infantes in tribus integris familiis. Porro circumcisio erat figura baptismi, ita propria, ut baptismus circumcisio nominetur *ad Coloss. 2.* sed Circumcisio dabatur infantibus *Genes. 17.* Ergo possunt etiam baptisari, aliàs legis novæ infantes forent deterioris conditionis, quàm infantes legis scriptæ. Quantùm ad Concilia, afferri possunt Milevitanum, ubi Can. 2. habetur: *Placuit, ut quicunque parvulos recenter natos, ab uteris matrum baptisandos negat, anathema sit.* Concilium Gerundense ante mille annos celebratum Can. 5. statuit, *Ipso die quo nascuntur infantes, posse baptisari, si videatur periculum mortis.* Concilium Bracarense Can. 7. Baptismum infantium approbat, sicut & ultima duo Concilia generalia: Viennense scilicet *in Clementinâ prima cap. firmiter de summâ Trinitate, & cap. majores de baptismo*; & Tridentinum *Sess. 7. Canonibus 12. & 13.* Quibus omnibus addi potest continua praxis Ecclesiæ, quæ semper sollicita est baptisare, tum parvulos, tum adultos. Quantùm denique ad rationem, invincibilis desumi potest ex hoc, quòd infantes sint capaces gratiæ & gloriæ; ergo potest illis conferri baptismus, qui est medium ad utramque. Sunt, inquam, capaces gratiæ, ut patet ex Joanne Baptista & Jeremia, qui sanctificati fuerunt in utero. Sunt etiam capaces gloriæ, ut liquet ex Innocentibus: Ergo possunt baptisari tales infantes, &, ut inquit Augustinus, *Consuetudo matris Ecclesiæ in baptisandis parvulis nequaquam spernenda est, nec ullo modo superflua deputanda, nec omnino credenda, nisi apostolica esset traditio.*

Objicies ex Matth. Cap. ultimo, Christus Apostolis jubet, ut priùs doceant, quàm baptisent, *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos*; sed parvuli non sunt capaces instructionis: ergo nec baptismi. Respondeo, per hoc non concludi, quòd actus fidei aut instructionis sit absolutè necessarius,

A nequidem in adultis; sed voluit eo loco Dominus ponere ordinem quem servare debebant Apostoli in conversione Gentilium, ut priùs scilicet eos instruerent, unde dicit, *docete*; deinde, ut posteà docerent, unde addit, *baptisantes eos*; & insuper adjungit: *docentes eos servare omnia quæcumque præcepi vobis*, ut indicaret, nec sufficere fidem nec baptisma, nisi bona opera adderentur, observando legem. Ille autem ordo est essentialiter necessarius, sed tantùm cùm observari potest. Unde, si deficiente aquâ, non potuisset aliquis gentilis adultus baptisari, posset instrui de credendis, faciendis, & vitandis, & excitari ad contritionem vel amorem Dei, & tunc talis salvaretur sine baptismo actu collato, modò præcederet illius votum. Dices: Ergo
B melius esset, si expectaretur usus rationis, quandoquidem nullum est præceptum de puero baptisando antequam fiat adultus. Respondeo, esse præceptum generale charitatis baptisandi puerum, dum est in periculo mortis; est etiam pro tunc præceptum pietatis respectu parentum, qui tenentur providere infantibus suis de necessariis ad salutem; imò est etiam præceptum justitiæ in Pastoribus, quibus incumbit ministrare sacramenta pro opportuno tempore, maximè quando inde pendet salus ovium suarum. In aliis quidem occasionibus nullum est præceptum naturale, aut divinum de baptisandis parvulis, sed est præceptum ecclesiasticum, introductum consuetudine, quo prohibetur Pasto-
C ribus & parentibus, nè differant notabiliter Baptismum, ex Concilio Rothomagensi anteà allegato, & ex Paulo V. in Rituali Romano.

Objicies, Melius esset, si infantibus differetur baptismus, imò & utilius, si adulti usque ad mortem differrent baptisari, ut factum est in beato Martino, qui per octo annos fuit Catechumenus; in D. Ambrosio, qui nondum baptismum susceperat, dum ad episcopatum electus fuit; in Constantino Magno, qui in senectute baptisatus fuit ab Arianis, teste Hieronymo in Chronico. Respondeo primò, quantùm ad infantes, non debere illis baptismum differri, tum quia periculum esset, nè perirent sine baptismo, tum quia magis æstimandus est status amicitiæ Dei, liberatio à dæmonum insi-
D diis & similiâ, quàm status peccati. Unde Concilium Tridentinum *Sess. 7. de Baptismo Can. 13.* ait: *Si quis dixerit, parvulos, eo quòd actum credendi non habeant, suscepto baptismo, non esse inter fideles computandos, vel melius esse, eos non baptisare, anathema sit.* Quantùm ad adultos si baptisari differrent, contradicerent Scripturæ, *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Deinde, se variis peccandi periculis exponerent, sese privando gratiâ sacramentali Baptismi, & aliorum sacramentorum, quorum remanerent incapaces; unde tenetur communiter, quòd postquam Catechumeni sufficienter instructi sunt, non possint tutâ conscientiâ differre ampliùs baptismum, sed ipsum, si commoditas adsit, debent flagitare, nè amantes pe-
E riculum pereant in illo. Quantùm ad exempla Martini, Ambrosii, & paucorum similium, frequentanda non videntur; quia tales Sancti forsan ità fecerunt ex speciali instinctu divino. Quantùm denique ad Constantinum, D. Hieronymus degens in extremo terræ sanctæ potuit decipi falso rumore super ea quæ Romæ agebantur, unde asseruit de Constantino Magno id quod erat intelligendum de Constantino ejus filio, qui reverà senex baptisatus est ab Arianis, ut liquet ex Genebrardo in Pontificali Damasi Papæ. Sed quoad Constantinum Magnum, non ità suum baptismum distulit, imò post conver-

sionem suam baptisatus est Romæ à B. Sylvestro, ut habet D. Damasus in vita Sylvestri, Nicephorus *Lib.* 7. *cap.* 33. & 35. Baronius *anno Christi* 324. *num.* 44. Genebrardus & Breviarium Romanum in officio B. Sylvestri.

Objiciunt tertiò, nullum mandatum extare de baptismo infantium in Scriptura. Respondeo, licèt non exprimatur mandatum, quo baptisentur infantes, implicitè tamen colligitur ex his quæ attulimus ex Scripturâ. Deinde, non minoris est authoritatis traditio apostolica, quàm Scripturâ, quoniam eodem Spiritu loquebantur Apostoli, quo scribebant. Dices: Ergo Eucharistia est infantibus necessaria. Negatur, quia Eucharistia non est necessaria necessitate medii, sed tantum præcepti: Præceptum autem non obligat usu rationis carentes. Instabis, Sicut dictum est Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto*: sic etiam dicitur Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii Hominis*: Ergo parem necessitatem inducunt hæc duo sacramenta. Respondeo, diversitatem repeti ex naturâ & effectis Baptismi & Communionis; nam baptismus, qui confert absolutè vitam spiritualem, est necessarius absolutè pro parvulis, qui sine ipso perirent, decedentes ex hâc vitâ, sicque est necessarius necessitate medii; communio verò, quæ instituta est, ut cibus spiritualis, non est necessaria, nisi necessitate præcepti; non quidem pro parvulis, qui salvari possunt sine tali cibo, quoniam habent gratiam, quam non possunt deperdere in infantiâ sed tantùm in adultis, in quibus concupiscentiæ calor humorem gratiæ consumere potest; unde illis cibus Eucharistiæ necessarius est necessitate præcepti. Dices, In parvulis non reperitur intentio suscipiendi sacramentum: ergo non est illis conferendus baptismus. Respondeo, non requiri in illis intentionem, quia sicut absque propriâ voluntate personali peccaverunt, ità absque illa regenerari possunt, & voluntate alienâ Christi, qui voluit, ut regenerarentur filii Adæ, & provideretur omni ætati de remedio contra peccatum, juxta suam capacitatem. Eadem responsio currit ad adversarios dicentes eum qui non credit esse arcendum à baptismo: sufficit enim infanti fides aliena, sicut obfuit alienum peccatum.

Conclusio Secunda.

Baptismus collatus filiis hæreticorum, Judæorum & paganorum est validus; non semper tamen licet omnes istos baptisare. Licet, inquam, ut filii hæreticorum & paganorum, qui fidem alias receperunt & ab eâ recesserunt, baptisentur invitis parentibus, quia Ecclesia habet jus cogendi parentes ad servandam fidem, & illos afficiendi pœnâ mortis, si sint pertinaces: ergo multò magis poterit illos privare potestate quam habent in filios, & sic baptisare illos invitis parentibus, & illos retinere.

Filii infidelium non baptisatorum, etiamsi subditi sint Ecclesiæ quoad bonum temporale, non possunt licitè baptisari, quia post baptismum vel relinquerentur curæ parentum, & tunc esset evidens periculum subversionis, quod cederet in injuriam baptismi & fidei; vel substraherentur parentibus, quod non debet fieri: licet enim in hoc casu Ecclesia haberet dominium in bona infidelium, non tamen haberet dominium super personas; & sic non posset privare parentes jure naturali quod habent in filios. Quòd si Deus velit, ut omnes baptisentur, hoc non vult, nisi servatâ justitiâ.

Filii infidelium possunt baptisari invitis parentibus, si sint adulti, & petant baptismum; quia jus habent petendi quod sibi necessarium est: immò, si sint etiam parvuli, possunt baptisari invitis parentibus, dummodò sint in articulo mortis; quia pro tunc non est subversionis periculum. Quòd si infideles sint servi principum Christianorum, eorum filii possunt baptisari invitis parentibus; pro tunc enim tales servi infideles possunt vendi & privari bonis à domino: ergo ipsemet dominus potest illorum filios substrahere & baptisare invitis parentibus; non verò debet filios baptisatos reddere parentibus non baptisatis, nè sit subversionis periculum. Non est eadem ratio de subditis qui non sunt servi.

Filius natus ex uno parente fideli & alio infideli, baptisari potest; immò, etiamsi uterque sit infidelis, modò unus consentiat, licet dissentiat alter, potest baptisari; quia fides est favorabilis. Filius etiam natus ex utroque parente infideli; si posteà unus parens convertatur, & alter in infidelitate maneat, potest baptisari; nam proles sequitur innocentem.

Infantes existentes in utero materno non possunt solo signo crucis impresso super uterum maternum cum fide parentum & invocatione Trinitatis baptisari; Pius enim V. hanc opinionem, quæ erat Caietani, condemnavit; si tamen posset infundi aqua super pueri membra, ille baptisaretur; ut quis enim renascatur per baptismum, sufficit quòd præcedat illa nativitas, quâ quis de non homine fit homo.

Nullo modo licet matrem occidere, etiamsi sit ad hoc parata, ut baptisetur puer, qui alio modo non potest baptisari; licet ante partum morte naturali deberent mori & mater & infans: quia sicut homicidium prohibetur, & est intrinsecè malum, sic etiam interdicitur acceleratio mortis. Nec est dicendum, quòd ista mater cesserit jus suum; quia nullum habemus jus supra vitam, nec mortem; si tamen mulier illa propter crimen aliquod perpetratum damnata esset ad mortem, posset accelerari mors ipsius, ut infans baptisaretur; in tali enim suppositione hæc mulier per crimen proprium amisit dominium quod habere poterat supra vitam.

Quæres, Utrùm possit iterari baptismus? Ubi diximus, agendo de sacramentis in genere, baptismum imprimere characterem indelebilem, asseruimus consequenter baptismum non posse iterari; majoris tamen elucidationis causâ, eandem difficultatem hìc proponimus. Ad quam Respondetur negativè, juxta Concilium Tridentinum *Sess.* 7. *de Baptismo Can.* 11. *Si quis dixerit, verum & ritè collatum baptismum iterandum esse, anathema sit.* Sic etiam Can. 9. de Sacramentis in genere asseritur, Baptismum, Confirmationem & Ordinem iterari non posse, eo quòd characterem imprimant. Hoc idem probatur à symbolo fidei Concilii Constantinopolitani, *Confiteor unum Baptisma.* Licet enim hoc possit intelligi de unitate specificâ baptismi, tamen potest etiam explicari de unitate numericâ; quòd scilicet nullus, nisi semel, baptisandus sit. Leo enim Papa *Epist.* 37. & Ambrosius *Lib.* 2. ad probandam unitatem numericam baptismi, adducunt verba Pauli ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.* Hoc confirmatur ex ad Hebr. 6. *Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, iterum reverti ad pœnitentiam.* Idest, illi qui per baptismum, qui vocatur illuminatio & sacramentum fidei ad expellendas peccati tenebras, illuminati sunt semel, non possunt revocari iterum ad pœnitentiam baptismalem. Sic D. Hieronymus *Lib.* 2. *contra*

Jovinianum: Chrysostomus, Oecumenius, Theophilactus *in cap. 6. ad Hebr.* & D. Ambrosius ibidem. Ratio hujus explicationis petitur, quòd verba illa Apostoli non possint intelligi de renovatione per pœnitentiam, quoniam illa est iterabilis; sicque debent intelligi de renovatione per iteratum baptismum, qui vocatur communiter illuminatio. Non desunt tamen, qui existiment Apostolum loqui de pœnitentiæ sacramento, quod absolutè quidem iterari potest, sed ità est difficile, gravissimorum peccatorum respectu, ut moraliter dicatur impossibile. Sic noster Lyranus cum multis aliis. Porrò, congruentiæ sumuntur ex hoc, quòd semel natus corporaliter non possit nasci secundo, sed tantùm ressuscitari: quòd frustrà repeteretur character B per plura baptismata: quòd etiam baptismus repræsentet mortem, passionem & resurrectionem Christi quæ cùm advenerint tantùm semel, sic dicendum est de baptismo. Ob hoc lege Ecclesiasticâ incurrunt irregularitatem scienter rebaptisans & scienter rebaptisatus: quantùm verò ad pœnas politicas, extremo supplicio dignus est uterque, leg. 2. cap. *nè sanctum baptisma iteretur.*

Ex hac veritate antecedenti plura notanda sunt in praxi. Primò, si rationabile interveniat dubium, an aliquis sit validè baptisatus, rebaptisandus est sub conditione, ut evitetur periculum carendi sacramento absolutè necessario ad salutem: nec in hoc irreverentia intercedit, tum ob illam necessitatem, tum C quia vel mente vel ore apponitur conditio. Secundò, si non subsit verum dubium, non debet iterari baptismus etiam sub conditione: unde, illi qui nati sunt ex parentibus Christianis & educati inter Christianos, rebaptisari non possunt, nisi adsit probabilis ratio, cur suspicetur illos validum non recepisse baptismum. Quando ergo Concilium Carthaginense 5. vult rebaptisandos esse infantes, quotiescumque non inveniuntur testes certissimi de tali baptismo; sese explicat in fine capitis 6. de parvulis qui nati sunt ab infidelibus, vel qui à Christianis descendentes sunt illicò abstracti à barbaris. Tertiò, baptisati ab obstetricibus non sunt indifferenter rebaptisandi sub conditione, quia potest haberi moralis certitudo quòd adhibuerint omnia necessaria; unde Pastorale Ecclesiæ Mechliniensis talem iterationem baptismi præcipiens *Can. 9.* restringendum est ad casus, in quibus adveniret rationale dubium de validitate baptismi. Quartò, infantes expositi, si, re diligenter examinatâ, non constet de ipsorum baptismo, sunt rebaptisandi sub conditione, juxta Rituale Romanum, titulo de parvulis baptisandis. Dubitant autem Doctores, an scheda frontibus eorum apposita, quæ testatur illos baptisatos fuisse, sufficiat; sed probabiliùs, ni fallor, deberet iterari baptismus sub conditione; nam conferri potuit à matre fornicariâ non satis instructâ, quæ alias personas magis instructas vocare noluit ob periculum divulgationis. Quintò, baptisati ab hæreticis regulariter loquendo non sunt rebaptisandi; quia, ut diximus antea, ex fide constat de valore baptismi ab illis debitè collati. Si tamen sit rationabilis suspicio de aliquo defectu essentiali, tunc debet iterari sub conditione, ut testatur Coninx *quæst. 66. art. 9.* ubi asserit in Anglia contingere, quòd infantes nobilium aquâ rosaceâ, vel simili liquore, baptisentur; aut quòd, ob rigorem frigoris, abluantur tantùm vestes; aut denique, quòd ministri in suggestu formam pronuntient, alio abluente corpus. Sic etiam noster Guillielmus Herincx natione Belga, qui cum Præposito 3. *p. quæst. 66. dub. 2. num. 99.* putat, quòd in partibus Belgicis hæresi infectis bapti-

A sati ab hæreticis possint rebaptisari sub conditione; eo quòd, ut colligitur ex Pastorali Mechliniensi Anno 1608. edito & recognito Anno 1634. Titulo de sacramento Baptismi §. de forma, *nostri temporis hæretici pro insatiabili suo odio in Ecclesiam, sacramentorum formas plerumque invertunt, materiam contemnunt, aut legitimam intentionem non habent, ideo baptismus ab illis collatus de nullitate suspectus haberi debet, proindeque iterari sub conditione.*

QUÆSTIO VIII.

Quænam sint ceremoniæ in Sacramento Baptismi adhibendæ?

DE Baptismi ceremoniis consulendum est quodlibet Rituale, ubi docentur tùm illæ quæ præcedunt, tùm eæ quæ comitantur, tùm denique illæ quæ subsequuntur in administratione solemni hujus Sacramenti. Dixi, solemni, quando enim privatim confertur baptismus, tales ceremoniæ non sunt necessariæ, nec de præcepto: cùm ergo illi Ritus possint haberi ex Rituali, illas prætermittere possemus; nè tamen aliquid non dictum remaneat, pauca dicemus de illis.

CONCLUSIO.

CEREMONIÆ quæ baptismum antecedunt, sunt hæ præsertim. Primò, præparatur aqua, & consecratur fons baptismalis destinatus ad collationem baptismi; quod fit in vigiliis Paschæ & Pentecostes. Secundò, afferuntur infantes ad Ecclesiam, qui hærent in introitu ejus, tanquam indigni accessu Ecclesiæ, quia sunt adhuc in potestate Dæmonis. Tertiò, Sacerdos triplicem facit insufflationem & varios exorcismos, ut expellatur Dæmon; posteà signum crucis in fronte & aliis partibus baptisandi efformatur, ut impetus Diaboli cessent, & in eundem finem fit impositio manus à Sacerdote, & plures proferuntur orationes. Quartò, D imponit in os baptisandi salem priùs à se benedictum, ad gratiam baptismi significandam, qua homo liberatur à peccati putredine, & speciali prudentiâ dotatur, cujus sal est symbolum. Quintò, minister tingit suâ salivâ aures baptisandi, ut aperiantur ad audiendos Christi sermones; & nares ejus, ut hauriant bonum odorem virtutis ac pietatis. Sextò, ad interrogationes Sacerdotis sequuntur abrenuntiationes baptisandi, quibus renuntiat Diabolo, sivè per se, sivè per patrinos. Septimò, in scapulis & in pectore ungitur, quasi athleta Christi, luctaturus contra Dæmonem, cui paulò anteà renuntiavit. Octavò, post illam unctionem baptiE sandus interrogatur super articulos fidei, & publicam professionem illius emittit. Nonò tandem, elicit liberum & publicum consensum quo significat se velle baptisari.

Quoad ceremonias, quæ baptismum concomitantur; Prima est, quòd fiat in locis ad hoc consecratis, quæ alias vocabantur baptisteria, & separabantur à templo; exceptis casibus necessitatis, & filiis regum & principum id particulariter postulantium, ut habetur in Rituali Romano. Secunda, quòd habeantur susceptores, qui puerum de sacro fonte levent & posteà diligenter instruant in fide, quos vocat Dionysius Areopagita cap. ultimo de Ecclesiast. Hierarch. hoc nomine, & Tertullianus in lib. de Baptismo appellat sponsores. Tertia, ut consecretur aqua, in die scilicet Paschatis, aut

Pentecostes per infusionem Chrismatis & alias ceremonias; unde habet Dionysius cap. de Baptismo, *Regenerationis aqua sacris invocationibus prius consecratur.* Quod confirmant Cyprianus lib. 1. epist. ultima, Ambrosius lib. 1. de Sacramentis cap. 5. Augustinus lib. 6. in Julianum cap. 8. & Basilius lib. de Spiritu sancto, ubi dicit hanc esse Apostolicam traditionem. Quarta, imponitur nomen baptisato; quod desumitur ex Testamento veteri, ubi in Circumcisione, quæ erat figura baptismi, imponebatur nomen infantibus, ut patet de Joanne Lucæ 1. & de Christo Lucæ 2. Quod ratum habuit Canon trigesimus Concilii Niceni nuper ex Arabicâ linguâ in Latinam conversi & editi à Francisco Turriano, in quo jubetur Christianis, nomina filiis suis imponere, non Gentilium, sed Christianorum. Quinta, requiritur nunc trina infusio aquæ, sicut aliàs requirebatur trina mersio. Sexta tandem, solebat aliàs administrari baptismus, tantùm in vigiliis Paschatis & Pentecostes; licet urgente necessitate, quolibet tempore potuisset ministrari. Talis ritus insinuatur in epistolis decretalibus Siricii 1. *cap.* 2. Leonis 1 *Epist.* 4. & Gelasii *Epist.* 1. *cap.* 12. ubi severissimè reprehenduntur Asiæ Episcopi, qui extra casum necessitatis baptismum attentabant conferre in Epiphaniâ, aut Festis Martyrum. Narrat Paschasius Episcopus in Epistola ad S. Leonem quæ habetur inter epist. Leonis 64. hanc ceremoniam baptisandi in Paschate ità placuisse Deo, ut suo tempore in Sicilia miraculosè repertus fuerit fons sacer in Ecclesiâ quâdam exiguâ, qui toto anno aridus manebat, & in solâ Paschatis vigiliâ redundabat aquis horâ baptisandi appropinquante. Quòd non adveniebat tamen similiter in vigilia Pentecostes, quia tunc temporis conferri baptismus tantùm solebat in Paschate, ut habetur Can. 18. Concilii Antissiodorensis.

Circa patrinos, de quibus mox dicebamus, & diximus etiam Tractatu de Sacramentis, ubi loquuti fuimus de impedimentis matrimonii; hìc ulteriùs adjiciam, quòd primis temporibus, unicus admittebatur, *capite non plures de Consecratione Dist.* 4. Posteà plures adhoc munus fuerunt recepti, *capite quamvis de cognatione spirituali lib.* 6. Tandem statuit Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *de Matrimonio cap.* 2. ut deinceps unus tantùm admitteretur, vel ad summum unus vir & una mulier. Quòd si contingat, plures ad suscipiendum admitti, qui designentur à parentibus & parocho, quod necessarium est; dubitatur, an omnes contrahant cognationem. Ad quòd negativè respondet Suares, putans solùm primò tangentem contrahere, vel neminem, si omnes simul tangant. Alii tamen contrarium verisimiliùs existimant; quòd scilicet, si plures designati & admissi simul suscipiant baptisatum, omnes cognationem contrahant; quia ante determinationem Concilii, omnes contrahebant, & Concilium prohibuit tantum sponsorum multiplicitatem, non verò cognationem irritavit. Sic Sanchez *Lib.* 7. *quæst.* 57. Navarrus *cap.* 22. *num.* 39. & plures alii; qui tamen dubitativè respondent, aliis credentibus, solum patrinum primarium & matrinam principalem contrahere, etiamsi omnes simul suscipiant; attamen pro aliis citantur duæ declarationes Cardinalium ad Sess. 24. de Reformatione Matrimonii cap. 2. quarum prima dicit, quòd si plures sint designati ad contrahendam compaternitatem, contraxerunt cognationem spiritualem qui tetigerunt, punito tamen parocho. Et secunda habet, quòd omnes contrahant cognationem, si plures suscipiant, & non constet quis priùs tetigerit, & plures sint electi.

A

Præter ceremonias, quæ nunc fiunt in Ecclesia ante baptismum, plures aliæ admittebantur primis Ecclesiæ temporibus, quando Catechumeni baptismum optabant recipere. Primò; volentes fieri Christiani petebant admitti ad conciones & tunc auditores seu audientes denominabantur: dum verò petebant baptismum, vocabantur competentes, seu electi. Secundò, fiebat scrutinium seu examen, an competentes firmiter & sincerè crederent. Septies autem tale scrutinium iterabatur, quorum tertium, quod fiebat Feria 4. post Dominicam 4. Quadragesimæ, erat principale, quia in illo fiebant omnes ferè ceremoniæ sequentes. Tertiò, abrenuntiabant satanæ & operibus ejus, quæ abrenunciatio iterabatur, tùm in scrutiniis, tùm paulò ante baptismum.

B

Quartò, promissionem fidei emittebant, interrogati an crederent. Quintò, signum crucis in fronte & pectore in quolibet scrutinio imprimebatur à presbyteris vel clericis. Sextò, fiebat Exorcismus, id est adjurabantur dæmones certis precibus, ut recederent ab homine baptisato. Septimò, exorcismis annectebatur exsufflatio, quâ significabatur expulsio dæmonum per exorcismos. Octavò, sal gustandum Catechumenis porrigebatur, & panis benedictus, quod utrumque dabatur loco Eucharistiæ. Nonò, fiebat impositio manuum & dabatur benedictio sacerdotalis. Decimò, ungebantur baptisandi oleo benedicto in pectore & scapulis ante baptis-

C

mum, ungendi postea chrismate post baptismum. Undecimò, abstinebant à vino, carnibus & re uxoriâ, & alia opera pœnitentiæ faciebant ut paratiores efficerentur ad receptionem baptismi.

Quantùm verò ad ceremonias subsequentes baptismum, hæ sunt. Primò, Baptisatus ungitur sacro Chrismate in vertice capitis; quod quidem Chrisma debet esse recens, consecratum scilicet eodem anno, in die cœnæ Domini, & hoc ab Episcopo; unde derogatum est consuetudini Ecclesiæ; quæ in primis sæculis volebat, ut unctiones Chrismatis fierent à solis Episcopis; sed posteà concessum fuit, ut unctio baptismalis posset fieri à simplici sacerdote, ut constat ex Conciliis Carthaginensi & Tole-

D

tano. Hæc autem unctio denotat baptisatum in vertice unctum, ab eo die esse conjunctum Christo tanquam capiti. Secundò, Baptisatus induitur veste candidâ, in signum innocentiæ restitutæ. Tertiò, traditur baptisato cereus accensus, ad denotandum ipsum esset translatum à potestate tenebrarum in Sanctorum lucem & in fervorem charitatis, quam per baptismum accepit. Quartò, traditur infans baptisatus in manus patrinorum, seu patrum lustralium, ut onus & curam suscipiant instituendi in fide infantem quem de sacro fonte baptismatis levaverunt. In illis autem patrinis plures conditiones requiruntur; debent enim esse baptisati; sic Concilium Moguntinum: non debent esse hæretici; sic Concilium Tri-

E

dentinum; non sunt enim apti ad instruendum in fide, quod tamen patrinis incumbit; non debent esse Monachi, Moniales, aut Religiosi, sic Concilium Coloniense parte ult. cap. 16. Ratio in promptu datur, quia illorum est colere solitudinem; & sic non possunt curam aliorum suscipere: Non debent patrini esse pater aut mater carnalis, nisi in necessitate; ex tali enim officio conjux conjugis esset cognatus, nec maneret liber usus matrimonii inter illos; nisi post dispensationem saltem Episcopi; tandem sponsores debent scire rudimenta fidei, ut levatos possint docere. Illi sponsores requiruntur nedum pro parvulis, sed etiam pro adultis; hi enim sunt neophiti in fide, & quasi modò geniti infantes; unde Tertullianus notat etiam adultis dari olim lac & mel. Porrò,

ex baptismo resurgit quædam cognatio, spiritualis videlicet, inter suscipientes & susceptum, & patrem & matrem baptisati. Quod si Pater baptisaret in necessitate filium, non contraheret cum uxore cognationem; secùs, si extra necessitatem. Olim erat cognatio inter virum & fœminam, qui simul suscipiebant infantem levandum, erat etiam inter ministrum & ipsos suscipientes; sed hoc ablatum est per Concilium Tridentinum, de reformatione Matrimonii.

Quæstio Ultima.

Quid dicendum sit de Baptismo Ioannis.

Neminem latet, quin in sacra Scriptura communis mentio fiat duorum baptismatum, quorum primum dicitur Joannis Lucæ 3. & Marci 1. *Venit Ioannes prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Et illud dicitur Joannis, quia à Joanne institutum erat, Matthæi 3. *Videns Ioannes multos venientes ad baptismum suum.* Secundum dicitur Christi; quia illud instituit Christus ante Passionem suam, & post resurrectionem mandavit Apostolis, ut ipsum ministrarent, Matthæi ultimo. *Euntes docete omnes Gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Huc usque in capite præsenti locuti fuimus de baptismo Christi, qui licet sit ultimus ordine existentiæ, præcellit tamen dignitate & efficaciâ: nunc ergo dicendum superest aliquid de baptismo Joannis, de quo gravis habetur controversia inter Catholicos & Hæreticos, maximè in tribus; nimirum, an baptismus Joannis fuerit idem, ac baptismus Christi; deinde, an habuerit eandem efficacitatem; ac denique, an recepto baptismo Joannis necessaria adhuc esset receptio baptismi Christi. Tres illæ difficultates totidem quæstiunculis, brevitatis causâ, elucidabuntur.

Quæres primò, an baptismus Joannis idem fuerit cum baptismo Christi. Petilianus Donatista utrumque baptismum unum & eundem esse volebat, teste Augustino *lib.* 2. contra litteras Petiliani *cap.* 32. 34. & 37. Licet enim iste hæreticus tres gradus ejusdem baptismi distingueret, dicendo, Joannem baptisasse aquâ, Christum spiritu, & Paracletum igne; hæc tria tamen ad eundem baptismum referebat. Sic etiam Lutherani docuerunt, baptismum Joannis sacramentum fuisse, remisisse peccata, ab eo baptisatos non esse iterum baptisandos, sicque in naturâ & effectis esse unum & eundem, ut docet Melanchthon in locis Anni 58. ubi titulo de Baptismo Joannis, ait, quòd differrent tantùm in hoc, quia Joannis Baptismus gratiam conferebat in virtute Christi venturi, & alius in virtute Christi exhibiti. Contra utrosque Respondeo, baptismum Joannis longè fuisse diversum à Baptismo Christi, maximè in quantùm Baptismus Christi erat verè & propriè Sacramentum, Baptismus verò Joannis erat tantùm ceremonia quædam, quâ præcursor Christi Joannes per prædicationem pœnitentiæ intendebat præparare homines ad receptionem Christi, & per suum baptismum illos excitare ad Christi baptismum recipiendum. Quòd baptismus Christi verè fuerit Sacramentum, hoc fatentur ipsimet hæretici; unde aliâ probatione non opus est. Quòd verò baptismus Joannis sacramentum non fuerit, triplici ratione probatur. Primò, quia sacramentum confert gratiam ex opere operato, ut probavimus aliàs; sed

A baptismus Joannis gratiam non conferebat, unde erat in solâ aquâ, & non in Spiritu sancto, ubi baptismus Christi in aquâ simul fuit & in Spiritu sancto & igne, Matthæi 3. & Lucæ 3. id est, in gratiâ, quæ figuratur per Spiritum sanctum, suum authorem, & per ignem, in quantùm accendit flammas divini amoris, mentes illustrat, & expurgat sordes peccatorum: ergo baptismus Joannis non fuit sacramentum. Probabitur ulteriùs ista minor in quæstiuncula sequenti. Secundò, sacramenta novæ legis instituta sunt à Christo, ipsius authore, ut probavimus agendo de sacramentis in genere; sed baptismus Joannis fuit ab ipso Joanne institutus: ergo non fuit sacramentum. Probatur minor, quia B sicut baptismus Christi dicitur Christi, quia institutus est à Christo; sic baptismus Joannis dicitur Joannis, quia institutus est à Joanne. Si enim diceretur Joannis, quia ipsum ministravit Joannes, baptismus Christi posset dici baptismus Petri, Pauli, & aliorum, qui ipsum conferebant. Quòd si Joan. 1. videatur ille baptismus institutus à Deo, *Qui misit me baptisare, ille dixit:* fuit quidem institutus à Deo, mediante Joanne, in quantùm illum inspiravit Deus Joanni, & inspiratione mandavit ut baptisaret; sed ritus illius fuit immediatè à Joanne institutus. Sic Augustinus *lib.* 5. *de Baptismo cap.* 9. & 13. Sic etiam Tertullianus *lib. de baptismo*, ubi tractans hanc quæstionem proposi- C tam à Christo Matth. 21. *Baptismus Ioannis de cœlo erat, an ex hominibus?* respondet, Deum quidem in genere inspirasse, sed in particulari talem ceremoniam prædicandi pœnitentiam & baptisandi homines Joannem instituisse, unde Matth. 3. habetur *Videns Ioannes multos venientes ad baptismum suum.*

Tertiò, sacramenta dantur sub præscriptâ verborum formâ, & Baptismus inter sacramenta debet, etiam secundùm hæreticos, dari in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti; sed in ablutione Joannis, non constat, an ulla præscripta verba adhibita fuerint; & quantùm ad invocationem Trinitatis, certum est, illam non fuisse adhibitam, quia Act. 19. aliqui dicuntur baptisati fuisse baptismo D Joannis, qui tamen nesciebant, an *si Spiritus sanctus esset:* ergo talis baptismus non fuit sacramentum. Aliqui existimarunt quidem, Joannem baptisasse cum aliquâ verborum formâ v. g. *in nomine Messiæ venturi*, vel *in nomine Christi venturi*, vel *in nomine venturi* simpliciter, ut Magister sententiarum *lib.* 4. *dist.* 2. D. Thomas 3. *part. quæst.* 38. *art.* 6. *ad* 5. D. Bonaventura *in* 4. *dist.* 2. D. Ambrosius, *lib.* 1. *de Spiritu sancto cap.* 3. D. Hieronymus *in cap.* 2. *Ioëlis*, & Hugo à sancto Victore *lib.* 2. *de Sacramentis p.* 6. *cap.* 6. fundati in hoc quòd Act. 19. habeatur, *Ioannes baptisavit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Iesum.* Sed probabilius est, ipsum Ioannem nullâ E formâ usum fuisse, & Paulum per allata verba tantùm voluisse admonere populum, ut crederent in Messiam venturum. Quia si talibus verbis in baptismo suo usus fuisset Ioannes, declarasset apertè, se non esse Christum, quod tamen non fecit, aliàs Pharisæi de hoc dubitantes non misissent ad ipsum legatos, quibus interrogarent Ioannem, an esset Messias.

Quæres secundò, utrùm eandem vim habuerit baptismus Ioannis ac baptismus Christi. Affirmativè respondet Melanchthon, ut anteà diximus, in locis scilicet Anni 58. titulo de Baptismo Ioannis, baptismum scilicet Ioannis remisisse peccata;

cata, ut baptismus Christi remittebat: Nos verò, qui concedimus potuisse baptismum Joannis remittere peccata ex devotione & fide accedentium, vel ex contritione, quam homines concipiebant ex concionibus & baptismo Joannis, juxta ea quæ dixit Marcus cap. 1. *Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*, Respondemus, baptismum Joannis non habuisse eandem efficacitatem ac baptismus Christi habebat; quia non conferebat gratiam ex opere operato, & hoc conformiter Concilio Tridentino, *Sess.* 7. *Can.* 1. de Baptismo. *Si quis dixerit, baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi; Anathema sit.* Quæ quidem determinatio fundatur in hoc, quòd Marci primò Joannes Baptista distinguat suum baptisma à baptismate Christi, quòd ipse baptiset in aquâ, & Christus in Spiritu, *Ego baptisavi vos in aquâ; ille vos baptisabit in Spiritu sancto.* Hoc confirmant Patres, tum Græci, ut Origenes qui *lib.* 5. *in epist. ad Rom.* probat, Baptismum Joannis distingui à baptismo Christi, quòd non remiserit peccata, Justinus *quæst.* 37. ad Orthodoxos; Nazianzenus Oratione in sancta luminaria, Chrysostomus *Homil.* 10. *in Matth.* & præ cæteris Basilius, qui *lib.* 1. *de Baptismo* dicit. *Quantò præstantior est Spiritus sanctus aquâ, tantò excedit qui baptisat in Spiritu sancto illum qui baptisat in aquâ.* Tum Latini, quos recensere prolixius esset; unde attendendum est præsertim ad Augustinum, qui *lib.* 5. *de Baptismo contra Donatistas cap.* 10. ait, in baptismo Ioannis datam fuisse remissionem peccatorum tantùm in spe, re ipsâ verò dari in baptismo Christi, quod designat, virtute ceremoniæ Ioannis potuisse dari remissionem peccatorum in spe, quatenus excitabat homines ad pœnitentiam, quâ remissionem peccatorum consequerentur; per baptismum autem Christi dari re ipsâ peccatorum remissionem, quia per illum infundebatur gratia ex opere operato. Et hoc est, quod dicunt alii, baptismum Ioannis contulisse gratiam & remisisse peccata mediatè, mediante scilicet pœnitentiâ, quam excitabat; & baptismum Christi utrumque fecisse immediatè, & ex opere operato. Quòd si Tertullianus *Cap.* 1. *lib. de Baptismo* dixerit, nullam esse distinctionem inter tinctos à Ioanne in Iordane, & tinctos in Tiberi à Petro, loquebatur de utrâque ablutione materialiter sumptâ, non verò usurpatâ formaliter, & quantùm ad effectus & significationem.

Quæres tertiò, an baptisatus à Ioanne rebaptisari debuisset baptismo Christi? Hoc negant etiam hæretici, qui contendentes baptismum Ioannis fuisse sacramentum, & ejusdem efficaciæ cum baptismo Christi, existimant superfluum fuisse, quòd semel baptisati à Ioanne denuò baptisarentur Christi baptismo. Sic Kemnitius, Calvinus, & cæteri. Nos autem, qui negamus talem baptismum fuisse Sacramentum, & gratiam contulisse ex opere operato; Respondemus proinde, quòd illi, qui baptismum Ioannis reciperent, deberent insuper ablui baptismo Christi, ut remissionem peccatorum obtinerent ex opere operato, si anteà illam non obtinuissent ex opere operantis, & in virtute pœnitentiæ, quam in audientium animis excitabat Christi præcursor. Hoc constat ex illâ universalissimâ Christi lege Matth. ultimo. *Docete omnes Gentes baptisantes eos.* Et Marci ultimo, *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit.* Ubi loquuntur Evangelistæ de necessitate baptismi Christi, sine quo nullus salvari poterat, quamcunque ceremoniam, sive veteris testamenti, sive Ioannis adhibuisset.

A Idem habetur ex verbis Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum;* unde ritè colligi potest, quòd illi qui recepetent baptismum Ioannis, qui erat tantum in aquâ, ut habetur Matth. 3. *Ego baptiso in aquâ*, deberent adhuc baptisari baptismo Christi, qui erat nedum in aquâ, sed in Spiritu sancto, ut habetur ibidem, *Ille vos baptisabit in Spiritu sancto & igne.* Confirmatur, tum ex hoc quòd *Act.* 19. Paulus jubeat baptisari in nomine Domini duodecim viros asseverantes se non habere nisi baptismum Ioannis; tùm quia ex Marci 1. Matthæi 3. ac Lucæ 3. tota Ierusalem, omnis Iudæa, & regiones vicinæ Iordani ibant ad Ioannem, ut baptisarentur; sicque pauci erant, qui non essent abluti B baptismo Ioannis; attamen ipso die Pentecostes Petrus prædicans necessitatem baptismi Christi, dicendo: *Pœnitentiam agite & baptisetur unusquisque vestrûm in nomine Iesu*, tria millia & paulò post quinque millia baptisavit: quod denotat baptismum Christi fuisse semper necessarium his, qui anteà baptismum Ioannis receperant.

Inter omnes objectiones contra hanc veritatem, principalior illa videtur, quam affert Kemnitius *Pag.* 183. quâ dicit, maximam esse consolationem omnibus Christianis, quòd unum & idem Baptisma habeant cum Christo, suo capite; quæ consolatio abesset, si Baptismus Ioannis non fuisset idem ac Baptismus Christi, quem ipsemet Chri- C stus non recepit. Respondeo, non debere à Christianis expectari consolationem quæ injuriam irrogaret Christo, vel aliquid detraheret ab ejus gloriâ; Christus autem admisisset aliquid suæ innocentiæ & dignitati detrahens, si baptismum suum recepisset; tùm quia talis baptismus directè institutus est ad delendum peccatum originale, quòd non potuit contrahere Christus; tùm quia baptismus Christi adoptabat homines ad gloriam, & fuit impossibile, quòd Christus fieret Filius Dei adoptivus, cum Filius sit naturalis. *Dices*. Sicut Christus accepit Circumcisionem, non ad effectum regenerationis aut adoptionis, sic potuit accipere suum baptisma ad aliam causam. Respondeo, negando consequentiam; quia, cùm adveniente D Christo circumcisio jam esset in praxi inviolabiliter apud Iudæos, sine gravi scandalo non potuisset illam omittere Christus: cùm verò lex Baptismi tunc adhuc neminem obligaret, ideò potuit ipsum Christus dimittere & recipere baptismum Ioannis, humilitatis causa; unde revera illum dimisit, dicente Augustino, *Tract.* 19. *in Ioannem*. Christus baptisabat, non eo baptismo, quo baptisatus est. Si ergo quis quærat, quænam fuerint differentiæ baptismi Ioannis & Christi; dicendum est, illos inter se differre: Primò quòd ille esset in solâ aquâ & iste in aquâ & igne. 2. ille non erat sacramentum, iste rationem veri sacramenti sortiebatur. 3. ille non conferebat gratiam ex opere operato, benè autem iste. 4. verbum prædicationis & exhortationis erat om- E nino essentiale primo, Matth. 3. *Venit Ioannes prædicans & dicens: Pœnitentiam agite*, non secundo; quia, ut diximus, verba sacramentorum non sunt concionatoria. 5. baptisati à Ioanne debebant posteà suscipere baptismum Christi, non vice versâ. 6. in baptismo Ioannis verisimilius est, non admissa fuisse verba, benè autem in baptismo Christi. 7. in illo non imprimebatur caracter, unde iterari potuit per additionem baptismi Christi, benè autem in isto, qui ideo iterari non potest. 8. Baptismus Ioannis institutus fuit ab ipso per arcanam inspirationem Dei, & Baptismus Christi ab ipso Christo

Deo & Homine. 9. denique Christus suscepit Baptismum Joannis, non suum; de hoc enim nulla fit mentio in Scripturis, aut in Traditione, aut apud Patres.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Confirmatione.

QUANDOQUIDEM Confirmatio est veluti perfectio & confirmatio baptismi, quoniam per baptismum acquiritur fides, & per Confirmationem dantur vires ad profitendam fidem; ideò, explicato Sacramento Baptismi, ad Confirmationem devenire oportet.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Confirmatio?

PLURIBUS nominibus insignitur Confirmatio; Primò enim dicitur baptismus, Act. 1. *Vos autem baptisabimini Spiritu sancto*; quia scilicet est ipsius complementum, ut diximus. Secundò, dicitur manûs impositio, ratione scilicet ritûs quo confertur. Tertiò, dicitur Sacramentum Chrismatis, sine quo non sumus perfectè Christiani; Christianus enim & Christus dicuntur à Chrismate. Dicitur quarto Confirmatio, quia roborat & confirmat hominem ad fidem profitendam.

CONCLUSIO.

CONFIRMATIO, sicut baptismus & quodlibet aliud Sacramentum, potest definiri vel physicè, vel metaphysicè. Physicè, est unctio Chrismatis facta in fronte confirmandi cum signo crucis, sub præscriptâ verborum formâ; metaphysicè verò, est Sacramentum novæ legis, institutum à Christo, ad conferendum Christianis novum robur & augmentum gratiæ ad fidem suam profitendam constanter & contra adversarios audacter defendendam. Hæc omnia patent ex se, vel saltem patebunt ex dicendis.

QUÆSTIO II.

An Confirmatio sit Sacramentum?

HOC negant Lutherani & Calvinistæ, affirmant verò Catholici. Illi quidem putant, Confirmationem esse tantùm ceremoniam institutam ab Ecclesiâ, in quâ examinantur baptisati de fide, & ratificant baptismum, absque eo quod talis ceremonia habeat rationem Sacramenti; Nos verò Confirmationem tanquam Sacramentum accipimus, non tantùm contra præcedentes hæreticos, sed etiam Novatianos; qui ideò Confirmationem à numero sacramentorum rejecerunt, quia Novatus ipse, in lecto decumbens, baptisatus fuerit sine ceremoniis Ecclesiæ, nec ipsas suppleri curaverit, nec signaculo Spiritûs S. fuerit consignatus, & ob hoc malè sentiret apud omnes; ideò negavit unctionem chrismatis esse Sacramentum; unde, quando illorum aliquis à Novatianismo convertebatur ad Ecclesiam, sacro inungebatur chrismate. Sic Eusebius *lib. 6. Historiæ cap. 23.* Hos secuti sunt Armeni, & istos Uviclephus, contra quem agit A Thomas Valdensis Tom. 2. de Sacramentis cap. 111.

CONCLUSIO.

CONFIRMATIO est verè & propriè Sacramentum. Sic Concilium Tridentinum Sess. 6. Can. 1. de Confirmatione; *Si quis dixerit, Confirmationem baptisatorum non esse verum & proprium Sacramentum, Anathema sit.* Licet autem hæc veritas non habeatur expressè in Scripturâ, colligitur tamen ex traditione antiquissimâ Ecclesiæ. Dionysius enim Apostolorum contemporaneus lib. 2. de cœlesti Hierarchiâ cap. 4. postquam loquutus est de Eucharistiâ, ait: *Est illi finitimum Sacramentum, quod præceptores nostri Sacramentum unguenti nominant*: & sic erat ante illum. Augustinus etiam B ait, *Sacramentum Chrismatis est sacrosanctum in genere signorum visibilium, ut baptismus*; unde Tertullianus loquens de illo, dicit; *Caro ungitur, ut anima consecretur.* D. Cyprianus *Lib. 1. Epist. ultima* ait, *Ungi quoque necesse est eum qui baptisatus sit, ut accepto chrismate, esse unctus Dei & habere in se gratiam possit.* Ubi necessitatem Confirmationis ad gratiam obtinendam ostendens, demonstrat proinde illam esse Sacramentum, maximè cum illam comparet Baptismo, & iterum dicat *Lib. 2. Epist. 1. Tunc demum plenè sanctificari & esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur.* C Ambrosius *Lib. 3. de Sacramentis cap. 2.* postquam locutus est de baptismo, *Sequitur*, inquit, *spirituale signaculum, quia post fontem sequitur, ut perfectio fiat quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur*: Sed per sola sacramenta infunditur Spiritus sanctus: Ergo. Hieronymus insuper in Dialogo contra Luciferianos, postquam dixit Episcopos baptisatis per impositionem manuum dare Spiritum sanctum, subjungit. *Exigis, ubi scriptum sit? in Actibus Apostolorum. Sed etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret.* Quoad Augustinum, ipsius confirmatio præcessit. His ad- D di posset Patrum Græcorum turma, nisi allatorum sufficeret authoritas, ad ostendendum Calvini mendacium, qui in antidoto Concilii Tridentini *sess. 7. Can. 2.* non sine gravi impudentia ait, *Olei qui faciat mentionem nemo est ex veteribus; imò nec ex mediâ illâ ætate, quæ jam multis vitiis abundabat.* Vel enim citatos Patres Latinos non legit, nec Græcos, ut Dionysium Areopagitam *Lib. 2. de Cœlesti Hierarchia cap. 2. 3. & 4.* nec Clementem Alexandrinum ex Eusebio *lib. 3. Historia cap. 17.* nec Justinum *quæst. 137.* nec Origenem *Homil. 8. in Leviticum*, nec Cyrillum Hierosolymitanum, qui ex quinque Cathechesibus mystagogicis scripsit primam & secundam de Baptismo, tertiam de Sacramento Confirmationis, quartam & quintam de Eucharistiâ, E quæ sunt tria sacramenta quæ percipiebantur à Neophitis eodem die. Nec denique alios perlegit, vel profectò impudentissimè loquitur, dum dicit, veteres nullam Olei fecisse mentionem; cùm ex allatis constet, antiquos Patres honorificentissimè semper locutos fuisse de hoc sacramento.

ADDUCI ulteriùs possunt Concilia & Pontifices ad confirmandam nostræ conclusionis veritatem. Primò Concilium Elibertinum, quod antiquissimum fuit, Can. 38. de baptisato loquens, ait, *Si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manûs impositionem possit perfici.* Concilium Arelatense sub sancto Sylvestro Can. 8 jubet, *ut hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus non conferatur baptismus denuò, sed manus imponantur ab Episcopis, ut*

accipiant Spiritum sanctum; quia scilicet hæretici illi non conferebant Confirmationem, sed Baptismum. Arelatense 2. sub eodem Sylvestro can. 17. exprimit Chrisma addendum esse cum impositione manûs. Laodicenum can. 7. jubet, *Novationos sancto Chrismate inungi*. Aurelianense apud Gratianum de Consecratione dist. 5. can. *ut jejuni*, præcipit, ut *jejuni ad Confirmationem veniant*. Meldense ibidem can. *ut Episcopi*, prohibet Episcopis, *ut non nisi jejuni tradant Spiritum sanctum per impositionem manuum*. Sic multa alia, quæ brevitas omitti cogit, ut citentur solùm tria Concilia Generalia, nempe Synodus 6. can. 7. Florentinum in Instructione Armenorum, & Tridentinum anteà citatum. Quoad Summos Pontifices, apud Bellarminum habentur Clemens Romanus Epist. 4. *Omnibus festinandum est sine morâ renasci, & demum consignari ab Episcopo, & septiformem Spiritûs sancti gratiam recipere*. Cujus rationem deducit posteà, ex hoc, quod sine eo Sacramento nullus perfectè Christianus esse potest. Sic loquitur Urbanus in Epistola sua decretali, dicens, *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent, ut plenè Christiani inveniantur*. S. Melchiades Papa & Martyr in Epist. ad Episcopos Hispaniæ interrogatus, utrùm Baptismus esset majus Sacramentum, quàm Confirmatio, respondit; *Scitote, utrumque magnum esse sacramentum* & confirmationem in eo Baptismo præstare, quòd detur à summis sacerdotibus. S. Eusebius Papa similiter, ait in epist. 3. *Manûs impositionis Sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab aliis non potest perfici, nisi à summis Sacerdotibus, id est, ab Episcopis*. Multi alii videri possunt apud Bellarminum lib. 2. de Sacramento Confirmationis cap. 3. qui licet, sicut præcedentium quidam, non expressè affirment, Confirmationem esse sacramentum, attamen hoc implicitè demonstrant; notantes, esse ceremoniam à baptismo distinctam, quæ gratiam confert.

Confirmatur ratione: Ad rationem Sacramenti tria tantùm requiruntur, scilicet promissio gratiæ, signum visibile, & præceptum quo jubeatur tale signum ministrari; hæc autem sunt in Confirmatione. Primò habet remissionem gratiæ, Act. 1. *Accipietis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos, & eritis mihi testes usque ad ultimum terræ*: & sic promittitur Apostolis per Confirmationem amplior gratiâ, quâ essent fortes in confessione fidei. Secundò, Confirmatio habet signum sensibile, quod est impositio manuum, Act. 8. *Oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum*: & paulò post, *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum*. Quod si in die Pentecostes Apostoli non receperint Spiritum sanctum per impositionem manuum; hoc factum est ex speciali privilegio, sic enim dabatur cæteris. Quod tertiò Confirmatio habuerit præceptum, patet ex executione mandati; si enim Apostoli suâ sponte, & sine Christi institutione & præcepto adhibuissent talem impositionem manuum, non infaillibiliter descendisset Spiritus sanctus; descendebat tamen, quotiescumque manus imponebant. Huic rationi duæ aliæ adjungi possunt, quas attulimus 2. cap. 1. de Sacramentis in genere, ubi loquentes de septenario Sacramentorum numero, diximus, quòd Christus Christianum in suâ perfectione stabilire volens per sacramenta, nedum debuit instituere Baptismum, quo vitam reciperet; sed & Confirmationem, quâ Christiani adhuc infirmi & quasi modò

A geniti infantes in gratia augerentur. Deinde, ut ibidem diximus, Christus volens instituere sacramenta, ad tollendam, tum culpam, tum pœnam, & cùm infirmitas naturæ sit una ex pœnis peccati, ideo congruum fuit, ut instituerit Confirmationem, tanquam secundum Sacramentum, quæ novas vires adderit ad potestandam fidem.

Objicit Calvinus contra allegatam nostram rationem lib. 4. institut. cap. 19. quòd illa manuum impositio, de quâ mentio fit Act. 8. non sit sacramentum, *Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum sanctum*, sed quædam oblatio baptisatorum, quam solebant facere Deo illi qui B baptisaverant, imponendo manus super illorum capita. Respondeo, hoc gratis fingere Calvinum, nec hoc ullo modo probare, neque probare posse, cùm sit contra Traditionem, ut vidimus, contra Concilia, summos Pontifices, & Patres Ecclesiæ, tum Græcos, tum Latinos, qui sanè præferri debent figmentis Calvini. Deinde, ad illam impositionem manuum dabatur Spiritus sanctus, quod est proprium sacramenti, nec simplici oblationi convenire potest. Tandem, quid opus erat novâ oblatione, cùm baptisatus, ut sic, offerat se Deo & ejus mandatis se subjiciat. Instat Calvinus, ad summum talem manuum impositionem non contulisse, nisi dona aliqua visibilia Spiritûs sancti, ut potè, linguarum, miraculorum, & similia; sicque non fuisse sacramentum. Sed hoc falsum esse constat, ex hoc quòd, dona illa, quæ poterant etiam C dari peccatoribus, nunquam vocentur Spiritus sanctus, qui non habitat cum peccato; per impositionem verò manuum dabatur Spiritus sanctus ab Apostolis. Deinde, dona illa, quæ erant gratiæ gratis datæ, non dabantur omnibus, juxta id quod habetur ad Rom. 10. *Numquid omnes prophetant: numquid omnes loquuntur linguis?* At quotiescumque manus imponebant Apostoli, toties dabant Spiritum sanctum. Insurgit idem Calvinus, dari Spiritum sanctum per manuum impositionem, fuisse quidem privilegium Apostolorum, qui de hoc peculiare mandatum & promissionem habuerunt; alios verò non posse idem facere: Sed respondetur, promissionem à Christo factam Apostolis esse etiam toti Ecclesiæ factam, ita quòd, etiamsi Do-D minus Apostolos alloqueretur, promittendo Spiritum sanctum, tamen in eis alloquebatur totam Ecclesiam, ut ait S. Leo sermone 9. de Quadragesimâ, *Tota Ecclesia salutare suum, in iis qui aderant, universaliter audiebat*. Dicunt denique hæretici, cessasse hunc effectum, qui ad impositionem manuum sequebatur olim. Respondeo, cessasse quidem, quoad sensibiles effectus, qui erant loqui variis linguis, operari miracula, sanitatem conferre, res aperire latentes, & similia; non verò cessasse, quantùm ad collationem invisibilis gratiæ. Et ratio quam afferunt Patres, & præsertim Augustinus *lib. 3. de Baptismo cap 16.* cur primis temporibus daretur visibiliter Spiritus sanctus, nunc autem so-E lùm invisibiliter detur, est quia talia miracula initio Ecclesiæ necessaria erant, ut patet ex Marci ultimo, *Signa eos qui crediderint hæc sequentur: super ægros manus imponent & bene habebunt*, ad fidem scilicet nutriendam; nunc autem non sunt necessaria. Nec tamen fides nostra est inanis, quia habet effectum suum principalem, vitam scilicet influendo.

Objicit secundò Calvinus: Asserere Confirmationem esse sacramentum, est maximam injuriam irrogare Baptismo, quia si Confirmationis effectus esset, dare robur ad fortiter militandum in

republica Christianâ, talis effectus baptismo denegaretur, quod ipsi esset injuriosum. Respondetur, Catholicos nullam injuriam prætendere irrogari baptismo; sed per hoc tantùm volunt, quodlibet Sacramentum habere suum effectum peculiarem, qui ita competit uni, ut alteri non conveniat ex institutione Christi, qui voluit v. g. per sacramentum Baptismi gratiam conferri ad tollendum peccatum; Confirmationem gratiam communicare ad fortiter protestandam fidem; & Eucharistiam similiter tribuere gratiam ad nutriendam charitatem in animâ. Sicut ergo hæretici non prætendunt injuriam facere baptismo, licet fateantur Eucharistiam esse sacramentum gratiam conferens ad suum effectum singularem; sic nec Catholici volunt, injuriosum esse Baptismo, si præter illum, admittant insuper sacramentum Confirmationis ad augendam gratiam in protestatione fidei, quam illis infudit Baptismus. Ergo propter hæc umbratilia argumenta & similes rationes non est expungenda è numero sacramentorum Confirmatio, quam Kemnitius *in 2. part. Examinis pag. 298.* mendaciter ex scholâ Montani prodiisse proclamat, asserens; Tertullianum & Cyprianum in hac re fuisse Montanistas, addensque ulteriùs, Hieronymum in dialogo contra Luciferianos nostram sententiam refutasse. Præterea enim, quòd omnium, qui scribunt de erroribus Montani, nullus de hac re fecerit mentionem, quanta impudentia est, inter hæreticos sanctum Martyrem collocare Cyprianum, & asserere, Hieronymum hunc refutasse errorem in dialogo contra Luciferianos, ubi explicat tantum, quomodò Spiritus sanctus, qui jam datus est per baptismum, possit iterum dari per manuum impositionem?

Objicies 3. Si manuum impositio erat signum sensibile quo gratia Confirmationis conferebâtur, non potuit illa manuum impositio mutari; materia enim Sacramenti mutari non potest substantialiter; videtur autem mutata illa impositio in unctionem; per unctionem enim Chrismatis tribuitur Confirmatio. Resp. nos uti eâdem materiâ, quâ usi fuerunt Apostoli, & Apostolos eâdem materiâ usos fuisse, quâ nos actu utimur; quando enim Apostoli Confirmationem conferebant, non faciebant impositionem manuum sine unctione & consignatione crucis, aliàs D. Augustinus non vocaret Confirmationem Sacramentum Chrismatis, nec D. Dionysius Sacramentum unguenti; quando etiam in præsenti tribuitur Confirmatio, non fit unctio sine impositione manuum. Hoc confirmari videtur per regulam generalem, quam Augustinus tradit *cap. 9. lib. de fide & operibus*, ubi ait, quòd dum Scriptura affirmat aliquid esse factum, quod ad baptismum spectat; debeamus intelligere reliqua non fuisse omissa, quæ spectant ad eundem baptismum. Quando ergo scriptura dicit, Apostolos dedisse Spiritum sanctum per impositionem manuum, intelligendum est, ipsos fuisse etiam usos unctione Chrismatis. Unde Concilium Arelatense 2. sub S. Sylvestro exprimit chrisma addendum esse cum impositione manûs; & Laodicenum can. 7. jubet Novatianos sacro chrismate esse inungendos; quæ tempora erant vicina Apostolorum. *Dices*, Ex Augustino lib. 5. de Bapt. cap. 23. *Manûs impositio, sicut baptismus, repeti non potest; quia nihil est aliud, nisi oratio super hominem:* Ergo non est sacramentum. Resp. inter plurimas manuum impositiones, quibus aliàs utebatur Ecclesia, quatuor fuisse celeberrimas, quarum quælibet suum peculiarem effectum obtinebat: alia enim erat confir- A matoria, ad roborandam animam in confessione fidei; secunda erat reconciliatoria, quâ peccatores reconciliabantur, & hæretici, qui redeuntes ad Ecclesiam, recipiebantur in illa, non per iterationem baptismi, sed per manuum impositionem; tertia fiebat in ordinationibus & per illam dabatur potestas ministrandi sacramenta; quarta denique admittebatur super Catechumenos & Energumenos, à quibus expellebantur dæmones. Quintam adjungunt alii, quâ sanctimoniales diaconissæ consecrabantur. Augustinus autem in objectione allata loquebatur tantùm de secunda impositione manuum ad reconciliandos peccatores, quæ iterari poterat.

B

Quæstio III.

Quando instituta fuerit Confirmatio?

Ex antecedenti conclusione patet, Confirmationem esse Sacramentum; patet etiam ex dictis omnia Sacramenta esse instituta à Christo, conformiter Concilio Trid. Sess. 7. can. 10. ubi habetur, *Si quis dixerit omnia & singula Sacramenta novæ legis non fuisse à Domino nostro Iesu Christo instituta, Anathema sit:* Ergo colligitur ex his, Christum instituisse Confirmationem; sed quo tempore instituta fuerit, quæritur. Alii tenent institutam fuisse C quando Christus Matth. 19. imponebat manus infantulis *Sinite parvulos venire ad me*, &c. *Et cùm imposuisset eis manus, abiit*; sed hoc falsum esse constat, quòd isti infantes nondum essent baptisati, nec Spiritus sanctus esset dandus, nisi Christus esset glorificatus, ut habetur Joan. 7. unde hæc ceremonia potiùs erat umbra, quàm institutio Confirmationis. Alii volunt, quòd fuerit instituta in die Pentecostes, quando Collegium Apostolicum confirmatum est per descensum Spiritûs sancti: quod non est verisimile, cùm ibi nulla fiat mentio materiæ aut formæ hujus sacramenti. Deinde, jam Christus ascenderat in cœlos, quæ Ascensio fieri non debuit, nisi consummato Ecclesiæ ædificio, quod D pro præcipuis structuræ suæ columnis habebat sacramenta. Alii denique contendunt, institutam fuisse Confirmationem, dum Christus post resurrectionem suam dixit Apostolis Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum:* Sed neque hoc sustineri potest, cùm per ista verba institutum fuerit sacramentum pœnitentiæ, ut habetur in Concilio Tridentino sess. 6 cap. 14.

Conclusio.

Christus Sacramentum Confirmationis instituit in nocte cœnæ, secundùm probabiliorem sententiam; omnes enim Theologi dicunt, E quòd in tali nocte, in sermone habito ad discipulos, novum Testamentum instituerit; & sic verisimile est, quod materiam & formam & præceptum hujus Sacramenti pro tunc assignaverit. Fundatur autem hæc opinio in traditione Apostolicâ, ut habet Fabianus Papa Epist. 2. ad Orientales cap. 1. quæ scripta est ante mille quadringentos annos, in quâ sic habet, *In illa die Dominus Iesus postquam cœnavit cum discipulis suis, & lavit pedes eorum, Chrisma conficere docuit, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt.* Ob hanc causam quotannis Ecclesia novum Chrisma consecrat feriâ quintâ in cœnâ Domini. Quòd si dicatur, Fabianum asseruisse quidem, edoctos fuisse Apostolos de Chrismate conficiendo, non verò

Confirmationem fuisse pro tunc institutam: Respondent omnes, nomine chrismatis intelligi totum Confirmationis sacramentum, quod pro tunc institutum est, & quod Chrismate confertur. Deinde, etiamsi locutus fuisset Fabianus de solo chrismate conficiendo, non minùs colligeretur, ipsum sacramentum Confirmationis tunc fuisse institutum; quando quidem chrisma est materia Confirmationis, quod non fuisset factum, nisi per respectum ad illam: ergo tunc Christus non docuisset facere chrisma, nisi instituisset hoc sacramentum, in cujus usum præcipuè ordinatur. Ea quæ diximus in annotatione hujus quæstionis nostram conclusionem confirmant; quia, si non institura fuerit Confirmatio pro eo tempore, quo Christus Matth. 19. imponebat manus super parvulos, nec in die Pentecostes, nec quando dixit Joan. 20. *Accipite Spiritum sanctum*, ut hæc omnia probavimus; superest, quòd juxta maximam probabilitatem instituta fuerit in nocte cœnæ, quando testamentum suum instituens, instituit etiam sacramenta, quæ nobiliores sunt partes novæ legis.

Objicies, Hoc Sacramentum non fuit in usu, nisi post descensum Spiritus sancti in die Pentecostes, neque à Christo, neque ab Apostolis: ergo signum est non fuisse anteà institutum. Resp. negando consequentiam; & ratio cur non fuit in usu ante Pentecosten, est, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus sancti, quam dari non expediebat, donec Jesus esset glorificatus, secundùm illud Joannis 7. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Quæ verba insinuant, Spiritum sanctum nemini fuisse datum visibili modo, & cum illa plenitudine, quæ confirmationi competit, antequam Christus resurrexisset & ascendisset in cœlos. Si quis dicat, Episcopos, ad quos pertinet Confirmationem ministrare, fuisse tantùm institutos post resurrectionem, quando dixit Christus Apostolis, insufflando super eos, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*: ergo ipsam Confirmationem non fuisse institutum anteà: Respondendum est, quòd licet non fuerit instituta Confirmatio quantùm ad suam consummationem, & quantùm ad usum, nisi postquam instituti fuerint Episcopi, ad quos spectat Confirmationis ordinariam ministratio, quod factum est reverà post resurrectionem; attamen, quantùm ad materiam & formam, quæ sunt partes intrinsecæ Confirmationis, instituta est in nocte cœnæ, ut sufficienter probatum est per traditionem, quæ ab Apostolis pervenit ad Fabianum Papam, & ab illo ad nostra tempora.

Quæstio IV.

Quænam sit materia remota Confirmationis?

Omnes conveniunt, materiam remotam hujus sacramenti esse chrisma, ut patet ex Conciliis Florentino in institutione Armenorum, & Tridentino sess. 7. can. 2. Chrisma, inquam, compositum ex oleo olivarum & balsamo, quod *oleum nitorem gratiæ significat, balsamum verò odorem bonæ famæ* ex Innocentio III. *extra. de sacrâ unctione, cap. unico.* An autem hæc meritos, per Apostolicam traditionem indita, quâ asseritur, chrisma esse materiam Confirmationis, ita debeat intelligi, ut Confirmatio consistat substantialiter in utrâque parte chrismatis, scilicet in oleo & balsamo simul; an verò consistat substantialiter in altero illorum v.g. in oleo solùm, vel tantùm in balsamo; tres super hanc difficultatem Doctorum reperiuntur sententiæ. Primò, Melchior Canus voluit, oleum & balsamum esse de substantiâ materiæ hujus sacramenti, sed disjunctivè; sicut in Eucharistiâ dicimus, substantiam materia illius consistere in pane & vino, disjunctivè sumptis, in quantùm ex utrâque materiâ disjunctivè sumptâ potest confici hoc sacramentum. Secundò, Cajetanus, Navarrus, & Covarruvias contendunt, oleum esse quidem de necessitate hujus sacramenti, balsamum vèrò esse tantùm de necessitate præcepti, sive præceptum hoc sit immediatè à Christo datum, ut postea citandus Fabianus Papa asserit, & volunt Soto dist. 7. q. unica art. 2. ss. *de hoc autem*, Estius, & alii; sive sit tantùm juris Ecclesiastici; ut contendit Cajetanus. Tertiò, alii existimant, & verisimiliùs, tum balsamum, tum oleum olivarum, quod solùm simpliciter & propriè oleum dicitur, esse de necessitate sacramenti.

Conclusio.

Materia remota essentialis hujus Sacramenti est chrisma confectum ex oleo & balsamo. Sic Concilium Florentinum decreto de Armenis sic loquens; *Secundum Sacramentum est Confirmatio, cujus materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ; & balsamo quod odorem significat bonæ famæ.* Quòd autem Concilium loquatur de materiâ essentiali, patet; quia ibidem recensens in particulari materias Sacramentorum, in omnibus aliis nihil ponit, quod non sit materia essentialis cujuslibet: ergo à pari in isto, ubi dicit chrisma confectum ex oleo & balsamo esse materiam Confirmationis, loquitur de materiâ essentiali. Si dicant adversarii, admixtionem olei esse in Confirmatione, sicut est admixtio aquæ in Eucharistiâ, quæ est tantùm de præcepto; hoc negatur, & colligitur ex Concilio Florentino; quando enim loquitur de materiâ calicis, non dicit esse quid mixtum ex vino & aquâ, sed esse vinum simpliciter: quandoquidem ergo, loquens de materia Confirmationis, dicit esse chrisma confectum ex oleo & balsamo, non putat admixtionem balsami esse tantùm ex præcepto; aliàs mentionem non fecisset talis unctionis, sicut nec in Eucharistia commemorat mixtionem aquæ.

Objicies, Innocentius tertius, aliàs consultus, an unctus solo oleo deberet iterum confirmari, respondit, nihil iterandum esse; sed quod omissum est cautè supplendum: ergo Confirmatio erat valida sine mixtione balsami. Resp. negando consequentiam; hoc enim confirmat nostram conclusionem; quia si mixtio balsami sit tantùm necessaria ex præcepto, sicut aqua in calice, sequeretur non esse posteà supplendum necessariò Balsamum; si quis enim oblitus fuisset admiscere aquam vino, nullus diceret, quòd talis mixtio debeat suppleri post consecrationem: cùm ergo Innocentius determinaverit supplendum esse cautè Balsamum; per hoc voluit, quòd Balsamum esset necessarium ad validitatem Confirmationis: Difficultas ergo tota superest, quòd dixerit nihil esse iterandum; sed loquitur tantùm de iteratione ceremoniarum, quæ non debent iterari, sed tantùm unctio cum Oleo & Balsamo.

Objicies, Balsamum esse rarissimum: ergo non congruit divinæ bonitati, quòd assignaverit pro materiâ Sacramenti aliquid quod vix reperiri potest. Resp. hanc rationem fore validam, si Confir-

matio esset absolutè necessaria, tanquam medium ad salutem. Deinde, ex ipsis adversariis constat, quòd admixtio Balsami sit necessaria ex præcepto, & consequenter sub pœnâ peccati mortalis: ergo pari jure posset dici, quòd non congruat divinæ bonitati aliquid præcepisse sub peccato mortali, quod sine difficultate non potest obtineri. Tandem dicendum est, quòd hæc ratio non obstat; quia modicum Balsami requiritur: unde Fabianus Papa reprehendit Episcopos Orientales, quòd defectu Balsami renovarent tantùm chrisma singulis trienniis, quasi esset excusatio ficta; ad essentiam enim chrismatis non requiritur, ut singulæ partes ejus contineant formaliter aliquid Balsami, sed sufficit quòd toti mixto saltem insit tantùm Balsami, ut omnes chrismatis partes alterentur recipiendo in se ejus odorem.

Objicies cum Kemnitio, Apostolos solâ manuum impositione fuisse usos in collatione Confirmationis, non verò chrismatis usu, ut patet ex Act. 8. & 19. ergo chrisma non est materia Confirmationis. Præter responsionem, quam anteà attulimus quæst. 2. dicentes, Apostolos tacitâ unctione fuisse usos in confirmando; quæ responsio est probabilis, attamen responderi etiam potest cum D. Thomâ 3. p. quæst. 69. art. 2. ad 1. Scoto in 4. dist. 7. quæst. 1. num. 3. D. Bonaventurâ ibidem art. 1. quæst. 2. Suare, & aliis, Apostolos reverà sine chrismate confirmasse primis Ecclesiæ temporibus, quando ad firmiorem probationem fidei solebat Spiritus sanctus visibiliter descendere in baptisatos; unde ipsemet D. Thomas præcitatus addit, ipsos quoque Apostolos fuisse etiam usos chrismate, quando scilicet Spiritus sanctus non descendebat visibiliter in Christianos; aliquando etiam non fuisse usos, quando non descendebat cum aliis signis visibilibus: & in hoc conciliari possunt utriusque opinionis fautores, dicendo scilicet, quòd apostoli chrismarent & imponerent manus, quando non descendebat Spiritus sanctus visibiliter; non chrismarent verò, quando sensibiliter descendebat super fideles per collationem donorum, quæ erant gratiæ gratis datæ. Porrò, etiamsi verum esset, ut præcitati doctores volunt, apostolos non usos fuisse chrismate, ex hoc concludi non deberet, chrisma non esse materiam Confirmationis; quia potuit cum illis dispensare Christus, & probabiliter dispensavit, ut per solam impositionem manuum confirmarent, sicut ipsemet, sine ullis signis sacramentalibus, effectum hujus sacramenti contulit Apostolis in die Pentecostes. Cujus dispensationis ratio desumi potest ex hoc, quòd Apostoli totum mundum peragrantes non haberent commoditatem conficiendi chrisma, nec secum ferendi illud in tantâ quantitate, quæ sufficeret ad confirmandum tot hominum millia post susceptionem baptismi.

Quæstio V.

Quænam sit materia proxima Confirmationis?

Materia remota, ut diximus, est Chrisma, quod debet esse consecratum ab Episcopo, sicut voluit traditio Ecclesiastica, & Concilium Romanum, sub Sylvestro primo, statuens nullum Presbyterum posse chrisma conficere, non quidem inducendo novam prohibitionem; sed declarando quæ jure divino erant prohibita. Ratio quare chrisma debet esse consecratum, est, quia materia

A externa Sacramentorum, quâ Christus usus fuit, consecrata est antequam ad usum Sacramenti applicetur; ideò nec Aqua in Baptismo, nec Panis in Eucharistiâ consecranda sunt, quia talia consecravit Christus usu suo; in Ordine autem, materia, quæ sunt vasa sacra, consecratur, & Oleum in Sacramento Extremæ-unction: in Pœnitentiâ verò & Matrimonio materia non consecratur, quia non est quid extrinsecum, sed sunt ipsi Pœnitentes aut Contrahentes. An autem potestas consecrandi chrisma possit delegari simplici Sacerdoti ex dispensatione, aliqui credunt, alii probabiliùs negant; Concilium enim Florentinum postquam docuit Ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, docet simplicem
B Sacerdotem ex concessione posse illud ministrare, sed cum chrismate per Episcopum benedicto. Ex quo patet, Ecclesiam nunquam dispensasse, quòd posset simplex Sacerdos chrisma consecrare. Ex his ergo habetur, chrisma compositum ex Balsamo & Oleo, & benedictum ab Episcopo, esse materiam remotam essentialem hujus Sacramenti; unde superest tantùm quòd assignetur materia proxima ejus.

Conclusio.

Materia proxima hujus Sacramenti est unctio seu applicatio Chrismatis in fronte baptisati: debet, inquam, illa unctio fieri in fronte,
C & in formâ crucis, & hoc ex necessitate Sacramenti, quod probatur ex communi usu & praxi Ecclesiæ; quæ verè confirmatum non censet illum, qui non fuerit taliter unctus chrismate. Ratio quam allegat Concilium Florentinum; est, quia hoc Sacramentum datur ad finem Christi audacter & sine verecundiâ profitendam; frons autem est veluti sedes verecundiæ: ergo illa pars debet consignari, & in eâ fieri unctio cum signo crucis, ut scilicet confirmatus sine metu fidem seu crucem Christi fateatur, quæ est Judæis scandalum, gentibus autem stultitia.

Objicies, Apostoli confirmabant primos Christianos per impositionem manuum, ut habe-
D tur pluribus in locis sacræ Scripturæ: ergo non ungebant; & proinde unctio chrismatis non est materia proxima hujus Sacramenti. Resp. Apostolos dupliciter manus imposuisse; primò, quando dabatur Spiritus sanctus visibiliter cum dono linguarum, & hoc faciebant per solam manuum impositionem, quod non habebat rationem Sacramenti; non enim erat ceremonia permanens; & hanc potestatem dandi Spiritum sanctum visibiliter, voluit emere Simon Magus. Secundò Apostoli manus imponebant, quando volebant conferre Sacramentum Confirmationis; & pro tunc cum impositione manuum ungebant frontem recipientium, ut habetur ex traditione Apostolicâ & ab antiquis Patribus,
E qui vocabant hoc Sacramentum, Sacramentum unguenti, & Sacramentum Chrismatis.

Ex his quæ diximus in quæstione præcedenti & in istâ, constat Primò Chrisma esse materiam remotam Confirmationis, juxta id quod habetur 2. Corinth. cap. 1. *Qui confirmat nos Deus & unxit nos & signavit*; quæ verba exponunt Ambrosius, Anselmus ac Theodoretus de sacramento Confirmationis. Constat secundò, chrisma debere esse confectum, nedum ex oleo, sed & ex balsamo, necessitate etiam sacramenti; quod tamen balsamum non est necessarium in tantâ quantitate, ut pervadat formaliter omnes olei partes, imò sufficit, ut hoc fiat virtualiter, seu ratione odoris, aut qualitatum, quæ alterent totum quasi oleum; ità ut

tamen non contingat moraliter, aliquem chrismari ex materiâ, quæ non habeat concurrentiam balsami, saltem virtualem. Constat tertiò, chrisma illud debere esse benedictum ab Episcopo, ex Concilio Florentino in decreto de Armenis, & Tridentino sess. 7. can. 2. de Confirmatione, ubi tribuitur efficacia chrismati sacro, id est, consecratio. Unde Scotus dist. 7. quæst. 1. num. 3. requirit consecrationem chrismatis in Confirmatione, & non aquæ in Baptismo; quia Christus suæ carnis contactu omnem aquam consecravit in usum baptismi. Constat quartò, hanc necessitatem consecrationis esse de essentia sacramenti, ut patet ex perpetuâ traditione Ecclesiæ; unde Concilium Romanum sub D. Sylvestro can. 5. determinat, *nullum Presbyterum posse conficere Chrisma*; sicut Carthaginense 2. cap. 3. Carthaginense 3. cap. 36. Hispalense 2. & inter alia Toletanum 1. ubi, cùm videretur, sacerdotes aliquos, sive ex ignorantiâ, sive ex præsumptione, conficere chrisma, ait cap. 20. *Quamvis penè ubique custodiatur, ut absque Episcopo chrisma nemo conficiat; tamen, quia in aliquibus locis, vel Provinciis Presbyteri dicuntur conficere; placuit & hac die, nullum alium hoc posse, nisi Episcopum*; quæ constitutio non est innovatio, sed renovatio.

Constat denique, quòd unctio chrismatis, ut sit materia proxima hujus sacramenti, debeat fieri pollice dextro Episcopi ad crucis figuram in fronte hominis baptisati; unde Augustinus in Psal. 141. ait, Sacramenta varia in variis partibus corporis accipiuntur, quædam in toto corpore, ut baptismus; & quædam in ore, ut Eucharistia; & quædam in fronte, ut signaculum crucis in Confirmatione: cùm hac distinctione, quòd unctio chrismatis sit de necessitate sacramenti; quia unctio est applicatio materiæ remotæ, super quam cadit forma hujus sacramenti: sicut & signum crucis, quod communiter doctores tenent esse essentiale Confirmationi, ob usum constantem universalis Ecclesiæ, quæ in formâ consueta his verbis utitur, *Signo te signo crucis:* ubi signatio facta pollice dextro nullo modo requiritur ad essentiam Confirmationis; imò aliqui docent, Episcopum peccare tantùm venialiter, si alio digito ungat; licet alii doceant, hoc esse peccatum mortale. Quòd si quis ungeret virgulâ, aut alio instrumento; aliqui tenent, tunc sacramentum esse invalidum; alii autem verisimilius existimant, esse validum, quandoquidem tunc esset adhuc vera unctio, & satis forma verificaretur. Nec dicendum est, non esse veram impositionem manuum; quia non requiritur impositio physica, sed moralis sufficit, quâ frons scilicet inungitur, sive fiat immediatè per manum, sive mediante aliquo instrumento. Verum est quidem, quòd propriè manus imponebant Apostoli; sed hoc requirebatur tantùm essentialiter, quando sine chrismate confirmabant. Quoad unctionem frontis; tenetur communiter contra Victoriam esse de essentia sacramenti, ut habet usus constans Ecclesiæ universalis, cujus rationem assignat Concilium Florentinum, dicens, *Ideò confirmandus inungitur in fronte, nè Christi nomen confiteri erubescat & præcipuè crucem ejus.* Attamen, licet frons confirmandi essentialiter inungi debeat; hoc non impedit, quin alias partes inungant Græci, ut potè oculos, nares, os & aures, ut patet ex Concilio Constantinopolitano I. imò aliqua Græcorum Euchologia addunt, manus, alia pedes, alia etiam pectus. Harum tamen unctionum sola frontis essentialis erat, & fiebat primo, aliæ verò erant tantum ceremoniales.

QUÆSTIO VI.

Quænam sit forma Confirmationis?

DIFFICULTATES, quæ proponi possunt super materiam remotam & proximam Confirmationis, sufficienter explicatæ videbuntur; si, quantùm ad mixtionem balsami cum oleo, quam diximus esse huic sacramento substantialem, responsam fecerimus instantiam aliquorum, qui ostendere conantur, balsamum ità rarò inveniri, ut incredibile sit, Christum voluisse sacramentum aliquod confici ex materiâ, quæ vix reperiri potest. Cùm asserat Plinius lib. 12. historiæ naturalis cap. 25. balsamum tantùm reperiri in Judæa, & solùm in duobus hortis, tantoque haberi in pretio, ut Titus, captâ Hierosolymâ, arbusculam, ex quâ nascebatur balsamum, in triumphum duxerit Romam. Sed ad hoc responderi potest, Plinium loqui de temporibus præteritis, ut videre est; de suo enim subjungit, implet colles vinearum modo. Unde, licet jure dixerit, balsamum suo tempore fuisse rarissimum, posteà tamen communius evasit, ut testatur Josephus lib. 8. Antiquit. Judaic. cap. 2. ubi dicit, Reginam Sabæ attulisse plantam balsami, *cujus* inquit *hodie ferax est nostra regio* Deinde, licet in opinione Plinii, fuerit tantùm balsamum in duobus hortis Judææ; attamen communius erat in Indicis partibus, quod potuit Plinius ignorare; licet sit fortè alterius speciei à balsamo Palæstino; quod tamen non impedit, quin sit validum ad Confirmationem, sicut vinum rubeum aut album, quæ differunt specie, possunt esse Eucharistiæ materia; unde fertur, quòd Paulus III. & Pius V. declaraverint, ex balsamo indico, ut potè vero, posse confici chrisma. Tandem ob raritatem balsami, non est inferendum, ipsum non esse materiam necessariam Confirmationis contra traditionem Ecclesiæ; nusquam enim fuit tanta balsami penuria, quin Fabianus Papa & Martyr, ante sæcula quatuordecim, jusserit, singulis annis, novum confici chrisma, combusto vetere. Adde quod, minimula quantitas balsami sufficiat ad alterandum oleum, si non in substantiâ, saltem in odore, quod sufficere asserunt doctores. Imò, etiamsi odor balsami non diffunderetur in omnes partes olei, sufficeret moralis mixtio balsami cum oleo, juxta quam oleum censeretur moraliter mixtum, ita quòd, si quis confirmaretur per guttam aliquam olei, in quâ non esset substantia aut odor balsami, valida esset confirmatio; quia in totalitate olei fuisset admixtum balsamum. Explicatis ergo omnibus difficultatibus, quæ concernunt materiam Confirmationis, nunc ad explicandam ipsius formam progrediendum est.

CONCLUSIO.

FORMA Sacramenti Confirmationis sunt hæc verba, *Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Hoc patet ex Concilio Florentino in decreto unionis, ex Pontificali Romano, & ex praxi Ecclesiæ. Quòd autem hæc forma legitima sit, patet, quia ibi significatur causa principalis, scilicet Trinitas, cùm dicitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Secundò, indicatur causa ministerialis, nimirum ille qui confert, per hæc verba, *consigno, & confirmo.* Tertiò, denotatur persona quæ confirmatur, per pronomen, *te.* Quartò,

tandem innotescit effectus duplex hujus Sacramenti, quorum unus est facere aliquem Christi militem, ipsum insigniendo crucis signo, unde dicitur, *consigno te signo crucis:* alius verò est dare robur ad sustinendos impetus adversariorum, confirmando scilicet; unde additur, *confirmo te Chrismate salutis.* Porrò, hæc verba sunt de essentiâ Sacramenti; unde qui diceret tantùm *signo te*, non addendo *signo crucis*, aut *confirmo te*, non specificando *Chrismate salutis:* aut qui diceret tantùm, *signo te signo crucis*, tacendo, *& confirmo te Chrismate salutis*, aut vice versâ, non fieret Sacramentum; non esset etiam validum, si supprimerentur verba *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Objicies ex Alcuino lib. de Divinis Officiis cap. de Sabbato sancto, Romanus Pontifex confirmans, solùm ungebat frontem, & dicebat; *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Imò, D. Ambrosius lib. 2. de Sacramentis cap. 7. dicit, hanc esse confirmationis formam, *Deus Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aquâ & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam:* ergo in verbis allatis non consistit forma sacramenti hujus. Respondeo ad primum, quòd Alcuinus in verbis allatis non referat totam sacramenti formam, sed solùm obiter & summatim loquitur de illâ: Patres enim plerùmque nolebant formam sacramentorum suis scriptis prodere, nè religionis Catholicæ evulgarent arcana, quæ posteà ab infidelibus irrisa fuissent: unde D. Dionysius cap. ultimo Hierarchiæ Ecclesiasticæ dicit, *fas non esse mandare litteris verba quibus in administratione sacramentorum utitur Ecclesia.* Et Innocentius I. in Epist. 1. cap. 3. loquens de Confirmatione in particulari, ait, *verba dicere non possum, nè magis prodere videar*, quàm ad consultationem respondere. Imò, ex D. Thoma Apostolus 1. ad Corinth. cap. 11. noluit hâc causâ omnia scribere, quæ ad Eucharistiam spectabant, sed ea consultò reservavit, donec accederet Corinthum; *cætera cùm venero disponam.* Quoad D. Ambrosium loco citato; non agit de Confirmatione, sed de illa unctione, quæ in baptismo fit à Presbytero, qui solùm formâ deprecatoriâ utitur; ubi Episcopus ex potestate suâ, quam accepit à Deo, dicit, *ego te confirmo.*

An autem debeat exprimi unitas Essentiæ & Trinitas personarum, dicendo *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti:* hoc affirmatur communiter, sicut in baptismo, cujus istud sacramentum est veluti consummatio & perfectio. Non desunt tamen, qui contrarium asseverent, ex eo quòd forma antiqua Græcorum, quâ nunc adhuc utuntur, nullam mentionem faciat de his verbis, sed solùm dicant, *signaculum doni Spiritûs sancti*, subticendo verbum substantivum, *est*, quod communiter supponitur in idiomate Græco, maximè in propositionibus practicis, quasi sit idem, ac si dicerent, *signaculum doni Spiritûs sancti est in te*, vel, *donatur tibi.* Ad quod tamen responderi potest, quòd, licet apud Græcos non fiat, nisi implicita expressio trium personarum, dum loquuntur de Spiritu sancto, qui supponit Patrem, & Filium; attamen Latini debent adhibere invocationem expressam Trinitatis in suâ formâ; eo quòd in illa nulla sit alia particula, quæ denotet causam principalem gratiæ, sicut denotatur in formâ Græcorum; invocando enim Spiritum sanctum, qui est donum Patris, & Filii, etiam invocare censentur implicitè ipsum Patrem, & Filium; unde, tum apud Græcos, tum apud Latinos fit invocatio Trinitatis, sed apud Latinos explicitè, & apud Græcos implicitè.

Porrò licet dixerimus, has particulas Chrismate salutis, aut, *signo te signo Crucis*, esse de necessitate sacramenti; hoc tamen non ità constat, quin multi teneant, illas esse tantùm de necessitate præcepti, quia videlicet non extant in veteri Rituali Romano, cujus Alcuinus & Amalarius meminerunt ante annos octingentos; ex quo hujus opinionis fautores dicunt, quòd licet chrisma sit essentiale huic sacramento, non debeat tamen specificari in forma ejus, sicut non specificatur aqua in baptismo, ubi minister non dicit, baptiso te aquâ, sed baptiso te simpliciter. Unde etiam, si forma integra, de qua locuti fuimus, habeatur expressè in Concilio Florentino; per hoc non voluit Concilium instruere Armenos de omnibus, quæ erant essentialiter necessaria ad materiam & formam sacramentorum; sed, latiùs loquendo, volebat tradere legitimam formam illorum, quæ sine peccato omitti non poterat; ità quòd in illâ opinione dicere sufficeret, *signo te signo crucis, in nomine Patris, &c.* vel, *confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, &c.* Quidquid sit de illis diversis opinionibus, secunda non est admittenda in praxi; tum quia illâ utentes peccarent mortaliter, tum quia sese exponerent sacramenti prophanandi periculo. In his legi possunt Philippus Gamachæus & noster Guillielmus Herincx.

Quæstio VII.

Quis sit Minister hujus Sacramenti?

Inter hæreticos Vvicleffus lib. 4. Trialogi cap. 14. quem sequuti sunt Lutherani & Calvinistæ, & inter Catholicos, Armacanus lib. 2. de Quæstionibus Armenorum cap. 4. existimarunt, simplices Sacerdotes ordinarios esse Ministros hujus sacramenti, quorum argumenta validissimè rejicit Thomas Vvaldensis tom. 2. de Sacramentis capp. 114. & 115. Albertus in 4. dist. 7. art. 1. Gabriel, Joannes Major, & Adrianus, putarunt; Episcopos ità esse à Christo institutos ministros hujus sacramenti, ut nequidem ex dispensatione summi Pontificis possent simplices Presbyteri illud ministrare. Et in hoc plus cæteris arguendi sunt tres illi ultimi authores, quòd scripserint post Concilium Florentinum, ubi in decreto Eugenii habetur, talem dispensationem sedis Apostolicæ simplicibus sacerdotibus fuisse concessam. Ex adverso denique alii opinati sunt, non modò summum Pontificem, verum etiam quemlibet Episcopum in suâ diœcesi posse committere ministerium confirmandi cuicumque Presbytero, in quantùm possunt singuli Episcopi in suis diœcesibus idem facere quod facit summus Pontifex in universali Ecclesiâ. Hæc opinio attribuitur Ledesmæ. Quid autem sentiatur communiter à doctoribus Catholicis, maximè post Concilium Florentinum mox aperitur.

Conclusio.

Solus Episcopus est ordinarius Minister Confirmationis, extraordinarius autem potest esse quilibet sacerdos ex commissione summi Pontificis solius, non vero Episcopi. Hæc conclusio tres habet partes, quarum Probatur prima, ex Act. 8. ubi, cùm multos Samaritanos baptisasset Philippus, non quidem Apostolus, sed alius, qui non erat Episcopus, sed tantùm discipulus, ut asserunt Chrysostomus, Beda, & Rabanus in hunc locum, missi sunt

Petrus

Petrus & Joannes, ut per manûs impositionem darent Spiritum sanctum iis quos ipse Philippus baptisaverat in Samariâ; at certè nulla excogitari potest ratio, cur ad confirmandum veniant ex uno loco ad alium Apostoli, nisi quia confirmandi munus ad primum gradum Ecclesiasticum pertinet, qui est Episcopalis. Quòd si dicatur, Philippum fuisse tantùm diaconum, & sic ex hoc facto posse tantùm colligi, Diaconis non posse concedi ministerium Confirmationis: Respondendum est, hoc etiam sequi de simplicibus sacerdotibus, qui tunc aderant, & potuissent mitti, si fuissent ordinarii ministri sacramenti hujus, & sic non fuisset opus missione Apostolorum, qui soli tamen leguntur confirmasse, *Act.* 19. Deinde, nostram conclusionem probat Traditio, quoniam Eusebius Papa & Martyr, ait, *Impositionem manuum solis Episcopis competere, & alioquin irritum esse sacramentum*; *de Consecratione dist.* 5. Sic Urbanus Epist. ad omnes Christianos, Joannes 3. in suâ epistolâ decretali, Damasus in epistolâ ad Leonem Richardum, Innocentius epist. 1. ad Decentium c. 3. ubi dicit, *Presbyteris chrismate baptisatos ungere licet, sed quod ab Episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem signare, quod solis debetur Episcopis, cùm tradant Spiritum sanctum paracletum.* Ubi Papa distinguit apertè Episcopalem Confirmationem, quam dicit solis Episcopis competere, ab unctione, quæ fit in baptismo à Sacerdotibus. His omnibus & innumeris aliis subjungi potest D. Gregorius, qui lib. 3. Epist. 9. monet, *nè Presbyteri signare audeant chrismate baptisatos in fronte, cùm ad Episcopi munus id pertineat.* Imò sanctus Damasus Epist. 4. S. Leo Epist. 86. & S. Joannes 3. in Epist. ad Episcopos Germaniæ, declararunt, utpotè summi Pontifices, non licere corepiscopis, sed solis Episcopis, dare Spiritum sanctum per manûs impositionem & unctionem chrismatis in fronte. Cujus rationem reddit Joannes 3. quia Act. 8. soli Apostoli dabant Spiritum sanctum per manuum impositionem.

Hùc revocari potest Melchiades Papa & Martyr Epist. 3. qui, ut diximus aliàs, ait; *Manuum impositionem solis Episcopis competere, & alioquin irritum esse sacramentum*; quod refertur *de consecratione distinctione* 5. *cap. de his*, ubi idem Pontifex colligit, Confirmationem longè antecellere baptismum, quia hic per ministros inferiores potest conferri, & Confirmatio tantùm per Episcopos. Quantùm ad Concilia; videnda sunt Florentinum in decreto, & Tridentinum Sess. 7. Can. 3. de Confirmatione, ubi statuitur, solos Episcopos esse ministros Confirmationis. Quantùm verò ad rationem, duplex afferri potest: non quidem necessitatis, quia hoc absolutè pendet à voluntate Christi, sed congruentiæ; quarum prima allata à Doctore Seraphico desumitur ex hoc, quòd Episcopus in Ecclesiâ sit veluti dux in exercitu; unde, sicut ad ducem pertinet consignare suos milites, sic ad Episcopos spectat consignare Christianos, qui per Confirmationem sunt veluti Christi milites. Alia deducitur ex hoc, quòd Confirmatio sit perfectio & complementum baptismi; unde, sicut in omnibus aliis rebus ultima forma imprimitur à primo agente, sic ultima forma Christiani, quæ habetur per Confirmationem, debet dari à primis ministris Ecclesiæ, qui sunt Episcopi. Unde, ex jure canonico *Dist.* 5. *cap. manus dè consecratione*, habetur, *Manûs quoque impositionis sacramentum ab aliis perfici non potest, quàm à summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis legitur aut scribitur peractum esse.* Quòd si Act. 9. Ananias, qui ex Augustino erat tantùm sa-

A cerdos, imposuerit manum super Paulum, ut objiciunt Vvicleffus, & Armacanus: Respondetur communiter, quòd illa impositio manuum non fuerit confirmatoria, quia Paulus nondum erat baptisatus; sed sanatoria, quia facta fuit, ut illi visum restitueret. Quòd si quis instet, Ananiam imponentem manus dixisse, *Saule frater, Dominus Iesus misit me, ut videas, & implearis Spiritu sancto*; per hoc exposuit Ananias finem proximum sui adventûs, qui erat curatio à cæcitate; & finem remotum, qui erat perfecta justificatio, quam paulò post per baptismum accepit.

Probatur secunda pars; quòd scilicet simplex sacerdos sit minister extraordinarius Confirmationis ex summi Pontificis concessione; ex instituto scilicet Christi, (B) cujus voluntas nobis innotescit ex facto & declaratione summorum Pontificum, & ex Conciliorum definitione. Sic ferè omnes Doctores contra Durandum & paucos alios. Nec est quòd Sotus imputet Scoto hoc negasse; iste enim in 4. Dist. 7. quæst. 1. in solutione dubii tertii ait, quod *Confirmationis minister sit Episcopus, vel alius, cui committi poterit.* Ambrosius in cap. 4. ad Ephes. testatur, in Ægypto presbyteros confirmare in absentia Episcoporum; neque talem usum ipse arguit. D. Gregorius lib. 3. epist. 26. ut refertur *cap. pervenit dist.* 95. concessit sacerdotibus in Sardiniâ hoc sacramentum conferre defectu Episcoporum. Adrianus VI. eamdem potestatem concessit fratribus Minoribus in Indiâ agentibus. Concilium Florenti- (C) num in decreto unionis asserit, apostolicam Sedem aliquando rationabili de causâ dispensasse, ut simplex sacerdos baptisatos confirmaret chrismate per Episcopum benedicto. Tridentinum Sess. 7. Can. 3. de Confirmatione, ait ministrum ordinarium Confirmationis esse Episcopum; ex quo concludi potest, quòd minister extraordinarius possit esse alius ab Episcopo. Declaratio Cardinalium ad Canonem tertium de Confirmatione ait, quòd Abbates ex privilegio Sedis apostolicæ, de consensu tamen Ordinariorum, hoc sacramentum Confirmationis conferre valeant. Ex his ergo omnibus constat, simplicem sacerdotem esse ministrum extraordinarium (D) Confirmationis, ex institutione Christi, qui voluit, ut Episcopus sit minister ordinarius per episcopalem consecrationem suam, & simplex sacerdos possit extraordinariè ministrare, quando summus Pontifex ex plenitudine suæ potestatis, hoc permittit, sicut in baptismo instituit Christus, ut aliqui essent ministri ordinarii, nimirum Sacerdotes & Diaconi; alii verò in casu necessitatis possent baptisare, nimirum laïci. In quo dici potest, quòd commissio & voluntas summi Pontificis committentis simplici sacerdoti confirmare, non sit propriè dispensatio, nec relaxatio, cùm nihil fiat contra tenorem legis, & institutionem divinam; sed potiùs censenda sit executio & declaratio legis & institutionis divinæ in ca- (E) su extraordinario; licet à Concilio Florentino vocetur dispensatio Sedis apostolicæ, prout dispensatio sumitur latè, ut est commissio superioris facultatem tribuens ad id quod est extraordinarium. Quòd si Pontifex nondum esset consecratus, non minùs posset talem commissionem dare, imò, & potentiam committendi delegare aliquibus Episcopis ac etiam sibimet; quia est actus jurisdictionis. Non idem dicendum est de Collegio Cardinalium, Sede vacante, quod non habet rationem capituli sedis vacantis. Asseritur tamen communiter, quòd Papa vivens hoc possit concedere Collegio Cardinalium sub eâ conditione, ut post mortem suam illâ possit uti, quoniam potest delegare cum potesta-

te subdelegandi, quæ delegandi facultas non expirat per mortem primarii delegantis.

Quoad tertiam partem; ita censetur communis omnibus, ut illi opposita singularis & ferè temeraria videatur, inquit Sotus Dist. 7. quæst. unicâ, art. 11. Cum enim minister ordinarius Confirmationis ex traditione Apostolica sit solus Episcopus, vel Presbyter ex delegatione summi Pontificis, qui non censetur habere talem potestatem committendi, nisi ipsa innotesceret per Traditionem explicatam per Patres & Concilia; temerarium esset affirmare, idem jus reperiri in singulis Episcopis, cùm de hoc nulla mentio fiat apud Concilia aut Patres. Tantùm ergo superest respondere ad duo argumenta ab adversariis proponi solita, quorum primo dicunt, quemlibet Episcopum posse idem in suâ diœcesi quod potest summus Pontifex in totâ Ecclesiâ: & secundo asserunt, presbyterum chrismare posse, absente Episcopo, vel præsente, de facultate ipsius, juxta Concilium Toletanum 1. Can. 20. & dictum Innocentii 1. Epist. 1. cap. 6. ubi dicit Presbyterum posse manus imponere, absente Episcopo. Quod idem confirmat Martinus Papa, canone *omni tempore de consecratione Dist.* 4. Ad primum ergo respondeo, Episcopum non posse omnia in suâ diœcesi, quæ potest Papa in universali Ecclesiâ, aliàs posset definire infallibiliter aliquam propositionem, tanquam de fide, ut facit Papa, secundùm probabiliorem opinionem, quod tamen falsum est. Quoad secundum verò, Concilium Toletanum & Martinus loquuntur tantùm de chrismatione, quæ fieri solet in vertice capitis, quæ aliàs adhiberi non solebat à Presbytero, nisi Episcopo absente, vel de licentia ejus. Quoad Innocentium citatum, non loquitur de impositione Confirmationis, sed de illâ, quæ fieri solebat super energumenos, ut prædicto loco habetur, quam soli Episcopi adhibere solebant, ut ex eodem patet, & ex D. Dionysio cap. 2. Eccles. Hierarch. & Tertulliano lib. de Baptismo.

Objicies ex Hieronymo dialogo contra Luciferianos, Si Episcopus confirmet, hoc potiùs fit ad honorem sacerdotii, quàm ad legis necessitatem; quod denotat fieri tantùm ex congruentiâ, quòd Episcopi confirment: Respondeo, Hieronymum non negare, quin necessariò debeat istud sacramentum conferri ab Episcopis; sed per hoc insinuare tantùm prætendit, illud non esse necessarium necessitate salutis, ut verba sequentia indicant. Vel ideo sic loquitur Hieronymus, ut ostendat, quòd ex naturâ rei non possit hoc sacramentum conferri à non Episcopis; sed quòd voluerit in hoc Christus dignitatem episcopalem honorare: posito tamen quod sic rem determinaverit Dominus, tunc necessarium est, ut Episcopi confirment. Quòd autem idem Doctor existimaverit ab Episcopo debere fieri Confirmationem, hoc probat inferiùs exemplo Apostolorum, qui in Samariam profecti sunt; cujus rationem refundit in hoc, quòd hoc exigeret honor summi sacerdotii. Dices, Si soli Episcopo hoc competat, vel est ratione ordinis, vel jurisdictionis; si ratione ordinis, non Episcopus non potest confirmare, etiamsi deputetur à summo Pontifice, sicut nec Diaconus potest consecrare Eucharistiam. Si ratione jurisdictionis, Episcopus non consecratus, qui habet ordinem presbyteralem, & episcopalem jurisdictionem poterit confirmare, quod falsum est. Respondeo, quòd confirmare sit actus ordinis, qui est etiam in presbytero, sed tantùm inchoatus & imperfectus; unde debet perfici per dispensationem superioris, quæ si non daretur, nihil faceret simplex sacerdos confirmando; in Episcopo vero est actus ordinis perfectus & consummatus, unde non potest impediri ab ullâ superiori potestate. Sicut ergo dici debet, quòd ordo presbyteralis involvat quidem potestatem absolutam & independentem, quantùm ad sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ, sic asserendum est, quòd involvat tantùm inchoatam & dependentem respectu Confirmationis; unde debet perfici à superiore, nimirum à Papâ. Quòd si in Concilio Arausicano 1. Can. 2. hæretici redeuntes ad Ecclesiam in mortis articulo ungi possent Chrismate à sacerdotibus; per hoc non intelligitur unctio Confirmationis, sed cæremonia quædam accidentalis Baptismi, cujus Ecclesia volebat suppleri ritus in baptismo hæreticorum prætermissos.

Ex his omnibus constat, Episcopum esse ministrum ordinarium Confirmationis, quam conferre potest, modo sit consecratus; etiamsi sit excommunicatus, suspensus, degradatus, aut hæreticus. Quia Confirmatio est actus solius ordinis episcopalis, non requirens jurisdictionem, ut fiat validè; quoniam character est indelebilis; sed tantùm exigitur, ut quis licitè, sine peccato & pœnis Ecclesiasticis illud conferat. Ex quo sequitur Episcopum peccare, qui in aliena Diœcesi confirmaret, sive sibi subditum, sive non subditum: sicut peccaret etiam, si in sua Diœcesi exterum confirmaret, sine licentiâ saltem præsumptâ alterius Episcopi. Non potest etiam Episcopus sibi subditum confirmare in Diœcesi aliena, sine expressâ licentiâ Ordinarii localis, ut asserit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 5. de Reformatione, prohibens Episcopo Pontificalia exercere sine expressâ Ordinarii licentiâ, ubi per Pontificalia intelliguntur ordinare, chrisma conficere, confirmare, consecrare Ecclesias, & altaria, & similia, quæ ad ordinem Episcopalem sunt propria. Quoad tonsuram, multi existimant, privatim posse conferri. Quantùm verò ad Missam pontificalem & benedictionem solemnem, jure antiquo hoc licitum videbatur, sed jure novo reputatur inhibitum.

Quæstio VIII.

Qui possint Confirmari?

Non quæritur hîc, quinam debeant accipere hoc Sacramentum, nullus enim ad hoc tenetur, cum non sit necessarium necessitate medii; aliàs Ecclesia curaret, ut qui moriuntur, illud reciperent: non est etiam necessarium necessitate præcepti, nisi pro ordinandis; nullum enim extat præceptum, nec divinum, nec Ecclesiasticum quoad omnes, sed solùm pro illis qui saltem tonsuram clericalem recipere cupiunt; ut habetur ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. de Reformatione. Quòd si Scotus videatur dicere, hoc Sacramentum esse necessarium sub peccato mortali; hoc debet intelligi, quòd si omitteretur ex contemptu, reverâ esset peccatum mortale; immò sentiunt communiter Doctores, quòd in casu necessitatis recipienda sit Confirmatio, quando v. g. aliquis versatur intra hæreticos; indiget enim virtute quâdam speciali ad protestandam & defendendam fidem, & hoc robur per Confirmationem accipitur: remanet ergo tantùm, ut videamus quinam possint confirmari.

Conclusio.

Licet Confirmatio possit dari omnibus baptizatis, & ipsis solùm conferri debeat, convenientius tamen est, si expectetur usus rationis, ad ipsius re-

ceptionem. Trium partium hujus conclusionis probatur prima, quòd omnes baptisati hujus sacramenti capaces sint, in quocumque sexu, statu, vel ætate extiterint, Act. enim 8. indifferenter Apostoli imponebant manus super baptisatos; unde, cùm ex ante dictis constet, baptisatos fuisse etiam infantes, nec distincti fuerint viri à fœminis, rectè concludi debet, quòd omnibus baptisatis, sive sint infantes, sive sint adulti, sive sint viri aut fœminæ, possit conferri Confirmatio; in cujus rei probationem, Spiritus sanctus in die Pentecostes descendit, ne dum super Apostolos, sed etiam super alios omnes, qui cum ipsis congregati erant in cænaculo, juxta id quod habetur Act. 2. *Replevit totam domum ubi erant sedentes, & repleti sunt omnes Spiritu sancto*; ubi inter illos erant sanctæ fœminæ. Hanc assertionem habet D. Thomas, quæst. 72. art. 8. & ipsam tradunt Urbanus Papa, *Can. omnes de consecratione dist.* 5. & Melchiades *in Epist. decretali ad Episcopos Hispaniæ*; Imò & D. Dionysius *cap.* 2. *de Ecclesiast. hierarc.* asserens infantibus recèns baptisatis, Confirmationem & Eucharistiam illicò administrari solitam fuisse; quod nunquam factum fuisset in Ecclesia, nisi sacramentum hoc posset administrari usu rationis carentibus, de quibus major est controversia. Idem tradunt D. Augustinus *Tract. 16. in Epist. Ioannis*, & Innocentius 1. *Epist.* 1. Quòd mulieres non excludantur à receptione Confirmationis, patet ex effectu hujus sacramenti, quod datur ad perficiendam gratiam baptismi contra omnes tentationes, tùm internas, tùm externas; unde, cùm fœminæ etiam baptisentur, & talibus periculis subjaceant, illis non debet denegari Confirmatio, ut augmentum gratiæ baptismatis recipiant, & pro tempore opportuno recipiant gratias sacramentales, ad resistendum prædictis tentationibus. Porrò D. Thomas in Art. 8. adducit rationes, quibus ostenditur, sacramentum hoc posse dari omnibus baptisatis; quia scilicet sunt capaces illius effectûs, nimirum augmenti gratiæ, & augmenti gloriæ, & etiam gratiarum actualium, quibus resistant tentationibus dæmonis, carnis, & mundi; non quidem pro toto illo tempore, quo usu rationis carent, quia pro tunc non impugnantur tentationibus, sed saltem pro illo, quo ad usum rationis pervenerint.

Probatur secunda pars; quòd scilicet, non possit Confirmatio dari, nisi baptisatis. Tum quia, baptismus dicitur communiter janua sacramentorum, quorum proinde illi sunt incapaces, qui baptismum non recepere. Tum etiam, quia Confirmatio perficit baptismum, seu auget gratiam baptismalem: ergo eam præsupponit existere, quoniam nihil perficitur, nisi jam existat. Quòd si Act. 10. Spiritus sanctus fuerit datus illis, qui nondum baptismo regenerati fuerant; hoc factum fuit sine sacramento, & sine consecratione per potestatem excellentiæ in Christo existentis, per quam poterat independenter à sacramentis conferre gratiam & justificare homines; sive tunc concesserit characterem, qui per sacramentum Confirmationis dari solet, sive illum non dederit, quod certò sciri non potest, quando quidem hoc pendebat solummodò ex intentione Christi, quæ innotescere nequit, nisi per Scripturam, traditionem, vel Concilia, quæ de hoc nullam mentionem faciunt. Præter baptismum nulla alia conditio absolutè requiritur, nisi status gratiæ, qui sufficit, & exigitur. Exigitur, inquam, quia Confirmatio est sacramentum vivorum, quod concedi non potest per se, nisi illis, qui vitam spiritualem gratiæ possident. Sufficit verò, quia

A nullibi reperitur lex divina, aut ecclesiastica, quæ aliquid ulteriùs exigat. Quòd si *capite jejuni de Consecratione cap.* 5. videatur requiri jejunium; ibi est tantùm consilium, non præceptum; neque Jus canonicum præscribit strictè, sed tantùm monet. Si etiam Catechismus Romanus *cap. de Confirmatione* §. 15. doceat, præmittendam esse confessionem: eadem currit responsio, quòd scilicet sit tantummodò consilium, non præceptum. Si quis instet, sacramentum hoc vocari sacramentum vivorum; ergo ad illud recipiendum requiri statum gratiæ, quæ haberi non potest nisi per confessionem. Respondeo, haberi etiam posse per contritionem; unde Ecclesia non præcipit strictè, ut confirmandi

B confessionem præmittant, sed tantùm ipsam consulit, ut faciliùs & certiùs quilibet confirmandus præconfiteatur sua peccata, nè se periculo exponat prophanandi sacramentum.

Probatur tertia pars; videlicet, quòd sit convenientius expectare usum rationis, antequam conferatur hoc sacramentum, licet anticipari valeat, ut prædiximus. Hoc justificat usus Ecclesiæ, quæ primis temporibus confirmabat quidem infantes statim post baptismum, ut in persecutionibus Ecclesiæ, suæ & filiorum saluti diligentissimè studeret, attamen postea talem usum mutavit, non confirmando, nisi eos qui ad ætatis usum pervenerint. Tùm, ut majori reverentiâ suscipiatur sacramen-

C tum; tùm, ut vitetur periculum iterationis; tùm, ut confirmandus, qui augmentum fidei postulat, per semetipsum fidem profiteatur, ut reddatur dignior novi roboris per Confirmationem. Hoc habetur in Concilio Aurelianensi Can. 3. ubi statuit synodus, ut non confirmentur, nisi homines perfectæ ætatis. In Catechismo Tridentino suadetur similiter, hoc sacramentum non conferri ante annum septimum. Sic Concilium Coloniense sub Paulo 3. parte 7. cap. 9. & Mediolanense 1. de Confirmatione parte 2. Licet tamen melius sit, juxta usum Ecclesiæ, differre Confirmationem ad ætatis annos, quos aliqui reponunt in decennio, & alii meliùs in septennio, juxta Catechismum Concilii Tridentini; attamen

D in locis remotioribus, ad quæ ratò veniunt Episcopi, melius est, si rationis usus præveniatur, quàm defectu occasionis sese exponere periculo carendi utilitate hujus sacramenti, præsertim in locis infectis hæresi, ubi persecutio est communis, & ministratio rara. Licet enim, ut diximus in annotatione, nulla sit per se loquendo obligatio recipiendi Confirmationem, juxta mentem D. Thomæ qu. 76. Art. 1. ad 3. attamen per accidens, ratione scilicet contemptûs, aut scandali, aut gravissimæ persecutionis, in qua gratiæ speciales requirerentur ad conservandam fidem, omittens hoc sacramentum graviter peccaret: imò tanta est ipsius utilitas, ut solliciti debeant esse Episcopi de administratione hujus

E sacramenti; quod si longiori tempore non ministrarent, ipsos mortaliter peccaturos, existimant Doctores, in quantùm non providerent suis ovibus de utilissimi sacramenti administratione.

Objicies contra primam partem; Si omnibus baptisatis regulariter posset ministrari Confirmationis sacramentum, possent illud recipere illi, qui sunt mente capti, quod tamen omnes negant. Respondeo, neminem posse dubitare de veritate antecedentis, post ea omnia quæ diximus: quòd confimati ulteriùs petest ex Pontificali Romano titulo de confirmandis, ubi dicitur, Infantes per patrinos ante Pontificem confirmare volentem teneantur in brachiis dexteris: unde respondendum est tantummodò ad solam consequentiam; quòd, si amentes

habeant lucida intervalla, in quibus sint tentationis capaces, pro tunc illis administrari possit hoc sacramentum, quo illis opus potest esse, ad tales tentationes superandas. Si autem sint amentes perpetui, nequaquam confirmandi videntur; quia sacramentum hoc non requiritur, nisi ad pugnandum contra tentationes, quarum non sunt capaces mente capti. Quòd si aliqui contrarium existiment, quia Confirmatio potest illis conferre gratiæ augmentum; respondendum est, quòd Ecclesia talibus conferre non soleat. Quantùm ad illos, qui extremâ infirmitate laborant; dici potest; quòd non indigeant Confirmatione, quia aliud sacramentum, est, nimirum Extrema-unctio, ad pugnandum contra carnem, contra tentationes dæmonum, & contra molestias morbi; probabilius tamen censetur ordinariè oppositum, ut aiunt D. Thomas, D. Bonaventura, Sotus, & alii, cum Hugone Victorino & jure canonico cap. *ut Episcopi* de Consecratione Dist. 5. Quamvis enim tales infirmi non recuperarent sanitatem, privarentur tamen notabili bono, nimirum augmento gratiæ, & auxiliis specialibus, quæ, ultra gratias sacramentales Extremæ-unctionis, conferri solent virtute hujus sacramenti: ergo verisimilius est, Confirmationem posse concedi ægrotis, qui in atticulo mortis existentes, illam non receperint anteà. Immo, citatur ad hoc Innocentius I. qui in Epist. 1. ait, Episcopos posse uti chrismate super infirmos; sed hoc explicant alii, quòd chrismatis nomine intelligatur quodcumque oleum; & alii, quòd liceat Episcopo, & non simplici sacerdoti, uti chrismate, Extremam-unctionem conferendo.

QUÆSTIO IX.

Quosnam effectus producat Confirmatio?

HOc jam censetur explicatum ex his quæ diximus, agendo de Sacramentis in genere; ubi asseruimus, quodlibet Sacramentum producere gratiam habitualem, sivè in entitate, sivè in augmento: & gratiam Sacramentalem, quæ actualis est: insuper etiam asseruimus, Baptismum, Confirmationem & Ordinem conferre characterem in suscipientibus: Quia tamen hîc explicare tenemur quæ pertinent ad Confirmationem, nobis explicandum incumbit qui sint ipsius effectus.

CONCLUSIO.

CONFIRMATIO confert caracterem, augmentum gratiæ habitualis, & gratiam sacramentalem. Prima pars definita est in Concilio Florentino in decreto: Tridentino Sess. 1. de Sacramentis in genere cap. 9. & anteà, in Toletano Can. 6. & illam probavimus, agentes de Sacramentis in genere, ac etiam cap. de Baptismo, ubi ostendimus tria sacramenta characterem imprimere, de quorum numero diximus esse baptismum, & nunc asserimus esse Confirmationem, quæ ob hoc repeti non potest, ut habet Gratianus *Dist. 5. de Consecratione Can. dictum est, & Can. de homine.* Unde dicit Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani, sacramentum Confirmationis in pessimis hominibus esse & manere, licet ad judicium; non potest autem remanere in pessimis hominibus, nisi quia character ipsius est indelebilis. Quod confirmat Cyprianus Sermone de ablutione pedum, ubi ait, baptismum repeti ecclesiasticæ prohibent regulæ;

A nemo sacros ordines semel datos iterum renovat; nemo sacro oleo linitos iterum linit, aut consecrat. Dum ergo Augustinus dicit lib. 5. de Baptismo cap. 16. *Manus impositionem non esse sicut baptismum, quasi repeti non possit, quia nihil est aliud, nisi oratio super hominem:* Jam ad hoc respondimus, Augustinum non loqui de impositione manûs confirmatoriâ; sed de reconciliatoriâ, quæ hæreticis & pœnitentibus impendebatur, sive in foro externo, sive interno per sacramentalem absolutionem. Si etiam aliquando conversi ab hæreticis Confirmationem recipiebant; hoc verum est de illis qui convertebantur ab errore Novatianorum, Confir-
B mationem rejicientium; unde, quando convertebantur, illis conferebatur. Character Confirmationis consignabat Christianum in militem Christi, sicut character baptismi in ejus familiam adoptabat: & iste deputat partim ad agendum, scilicet ad profitendam fidem; partim ad patiendum, nimirum ad receptionem tonsuræ clericalis & sacrorum Ordinum. Character etiam iste distinguitur realiter à charactere baptismi, quia sunt duo sacramenta distincta, quæ habent diversos & distinctos effectus. Porrò, ut character recipiatur, sufficit voluntas recipiendi sacramentum in adultis, quæ non requiritur in infantibus, qui licet propriâ intentione careant, non minùs possunt baptisari aut confirmari.

PROBATUR secunda pars, quòd Confirmatio conferat gratiam habitualem in augmento; quia proprium est omnium Sacramentorum gratiam
C conferre, sive in se, sive in augmento; ità quòd sacramenta mortuorum conferant gratiam sanctificantem in se, reddendo hominem de peccatore justum; & sacramenta vivorum dent gratiam in augmento; sed Confirmatio est verè & propriè sacramentum: Ergo gratiam confert, saltem in augmento, quia est sacramentum quod vitam spiritualem gratiæ supponit; unde Act. 8. cap. habetur, *Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum sanctum*; Et cap. 19. de D. Paulo habetur, *Fidelibus manus imponit, moxque super eos descendit Spiritus sanctus.* Licet dixerimus, Confirmationis sacramentum ex suâ naturâ non conferre primam gratiam, seu gratiam habitualem in se; per accidens tamen illam conferre potest, quando scili-
D cet aliquis bona fide putat se contritum, & non est; vel saltem attritum & legitimè absolutum, qualis non est etiam, defectu v. g. jurisdictionis in absolvente. Porrò, licet etiam notaverimus, primum effectum hujus sacramenti, nimirum characterem, exigere solam voluntatem excipiendi sacramentum; attamen secundus scilicet collatio gratiæ, exigit ulteriùs, quòd confirmandus sit in statu gratiæ vero, vel saltem existimato; quia, si quis conscius peccati mortalis præsumeret recipere sacramentum vivorum, novum peccatum mortale patraret, prophanando sacramentum, quod ad sui dignam receptionem gratiam exigit. Si aliquis fictè, idest, cum affectione ad peccatum, Confirmatio-
E nem reciperet; aliqui dicunt, quòd recedente fictione revivisceret hoc sacramentum, alii tamen negant, & de hoc videnda sunt ea qua diximus cap. ultimo de Sacramentis in genere. Et notandum est, quòd ad tollendam talem fictionem necessaria sit perfecta contritio, vel saltem attritio cum confessione, quia scilicet illud peccatum post baptismum commissum est; sicut diximus de fictione in baptismo.

PROBATUR tertia pars ex communi doctrinâ, quam tradidimus cap. ultimo de Sacramentis in genere; ubi asseruimus cum universâ Doctorum

familiâ, per quodlibet sacramentum non solùm conferri gratiam sanctificantem, vel primam, vel secundam; sed etiam gratias sacramentales, quæ sunt auxilia actualia, quæ Deus pro sua bonitate conferre solet ad ea munera ritè obeunda, quibus per quælibet sacramenta destinamur. Dicendum ergo tantùm est, quòd gratia actualis collata sit in Confirmatione ad robur & firmitatem animi, quâ fideles constanter fidem teneant, quam acceperunt in baptismo, tentationibus in contrarium advenire solitis fortiter resistant, nec ullis terroribus ab eâ possint excidere; & ob hoc Confirmatio dicitur perficere baptisatos, quia per baptismum acquirimus fidem, & per confirmationem illam conservamus fortiter; per baptismum nascimur, per Confirmationem augmentum recipimus; & per baptismum efficimur quasi modò geniti infantes, & per Confirmationem erigimur in viros perfectos; ut accidit Apostolis in die Pentecostes, qui ante descensum Spiritûs sancti, quo confirmati sunt, præ timore Judæorum infirmi & imbecilles retinebantur in cœnaculo; ubi autem descendit Spiritus sanctus, illicò in omnem terram exivit sonus eorum, & tantâ cum intrepiditate Christi promulgaverunt Evangelium, ut ipso primo die tria hominum millia ad fidem Christianam adduxerint. Ex his ergo liquet, quòd confirmatio tres prædictos effectus habeat, quos asseruimus in conclusione; in quantùm videlicet, nedum confert gratias sacramentales, & nedum gratiam habitualem communicat, saltem in augmento; sed etiam characterem imprimit prorsus indelebilem; unde ipsa iterari non potest sine gravissimo peccato: imò, aliqui Canonistæ tenent, quòd ille, qui iterum confirmat vel confirmatur, incurrat irregularitatem, sicut incurrunt rebaptisans & rebaptisatus; sed meliùs asserit Doctor noster in 4. Dist. 7. quæst. 5. cum Soto, Paludano, Gabriele & aliis, neutrum irregularitatem incurrere; quoniam, licet incurratur in baptismo; quia talis pœna pro rebaptisatione exprimitur in jure, capite *qui bis de consecratione dist* 4. nullibi tamen reperitur pro confirmatione. Nec argumentandum est à simili, nisi in favorabilibus; & odia sunt semper restringenda secundùm axioma juris.

Ad quæstionem fieri aliquando solitam, an Confirmatio majorem gratiam habitualem conferat, quàm baptismus; aliqui respondent affirmativè, ut Suares, Præpositus, & plures alii. Tùm quia per Confirmationem, quæ est veluti accretio, plus acquiritur gratiæ, quàm per generationem, cui assimilatur baptismus; unde Patres dicunt in Confirmatione dari plenitudinem Spiritûs sancti. Tùm quia Melchiades summus Pontifex Epist. ad Episcopos Hispaniæ dicit, Confirmationem in majori veneratione esse tenendam. Alii tamen probabiliùs, ni fallor, quibus favere videtur Scotus Dist. 7. quæst. 3. tenent gratiam majorem conferri in Baptismo, quàm in Confirmatione; quia baptismus est spiritualis regeneratio, & confirmatio est tantùm accretio partialis, quæ semper fit major & major per bona opera, & per alia sacramenta, & præsertim per Eucharistiam; sed plus acquiritur substantiæ in generatione, quàm in accretione aliquâ: Ergo, licet gratia Confirmationis, ut conjuncta gratiæ baptismi, sit major gratiâ baptismali seorsim sumptâ, seipsâ tamen illam non excedit. Si ergo gratia Confirmationis dicatur plenitudo Spiritûs sancti; hoc est, quia sit novus gratiæ accessus, quâ homo perfectus Christianus dicitur, non quidem per Confirmationem solitariè sumptam, sed per gratiam ipsius adjunctam gratiæ baptismali; ita ut gratia Confirmationis addita gratiæ baptismi hominem reddat perfectè Christianum; nedum possidendo fidem, sed etiam novum robur ad conservationem fidei, quod facit hominem perfectè Christianum, licet continuò tendere debeat ad majorem perfectionem, usque ad extremam vitæ periodum. Quantùm ad Melchiadem Papam; meritò dicit, Confirmationem magis esse venerandam, ratione dignitatis, materiæ, & dignioris ministri; non verò ratione majoris gratiæ. Porrò, si dicant adversarii, quòd sicut natura tendit ab imperfectioribus ad perfectiora, sic & tendere debeat gratia; hoc verum est, quando ultima conjunguntur cum præcedentibus; non verò, quando sumuntur seorsim. Estò enim accidentalia juncta naturalibus faciant perfectius compositum; si sumantur tamen seorsim, ea quæ ab arte procedunt, sunt ignobiliora illis, quæ sunt naturalia; quia, licet ars perficiat naturam, natura tamen est perfectior arte; unde idem dicendum est in moralibus & sacramentalibus, quòd licet homo simul confirmatus & baptisatus sit perfectior baptisato simpliciter, hoc non impedit tamen, quin gratia baptismi, quâ homo generatur, sit perfectior gratiâ confirmationis, quâ genitus accretionem sumit.

Quæstio Ultima.

Quinam sint ritus hujus Sacramenti?

Sacramentum hoc, cùm possit tantùm conferri à Ministro solemni, elevato scilicet ad dignitatem Episcopalem, non potest etiam dari, vel saltem non debet, nisi cum certis quibusdam ceremoniis, quarum aliæ præcedunt, aliæ concomitantur, aliæ denique subsequuntur illius administrationem.

Conclusio.

Ritus antecedentes collationem Confirmationis sunt hi. Conficitur Chrisma, ad cujus consecrationem Episcopus primò benedicit oleum & balsamum. Secundò idem Episcopus halat super os ampullæ continentis oleum, & post eum duodecim Sacerdotes, ad denotandam Spiritûs sancti plenitudinem olim datam per insufflationem, Joann. 20. ubi Christus insufflavit, & dixit Apostolis, *Accipite Spiritum sanctum.* Tertiò, miscetur balsamum cum oleo. Quartò, Episcopus Chrisma confectum salutat, sine mitrâ dicens ter, *Ave sanctum Chrisma*, submissâ voce in primis, deinde paulò altiori. Quintò, hoc fit quotannis feriâ quintâ in cœnâ Domini.

Quoad ceremonias comitantes collationem Confirmationis; primò destinatur tempus, quod communiter erat in vigiliâ Pentecostes, quia eo tempore Apostoli robotati sunt, & nunc est quodlibet aliud; quolibet enim tempore confirmare solent Episcopi, nimirum temporibus suæ visitationis. Secundò debet fieri in loco honesto, licet extra Ecclesiam. Tertiò Episcopus debet esse in Pontificalibus. Quartò debet esse aliquis qui confirmandum offerat. Quintò ex decentiâ tam confirmans, quàm confirmatus, debent esse jejuni ob reverentiam Sacramenti. Dixi, ex decentiâ, non ex præcepto; mos enim invaluit, ut post prandium confirment Episcopi.

Quoad sequentes ceremonias. Primò, frons confirmati ligatur vittâ, ne Chrisma aliis rebus adhæ-

reat, vel ut significetur gratiam Confirmationis A esse conservandam. Secundò, Episcopus levi alapâ confirmatum percutit, ut confirmatus reminiscatur se hoc Sacramentum recepisse, nè scilicet iteretur Confirmatio quæ est Sacramentum irreiterabile; quandoquidem confert indelebilem characterem: percutitur etiam confirmatus, ut discat in posterum forti animo omnes injurias, immò & mortem pro Christi fide esse tolerandas. Sunt & aliæ ceremoniæ, de quibus consulendum est Rituale Episcoporum.

CAPUT TERTIUM.

De Sacramento Eucharistiæ.

DOCTORES, qui communiter tractationem Sacramentorum aggrediuntur, præponunt Eucharistiam Pœnitentiæ; & hoc jure, quia quandoquidem Eucharistia in moralibus, correspondet nutritioni in naturalibus, & ad nutritionem vel in nutritione morbus aliquando accidat: sic etiam Eucharistia, quæ est nutritio quædam spiritualis, à nobis proponenda est Pœnitentiæ, quæ est veluti remedium à Christo præparatum ad medendas animas, si fortè in peccatum lapsæ fuissent. Antequàm ergo de Sacramento Pœnitentiæ loquamur, nobis explicandum incumbit augustissimum C Eucharistiæ Sacramentum. Fateor quidem, quòd per accidens præponi debeat Pœnitentia Eucharistiæ, quando scilicet baptisatus peccata mortalia commiserit; quia tunc ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum admitti non debet, nisi antea egerit pœnitentiam, & sua peccata confessus fuerit: sed quia hoc spectat ad ordinem accidentalem, supponendo scilicet peccatum, ideo sequi potiùs intendimus ordinem essentialem, & finem hujus sacramenti, quod non est ordinatum ad peccatorum remissionem, sed tantum ad charitatem augendam & fovendam; ideo nobis incumbit, ut priùs agamus de hoc sacramento, quàm de pœnitentiæ.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Eucharistia, quotuplex, & quando instituta fuerit?

SICUT natura Dei uno & eodem nomine explicari non potest, sic & mysteria divina pluribus nominibus indigent, ut perfectè concipiantur: unde Eucharistia, quæ est mysteriorum nostræ religionis præstantissimum, pluribus insignitur. Dicitur primò Eucharistia, idest gratiarum actio, vel bona gratia; quia Christus, hoc Sacramentum instituendo, gratias egit; vel quia nos, illud recipiendo, gratias agere debemus; vel tandem, quia continet Christum gratiarum omnium fontem. Dicitur secundò Synaxis, idest collectio, & latinè communio vocatur; non quòd sit necessarium, Eucharistiam pluribus simul administrare, ut volunt hæretici; sed quia unit homines Christo, tanquam capiti, & inter se illos conjungit, ut membra cum membris. Tertio dicitur Viaticum, quia est viatorum cibus & præsertim infirmorum, qui illo roborantur ex hâc vitâ ad Dei tribunal progredientes. Quartò dicitur Sacrificium & Hostia, quia non solùm habet rationem Sacramenti, sed & Sacrificii, ut dicetur suo loco.

CONCLUSIO PRIMA.

EUCHARISTIA est Sacramentum quod sub speciebus panis & vini continet corpus & sanguinem Christi ad conservationem vitæ spiritualis. Dicitur primò *Sacramentum*, & hoc constat tùm apud Catholicos, tùm apud Hæreticos. Dicitur secundò *sub speciebus panis & vini*, ad explicandam materiam, quæ est panis & vinum; ponendo etiam, *sub speciebus*, innotescit vis consecrationis, per quam definit esse panis, & succedit corpus Christi. Additur tertiò, quòd Eucharistia *conjunctivè contineat corpus & sanguinem Christi*, ut explicetur na- B tura integra hujus Sacramenti quoad significationem; significat enim refectionem quæ integratur ex potu & cibo, licet quantùm ad substantiam Sacramentum integrum sit sub unâ tantùm specie. Subjungitur tandem, *ad conservationem vitæ spiritualis*; & in hoc denotatur effectus & finis hujusce Sacramenti.

Quòd Eucharistia sit verè & propriè sacramentum, fidelis nemo dubitare potest; cùm hoc determinatum fuerit ex Concilio Tridentino *Sess.* 13. Florentino *in decreto de Armenis*; Lateranensi *cap. firmiter de summa Trinitate*, & ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ specialiter in Concilio Carthaginensi 3. cap. 24. & 29. ipsam appellat Sacramentum altaris, & Sacramentum corporis & sanguinis Domini. Hujus ratio est, quòd sacramentum nihil sit aliud, quàm signum visibile invisibilem gratiam significans; quod negari non potest de Eucharistiâ, in quâ species sensibiles & visibiles nedum significant gratiam sanctificantem, quæ sumentibus datur, sed etiam continent realiter, licet invisibiliter corpus & sanguinem Christi, qui est gratia substantialis, omnium gratiarum fons & principium. Deinde, ad constituendum sacramentum, tria tantum requiruntur; Primo, institutio Christi, quæ constat ex 1. ad Corint. 11. ubi Paulus dicit, *In quâ nocte tradebatur, accepit Iesus panem, &c.* Secundò, requiritur promissio gratiæ, quæ habetur Joann. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro* D *mundi vita*; & posteà, *Qui manducat me, ipse vivet propter me.* Tertiò tandem, requiritur præceptum; & illud habetur 1. ad Corinth. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* Rationem congruentiæ pro institutione hujus sacramenti affert Scotus in 4. Dist. 8. quæst. 1. num. 3. dicens, quòd ultra generationem spiritualem, quæ fit per baptismum; & accretionem, quæ fit per Confirmationem; opus sit nutrimento spirituali, quo homo per totam vitam nutriatur spiritualiter, quod fit per Eucharistiam.

OBJICIES, Sacramenta novæ legis sunt signa gratiæ, quam conferunt suscipientibus; sed Eucharistiæ non est talis, quia manens in altari post consecrationem, nulli gratiam communicat. Respon- E deo, quòd licet Eucharistia non semper causet gratiam actu, est tamen semper causativa ipsius, quando sumitur actu; sufficit autem ad rationem sacramenti, quòd sit causativum gratiæ; modò illam actu causet, dum applicatur actu; sicut ad hoc, ut ignis sit calefactivus, sufficit, quòd calefaciat, dum applicatur illi subjectum calefactibile. Verum est quidem, quòd alia sacramenta gratiam causent eo instanti quo sunt, sed hoc fit, quia sunt successiva & consistunt in actione, sicque non sunt, nisi dum applicantur: Eucharistia vero est Sacramentum permanens, quod tale voluit Christus instituere, ut permaneret nobiscum ex effectu sui amoris. Si quis

dicat, ſacramenta efficere quod ſignificant, ſed hoc non eſt verum de Euchariſtiâ, quæ ſignificat corpus Chriſti contineri ſub ſpeciebus, ipſum tamen non efficit: Reſpondeo; quòd licet Euchariſtia, non efficiat corpus Chriſti; efficiet tamen gratiam, quàm ſignificat, dum ſcilicet ritè ſumitur. Deinde, Euchariſtia ſuo modo efficit corpus Chriſti; non quidem quoad eſſe ſimpliciter, ſed quoad eſſe præſens in aliquo loco, ubi non eſſet, niſi mediante Euchariſtiâ; ſicque, licet non efficiat exiſtentiam abſolutam Chriſti, efficit tamen ipſius præſentialitatem.

Conclusio Secunda.

Sacramentum Euchariſtiæ non eſt unum, ſi ſumatur materialiter; ſed eſt unum, ſi formaliter accipiatur. Ratio primi eſt, quia ibi ſunt plura Sacramenra materialiter, ubi ſunt plures res ſenſibiles, quarum una poteſt ſignificare & conferre gratiam ſine aliâ; ſed in Euchariſtiâ ſunt plures materiæ, ſcilicet panis & vinum; ſunt plures formæ etiam, ſcilicet *Hoc eſt corpus meum, hic eſt calix ſanguinis mei*, & quodlibet horum poteſt conferre gratiam ſine alio, ut patet ex laïcis qui recipiunt tantùm unam ſpeciem: ergo ſunt plura Sacramenta materialiter. Ratio ſecundi eſt, quia Euchariſtia ſignificat refectionem ſpiritualem animæ; ſed refectio perfectiùs denotatur in ſpeciebus panis & vini ſimul, quàm in ſpecie ſolius panis, vel ſolius vini, licet Chriſtianus æquè reficiatur ex ſumptione unius ſpeciei tantùm, quàm duarum, quoniam quælibet carnem & ſanguinem Chriſti continet: ergo Euchariſtia formaliter ſumpta, eſt tantùm unicum Sacramentum, quoniam ſignificat unicam refectionem. Quamvis enim convivium conſtans diverſis ferculis poſſit dici plura phyſicè; moraliter tamen, & in ratione convivii, eſt ſimpliciter unum: ſic etiam, licet Euchariſtia ratione cibi & potûs ſpiritualis dici poſſit aliquo modo phyſicè plura Sacramenta, attamen in ratione convivii ſpiritualis eſt moraliter unum: unde Chriſtus Joan. 6. dicens, *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, videtur ordinaſſe carnem ſuam & ſanguinem ſuum in unum cœleſte convivium. Si ergo hoc ſacramentum ſæpiſſime dicatur plura ſacramenta v.g. in oratione eccleſiaſticâ, *Sacramenta quæ ſumpſimus*; *hæc ſancta ſacrificia*: Reſpondendum eſt, quòd ſint plura phyſicè, non vero moraliter, ut habetur anteà.

Objicies, Si Euchariſtia ſub duabus ſpeciebus ſit tantùm unum ſacramentum, unitate perfectionis & integritatis; laïci communicantes tantùm ſub unâ ſpecie, non ſumunt integrum ſacramentum. Reſpondeo, laïcos ſumere integrum ſacramentum integritate rei contentæ, integritate convivii ſpiritualis, & integritate effectûs; quia Chriſtus æqualiter eſt ſub una ſpecie, ac in duabus; cibus & potus, etiam, quantum ad ſubſtantiam, ſunt in qualibet ſpecie, quæ ſeorſim ſumpta continet corpus & ſanguinem; ac denique effectus ſacramenti, qui eſt gratia, æquè tribuitur per unam, ac per utramque ſpeciem: integritate tamen expreſſiotis ſignificationis, non ſumitur ſacramentum integrum à laïcis; quia Euchariſtia inſtituta eſt in memoriam paſſionis Chriſti, quæ expreſſiùs ſignificatur, dum per utramque ſpeciem ſeparatur corpus à ſanguine. Dices, Tot & tam diverſas denominationes habet Euchariſtia, quòd videatur non poſſe dici quid unum. Negatur conſequentia, quia illæ diverſæ denominationes non oriuntur ex diverſitate ſacramenti, ſed ex diverſitate circunſtantiarum ejus. Primò enim, à figuris, quæ illud præſignarunt, dicitur *Manna*, vel *Paſcha*. A Græco vocabulo, dicitur *Euchariſtia*, propter rationes antè allegatas. A materiâ ex quâ fit, dicitur *Sacramentum panis vel calicis*. A re contentâ dicitur *Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti*. A loco in quo celebratur, dicitur *Sacramentum altaris*. A tempore inſtitutionis, dicitur *Sacramentum Cœnæ*, vel *Cœna dominica*. Quia, manducantibus Apoſtolis, inſtitutum eſt, vel ſtatim poſt manducationem, vocatur *Convivium dominicum*. Quia traditur ad corroborationem illorum, qui tranſeunt ab hac vitâ in aliam, appellatur *Viaticum*. Quia ad illud ſumendum congregantur Chriſtiani, vocatur *Synaxis*. Quia aliàs panis integer conſecrabatur, qui poſteà dabatur per partes, ideo Act. 2. vocatur *Fractio panis*. Quia denique, hoc ſacramento conjungimur Chriſto & inter nos, ideo vocatur *Communio*.

Conclusio Tertia.

Euchariſtiæ Sacramentum fuit inſtitutum in nocte cœnæ, poſt comeſtionem ſcilicet Agni Paſchalis. Hoc eſt conforme D. Paulo qui ad Corinth. ſcribens narrat quòd Chriſtus *in quâ nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens benedixit ac fregit, deditque diſcipulis dicens: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum.* Ratio convenientiæ hujus eſt, quia teſtamenta ſolent confirmari imminente morte: cùm ergò Chriſtus per ſuam paſſionem nobis legare voluerit gloriam cœleſtem, tanquam hæreditatem; voluit paulò ante mortem nobis dare ſuum corpus & ſanguinem, tanquam pignus vitæ æternæ. Errant ergo qui dicunt Chriſtum nobis ſuo teſtamento reliquiſſe ſuum corpus; ſed dicendum eſt quòd nobis legaverit gloriam æternam, faciendo nos Dei hæredes & cohæredes Chriſti, in cujus gloriæ pignus & aſſecurationem nobis reliquit corpus & ſanguinem ſuum, tanquam viaticum aliquod, quo perduceremur ad illam hæreditatem capeſſendam. Quoad ordinem autem quem tenuit Chriſtus in inſtitutione hujus Sacramenti, hunc affert Maldonatus. Primò facta fuit cœna legalis conſiſtens in comeſtione Agni Paſchalis; ſecundò facta eſt cœna communis; tertiò lotio pedum; quartò inſtitutio Euchariſtiæ, quintò diſceſſio Judæ; ſextò concio Domini.

Quòd Euchariſtia ſit à Chriſto inſtituta in ultimâ cœnâ, de hoc conveniunt tam Græci; quàm Latini, juxta id quod habetur in Can. *qui pridie quàm pateretur*. Quâ die autem illa ultima cœna fuerit facta, diſcrepant inter ſe; nam Latini exiſtimant, Dominum hanc cœnam celebraſſe ad ſecundam veſperam Lunæ decimæ quartæ, quæ fuit prima veſpera Lunæ 15. menſis *Niſan*, ſeu menſis Martii, qui appellabatur menſis primus. Ideò autem dicitur prima & ſecunda veſpera, quia Judæi incipiebant ſuas feſtivitates à veſperâ præcedente ſolis occaſum diei feſti, & illas continuabant uſque ad veſperam diei ſequentis incluſivè, & ſic quælibet feſtivitas duas veſperas habebat; & ob hoc diximus, quòd ſecundùm mentem Latinorum ultima cœna celebrata fuerit ad ſecundam veſperam Lunæ decimæ quartæ, quæ erat prima veſpera Lunæ decimæ quintæ, in qua erat Paſcha, ſeu feſtivitas, ubi debebat comedi Agnus Paſchalis; quâ etiam die incipiebant azimi, ſicque concurrebant duæ feſtivitates ſimul. Græci autem, ut probent Chriſtum conſecraſſe in pane fermentato, volunt eſum Agni Paſchalis anticipatum fuiſſe uno die, &

comedisse Agnum in secundâ vespera Lunæ decimæ tertiæ, & proinde Christum instituisse Eucharistiam ante festum Azimorum, sicque consecrasse in pane fermentato. Sed hoc non est verisimile, tùm quia Christus misit discipulos suos ad parandum Agnum Paschalem *die Azimorum, in quâ necesse erat occidi Pascha*, ut habetur Lucæ 22. Ubi interim notari debet, quòd licet Judæi inciperent suas festivitates à vesperâ ad vesperam; diem tamen vulgarem incipiebant ob ortu solis ad occasum; unde, si Joan. 13. dicitur, Christum cœnasse cum Discipulis suis *ante diem festum Paschæ*; non loquitur de die cæremoniali, qui à vesperâ incipiebat, sed de die usuali, qui incipiebat ab ortu solis. Si etiam Judæi, consultantes de Christo occidendo, dixerint Matth. 26. *non in die festo* Christum esse occidendum; ex hoc concludi non debet, quòd occisus non fuerit in die festo, qui incidebat in Lunam decimam quintam, sed anteà; quia, licet in principio timerent tumultum populi, posteà tamen, oblatâ occasione Judæ, qui promittebat eum tradere sine turmis, mutato consilio, in die festo ipsum occiderunt. Si denique dicatur: Posito quòd Christus cœnasset in fine diei decimæ quartæ, & proinde passus esset in Parasceve, seu die Veneris, non potuisset resurgere die Dominicâ, quæ vocatur altera Sabbati, aliàs non fuisset in sepulchro tribus diebus; sed attendendum est, quòd per Synecdochen tantùm dicitur sepultus per tres dies, quia fuit in sepulchro in aliquâ parte duarum dierum & per unam diem integram. Nonobstantibus ergo his Græcorum argumentis, jure diximus, ultimam cœnam institutam fuisse ad secundam vesperam Lunæ decimæ quartæ. Porro, si Judæi computent, non per dies, sed per lunas, hoc est, quia computabant annos, non per menses solares, sed lunares.

Quòd Eucharistia instituta fuerit post cœnam legalem, seu post manducationem Agni Paschalis, hoc indicat Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 1. dicens, Celebrato veteri Pascha, novum instituit. Unde conformiter ad D. Augustinum Epist. 118. canit Ecclesia in hymno, *Post agnum typicum expletis epulis, corpus dominicum datum discipulis*. Quòd instituta etiam fuerit post Lotionem pedum, probant D. Cyprianus Sermone de Lotione pedum, D. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 5. & D. Bernardus Sermone de cœnâ Domini, ex hoc quòd per lotionem pedum factam ante institutionem Eucharistiæ voluerit Christus significare, mundandam esse animam virtute pœnitentiæ, antequam quis accedat ad sacramentum altaris. Si etiam Matth. 26. dicatur, Eucharistiam fuisse institutam, *cœnantibus illis*, ubi lotio pedum, cœnâ factâ peracta est, Joan. 13. Respondendum erit, quòd verba illa, *cœnantibus illis*, non sint sic intelligenda, quasi adhuc cœnarent; sed statim post cœnam; contrarium enim satis patet ex hoc quòd D. Lucas & D. Paulus exprimunt, hoc sacramentum institutum fuisse, *postquam cœnavit Christus*. Unde rejicienda est opinio, quam tenuit Suares 3. part. Disput. 41. asserendo Christum primò fecisse cœnam legalem, posteà lotionem pedum, tandemque cœnam usualem. Nam cœna legalis non vocatur cœna, sed Phase aut Pascha; Evangelista verò dicit, Christum à cœna surrexisse.

An autem instituta fuerit Eucharistia post discessum Judæ, vel illo præsente, qui de manibus Christi sacramentum acciperet; primum existimare videtur Hilarius; sed meliùs respondendum est cum Chrysostomo, Hieronymo, Leone Papâ, Augustino tract. 26. in Joannem, & aliis, hoc sacramentum institutum fuisse præsente Judâ, cui Christus suum corpus tradidit, ut habetur apud Hieronymum explicantem hæc verba Marci 14. *Biberunt ex eo omnes*; ubi ait, *Bibit etiam Iudas, sed non saturatur, nec sitim extinguit ignis æterni, qui indignè sumit mysteria Christi.* Hoc evidenter declarari à Luca dicit Augustinus; nam postquam cap. 22. narrasset institutionem hujus sacramenti, addit, *Verumtamen manus tradentis me mecum est in mensâ.* Deinde, hanc esse mentem Ecclesiæ, constat ex hymno, *cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus*; & ex sequentiâ D. Thomæ, *turba fratrum duodenæ datum non ambigitur.* Dum ergo dicit Hilarius, Judam non recepisse Eucharistiam, hoc est, quia illius spiritualiter non fuit particeps. Si etiam D. Dionysius videatur excludere Judam à communione; hoc est à fructu illius. Si denique videatur, Judam ejectum fuisse eo tempore quo fuit detectus, quando scilicet Matth. 26. respondit Christus, *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*, quod dictum est ante institutionem Eucharistiæ; Respondetur communiter, hæc verba fuisse dicta in communi, quòd scilicet unus ex duodecim, qui intingebant manum in catino, esset traditurus, ut habetur Marci 14. & sic, per hæc verba non fuit detecta traditio Judæ. Nec etiam per sequentia, quæ respondit Christus Judæ quærenti, *Nunquid ego sum rabbi?* quibus replicatum fuit, *Tu dixisti*, quæ est vox affirmantis; quia scilicet talia verba dicta sunt à Christo, aliis non audientibus, vel non advertentibus; aliàs non instasset Petrus apud Joannem, *Quis est de quo dicit?* unde Theologi communiter ex facto Christi deducunt exemplum, quòd peccatores occulti non sint arcendi à communione.

Superest, ut respondeamus, an in ultimâ cœnâ sese communicaverit Christus. Ad quod breviter respondeo, quòd licet non clarè exprimatur in Scriptura, Christum in ultimâ cœnâ sumpsisse Eucharistiam, hoc tamen videtur implicitè contentum Lucæ 22. ubi Christus alloquens Apostolos, dixit, *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*; quod multi Doctores intelligunt de manducatione novi Paschatis, quod est Eucharistiæ sacramentum. Hoc confirmat D. Thomas quæst. 81. art. 1. ad 1. ubi dicit, Christum non tantùm manibus, sed ore etiam accepisse panem & calicem, sicut illud posteà tradidit Apostolis accipiendum. Ratio congruentiæ colligitur ex hoc, quod Christi usus maximè conferat ad dignitatem hujus sacramenti. Deinde, in veteri lege sacrificans priùs aliis de victimis participabat, sicque similiter debuit facere Christus, ut esset simul conviva & convivium. Tandem, ex Chrysostomo Homil. 83. in Matth. conturbati fuissent alii, si audientes præceptum Christi de manducando corpore & bibendo sanguine non habuissent exemplum ipsius.

QUÆSTIO II.

Ex quibus constet Sacramentum Eucharistiæ?

NON loquimur hîc de Sacramento Eucharistiæ in fieri, quia constat ipsum, sicut alia Sacramenta fieri per materiam, quæ est panis & vinum; per formam, quæ cõsistit in verbis, & per ministrum, qui est Sacerdos: sed loquimur de Eucharistiâ in facto esse, & ut est quid permanens; & de ipsâ sic sumptâ quærimus quænam sint ea ex quibus constat.

CONCLUSIO.

Conclusio.

Sacramentum Euchariſtiæ, tanquam totum aliquod morale, conſtituitur ex corpore & ſanguine Chriſti & ſpeciebus, ſeu, ut dicit Scotus, ex corpore & ſanguine Chriſti, quatenus dicunt relationem ad ſpecies: non conſiſtit enim hoc Sacramentum in materiâ & formâ, ſcilicet in pane & verbis, quia Euchariſtia tamdiu eſt Sacramentum, quandiu corpus & ſanguis Chriſti in eâ permanent, panis autem & verba non remanent, quando adſunt corpus & ſanguis Chriſti: Ergo Euchariſtia in facto eſſe non conſtituitur ex illis: Non conſtat etiam hoc Sacramentum ex ſolo corpore & ſanguine, quia ad Sacramentum requiritur ſignum viſibile: Denique ſolæ ſpecies non faciunt etiam Sacramentum, quia ad rationem Sacramenti requiritur, quòd ſit ſignum viſibile rem inviſibilem continens: ergo remanet, ut conſtituatur ex utroque, nimirum ex ſpeciebus, quæ ſunt ſigna viſibilia, & ex corpore & ſanguine Chriſti, quæ ſunt res ſacræ.

Objicies, Euchariſtia ex Tertulliano eſt figura corporis Chriſti; ſed figura involvit abſentiam rei figuratæ: ergo hoc Sacramentum non conſtat corpore Chriſti. Reſpondeo, Tertullianum velle corpus Chriſti in Euchariſtiâ eſſe figuram corporis Chriſti extenſi in arâ crucis, unde Euchariſtiâ vocatur memoriale paſſionis Chriſti: Non ergo eſt figura corporis Chriſti ſimpliciter, niſi ſit figura plena ſignificato, non verò vacua; ſicut Verbum dicitur figura ſubſtantiæ Patris; figura inquam plena, eſt enim eadem Patris ſubſtantia. Nec quis dicat, nihil eſſe ſimul Sacramentum, & rem Sacramenti, proindéque corpus Chriſti non eſſe Sacramentum, quoniam eſt res Sacramenti, quia producitur per verba. Reſp. enim Sacramentum Euchariſtiæ habere hoc ſpeciale, quòd ſit ſimul tùm Sacramentum, tùm res Sacramenti: corpus, inquam, Chriſti eſt res Sacramenti, quia producitur per verba Sacramentalia, & eſt Sacramentum, quia cum ſpeciebus producit gratiam.

Quæres, Utrùm Euchariſtia ante ſui inſtitutionem fuerit præſignata. Ad quod affirmativè reſpondet noſter Alenſis 4. p. q. 29. memb. 1. in corpore articuli primi; ubi hujus prænuntiationis duplicem adducit rationem. Primò propter excellentiam hujus myſterii, quod debuit expectari, ut expectati dignitas judicaretur, & de eo major haberetur certitudo. Secundò, ut tali myſterio, quod difficillimum creditu erat, facilius aſſentirentur homines, quaſi per figuras & prophetias manuducti ad illud credendum. Si dicatur non congruere, quòd de ſigno detur ſignum: hoc verum eſt de ſigno vacuo, non de ſigno continente rem ſignatam, quale eſt Euchariſtia, quæ Chriſtum ſignificat & continet. Deinde, ſigni perfectioris poteſt dari ſignum imperfectius; ut patet de pluribus ſignis antiquis, quæ præfiguraverunt noſtra Sacramenta. Ob has rationes convenienter prænuntiata fuit Euchariſtia, tum per prophetias, ut dicit D. Ambroſius in Pſal. 38. *Eorum quæ celebrantur in hoc ſacramento vetuſtiſſima fuit prædictio in ſermonibus Prophetarum*; tùm per figuras, ut expreſsè habet Auguſtinus lib. 1. cont. adverſ. Leg. & Prophet. cap. 18. ubi dicit, *Nullum fuiſſe ab orbe condito ſacrificium vel ſacramentum placens Deo, quod ſacramentum Euchariſtiæ non præfiguraverit, tanquam ſummam veritatem, vel quod illi, ut complemento figurarum omnium, non ceſſerit.* Prænunciata inquam fuit per prophetias Euchariſtia; nimirum Gen. 49. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*: qui ſanguis uvæ aliud eſſe non poteſt, inquit Cyprianus, quam vinum Dominici ſanguinis. Quando etiam Hieremias cap. 11. ait, *Mittamus lignum in panem ejus*; hoc explicat Tertullianus lib. 4. contra Marcionem de noſtro Sacramento. Quando denique ait David, Pſal. 21. *Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ*; in hunc locum Auguſt. ait; *Tunc manducaverunt, quando adducti ſunt in menſam Domini, & ibi accipiunt de corpore de ſanguine ejus.* Quod etiam multis figuris præſignata fuerit Euchariſtia, conſtat ex ſanguine juſti Abel, ex pane & vino Melchiſedecis, ex panibus propoſitionis, ex panibus primitiarum, quæ figurabant divinorum munerum primitias in novo Teſtamento, inquit D. Irenæus lib. 4. cap. 32. Ex pane Eliæ, propter ejus efficaciam in ſuſtentando; Ex pane Gedeon evertente caſtra Madianitarum, ob poteſtatem Euchariſtiæ contra adverſarios ſpirituales; Ex Agno Paſchali, ut habet Auguſt. lib. 2. contra Petilianum cap. 37. dicente, *Aliud eſt Paſcha, quod Judæi de ove celebrant, aliud quod nos in corpore & ſanguine Domini accipimus*; Denique præter alias plurimas figuras deſignatum fuit hoc ſacramentum per Manna, ut habetur Joan. 6. *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt; qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Ex his apparet, quòd, licet omnia fere ſacrificia legis veteris fuerint primariò figuræ Chriſti patientis; ſecundariò tamen Chriſtum morientem in ſacramento, vel ſeipſum offerentem, tanquam hoſtiam mortuam præfiguraverint.

Quæstio III.

Utrùm Sacramentum Euchariſtiæ ſit neceſſarium?

Quia multoties locuti fuimus de neceſſitate tùm medii tùm præcepti, tædioſum eſſet, hîc rurſus explicare, quid ſit utraque neceſſitas; ſed videndum tantùm eſt, quâ neceſſitate Euchariſtia ſit neceſſaria.

Conclusio Prima.

Euchariſtia non eſt neceſſaria abſolutè neceſſitate medii, eſt tamen medium ita utile, ut dicatur quaſi moraliter neceſſarium.

Probatur primum, quia Euchariſtia non eſt medium inſtitutum ad juſtificationem; ſive remiſſionem peccati mortalis; immò receptio Euchariſtiæ præſupponit juſtificationem ut licitè fiat; & ſic non eſt neceſſaria, nec in re, nec in voto, quia votum de aliquâ re facienda non eſt neceſſarium, niſi ipſa res ſit neceſſaria: unde cùm ſuſceptio Euchariſtiæ non ſit neceſſaria, conſequenter votum ejus non erit neceſſarium. Quòd ſi dicatur aliquando neceſſaria neceſſitate medii; hoc eſt ſecundariò, ratione ſcilicet præcepti adjuncti, obſervatio enim mandatorum Dei & Eccleſiæ eſt medium neceſſarium ad ſalutem, conformiter reſponſioni Chriſti, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.*

Probatur ſecundum, certum enim eſt ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. Canone 22. nos non poſſe diu in gratiâ perſeverare, ſine ſpecialibus auxiliis Dei, ad quæ poſſidenda Sacramentum hoc eſt efficaciſſimum. Deinde, Euchariſtia eſt præcipuus animæ cibus, & non poteſt diu vita perſiſtere niſi mediante cibo;

ergo est medium ita utile, ut sit quasi moraliter necessarium.

Objicies: Pœnitentia, Baptismus & Eucharistia sunt ejusdem necessitatis, ut patet ex Scripr. quæ iisdem verbis hæc Sacramenta præcipit: de Baptismo enim dicit, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* de Pœnitentia ait, *Nisi pœnitentiam egeritis, &c.* & de Eucharistiâ, *Nisi manducaveritis, &c.* ergo sicut Baptismus & Pœnitentia sunt necessaria necessitate medii, sic & Eucharistia. Resp. negando consequentiam; quia necessitas Sacramentorum non pendet tantùm ex modo loquendi Scripturæ, sed ex ipsorum naturâ & institutione; unde cùm Baptismus & Pœnitentia sint instituta ad infusionem gratiæ quæ absolutè necessaria est, ideò sunt necessaria necessitate medii; quia verò Eucharistia destinatur tantùm ad augmentum gratiæ, non est necessaria medii necessitate.

Instabis, Eucharistia est instituta ut cibus animæ; sed necessarius est absolutè cibus pro vitâ corporali: ergo & Eucharistia pro vita spirituali. Respondeo, cibum animæ non esse ita necessarium, ac cibum corporis; quia cibus animæ potest suppleri per actus amoris, & per bona opera. Quod si aliqui Patres legantur communicasse infantes: ex hoc non potest inferri Eucharistiæ necessitas absoluta, sed hoc tantùm fiebat, quia erat usus hujusce temporis, & hoc ratione præcepti, non medii, aliàs tempore etiam præsenti Ecclesia communicat infantes, quod tamen non est necessarium fieri, juxta Concil. Trid. Sess. 21. Can. 4. *Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse communionem, anathema sit.* Quod olim reverà hoc Sacramentum collatum fuerit parvulis, hoc habetur evidenter ex D. Dionysio de Ecclesiastica Hierarch. cap. 7. ex Alcuino lib. de divinis Officiis cap. de Sabbato sancto: ex Augustino lib. 1. de Peccatorum meritis & remissione cap. 20. & Epist. 106. ex Hugone Victorino lib. 1. de Sacramentis cap. 20. ubi ait, *Pueris recens natis idem Sacramentum in specie sanguinis est ministrandum sacerdotis digito, quia tales naturaliter sugere possunt.* Ex hoc tamen non est concludendum existimasse Patres, necessariam esse sumptionem Eucharistiæ, juxta ea quæ habentur Sess. 21. cap. 4. Concil. Trident. ubi habentur hæc verba; *Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit: sicut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illo tempore habuerunt, ita certè eos nullâ salutis necessitate id fecisse sine controversia credendum est.* Ratio propter quam in aliquibus locis mos ille invaluit, hæc erat; quia augmentum gratiæ Eucharistia confert dignè suscipientibus, unde ipsam porrigere solebant parvulis, qui per præcedentem baptismum erant in statu gratiæ, sicut conferebant etiam sacramentum Confirmationis. Ratio verò, cur Ecclesia hunc usum modò prohibuit, petitur, tum ex hoc, quòd majestas hujus Sacramenti prærequirat devotam adorationem; tum ex hoc, quòd antiquus ille usus multis irreverentiæ periculis exponeret Eucharistiam; unde, cùm augmentum gratiæ non sit necessarium parvulis, voluit Ecclesia, ut illis Sacramentum istud non porrigeretur. Ob hanc rationem, & aliàs forsan, dum dabatur communio parvulis in aliquibus locis, in aliis non dabatur; ut notant verba præ allata Concilii.

Occasione communionis parvulorum dicam, quòd sex fuerint ritus communicandi in Ecclesia. Prima vocata fuit *communicatio asservationis*, in quantùm tempore persecutionis Ecclesiæ, in quo

A non poterant fideles convenire in unum, ut ad sacra mysteria participarent, dabatur Eucharistia fidelibus asportanda in domos suas; ut possent sese communicare, quando hoc necessarium judicabant, ut habetur apud Tertullianum lib. 2. ad Uxorem: Clementem Alexandrinum, Cyprianum, Basilium, & alios, quos citavimus in quæstione ultima hujusce tractatûs: cum hoc discrimine, quòd daretur hoc Sacramentum viris in concava manu, & mulieribus in linteo. Secunda fuit *communio domestica*: Cùm enim in præcedenti daretur Eucharistia singulis fidelibus, ut ipsam asservarent domibus suis, per istam communicabant reverà, vel ex necessitate, quando sese martyrii offerebat occasio; vel

B etiam ex pietate, ut habetur ex Patribus laudatis: Et ex hoc probari potest communio sub una specie. Tertia erat *communio infantium*, de qua anteà diximus, quòd reverà aliquando, & certis in locis, communicarentur infantes, sub unica specie scilicet, nimirum vini quod in os eorum instillabatur, ut patet, tum ex Cypriano Sermone de Lapsis, tum ex ratione manifesta, quæ satis indicat, infantes non posse cibum aliquem solidum desumere. Quarta erat *Communio ægrotorum*, quæ sub sola specie panis etiam deferebatur ægrotantibus, ut ipsum per modum viatici sumerent; unde Amalarius lib. 3. de Officiis Ecclesiasticis cap. 35. & Micrologus de rebus Ecclesiasticis cap. 17. testan-

C tur, sacerdotes solitos fuisse antiquitus dividere hostiam consecratam in tres partes, quarum una cum sanguine miscebatur, altera sumebatur à sacerdote ante sanguinis sumptionem, & tertia, quæ dicebatur viaticum morientium, servabatur pro ægrotis.

Quinta erat *Communio laïca*, quæ dabatur olim clericis in pœnam gravis alicujus delicti, ablatâ illis communione clericali, ut patet ex Concilio Agathensi, ubi Can. 32. decernitur, quòd *si Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, capitale crimen commiserit, aut chartam falsaverit, aut falsum testimonium dixerit, ab officii honore depositus, in monasterium detrudatur, & ibi, quandiu vixerit,*

D *laïcam tantùm communionem accipiat.* Ex Gratiano Dist. 50. cap. *si quis Episcopus.* Canon etiam Apostolorum quinquagesimus, vagos clericos ad laïcam reducit communionem. Cyprianus Epist. 2. ad Antonianum ita scribit de Trophymo sacerdote, qui in persecutione lapsus fuerat. *Si tamen admissus est Trophymus, ut tanquam laïcus communicet.* In hoc autem consistit communio laïca, quòd, cùm liceret solis clericis, majoribus sacris ordinibus initiatis ingredi sanctuarium ubi communicabant; in alicujus delicti pœnam hoc privilegio excidentes, non nisi cum promiscua turba populi licebat illis communionem recipere. Aliqui confundunt hanc communionem laïcam cum communione peregrina, de qua

E mentio fit in Concilio Agathensi Can. 2. & 5. quæ talis dicebatur in quantùm mittebatur peregrinis in signum communionis & pacis. Sexta denique communio est ea quæ vocatur *communio & præsanctificatio*, quæ fieri solet in Parasceve, seu die Veneris sanctâ, sub sola specie panis, ut patet ex Ordine Romano antiquo, in officio scilicet hujus diei; ubi, nedum prohibetur sacramenta fieri hac die, sed etiam præcipitur communicari sacerdotem & populum sub specie panis tantùm, absque sanguine Domini, quem totum consumi jubet die quintâ, & solum reservari corpus in sequentem diem. Hujus consuetudinis meminit, quoad Græcos, Laodicenum Concilium Can. 49. & Concilium in Trullo Can. 52. & quoad Latinos, mentio-

nem facit Innocentius 1. Epist. 1. cap. 4. & S. Gregorius lib. Sacramentorum in officio Parasceves. Porrò Parasceve idem est ac præparatio, quæ fieri solebat ad diem Sabbati, in qua quilibet debebat cessare ab operibus cunctis, & sic omnia præparabantur die antecedenti, quæ propterea *Parasceve* dicebatur. Quodlibet ergo Sabbatum cunctis hebdomadibus habebat suam diem Parasceves, sed illud Sabbatum, in quo incidebat festum Paschatis, per antonomasiam dictum fuit dies *Parasceves*.

CONCLUSIO SECUNDA.

HOc Sacramentum est necessarium necessitate præcepti, tùm divini, tùm Ecclesiastici.

Quoad præceptum divinum habetur Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Quoad tempus autem quo obligat hoc præceptum; hoc est quando Eucharistia judicatur necessaria ad conservandam vitam spiritualem gratiæ contra tentationes: hæc enim est differentia inter præcepta affirmativa & negativa, quòd prima obligent tantùm, quando urget necessitas finis propter quem sunt instituta; secunda verò obligent semper & pro semper: præceptum ergo Eucharistiæ obligat primò in articulo mortis, tunc enim tentationes solent esse graviores; secundò in reliquâ vitâ, quoties opus est remedio ad perseverandum in gratiâ, ut in gravioribus tentationibus: tertiò, quando quis prudenter putat se non ampliùs habiturum occasionem communicandi in totâ vitâ; tunc enim debet se præmunire contra tentationes futuras.

Quoad præceptum Ecclesiasticum, semper extitit in Ecclesiâ. Initio nascentis Ecclesiæ omnes qui intererant sacrificio missæ, tenebantur communicare: cùm ille fervor charitatis minueretur, Fabianus Papa jussit ter communicare quolibet anno, in Nativitate Domini scilicet, in Paschate & Pentecoste; ubi Soter Papa adjecit feriam quintam in Cœnâ Domini: nunc statutum est, ut omnes saltem in Paschate communicent. Quòd si propter rationabilem causam non possint sumere Eucharistiam in Paschate, controvertuntur authores, an teneantur communicar in primâ occasione; negant enim Soto, Antoninus & Sylvester, putantes hoc manere liberum; quia, inquiunt, communio Paschalis est præceptum affirmativum, quòd obligat tantùm pro tempore præscripto; meliùs tamen alii affirmant.

QUÆRES, an præceptum divinum sumendi Eucharistiam obliget parvulos? Jam respondimus anteà, Eucharistiam non esse necessariam necessitate medii infantibus, qui usu rationis carent; Idemque respondemus, quantùm ad necessitatem præcepti, tales non obligari ad sumptionem Eucharistiæ ex Concilio Tridentino Sess. 21. cap. 4. ubi habetur; *Parvulos usu rationis carentes nullâ obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem;* quibus verbis negatur tum necessitas medii, tum necessitas præcepti. Quantùm ad necessitatem medii, excluditur per verba sequentia Concilii; quòd scilicet, *Infantes per baptismum regenerati & incorporati Christo, in tali ætate adeptam filiorum Dei gratiam amittere non possint.* Exploditur verò necessitas præcepti per hoc, quòd præceptum aliquod debeat tantùm fieri illis, qui ipsum capere possunt & adimplere; quales non videntur esse infantes, qui usu rationis carent. Si ergo, ut diximus anteà, patres olim parvulos communicaverint, hoc non ideo

A fecerunt, quasi crederent, illud esse necessarium necessitate præcepti aut medii, sed quia reputabant sumptionem Eucharistiæ magnam illis procurare utilitatem, scilicet augmentum gratiæ sanctificantis, sicut faciebat Confirmationis sacramentum, quod primis Ecclesiæ temporibus conferebatur, etiam infantibus eo die, quo regenerabantur baptismo. *Dices*, Non potuit Eucharistia ab infantibus sumpta illis communicare gratiæ augmentum; aliàs, si infans hostiam fortuitò reperiret, & ipsam comederet, reciperet gratiam: ergo patres antiqui ideo parvulos communicabant, quòd crederent Eucharistiam esse illis necessariam, saltem necessitate præcepti. Respondeo concedendo consequentiam;

B quia sacramenta suscepta sine obice, qualis non reperitur in parvulis, operantur gratiam, velut causæ naturales; licèt noster Pontius dicat, ipsa gratiam non conferre, nisi ministrentur tanquam sacramenta. Si dicatur, intentionem requiri; hoc est falsum in parvulis, ut patet de baptismo; licèt verum sit in adultis. Imò non desunt qui credant, hostiam consecratam sumptam ab adulto justo tanquam non consecratam, reverà gratiam illi communicare, quia verum sacramentum sine obice recipit; dicentes scilicet, quòd intentio suscipientis requiratur quidem in sacramentis, quæ consistunt in usu & actione, quatenus scilicet sine intentione essent invalida; non verò in receptione Eucha-

C ristiæ, quæ anteà confecta est & applicatur subjecto disposito: unde debet habere suum effectum, sicut haberet Baptismus, qui gratiam conferret & characterem, si parvulis daretur. Contraria tamen opinio censetur probabilior. Idem dicimus de perpetuò amentibus, quòd scilicet, hoc sacramentum non sit illis necessarium necessitate medii aut præcepti; quia, si sint baptisati, gratiam in baptismo receptam amittere non possunt, cum qua salvabuntur; si verò baptisati non sunt, non possunt recipere Eucharistiam.

QUÆRES, ubi habeatur præceptum ecclesiasticum de communione facienda tempore Paschatis. Respondeo, Communionem Paschalem esse defini-

D tam in Conc. Trident. Sess. 17. Can. 9. Sed antea expressè præcepta fuit in Conc. Lateran. sub Innocentio 3. cap. *Omnis utriusque sexus*: ubi habetur: *Omnis utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter Eucharistiæ sacramentum, ad minus in Paschâ; nisi fortè de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum ad tempus: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christianâ sepulturâ careat.* Non sunt autem spectandi anni discretionis ex ætate, sed ex maturitate ingenii & instructione, de quo regula certa relinquitur parentibus, parocho, vel confessario pru-

E denti. Per Pascha intelligitur tempus à Dominica palmarum ad Dominicam in albis inclusivè ex declaratione Eugenii 4. apud Navarrum cap. 21. n. 45. licèt longiùs duret hoc tempus in certis Ecclesiis & in aliquibus extendatur per totam Quadragesimam. Per proprium sacerdotem, qui communionem Paschalem differre potest, intelligitur quilibet confessarius, qui eo tempore excipere potest confessionem; quia ratio talis dilationis sumitur sæpissimè ex conscientia pœnitentis, qui non tenetur eam exponere parocho, quando obtinuit confessorem particularem. Pœna, quæ in hac bulla fertur, non censetur lata, sed ferenda, ex sententia communi. Porrò, hoc præcepto communio fieri debet in propria parochia, nisi adsit parochi consensus

expressus vel præsumptus rationabiliter, aut interveniat privilegium, quale forsan habuerunt, vel habent Mendicantes, quo tamen in praxi dicerem non esse utendum; Tum quia est summè odiosum Pastoribus, qui semel ad minùs in anno præsentiam suarum ovium meritò requirunt; Tum quia, ut notat noster Guillelmus Herincx, congregatio Cardinalium authoritate Urbani VIII. declaravit ad instantiam Archiepiscopi Neapolitani 20. Martii anno 1638. contra Patres Theatinos & Jesuitas, Communionem paschalem debere fieri in propria parochia. Porrò ab hoc præcepto excipiuntur ex consuetudine sacerdotes, qui satisfaciunt ubicunque celebrant, & alii, de quibus videantur Casuistæ, inter quos exprimuntur in bullis Pontificum apud Rodriguez quæst. 56. art. 14. famuli & familiares Mendicantium, qui Communionem in Paschate, Viaticum, & Extremam-unctionem, recipere possunt à regularibus Monasterii ubi commorantur.

Quantùm ad communionem sacrilegam; Authorum aliqui tenent per illam non satisfieri præcepto Communionis paschalis, sed alii in longè majori numero & probabiliùs asseverant, quòd licèt sacrilega confessio, utpote non sacramentalis nec valida, sit insufficiens ad implendum præceptum Confessionis annuæ, attamen sacrilega Communio ad hoc sufficiat; sicut ille satisfaceret divino præcepto recipiendi Baptismum, qui cum obice illum susciperet. Ratio nostra est, quia substantia præcepti communicandi in Paschate consistit in manducatione reali & sacramentali corporis & sanguinis Christi; quæ verè & realiter fit ab illo, qui Eucharistiam sumit cum peccato mortali. Verum quidem est, quòd jure divino & communi præcipiatur Communio in statu gratiæ facienda, sicut præcipitur, quod omnia sacramenta vivorum recipiantur in statu gratiæ; & sic ille, qui in peccato recipit Eucharistiam, non satisfacit huic præcepto, quando communionem facit sacrilegam, imò illud violat; attamen, quantum ad præceptum Ecclesiasticum de communione Paschali, illud censetur implere, qui sacrilegè communicat, quia verè, realiter, & sacramentaliter recipit corpus Christi, in quo consistit tota ratio præcepti Ecclesiæ, quæ non solet præcipere actus verè internos, qui ad substantiam actûs externi non sunt necessarii. Unde, si Ecclesia Capite allato in paragrapho præcedenti *Omnis utriusque sexûs*, præcipiat sumi reverenter Eucharistiam; per hoc non obligat ad reverentiam internam, quasi sine illa non satisfieret præcepto communionis; sed tantùm hortatur ad talem reverentiam, ut obtineatur Eucharistiæ fructus, qui est gratia, quam non recipiunt indignè communicantes. Non negamus insuper, quin per verba allegata Concilii Ecclesia præcipiat reverentiam externam, quæ potest cadere sub Ecclesiæ præcepto. Imò præcipit Ecclesia, ut communicans agnoscat internè Christum esse præsentem; si enim non crederet se recipere corpus Christi, non intenderet satisfacere Ecclesiæ præcepto, quod est de sumptione corporis & sanguinis Domini, proindeque illi non satisfaceret.

Quantùm ad illos, qui tempore Paschatis non communicarunt; non sufficiunt, quæ diximus antea per transennam, ut sciatur positivè, an datâ occasione post elapsum paschale tempus communicare debeant: unde hîc addendum est, quòd diversa sit Doctorum opinio. Omnes tenent quidem, quòd illi, qui ex consilio sacerdotis distulerunt communionem, teneantur posteà communicare, quia ratio legis est semper eadem, quando non est A impedimentum aut causa justa non exequendi legem; unde, quando cessat illud impedimentum, lex obligat, sicque, si sacerdos v. g. prohibuit, nè quis communicet ante restitutionem faciendam, quæ non potest fieri, nisi post quindenam Paschatis, tunc ipsâ factâ, pœnitens communicare debet. Idem sentiunt aliqui, quando sine consilio Confessarii communio fieri non potuit ex justa causa, quæ æquivalet consilio Confessarii, qui hanc dilationem consuluisset reverà. Quantùm ad illos, qui ex sua culpa non communicarunt in Paschate; multi existimant, tales esse liberos isto anno à receptione hujus sacramenti, (credentes, tale præceptum esse alB ligatum tempori) sicut v. gratia ab auditione sacri in die festo & recitatione officii. Sic Rodriguez, Henriquez, Victoria, Soto, Valentia, Toletus & quidam alii. Probabiliùs tamen contrarium sentit aliorum Doctorum turma, quòd scilicet, quicunque non communicaverint in Paschate, sive ex culpa, sive ex legitimo impedimento, teneantur quàmprimum communicare. Quod videtur colligi ex Concilio Tridentino & ex Lateranensi præcitatis, quia præcipitur absolutè communio facienda semel in anno, & alligatur hoc præceptum isti tempori ad venerandam festivitatem, ita quòd designatio temporis Paschalis non facta sit ad finiendam obligationem, sed ad sollicitandum fideles, nè diutiùs communionem differant. Sicut ergo, qui deberet creditori solvere centum nummos intra festum Paschatis, non liberaretur à tali debito, si illud non solvisset C pro illo tempore; sic nec ille censeretur liber à communione, qui non sumpsisset Eucharistiam intra paschale tempus; Unde prælati per censuras Ecclesiasticas urgent fideles qui in paschate non communicarunt, quatenus quàmprimum communicent, quod non facerent profectò cum talibus pœnis, nisi in hoc esset peccatum mortale. Quantùm ad sumptionem Viatici; si non obliget ex jure divino, ut volunt plurimi, necessaria tamen est de jure Ecclesiastico, ex pluribus Conciliis, & ex usu Ecclesiæ, quæ sine gravi scandalo violari nequit: unde immeritò dicunt Sylvester, Caietanus, & Emmanuel non peccare mortaliter, qui sine contemptu non sumerent Eucharistiam per modum Viatici, si anteà communionem Paschalem adimpleverint. Ob hanc raD tionem, inituri periculosum conflictum, periculosam navigationem, & qui lethaliter vulnerati sunt, ad communionem tenentur.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit Materia Eucharistiæ?

CUM locuti fuerimus de Materiâ proxima internâ & permanenti Eucharistiæ, quæ consistit in speciebus sub quibus continentur corpus & sanguis Christi; nunc agendum est de materiâ remotâ externâ & transeunte, quæ desinit esse per verba conE secratoria, & ex quâ fit hoc Sacramentum. Materiam hujus sacramenti, quam dicemus esse panem, si non destruere, saltem depravare nefandis mixtionibus tentaverunt hæretici. Cataphrygæ enim panem sacramentalem conficiebant ex farina & infantis anniculi sanguine. Pepusiani dicti Artotyrites, farinam & caseum simul miscebant, ut hoc sacramentum conficerent. Manichæi, existimantes farinam esse impuram, ipsam mundare prætendebant per admixtionem seminis humani (quod dictum sit cum pudore.) Tandem Ophitæ colubrum alebant in spelunca altari propinqua, qui dimissus

à sacerdote tempore sacrificii per incantationem, A panem consecrandum lambebat, ut eum mundaret. Hi nefandi ritus habentur apud Augustinum. Primus hæresi 26. Secundus & Tertius Hæresi 46. Quartus denique Hæresi 17.

Circa vinum, quæ alia pars erat materiæ nostri sacramenti, diversimodè etiam opinati sunt hæretici. Manichæi enim & Priscillianistæ, vinum execrantes tanquam fel draconis, solo pane utebantur; & hos refutat Augustinus lib. contra Faustum. Marcotiani à quodam Marco dicti, aquam vino permixtam magicâ incantatione rubicundam efficiebant, ex Epiphanio Hæresi 24. Aquarii solam offerebant aquam, ex Augustino Hæresi 64. Alii ex Concilio Bracarensi 3. lac loco vini offerebant. B Alii botrum pro vino apponebant, juxta idem Concilium. Alii denique ex eodem, pannum lineum musto intinctum per totum annum reservabant, & tempore celebrationis lavabant aquâ, quæ ex tincto panno saporem & colorem vini contrahens offerebatur in Eucharistiæ sacrificio. Has omnes erroneas, nefandas & impias opiniones condemnavit Concilium Carthaginense 3. cap. 24. dicens, *In sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil aliud offeratur, quàm quod tradidit ipse Dominus; hoc est, panis & vinum aqua mixtum; primitiæ verò, seu mel, seu lac, seu alia quæ solent offerri, quamvis in altari offerantur, habent tamen propriam benedictionem, & à divinis sacramentis distinctam.* Ex quo C apparet, quòd prædicta aliàs solebant ex devotione populi apponi super altaria, solùm ad recipiendam benedictionem; quæ tamen ex impietate quorumdam & negligentiâ aliorum transierunt in materiam hujus sacramenti, quod falsissimum.

Conclusio Prima.

Materia Eucharistiæ sunt panis & vinum. Matth. enim 26. Marci 14. Lucæ 22. & ad Corinth. 1. legimus Christum accepisse panem in confectione hujus Sacramenti, & calicem in quo erat vinum; ut patet ex verbis sequentibus, *Non bibam amodò de hoc genimine vitis*; & jussit facere quod fecit, dicens, *Hoc facite:* ergo tenere debemus D materiam: hujus Sacramenti esse panem & vinum & hoc est conforme tùm Conciliis, tùm Patribus, quos superfluum esset recensere. Nulla dari potest ratio convincens de hâc veritate, quia Christus in quâcunque aliâ materia potuit instituere Eucharistiam, saltem manducabili & potabili; sed potest assignari ratio congruentiæ, quia scilicet sicut panis & vinum sunt congrua corporis alimenta, sic Eucharistia sub speciebus panis & vini congruum est alimentum animæ. Deinde, per panem & vinum ritè designantur effectus hujus sacramenti; nam sicut ex multis granis unus panis, & ex multis racemis vinum resultat; ita per Eucharistiam multi fideles, tum inter se uniuntur, tum cum Christo suo capite. Sicut etiam panis & vinum confortant & recreant corpus, sic Christus sub specie panis & vini contentus confortat fragiles & tristes recreat. Unde, quia Christus in propria specie manducari non poterat, tum propter fidem nostram, tum quia hoc visum fuisset difficillimum, ideo conveniens erat, ut sub his elementis ad usum communem facillimis contineretur. Quòd si canones permittant offerri uvas, oleum, lac, incensum, & similia; hoc est tanquam oblationes & ceremonias ad honorem Dei & Sanctorum, ac etiam in sacerdotum alimenta, juxta id quod habetur 1. ad Corinth. 9. *Qui altari deserviunt altari participant.*

Conclusio Secunda.

Panis, qui est materia hujus Sacramenti, debet esse triticeus. Sic Concilium Flor. & Catechismus Concil. Trident. ubi habetur, traditionem Ecclesiæ esse, ut in pane triticeo consecratio fiat; unde non sufficit ut fiat in hordeo, avenâ, milio, frumento nigro; sed requiritur, quòd secundùm judicium peritorum habeat veram rationem tritici, sive ita vocetur, sive non: & quando dubium erit an sit verè triticum, necnè, materia erit dubia, & in eâ non debet confici Sacramentum; maximè cùm Eucharistia non sit absolutè necessaria. Quoad secale, aliqui putant esse materiam propriam Eucharistiæ, dicentes non differre specie à tritico, sed esse triticum inferius: meliùs tamen dicendum est, esse materiam dubiam, in qua non licet fieri consecrationem sine peccato mortali. Porrò, panis ille triticeus debet macerari ex aquâ purâ & elementari, & concoqui ad ignem, massa enim cruda farinæ aquâ subactæ non est cibus usualis. Tandem panis ille igne coctus non debet iterum oleo vel butyro esse frixus, quia non esset panis usualis, sed potiùs placenta aut aliquid simile.

Objicit Caietanus veterem Ecclesiam præcepisse solum usum panis frumentacei, per quem panem frumentaceum intelligit omnem panem factum ex granis aristas & spicas proferentibus, qualia sunt triticum, spelta, secale, & hordeum, quos panes sustinet esse materiam hujus sacramenti; 3. scilicet part. quæst. 74. art. 3.

Respondeo, per panem frumentaceum Ecclesiam intelligere panem triticeum, ut patet primò ex traditione Ecclesiæ approbatâ per usum nusquam interruptum. Secundò ex definitione Conciliorum Florentini & Tridentini; ac denique, quia solus panis triticeus est aptissimus ad homines roborandos, & proinde ad significandum robur, quòd homini traditur per Eucharistiam: imò solus panis triticeus est communiter usualis, & alia grana suppeditantur tantùm propter defectum tritici. Quòd si Caietanus dicat, Christum instituisse sacramentum ex solo pane, quo utebatur; ipsum autem communiter usum fuisse hordeo: Respondendum est, quòd estò usus fuisset in victu communi, non tamen in esu agni paschalis. Quidquid sit de pane, quo utebatur Christus, opinio Caietani ita est improbabilis, ut eam Pius V. voluerit expungi in editionibus Romanis operum ipsius, tanquam periculosam in fide. Quoad speltam, D. Thomas contendit ipsam non esse materiam aptam consecrationis, contra Albertum, Paludanum, Argentinam, Sotum, & alios. Quoad secale, Gamachaus existimat ipsum esse aptum ad consecrari, ut habet in 3. partem D. Thomæ quæst. 74. cap. 1. ff. *notandum* & ff. *discriminis causa*, ubi dicit, non debere apponi secale, ubi triticeus purior potest haberi; non quòd de E secali sit dubium, sed quia exigit honor sacramenti lectissimam materiam. Attamen apud alios pro materia dubia habetur; unde in his omnibus recurrendum est ad communem regulam Theologorum, qui docent, solum triticum esse materiam hujus sacramenti, & illud tantùm reputari debere triticum, quod in quavis regione à peritis censetur esse triticum, quovis nomine nuncupetur: quamcunque verò aliam materiam esse insufficientem, vel saltem dubiam, ita quòd nullus ipsâ uti possit sine gravi peccato, cùm vix ulla possit reperiri necessitas admittendi materiam dubiam.

Quantùm ad Amylum, gallicè *amidon*, quod fit

expressione medullæ ex tritico madido expressæ, quæ posteà vertitur in farinam, ex qua fieri potest panis; communiter apud Doctores non reputatur materia propria ad consecrationem, quia etiamsi ex puro tritico conficiatur, multi tamen putant, per omnes depurationes & decolationes quæ fiunt ad compositionem ipsius, triticum substantialiter immutari, sicque ex ipso non posse confici hoc sacramentum. Ita Doctor noster *in 4. dist. 11. quæst. 6.* Quidquid sit tamen de illa mutatione substantiali, alii etiam respondent, amylum esse materiam ineptam Eucharistiæ, quia propria ratio materiæ hujus sacramenti tota pendet ex institutione Christi, qui voluit solum panem usualem esse materiam Eucharistiæ; unde cùm amylum moraliter non accipiatur pro pane, & res morales sæpissimè habeantur diversæ per sola accidentia; ideo amylum, licet physicè differat tantùm accidentaliter à pane communi, non est tamen apta hujus sacramenti materia. Idem dicendum est de pasta seu massa farinæ aquâ subactæ, quòd licet non differat specie à pane communi, sed tantùm accidentariò, per decoctionem videlicet, in qua non fit nisi exhalatio humoris commixti cum partibus farinæ, quæ separatio aut mixtio non mutat substantiam rei, attamen ex illa non possit fieri consecratio; quia scilicet, ut inquit præcitatus Doctor subtilis, moralia moraliter sunt accipienda, & noluit Christus, ut in sacramentis suis nobis imponeremus subtilem disputationem de differentia specifica, sed voluit, quòd panem triticeum usualem haberemus communiter pro materia consecrationis, ut, secundùm Damascenum, *illud quod communiter consuevit esse nutrimentum corporale, ipsum vel simile esset nobis sacramentum spirituale.*

CONCLUSIO TERTIA.

VINUM cujuscunque speciei, est materia apta hujus Sacramenti, dummodo sit vinum usuale & potabile. Non potest ergo fieri consecratio in uvis non expressis, quia non sunt vinum, nec dicuntur bibi: non potest etiam fieri in liquore deprompto ex uvis agrestibus & aliis non maturis, quis ex illis non fit vinum potabile, sed Omphacium: non potest etiam fieri consecratio in liquore expresso ex uvis siccis, si possit aliquis exprimi; quia pro tunc sunt corruptæ, & talis liquor non esset vinum: non potest etiam fieri consequenter in aceto, non est enim ampliùs vinum, sed vinum corruptum. Potest tamen fieri in musto, id est, in vino recenter ex uvâ expresso, licet non debeat fieri, nisi sit depuratum & coctum: potest etiam fieri in vino congelato, quia species congelatæ possunt retinere sanguinem qui ante congelationem consecratur: ergo & ipsum sanguinem recipere possunt, & proinde in eo fieri consecratio; quia est actu vinum & de facili potabile; non sic in Baptismo, quia ad Baptismum actualis ablutio requiritur.

Hæc conclusio habetur in Concilio Aurelianensi 4. Can. 4. in Antissiodorensi Can. 8. in Florentino decreto de Armenis: in Tridentino Sess. 13. de Eucharistiâ ubi cap. 4. de transsubstantiatione & passim multis in locis supponit panem & vinum esse materiam hujus sacramenti, quæ convertuntur in substantiam corporis & sanguinis Christi. Accedit perpetua & nunquam interrupta praxis Ecclesiæ, addique potest hæc ratio, quòd scilicet Eucharistiæ materia sit id quod Christus consecravit; atqui, ipsum consecrasse in vino, seu in genimine vitis, traditur Matth. 26. & Lucæ 22. ergo vinum est ipsius materia, ut diximus in conclusione, ubi plura exclusimus, & nunc excludimus vinum adhuc in folliculis uvarum contentum; quia, donec actu expressum fuerit, non est potabile, nec dicuntur homines bibere, sed manducare uvas, licet succus ab uvis expressus non dicatur substantialiter differre ab illo, qui nondum extractus est; quia, ut anteà diximus, moralia sunt moraliter accipienda, & semper attendi debet ad institutionem Christi, qui voluit pro una partiali materia hujus sacramenti, aliquid adhiberi potabile. Quantùm ad vinum congelatum, licèt Alanus & quidam alii existiment, non esse materiam aptam; attamen commune est ferè omnibus, quòd ex illo possit fieri valida consecratio; tum quia ex communi æstimatione censetur verus potus, & verum vinum; tum quia post liquefactionem habet eundem colorem, odorem, & saporem; sicque nec mutatur substantialiter, nec accidentaliter extrinsecè; quoniam congelatio non est quid permanens, nec intrinsecum. Tum quia alii liquores congelati censentur ejusdem naturæ ac anteà. Tum denique, quia vinum congelatum retinet corpus & sanguinem Christi, aliàs Ecclesia non juberet fomentis liquefieri species vini congelati antequam sumantur à sacerdote. Quòd si dicatur, vinum congelatum non esse potabile Respondeo esse potabile suâpte naturâ, quamvis per accidens externum, nimirum vi frigoris, non propriè sit potabile. Nec est eadem ratio de vino incluso in uvâ, quia non est nec unquam fuit vinum. Quòd tamen diximus, intelligendum est de leviori congelatione, monet enim Sotus, quòd tanta potest esse congelatio & tam diuturna, ut per illam vinum corrumpatur substantialiter, itaut post resolutionem non habeat ampliùs formam vini. Quantùm ad acetum, jure diximus, non esse materiam propriam hujus sacramenti. Quod si Innocentius III. lib. 4. de mysteriis Missæ dicat, posse confici in aceto sacramentum: per acetum intelligit S. Isidorus lib. 20. ethimologiarum cap. 7. vinum aquâ mixtum seu vilem potum qui datur servis, alii per acetum intelligunt vinum acescens & nondum totaliter corruptum.

CONCLUSIO QUARTA.

PARUM aquæ debet admisceri vino, non quidem de necessitate Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiæ. Sic Concil. Trident. in Catechismo cap. de Eucharistiâ. Ecclesia autem hoc præcipiens secuta est exemplum Christi, qui consecravit in vino aquâ diluto, ut habet Concil. Carthag. can. 24. ut etiam ait Clemens Rom. lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 12. Si tamen hoc fecit Christus non jussit ut fieret à nobis, ut patet ex Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. dicente præceptum fuisse ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut aquam vino miscerent; & sic talis mixtio non est de necessitate Sacramenti, nec præcepti divini, sed Ecclesiastici; quod ortum habuit ab Apostolis, ut scilicet repræsententur sanguis & aqua è latere Christi fluentes, & unio Ecclesiæ cum Christo; per aquas enim populi significantur. Confirmari potest faciliter, quòd Christus vinum *consecrandum temperaverit aquâ*, ex Liturgiâ D. Jacobi, *Christus accepit calicem permiscens ex aquâ & vino*. Ex Liturgiâ D. Basilii: *Accipiens & miscens calicem*. Ex missa D. Chrysostomi, *Mittens vinum & aquam in calicem*. Præter Concilia, quæ allegavimus, adjungi potest Trullanum Can. 32. & novissimè Tridentinum. Ex summis Pontificibus Alexander à Petro quintus, in epistola ad omnes orthodoxos, docet talem mixtionem profectam esse à

Christo. Quod idem asserit Martinus de Consecrat. dist. 7. cap. *non oportet*. Ex Patribus, Justinus martyr Apologiâ 2. pro Christianis hoc docet. Cyprianus integram hac de re epistolam scripsit ad Cælianum. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 1. Augustinus cap. 65. id dogmatib. Ecclesiast. & alii ferè omnes hanc permixtionem aquæ ortam fuisse ab institutione Christi probant communiter. Hoc autem ideo fecit Christus, primò ex sobrietate & consuetudine gentis illius, juxta id Proverb. 9. *Bibite vinum quod miscui vobis*. 2. ut significaretur unio duarum naturarum. 3. ut repræsentetur, sanguinem & aquam simul fluxisse. 4. sicut ait Scotus *in 4. dist. 4. quæst. 7.* ut significetur, populum Christo uniri. De consecrat. dist. 2. cap. *Omne*: ubi habetur. *Cùm in calice aqua vino miscitur, populus unitur Christo.*

Hanc veritatem negarunt Armeni ex Concilio Trullano cap. 32. quorum rationem refert Nicephorus lib. 18. Historiæ cap. 53. nè scilicet significare viderentur unionem duarum naturarum in Christo, quam negabant. Innocentius III. cum Guidone Carmelitâ accusat Græcos, quòd in hoc errore fuerint; sed contrarium habetur ex Bellarmino lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 10. ubi probat, Patres Græcos idem sentire in hac materia ac Latinos. Imo, in Concilio Florentino Græci & Latini præceperunt Armenis, ut in calice admiscerent aquam vino: unde probabile est, quòd Innocentius per Græcos intellexerit confusè Orientales, nimirum Armenos; non verò eos qui propriè Græci dicuntur. Armenos secutus est Lutherus, qui in 1. scripto quod fecit contra Regem Angliæ anno 1522. fatuos vocat illos, qui peccatum esse putant sine aqua celebrare. Additque, talem mixtionem esse merum figmentum hominum, pessimamque habere significationem, juxta id quod habetur Isaïæ 1. *Vinum tuum mixtum est aqua*, id est, sinceritas tua corrupta est. Longiùs progrediuntur Calvinistæ, Petro Richero affirmante, hæreticos esse, blasphemos, sacrilegos, & falsarios, qui vino cœnæ aquam admiscent, quatenus ad puritatem Evangelii adjiciunt sua commenta. Ubi addit, se hoc dicisse à Calvino, ut notat præcitatus Bellarminus.

Jure diximus, hanc mixtionem non esse de necessitate sacramenti, quidquid dicat Armacanus; nam Concilium Florentinum assignans materiam sacramentorum, debuisset dicere, materiam calicis esse vinum aquâ mixtum, sicut dixit, materiam Confirmationis esse chrisma confectum ex oleo & balsamo: attamen dicit tantùm, materiam calicis esse vinum de vite, cui aqua modicissima admisceri debet; quæ ultima verba denotant, talem mixtionem esse tantùm accidentalem, ut explicat Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. dicens, *Monet sancta Synodus preceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice miscerent.* Ex ista definitione Concilii Tridentini jure approbatur quod anteà dixit Scotus in 4. *dist.* 11. *quæst.* 7. talem mixtionem non esse ex præcepto divino, sed tantùm Ecclesiastico; quia factum Christi in rigore non censetur præceptum, ut patet de pane azymo, de tempore quo communicavit Apostolos, post cœnam, non jejunos, & similibus. Deinde, si Christus suo facto jussisset, talem mixtionem esse faciendam, non appareret, cur non esset etiam de necessitate sacramenti. Quando Armacanus lib. 9. de gestis Armenorum cap. 9. contendit probare, hanc mixtionem esse de necessitate sacramenti propterea quòd D. Cyprianus Epist. 63. dicat, *In sacrificio quod Christus obtulit, nonnisi Christum esse sequendum, nosque obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & faciendum mandavit.* Ad hoc respondent D. Thomas quæst. 64. & D. Bonaventura dist. 11. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad 1. ex verbis Cypriani colligi tantùm necessitatem simpliciter faciendi quod fecit Christus, abstrahendo à quacunque necessitate, sive sit sacramenti, sive præcepti divini, aut Ecclesiastici. Non negamus autem, quin debeat fieri talis commixtio, sed negamus, quòd sit necessaria necessitate sacramenti, aut præcepti divini. Cùm etiam dicit idem Cyprianus, *Non posse offerri solum vinum, sicut non potest offerri sola aqua*; per hoc vult tantùm innuere, quòd sicut necessarium est vinum, sic necessaria sit aqua: sed non pari necessitate; quia vinum est de necessitate sacramenti, & aqua de necessitate præcepti. Dum adhuc subjungit; *Si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, id est; non significabit mysticè unionem nostri cum Christo.* His sic explicatis, non est quòd Thomas Vvaldensis, aliàs eruditissimus, ob verba Cypriani neget, Christum consecrasse vinum dilutum. Si etiam Concilia Uvormatiense Can. 4. & Carthaginense 3. Can. 24. dicant, non posse esse Sacramentum absque mixtione aquæ: hoc ideo affirmant, quia licitè & debitè non potest fieri sine illa, ut D. Bonaventura docet.

Quæstio V.

An panis iste debeat esse azimus vel fermentatus?

Non loquimur hîc de necessitate absoluta, sed tantùm de congruitate. Non loquimur, inquam, de necessitate Sacramenti, aut præcepti divini, quia ex quocumque pane fiat Eucharistia, sive azimo sive fermentato, validè conficitur, ut determinavit Concilium Florentinum, in decreto de Armenis; ubi præceptum est, tam Græcis, quàm Latinis, ut suæ Ecclesiæ usum retineant; ita quòd Latini utuntur azimo, & Græci fermentato. Ratio hujus est, quia uterque propriè panis censetur, etiam azimus; nam negari non potest, quin panis, quem in Emmaüs post Resurrectionem suam Christus Lucæ 24. accepit & benedixit, fuerit azimus; cùm eo tempore apud Judæos nullus esset panis fermentati usus, quandoquidem tunc erat octava azimorum. Cùm igitur panis azimus & fermentatus sint verè panis, ideo in utroque valida est consecratio. Loquimur ergo tantùm de necessitate congruitatis, an scilicet congruentius sit consecrare in azimo, uti faciunt Latini; an in fermentato, ad Græcorum consuetudinem, cum hac definitione, quòd Latini existiment consecrationem Græcorum esse validam, licèt minùs conformem cum institutione Christi, quem tenemus consecrasse in azimo; ubi Græci existimant consecrationem Latinorum in azimo, nedum esse difformem ab institutione Christi, quem tuentur consecrasse in fermentato, sed & etiam invalidam; putantes, non validè consecrari panem azimum à Latinis. Licet Calvinus lib. 4. Institur. cap. 43. gratis dicat, totam Ecclesiam primis temporibus usam fuisse pane fermentato, usque ad tempora Alexandri Papæ, quem non specificat, nè ipsius detegatur mendacium; longè verisimilius est, quod habetur ex Leone IX. in Epist. ad Michaëlem Constantinopolitanum cap. 5. in Ecclesia primitiva tam Græcos quàm Latinos consecrasse

expressione medullæ ex tritico madido expressæ, quæ posteà vertitur in farinam, ex qua fieri potest panis; communiter apud Doctores non reputatur materia propria ad consecrationem, quia etiamsi ex puro tritico conficiatur, multi tamen putant, per omnes depurationes & decolationes quæ fiunt ad compositionem ipsius, triticum substantialiter immutari, sicque ex ipso non posse confici hoc sacramentum. Ita Doctor noster *in 4. dist. 11. quæst. 6.* Quidquid sit tamen de illa mutatione substantiali, alii etiam respondent, amylum esse materiam ineptam Eucharistiæ, quia propria ratio materiæ hujus sacramenti tota pendet ex institutione Christi, qui voluit solum panem usualem esse materiam Eucharistiæ; unde cùm amylum moraliter non accipiatur pro pane, & res morales sæpissimè habeantur diversæ per sola accidentia; ideo amylum, licet physicè differat tantùm accidentaliter à pane communi, non est tamen apta hujus sacramenti materia. Idem dicendum est de pasta seu massa farinæ aquâ subactæ, quòd licet non differat specie à pane communi, sed tantùm accidentariò, per decoctionem videlicet, in qua non fit nisi exhalatio humoris commixti cum partibus farinæ, quæ separatio aut mixtio non mutat substantiam rei, attamen ex illa non possit fieri consecratio; quia scilicet, ut inquit præcitatus Doctor subtilis, moralia moraliter sunt accipienda, & noluit Christus, ut in sacramentis suis nobis imponeremus subtilem disputationem de differentia specifica, sed voluit, quòd panem triticeum usualem haberemus communiter pro materia consecrationis, ut, secundùm Damascenum, *illud quod communiter consuevit esse nutrimentum corporale, ipsum vel simile esset nobis sacramentum spirituale.*

B

C

Conclusio Tertia.

Vinum cujuscunque speciei, est materia apta hujus Sacramenti, dummodo sit vinum usuale & potabile. Non potest ergo fieri consecratio in uvis non expressis, quia non sunt vinum, nec dicuntur bibi: non potest etiam fieri in liquore deprompto ex uvis agrestibus & aliis non maturis, quis ex illis non fit vinum potabile, sed Omphacium: non potest etiam fieri consecratio in liquore expresso ex uvis siccis, si possit aliquis exprimi; quia pro tunc sunt corruptæ, & talis liquor non esset vinum: non potest etiam fieri consequenter in aceto, non est enim ampliùs vinum, sed vinum corruptum. Potest tamen fieri in musto, id est, in vino recenter ex uvâ expresso, licet non debeat fieri, nisi sit depuratum & coctum: potest etiam fieri in vino congelato, quia species congelatæ possunt retinere sanguinem qui ante congelationem consecratur: ergo & ipsum sanguinem recipere possunt, & proinde in eo fieri consecratio; quia est actu vinum & de facili potabile; non sic in Baptismo, quia ad Baptismum actualis ablutio requiritur.

D

Hæc conclusio habetur in Concilio Aurelianensi 4. Can. 4. in Antissiodorensi Can. 8. in Florentino decreto de Armenis: in Tridentino Sess. 13. de Eucharistiâ ubi cap. 4. de transsubstantiatione & passim multis in locis supponit panem & vinum esse materiam hujus sacramenti, quæ convertuntur in substantiam corporis & sanguinis Christi. Accedit perpetua & nunquam interrupta praxis Ecclesiæ, addique potest hæc ratio, quòd scilicet Eucharistiæ materia sit id quod Christus consecravit; atqui, ipsum consecrasse in vino, seu in genimine vitis, traditur Matth. 26. & Lucæ 22. ergo vinum est ipsius materia, ut diximus in conclusione,

E

A ubi plura exclusimus, & nunc excludimus vinum adhuc in folliculis uvarum contentum; quia, donec actu expressum fuerit, non est potabile, nec dicuntur homines bibere, sed manducare uvas, licet succus ab uvis expressus non dicatur substantialiter differre ab illo, qui nondum extractus est; quia, ut anteà diximus, moralia sunt moraliter accipienda, & semper attendi debet ad institutionem Christi, qui voluit pro una partiali materia hujus sacramenti, aliquid adhiberi potabile. Quantùm ad vinum congelatum, licèt Alanus & quidam alii existiment, non esse materiam aptam; attamen commune est ferè omnibus, quòd ex illo possit fieri valida consecratio; tum quia ex communi æstimatione censetur verus potus, & verum vinum; tum quia post liquefactionem habet eundem colorem, odorem, & saporem; sicque nec mutatur substantialiter, nec accidentaliter extrinsecè; quoniam congelatio non est quid permanens, nec intrinsecum. Tum quia alii liquores congelati censentur ejusdem naturæ ac anteà. Tum denique, quia vinum congelatum retinet corpus & sanguinem Christi, aliàs Ecclesia non juberet fomentis liquefieri species vini congelati antequam sumantur à sacerdote. Quòd si dicatur, vinum congelatum non esse potabile Respondeo esse potabile suâpte naturâ, quamvis per accidens externum, nimirum vi frigoris, non propriè sit potabile. Nec est eadem ratio de vino incluso in uvâ; quia non est nec unquam fuit vinum. Quòd tamen diximus, intelligendum est de leviori congelatione, monet enim Sotus, quòd tanta potest esse congelatio & tam diuturna, ut per illam vinum corrumpatur substantialiter, itaut post resolutionem non habeat ampliùs formam vini. Quantùm ad acetum, jure diximus, non esse materiam propriam hujus sacramenti. Quod si Innocentius III. lib. 4. de mysteriis Missæ dicat, posse confici in aceto sacramentum: per acetum intelligit S. Isidorus lib. 20. ethimologiarum cap. 7. vinum aquâ mixtum seu vilem potum qui datur servis, alii per acetum intelligunt vinum acescens & nondum totaliter corruptum.

Conclusio Quarta.

Parum aquæ debet admisceri vino, non quidem de necessitate Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiæ. Sic Concil. Trident. in Catechismo cap. de Eucharistiâ. Ecclesia autem hoc præcipiens secuta est exemplum Christi, qui consecravit in vino aquâ diluto, ut habet Concil. Carthag. can. 24. ut etiam ait Clemens Rom. lib. 8. Constitutionum Apostolicarum cap. 12. Si tamen hoc fecit Christus non jussit ut fieret à nobis, ut patet ex Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. dicente præceptum fuisse ab Ecclesiâ Sacerdotibus, ut aquam vino miscerent; & sic talis mixtio non est de necessitate Sacramenti, nec præcepti divini, sed Ecclesiastici; quod ortum habuit ab Apostolis, ut scilicet repræsententur sanguis & aqua è latere Christi fluentes, & unio Ecclesiæ cum Christo; per aquas enim populi significantur. Confirmari potest faciliter, quòd Christus vinum *consecrandum temperaverit aquâ*, ex Liturgiâ D. Jacobi, *Christus accepit calicem permiscens ex aquâ & vino.* Ex Liturgiâ D. Basilii: *Accipiens & miscens calicem.* Ex missa D. Chrysostomi, *Mittens vinum & aquam in calicem.* Præter Concilia, quæ allegavimus, adjungi potest Trullanum Can. 32. & novissimè Tridentinum. Ex summis Pontificibus Alexander à Petro quintus, in epistola ad omnes orthoxos, docet talem mixtionem profectam esse à

Christo. Quod idem asserit Martinus de Consecrat. dist. 7. cap. *non oportet*. Ex Patribus, Justinus martyr Apologiâ 2. pro Christianis hoc docet. Cyprianus integram hac de re epistolam scripsit ad Cælianum. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 1. Augustinus cap. 65. id dogmatib. Ecclesiast. & alii ferè omnes hanc permixtionem aquæ ortam fuisse ab institutione Christi probant communiter. Hoc autem ideo fecit Christus, primò ex sobrietate & consuetudine gentis illius, juxta id Proverb. 9. *Bibite vinum quod miscui vobis*. 2. ut significaretur unio duarum naturarum. 3. ut repræsentetur, sanguinem & aquam simul fluxisse. 4. sicut ait Scotus *in 4. dist. 4. quæst. 7.* ut significetur, populum Christo uniri. De consecrat. dist. 2. cap. *Omne*: ubi habetur. *Cùm in calice aqua vino miscetur, populus unitur Christo.*

Hanc veritatem negarunt Armeni ex Concilio Trullano cap. 32. quorum rationem refert Nicephorus lib. 18. Historiæ cap. 53. nè scilicet significare viderentur unionem duarum naturarum in Christo, quam negabant. Innocentius III. cum Guidone Carmelitâ accusat Græcos, quòd in hoc errore fuerint; sed contrarium habetur ex Bellarmino lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 10. ubi probat, Patres Græcos idem sentire in hac materia ac Latinos. Imo, in Concilio Florentino Græci & Latini præceperunt Armenis, ut in calice admiscerent aquam vino: unde probabile est, quòd Innocentius per Græcos intellexerit confusè Orientales, nimirum Armenos; non verò eos qui propriè Græci dicuntur. Armenos secutus est Lutherus, qui in 1. scripto quod fecit contra Regem Angliæ anno 1522. fatuos vocat illos, qui peccatum esse putant sine aqua celebrare. Additque, talem mixtionem esse merum figmentum hominum, pessimamque habere significationem, juxta id quod habetur Isaïæ 1. *Vinum tuum mixtum est aqua*, id est, sinceritas tua corrupta est. Longiùs progrediuntur Calvinistæ, Petro Richero affirmante, hæreticos esse, blasphemos, sacrilegos, & falsarios, qui vino cœnæ aquam admiscent, quatenus ad puritatem Evangelii adjiciunt sua commenta. Ubi addit, se hoc dicisse à Calvino, ut notat præcitatus Bellarminus.

Jure diximus, hanc mixtionem non esse de necessitate sacramenti, quidquid dicat Armacanus; nam Concilium Florentinum assignans materiam sacramentorum, debuisset dicere, materiam calicis esse vinum aquâ mixtum, sicut dixit, materiam Confirmationis esse chrisma confectum ex oleo & balsamo: attamen dicit tantùm, materiam calicis esse vinum de vite, cui aqua modicissima admisceri debet; quæ ultima verba denotant, talem mixtionem esse tantùm accidentalem, ut explicat Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. dicens, *Monet sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in calice miscerent*. Ex ista definitione Concilii Tridentini jure approbatur quod anteà dixit Scotus in 4. *dist. 11. quæst. 7.* talem mixtionem non esse ex præcepto divino, sed tantùm Ecclesiastico; quia factum Christi in rigore non censetur præceptum, ut patet de pane azymo, de tempore quo communicavit Apostolos, post cœnam, non jejunos, & similibus. Deinde, si Christus suo facto jussisset, talem mixtionem esse faciendam, non appareret, cur non esset etiam de necessitate sacramenti. Quando Armacanus lib. 9. de gestis Armenorum cap. 9. contendit probare, hanc mixtionem esse de necessitate sacramenti propterea quòd D. Cyprianus Epist. 63. dicat, *In sacri-*

A *ficio quod Christus obtulit, nonnisi Christum esse sequendum, nosque obaudire & facere oportet, quod Christus fecit, & faciendum mandavit*. Ad hoc respondent D. Thomas quæst. 64. & D. Bonaventura dist. 11. part. 2. art. 1. quæst. 3. ad 1. ex verbis Cypriani colligi tantùm necessitatem simpliciter faciendi quod fecit Christus, abstrahendo à quacunque necessitate, sive sit sacramenti, sive præcepti divini, aut Ecclesiastici. Non negamus autem, quin debeat fieri talis commixtio, sed negamus, quòd sit necessaria necessitate sacramenti, aut præcepti divini. Cùm etiam dicit idem Cyprianus, *Non posse offerri solum vinum, sicut non potest offerri sola aqua*; per hoc vult tantùm innuere, quòd sicut necessarium est vinum, sic necessaria sit aqua: B sed non pari necessitate; quia vinum est de necessitate sacramenti, & aqua de necessitate præcepti. Dum adhuc subjungit; *Si vinum tantùm quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, id est; non significabis mysticè unionem nostri cum Christo*. His sic explicatis, non est quòd Thomas Vvaldensis, aliàs eruditissimus, ob verba Cypriani neget, Christum consecrasse vinum dilutum. Si etiam Concilia Uvormatiense Can. 4. & Carthaginense 3. Can. 24. dicant, non posse esse Sacramentum absque mixtione aquæ: hoc ideo affirmant, quia licitè & debitè non potest fieri sine illa, ut D. Bonaventura docet.

C

QUÆSTIO V.

An panis iste debeat esse azimus vel fermentatus?

NON loquimur hîc de necessitate absoluta, sed tantùm de congruitate. Non loquimur, inquam, de necessitate Sacramenti, aut præcepti divini, quia ex quocumque pane fiat Eucharistia, sive azimo sive fermentato, validè conficitur, ut determinavit Concilium Florentinum, in decreto de Armenis; ubi præceptum est, tam Græcis, quàm Latinis, ut suæ Ecclesiæ usum retineant; ita quòd Latini utuntur azimo, & Græci fermentato. Ratio hu- D jus est, quia uterque propriè panis censetur, etiam azimus; nam negari non potest, quin panis, quem in Emmaüs post Resurrectionem suam Christus Lucæ 24. accepit & benedixit, fuerit azimus; cùm eo tempore apud Judæos nullus esset panis fermentati usus, quandoquidem tunc erat octava azimorum. Cùm igitur panis azimus & fermentatus sint verè panis, ideo in utroque valida est consecratio. Loquimur ergo tantùm de necessitate congruitatis, an scilicet congruentius sit consecrare in azimo, uti faciunt Latini; an in fermentato, ad Græcorum consuetudinem, cum hac definitione, quòd Latini existiment consecrationem Græcorum esse validam, licèt minùs conformem cum institutione Christi, quem tenemus consecrasse in azimo; E ubi Græci existimant consecrationem Latinorum in azimo, nedum esse difformem ab institutione Christi, quem tuentur consecrasse in fermentato, sed & etiam invalidam; putantes, non validè consecrari panem azimum à Latinis. Licet Calvinus lib. 4. Institut. cap. 43. gratis dicat, totam Ecclesiam primis temporibus usam fuisse pane fermentato, usque ad tempora Alexandri Papæ, quem non specificat, nè ipsius detegatur mendacium; longè verisimilius est, quod habetur ex Leone IX. in Epist. ad Michaëlem Constantinopolitanum cap. 5. in Ecclesia primitiva tam Græcos quàm Latinos consecrasse

in azimo; posteà, propter Ebionitas judaïzantes utrosque abstulisse azimum, qui magis tenebat de Judaïsmo; & deinde, tali sectâ extinctâ, Latinos rediisse ad azima, & Græcos retinuisse fermentum, huc usque vocantes Latinos in derisionem talis facti, Azimitas, ut notat Scotus in 4. *dist.* 11. *quæst.* 6. Hæc controversia orta est circa annum 1053.

CONCLUSIO.

LICET valida sit consecratio in pane, sive azimo, sive fermentato, modò sit triticeus; longè tamen acceptior & congruentior est usus Latinorum, qui azimum admittunt, quàm Græcorum, qui in fermentato consecrant. Prima pars hujus conclusionis manet probata contra Græcos ex annotatione præcedenti, ubi diximus panem azimum esse verum panem, & proinde aptam materiam hujus sacramenti; quia habet omnes conditiones panis propriè dicti, cùm fiat ex farinâ triticeâ, aquâ elementari admixtâ, sit excoctus calore ignis, & aptus ad nutriendum: unde, cùm differat solùm accidentaliter extrinsecè, propter admixtionem fermenti, quod est quid extrinsecum in pane; non est proinde qui negare valeat, talem azimum panem esse materiam idoneam hujus Sacramenti. Quod confirmat, ut diximus, id quod habetur Lucæ 24. ubi Christus apud Emmaüs dicitur accepisse panem, qui tamen azimus erat, cùm ille dies esset unus ex azimorum diebus, in quo nullus panis fermentatus retinebatur, nedum in mensis, sed nec in domibus Judæorum.

Quantùm ad secundam partem, probatur ex facto Christi. Illud enim est convenientius quod magis quadrat cum Christi facto; sed Christus consecravit in pane azimo: ergo acceptior est usus Latinorum, qui in azimo consecrant. Fundamentum hujus controversiæ consistit in probatione istius minoris; Græcis existimantibus, Christum consecrasse in fermentato, quod tamen falsum est, quia Christus instituit hoc sacramentum eo die, quo Pascha celebravit; celebrabatur autem Pascha primo die azimorum, juxta id quod habetur Matth. 26. *Primâ die azimorum accessere discipuli dicentes: Ubi vis tibi paremus comedere Pascha?* Et ex Marci 14. *Primo die azimorum, quando Pascha immolabant.* Ac denique Lucæ 22. *Venit dies azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha*: ergo Christus primo die azimorum instituit hoc sacramentum, quando nulli licitum erat uti fermentato pane, juxta Hieronymum super illud Matthæi, *Primâ die azimorum:* ubi ait; *Dies azimorum est decimus quartus primi mensis, quando agnus immolatur, & luna plenissima est, & fermentum omne abjicitur*: ergo ex his contextibus sufficienter convincerentur Græci, quòd Christus usus fuerit azimo ad Eucharistiam, si eorum aliqui ad tantam impudentiam non devenissent, ut dicerent, tres illos Evangelistas lapsos fuisse, & fingerent à Joanne Apostolo posteà fuisse castigatos. Quia nimirum volunt Christum non comedisse agnum paschalem tempore à lege præscripto Levitici 23. cap. scilicet lunâ 14. Martii, sed lunâ 13. sicque prævenisse uno die tempus à lege præscriptum, quod refutatur à D. Chrysostomo Homil. 82. in Matthæum, ubi dicit, *Christum servasse hanc ceremoniam, ut usque ad ultimum diem ostenderet, se non esse legi contrarium.* Hoc est argumentum validius, quod afferri possit à Latinis contra Græcos, qui, ut eludant ipsius vim, probare conantur, Christum hoc sacramentum instituisse, & agnum paschalem manducasse lunâ 13. quo

A tempore azima nondum erant in usu; passumque fuisse luna 14. scilicet in vigilia Paschatis, & non in ipso die, sicut contendunt Latini. Aliæ tamen rationes congruentiæ non desunt; nimirum quòd azimus fermentato purior meliùs significet Christum sine vitio conceptum: Quòd perfectiùs denotet vitæ puritatem necessariam conficientibus & sumentibus hoc sacramentum: Quòd denique azimus sit à communi pane distinctus, proindeque magis congruat tanti mysterii dignitati. Si enim Levitici 24. panes Propositionis, qui erant tantùm figuræ hujus sacramenti, fieri deberent ex simila, quæ est farinæ magis defæcata pars, à fortiori Eucharistia fieri debet ex pane non communi, sed ab aliis distinctio, qualis est azimus.

B OBJECTIONES, quas proponere solent Græci, ad probandum contra Latinos, Christum manducasse suum pascha & sacramentum instituisse die seu Lunâ 13. mensis primi, & sequenti die, scilicet 14. post Christi mortem, ad occasum solis incepisse pascha Judæorum & fermenti abjectionem, majori in parte solutæ sunt in prima quæstione hujus tractatûs, & reliquarum solutio desumenda est ex Bellarmino lib. 4. de Sacramento Eucharistiæ cap. 8. Non est tamen hîc omittendum quòd rectè notavit D. Thomas in 4. d. 11. q. 2. art. 2. quæst. 3. nimirum, quòd etiamsi concederetur Græcis, quòd Christus anticipaverit uno die celebrationem Paschatis, quod non fecerunt Judæi, nisi 14. lunâ, non proinde tamen ritè concluderent, Christum celebrasse in azi-

C mo, quia eo ipso quo anticipasset manducationem agni paschalis, accelerasset etiam festum azimorum, quia non poterat pascha manducari sine azimis, ut habetur Exodi 12. Superest ergo tantùm ut ad aliquarum aliarum minoris momenti rationum solutionem progrediamur. Unde, dum dicunt, sacrificium Melchisedech fuisse in fermentato pane Genes. 14. Respondemus, non esse necessarium, ut in omnibus figura sit figurato similis; aliàs nullam mysteriorum nostrorum haberemus figuram. Dum addunt posteà, ceremoniam azimorum esse Judaïcam; dicimus ipsam non propterea esse rejiciendam, sicut nec rejicimus oleum unctionis, nec thus, nec vasa sacra, nec vestes sacerdotales, aut altaria,

D quæ non retinemus Judaïco animo, sed quia sunt à Christo vel Apostolis tradita. Dum instant denique, fermentum designare charitatis fervorem aut Incarnationem Domini, quâ divinitas est copulata carni, sicut fermentum admiscetur massæ: Respondemus adhuc, sumi etiam sæpius in malam partem, significando superbiam quæ inflat, disponendo ad corruptionem, & importando peccatum, juxta Paulum 1. ad Corinth. 5. *Epulemur non in fermento malitiæ. Fermentum totam massam corrumpit. Expurgate vetus fermentum malitiæ*, &c.

Licet diximus, absolutè loquendo, consecrationem posse fieri, vel in pane azimo, vel in pane

E fermentato; juxta Concilium Florentinum in litteris unionis post sessionem ultimam, ubi statuitur, unumquemque sacerdotem teneri ad consuetudinem suæ Ecclesiæ, cujus ritum laudabilem privatâ authoritate mutare non licet, ut inquit Catechismus Concilii Tridentini; attamen Latini tenentur sub pœna peccati mortalis in solo azimo consecrare, & Græci in fermentato: & hoc ex jure consuetudinario, seu ex ritu cujusque Ecclesiæ, cui accessit jussio Concilii Florentini, ubi convenerant Græci cum Latinis. Unde, ritè infertur, Græcos non esse schismaticos, quòd consecrent in fermentato, sed quòd damnent Latinos, & invalident suam consecrationem in azimo factam. Dum ergo Latinus sacerdos

sacerdos iter facit per Græciam, & Græcus per Latinorum plagas, quilibet tenetur servare ritum suæ Ecclesiæ, ut patet ex usu recepto Romæ, ubi, sciente & probante Pontifice, Græci in fermentato consecrant; & hoc per consensum mutuum Ecclesiarum, quæ cedere videntur communiori doctrinæ, quæ obligat peregrinos ad locorum leges: modo hoc fiat sine scandalo, & transeat Græcus aut Latinus sicut peregrinus; quia non censetur propriè incola regionis, ad quam accedit, nisi verè intendat stabilire in ea domicilium suum; imò censetur semper pertinere ad Græcam Ecclesiam, & proinde observare potest ritum ipsius. Quòd si Græcus (idem dicendum est de Latino in terrâ Græcorum) in aliqua urbe Latina habitaret cum animo manendi in illa per totam vitam, tunc teneretur pristinam consuetudinem relinquere, & consecrare in azimo, nisi obtinuisset licentiam Summi Pontificis; quia pro tunc est de Ecclesia Latino: Hoc privilegium censentur habere Græci, dum apud Latinos habent aliquod collegium, vel monasterium, & hoc similiter de Latinis. Porro, tanta est necessitas observandi ritum suæ Ecclesiæ, ut Latina non liceret consecrare in pane fermentato, ad dandum viaticum ægroto in extremis agente; quia, licèt præceptum communicandi sit de jure divino, & jussio celebrandi in azimis sit tantùm de jure humano ecclesiastico; attamen, quia præceptum communionis est affirmativum, quod non obligat nisi pro tempore, quo sine scandalo & peccato dari potest, & præceptum non consecrandi in fermentato sit negativum, quod obligat pro semper, ideo nunquam est violandum: unde Ecclesia Latina prohibens suis sacerdotibus, ne consecrent in fermentato, nullam exceptionem apposuit.

QUÆSTIO VI.

Utrùm Materia consecranda debeat esse præsens, sensibilis & determinata?

Ex dictis in præcedenti quæstione constat, panem triticeum esse materiam Eucharistiæ, nec refert an sit fermentatus aut azymus quoad valorem Sacramenti, licet esset peccatum non servare morem suæ Ecclesiæ; quamquam verum sit dicere, quòd Græcus apud Latinos existens possit in azymo celebrare, secundùm hoc dictum, *Cùm fueris Romæ, Romano vivito more.* Constat etiam vinum esse materiam, etiamsi fuerit miraculosè productum, ut vinum nuptiarum Canæ in Galilæâ; non tamen vinum nondum satis coctum erit materia propria. Quoad quantitatem panis & vini consecrandi, neminem latet, quamlibet magnam quantitatem panis & vini posse consecrari; quia non est repugnantia ex parte Materiæ, cùm sit apta ad consecrari, sicut & quælibet minima pars: non est etiam repugnantia ex parte Formæ, quia verba consecrationis possunt proferri super quamlibet quantitatem: nec denique repugnat ex parte Ministri, cùm possit habere intentionem consecrandi quamlibet quantitatem. Hoc tamen licitè fieri non potest; qui enim in tantâ quantitate consecraret, quæ non posset in tempore oportuno sumi, graviter peccaret; faceret enim injuriam tanto Sacramento, cùm species possent corrumpi & Sacramentum desinere sine usu, qui est secundarius finis Eucharistiæ; ubi productio corporis Christi est finis primarius. An autem fieri possit talis consecratio in minimâ parte panis aut vini, resolvet

CONCLUSIO PRIMA.

Quæcumque pars quantumvis parva panis, potest esse Materia consecrationis, modò sit sensibilis. Ratio primi est, quia quælibet parva quantitas est panis, & panis est materia apta. Ratio secundi est, quia si tam exigua esset, ut non posset videri aut tangi, non posset designari à Sacerdote, & sic non posset dicere, *Hoc est corpus meum.* Deinde, ex definitione Sacramenti, Sacramentum debet esse signum sensibile: ergo & materia ejus sensibilis; si tamen minima pars manet unita toto, etiamsi esset ita exigua, ut non posset tangi & videri, sub eâ posset recipi & conservari corpus Christi, quia illa esset semper sensibilis, si non respectu sui, saltem respectu totius. Sic etiam dicendum est de minimâ guttulâ vini: Non verò idem est sentiendum de minimâ guttâ aquæ respectu Baptismi, quia Baptismus consistit in ablutione, quæ non potest fieri ex unâ guttâ, nisi motu violento, ut diximus. Porrò, quando dixi, materiam debere videri aut tangi, sufficit ad hoc, quòd ex suâ naturâ sit sensibilis, ut patet quando Sacerdos plures hostias consecrat, quarum aliæ sub aliis delitescunt; ut patet etiam quando calix est coopertus palâ aut patenâ, & quando cœcus consecrat, ut aliquis fecit in Concilio Tridentino ex dispensatione summi Pontificis; in his enim occasionibus materia semper est moraliter sensibilis, & moralia moraliter sunt accipienda.

An autem idem dicendum sit de magnitudine ac de parvitate materiæ, controvertuntur doctores; nam D. Thomas 3. part. quæst. 74. art. 2. docet, quantumvis maximam quantitatem panis posse consecrari, ubi contra ipsum noster Alexander Alensis & D. Bonaventura hoc negant; quia materia consecranda attendi debet juxta modum præscriptum à Christo, & ex relatione ad effectum Sacramenti, seu ad communionem fidelium: sic enim ait D. Bonaventura, ut contrariam opinionem improbet. *Hæc positio nimis ampla est, & dum nimis tribuit verbo & ministro, infert Sacramento contumeliam. Nec credendum est, quòd Christus hoc daret, cùm nec sapiens homo dictaret hoc esse dandum, & ipse sapientissimè omnia fecit, & maximè sapienter instituit hoc Sacramentum, & propterea dicendum sine præjudicio, quòd non fit virtute verborum conversio, nisi adsit intentio, & intentio concors institutioni Christi, & intentioni Ecclesiæ; quia sicut dicit Hugo, omne Sacramentum irritum reputatur, si contra institutionem celebratur: intentio autem Ecclesiæ & instituentis est convertere ad usum fidelium; unde, cùm virtus verborum secundùm intentionem reguletur, ad tantam materiam se extendit, ad quantam potest sacerdos conjicere, quòd debeat & congruè sumi in usum fidelium: & per hoc patet, quòd sacerdos volens conficere totum panem de foro nihil facit.* Hæc D. Bonaventura, quibus accedit resolutio doctorum, qui aliàs consulti, an consecrasset Sacerdos, qui ductus ad patibulum, super panes in curru delatos verba consecrationis protulerat; responderunt, nec affirmando, nec negando, tales panes esse in usum pauperum convertendos; quod utique non fecissent, si constasset de vera consecratione illorum. Si dicatur, datam fuisse absolutam consecrandi potestatem Ecclesiæ: hoc verum est de illa quæ cedit in ædificationem, non in scandalum; unde quantitas illa consecrabilis, quæ ex se est indefinita, definiri debet ex intentione Ecclesiæ, & judicio prudentum.

CONCLUSIO SECUNDA.

MATERIA consecranda debet esse moraliter præsens, ita quòd designari ac demonstrari possit per particulam, *Hoc*: quanta autem debeat esse illa moralis propinquitas, attendendum est judicium prudentum; hoc tamen est certum apud omnes, quòd debeat esse in conspectu Ministri; Unde Sacerdos non potest consecrare quæ sunt à tergo, nisi habeat illa præ manibus, & illud æquivalet conspectui; potestque illa materia designari per pronomen, *Hoc*. Certum est etiam, vinum in dolio præsenti inclusum posse consecrari, dicitur enim de illo ut continetur in dolio vel amphorâ, *hoc vinum est bonum*; sicut & de pecuniâ inclusâ in crumenâ, *hac pecunia est mea*. Certum est tertiò, non requiri tactum; sufficit enim præsentia materiæ ad horum verborum veritatem, *Hoc est corpus meum*. Certum est quartò, non posse consecrari hostiam post parietem existentem, nec in tabernaculo, quia non videtur humano modo præsens. Certum est quintò, hostias contentas in cibario apposito super altari posse consecrari. Certum est denique; non fieri consecrationem si materia nondùm est præsens, quando verba inchoantur; quia non demonstratur per pronomen, *Hoc*.

Quòd si sacerdos supra altare detulerit plures hostias cum animo illas consecrandi, per inadvertentiam tamen aliquæ remanserint ad cornu altaris, ubi diaconus potuit illas deferre, videns ipsas non esse necessarias; Aliqui dicunt, tales consecratas censeri, si hoc factum sit inscio sacerdote; quia tunc sunt sufficienter præsentes, & sacerdos habuit intentionem non revocatam illas consecrandi. Alii tamen meliùs existimant; tales non esse consecratas; quia licèt voluerit talem materiam consecrare ab initio, non tamen voluisse censetur consecrare extra corporale, quia hoc est prohibitum, & probus sacerdos non censetur velle id quod prohibet Ecclesia. Unde dicendum est, non qualemcunque intentionem sufficere, sed cum hac restrictione, quòd materia habeat legitimam præsentiam, quæ non intervenit in hoc casu, ubi talis præsentia interdicitur ab ecclesiâ. Cum ergo, si interrogaretur ille sacerdos, an voluisset tali loco consecrare, absque dubio negaret, peccatum committere nolens, ideò probabile est, noluisse has consecrare hostias. Si tamen inter consecrandum attendisset ad illas, etiam ut distantes, & voluisset ad ipsas suam extendere intentionem, nulli dubium est, quin consecratæ essent.

CONCLUSIO TERTIA.

MATERIA debet esse determinata, quia intentio requiritur in ministro; & non est intentio sine cognitione, nec cognitio sine determinatione; nisi ergo determinetur materia in particulari, non fiet consecratio. Unde certum est primò, quòd ille qui ex decem hostiis vellet tantùm quatuor consecrare, non determinando quas vellet, nullam consecraret. Certum est secundò, quòd qui vellet unam partem vini aut panis consecrare, non determinando qualem partem, non consecraret, benè autem si determinaret illam aut illam partem; licet difficile esset partem consecratam à non consecratâ discernere, graviter tamen peccaret. Certum est tertio quòd qui tres hostias teneret, putans esse tantùm unam, quia simul junctæ sunt, omnes consecraret; præsumitur enim ex virtuali intentione

A quam habet, consecrandi quod tenet; deinde habent rationem unius: si haberet tamen intentionem explicitam consecrandi tantùm hostiam quam videt, aliæ duæ non essent consecratæ. Certum est tandem, quòd si Sacerdos multas ad altare tulerit hostias cum animo illas consecrandi, & dùm consecrat intendit consecrare eam quam habet præ manibus, non cogitando de aliis, omnes consecrat propter virtualem intentionem actu contrario non revocatam.

OBJICIES. Si sacerdos offerret sacrificium Missæ pro anima existente in purgatorio, quam non designaret in particulari, sed designationem remitteret ad electionem Dei, illam sublevaret à pœnis:
B ergo designatio alicujus hostiæ in particulari non est necessaria, sed remitti potest ad electionem Dei, contra id quod diximus anteà. Respondeo, negando paritatem, quia sufficit, ut absque designatione sacrificantis Deus concedat ex indulgentia sua sublevationem cuicunque voluerit: non sic autem de consecratione, ubi non est Deus qui consecrat, sed tantùm sacerdos, ubi solus Deus est, qui sublevat animam purgatorii. Ob hoc, quando quæritur, an sacerdos ex duabus hostiis volens consecrare unam indeterminatè, remittere valeat suam intentionem in Dei beneplacitum, sicut remittit celebrando pro uno defuncto: respondent communiter negativè, quia in sacrificio Missæ nulla sunt verba applicantia
C determinatè fructum sacrificii ad unam animam potiùs, quàm ad alteram; in consecratione autem reperitur pronomen *Hoc*, quod determinat materiam, & sic materiæ determinatæ debet correspondere intentio determinata consecrantis. An autem consecrans possit submittere voluntatem suam voluntati alterius, dicendo scilicet, se velle ex pluribus hostiis consecrare illam, quam elegerit alter: Respondet affirmativè Suares disput. 46. sect. 6. Nec eadem est ratio de submissione ad voluntatem Dei, quia non posset innotescere, qualis esset hostia consecrata, nisi per revelationem, quæ expectari non debet, attamen hoc non ignorandum est. Porro, ratio quare materia debet determinari per intentionem consecrantis fundatur in hoc axiomate, quæcunque
D sunt, hîc & nunc sunt: realis ergo operatio non est circa singulare, indefinitum & vagum, sed circa determinatum: ergo intentio, quæ est causa consecrationis, ferri debet circa materiam determinatam; unde omnes doctores aiunt, quòd si quis intenderet baptisare hominem in genere, non determinando, hunc vel illum, non baptisaret.

QUÆSTIO VII.

Utrùm necessariò debeant simul consecrari panis & vinum?

E HÆc questio non intelligitur de necessitate Sacramenti; si quis enim tantùm panem consecraret aut vinum, esset verum & perfectum Sacramentum, quia contineret corpus Christi & ipsius sanguinem; esset inquam perfectum in primariâ significatione, quia Christum præsentem significaret; non in secundariâ, quoniam significat secundariò refectionem quæ in corporalibus fieri solet ex potu & cibo: loquimur ergo de necessitate præcepti.

CONCLUSIO.

DE præcepto, tùm divino tùm etiam Ecclesiastico, debent consecrari simul panis & vi-

num. Primum conceditur ab omnibus, excepto Navarro & certis quibusdam: & ratio nostra est, quia de jure divino debet fieri sacrificium quotiescumque fit consecratio, ut patet ex his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, ubi Christus ostendit sacerdotem debere consecrare offerendo & offerre consecrando, secundùm Concil. Trident. sess. 22. c. 1. sed sacrificium non esset perfectum sine consecratione; ad sacrificium enim requiritur mactatio hostiæ, unde sicut Christus mactatus fuit in morte, & ipsius sanguis à corpore separatus; ita in Sacrificio Missæ fieri debet eadem separatio; unde vi verborum solum corpus est sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini, licet per concomitantiam corpus & sanguis sint sub utrâque specie: ergo non potest fieri consecratio ex solo pane. Secundum verò habetur ex jure Canonico cap. *Comperimus*, de Consecratione dist. 2. ubi habetur quòd conficiens sub unâ tantùm specie committat sacrilegium grave; non est autem peccatum nisi per violationem præcepti: ergo consecratio in pane & vino est necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici.

Objicies: Si Sacerdos non posset consecrare unam tantùm speciem, non posset etiam communicare in unicâ specie, sed potest hoc sicut & Laïcus: ergo & illud. Respondeo concedendo sequelam majoris, quia sacrificium non perficitur solâ oblatione, sed & consumptione; unde ut perfectum sit sacrificium, debet sumere utramque speciem: ad minorem verò dico, quòd Sacerdos non celebrans possit communicare sub una specie sicut Laïcus, & pro tunc Eucharistia est tantùm Sacramentum, non verò sacrificium. Unde ex dictis patet, quòd Sacerdos habens tantùm panem & non vinum, non debeat consecrare panem ad communicandum infirmum; tale enim præceptum tantùm obligat, quando est commoditas sine aliquo peccato. Si quis dicat, Christum consecrasse sub solâ specie panis in Castello Emmaüs; Respondendum est, quòd hoc potuit facere ex potestate excellentiæ, quæ non competit alteri à Christo. An autem summus Pontifex possit in hoc casu dispensare; alii hoc probabile tenent, sed meliùs alii negant.

An hoc Sacramentum consistat in usu. Hoc credunt hæretici, existimantes Eucharistiam in pane & vino consistere, accedente manducatione & potatione utriusque. Contrarium Respondeo cum Catholicis conformiter Concilio Tridentino sess. 13. Can. 4. *Si quis dixerit, peractâ consecratione, in admirabili Sacramento non esse corpus & sanguinem Christi, sed tantùm dum sumitur in usu; anathema sit.* Ratio est, quia eodem tempore datur Sacramentum Eucharistiæ, quo corpus & sanguis Christi existunt sub speciebus panis & vini; ex speciebus enim, quæ sunt visibiles, & ex corpore & sanguine Christi, quæ sunt invisibilia, resultat Sacramentum Eucharistiæ; sed eo instanti, quo prolata sunt verba sacerdotis super panem & vinum, ibi sub speciebus utriusque existit corpus Christi, quia verba sunt effectiva ejus quod significant: ergo hoc Sacramentum non dependet ab usu, imò est quid permanens. Hanc veritatem confirmat praxis veteris Ecclesiæ, quòd sicut & nostra Sacramentum hoc servabat, & aliis servandum porrigebat, ut testatur D. Cyprianus, qui Serm. de lapsis loquens de muliere, quæ Eucharistiam domi habebat in arca, ait; *cùm aperuisset arcam, ut sanctum domini indignis manibus sumeret, statim exiliente flammâ deterritam fuisse.* Ex quo patet, quòd præsens adsit Christus in hoc Sacramento, etiamsi nullus ipso utatur. Deinde, Basilius Epist. ad Cæsaream patritiam docet, solitos fuisse anachoretas Eucharistiam secum deferre in desertum ad suos usus. D. Ambrosius Orat. de obitu fratris sui cap. 12. laudat ipsum, quòd fractâ navi ligari fecisset divinum Sacramentum in orario, seu in stola, moxque se misisset in mare, unde evasit incolumis. D. Augustinus lib. 2. de visitatione infirmorum Cap. 4. dicit, esse salutare, quòd corpus Domini servetur in infirmorum gratiam. Quæ omnia sat convincunt, Eucharistiam habere esse permanens, & ante sumptionem esse verum Sacramentum. Si dicatur, Eucharistiam sine usu gratiam non conferre; non minùs sine sumptione est Sacramentum, quia non est ipsa sumptio quæ gratiam causat, sed Christus, mediante sumptione.

Quæstio VIII.

An aqua admixta vino convertatur immediatè in sanguinem?

Diximus quòd ex præcepto debeat admisceri aqua cum vino, saltem necessitate præcepti; an autem illa aqua convertatur in sanguinem immediatè, vel primò in vinum, & posteà in sanguinem: aliqui primum tenuerunt, dicentes, quòd si aqua admixta sit vino in tantâ quantitate, ut non sit conversa in vinum ante verba consecrationis, transsubstantietur immediatè in sanguinem per ipsa verba: alii contrarium probabilius tenent.

Conclusio.

Aqua non convertitur immediatè in sanguinem, quia materia hujus Sacramenti non est aqua, sed vinum, ut diximus; & sic aqua non est consecrabilis: unde debet infundi in calicem in quantitate ita modicâ, ut facilè ante consecrationem in vinum mutari possit; quod si non mutetur, ut potest accidere propter vini tenuitatem & nimiam aquam, pro tunc remanet aqua pura in calice. Ubi notandum est, quòd licet aqua non convertatur in vinum ante consecrationem; possit tamen converti in illud post illam, quia species consecratæ vini in quibus admixta est aqua, possunt tam diu remanere sine consumptione, quòd ipsa aqua per virtutem specierum vini desinat esse aqua & fiat vinum, quoniam in illis speciebus consecratis remanet virtus ad generandum vinum, ac si substantia vini adesset, Deo scilicet supplente aliquid ex parte specierum, sicut supplet reverà, quando ex speciebus corruptis vini acetum generatur, & ex speciebus panis generantur vermes: & sic non est dicendum, quòd post consecrationem aqua, quæ non potuit anteà converti in vinum, posteà convertatur in sanguinem Christi; quia verba consecratoria jam prolata sunt, & nil manet quod possit illam aquam transsubstantiare in sanguinem.

Objicies, Si aqua quæ ante consecrationem non mutatur in vinum remaneret aqua, totum illud quod est in calice non posset adorari. Respondeo, quòd adoratur tantùm illud quod est consecratum; unde nec musca adoraretur si incidisset in calicem. Si dicas, Ergo si remaneret aqua, Sacerdos hauriens sanguinem cum illâ aquâ non esset jejunus, & ideò non posset celebrare alias Missas in Nativitate Domini; Respondebitur, præsumi semper jejunum, quia aqua præsumitur conversa in vinum ante consecrationem. Si patres dicant, aquam simul cum vino in sanguinem Christi converti; non intendunt

propterea, quòd aqua in sanguinem convertatur immediatè; sed tantùm persuadere volunt, aquam misceri ab Ecclesia cum vino, quæ reverà in sanguinem convertitur, sed non immediatè, benè autem, quando est transmutata, non verò quando est solùm infusa. Ut ergo talis transmutatio fiat, non est admittendum præceptum Concilii Triburensis cap. 19. quod jubet tertiam partem aquæ esse miscendam vino consecrando; sed observanda est regula Eugenii 4. qui præcipit, aquam misceri in modicissima quantitate. Si dicatur, Christum magnam partem aquæ adhibuisse vino quod consecravit: hoc gratis allegatur quia illam non infudit ad potum vulgarem, sed ad instituendam Eucharistiam, unde in quantitate modica debuit adhibere, ad faciliorem conversionem. Demum, si dicatur, quòd aliqua grana hordei cum tritico admixta non impediant consecrationem, nec in triticum convertantur, sed in corpus Domini; sicque à pari, aquam non converti in vinum, sed in Christi sanguinem. Respondetur communiter, quòd per varias transmutationes quæ præcedunt antequam panis consecretur, illa grana hordei convertuntur in triticum, aliàs remanent in propria substantia, sicut aqua in calice. Quod si aqua ex vino mixto etiam consecrato possit extrahi, talis liquor extractus, ex D. Thoma, non est vera aqua, sed aqueus aliquis humor, qui ex solo vino etiam extraheretur, si aqua non esset admixta.

In hac quæstione, non tantùm diversè opinati sunt Catholici, sed etiam hæretici. Illorum enim aliqui, ut diximus in annotatione, quales sunt Præpositus, Coninck, & multi recentiores Societatis Jesu, tenent aquam vino mixtam, & qualitatibus vini imbutam semper in sanguinem converti, licèt priùs non fuerit conversa in vinum. Alii verò communiter, ut D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, Vasques, Valentia, & cæteri, docent aquam converti in sanguinem, sed non antequam convertatur in vinum. Quod confirmat catechismus Romanus, cap. de Eucharistia ff. 16. dicens, *Modicam aquam esse infundendam, quia Ecclesiastici scriptores judicant illam aquam in vinum converti.* Quæ videtur esse mens Concilii Tridentini Sess. 13. Can. 2. ubi definitum est, quòd *factâ conversione, remaneant tantùm species panis & vini:* Ergo non remanent species aquæ; nec proinde aqua in vinum non conversa convertitur in sanguinem, aliàs remanerent ipsius species, sicut remanent species vini consecrati: ergo ipsa substantia aquæ remanere censenda est. Quantùm ad hæreticos; aliqui existimarunt, vinum in sanguinem transmutari, & aquam in humorem quemdam aqueum, quem vulgo phlegma vocant, & de latere Christi emanasse asserunt. Hæc opinio vehementer arguitur ab Innocentio III. cap. *In quadam*, de celebratione missarum. Cùm enim Joannes dixerit, exiisse sanguinem & aquam, indubitanter id intelligendum est de vera aqua, sicut de vero sanguine, sive illa fuerit naturalis, sive miraculosa, ut vult Innocentius, existimans illam fuisse divinâ virtute productam. Adde quòd, etiam si fuisset phlegma & non aqua, verba consecrationis non habent vim transmutandi aquam calici infusam in tale phlegma. Alii opinati sunt, talem aquam, quæ admiscetur vino, transsubstantiari in veram aquam quæ de latere Christi egressa est: sed hoc facilè arguitur per rationem mox allatam, quòd scilicet verba consecrationis faciant tantùm id quod significant; cùm autem non significent aquam immixtam converti in aquam egressam de latere Christi, sed solum vinum transmutari in sanguinem ejus; ideo superest, ut rejiciantur tales hæretici.

QUÆSTIO IX.

Quænam sit forma Eucharistiæ?

LUTHERANI & Calvinistæ putarunt recitandam esse historiam Eucharisticæ institutionis, quæ sic incipit, *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, &c.* Differunt tamen Calvinistæ in eo quòd proferunt ea verba per modum concionis & instructionis, ut audientes habeant in memoria id quod fecit Christus; Lutherani verò proferunt per modum consecrationis, quia efficiunt id quod significant; sed in hoc conveniunt omnes, quòd, nec illi, nec isti velint, Sacramentum hoc habere formam determinatam; imò, verba, quæ adhibere solent Catholici, ad consecrandum, vocant incantationem & magicum murmur. Quantùm autem hæc à veritate distent, solummodò attendendum est ad communem omnium Theologorum mentem, qui unâ voce asserunt, omnia Sacramenta formas quasdam habere determinatas, quæ sine invalidatione Sacramenti mutari nequeunt substantialiter, ut ipsimet hæretici fateri coguntur de Baptismo. Hoc confirmat Augustinus pro omnibus Sacramentis in genere, dum Tract. 80. in Joannem ait, *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum*; per hoc insinuare volens, quòd ex elemento, tanquam materiâ, & verbis, tanquam formâ, Sacramentum resultet, ut habent concilia Florentinum & Tridentinum. Idem habet de hoc Sacramento in particulari lib. 2. contrà Faustum cap. 13. *Noster panis & calix certâ consecratione fit mysticus nobis.* Rationem hujus facti, saltem congruentiæ, adducit Scotus *in 4. dist. 8. quæst. 1. Congruum fuit, ut signum sensibile, sub quo Deus se nobis voluit dare, haberet ordinem ad verba aliqua ab aliquo ministro proferenda; quia aliter nesciremus, quando in tali signo esset Christus, & quando non, sicque periret reverentia & devotio huic Sacramento debita.*

CONCLUSIO PRIMA.

FORMA consecrationis panis sunt hæc verba: *Hoc est corpus meum.* Quoad particulam, *enim*, est tantùm ex institutione Petri, volentis conjungere hæc verba cum præcedentibus. Ratio est, quia talibus verbis usus est Christus, & per illa consecravit. Deinde, Illa verba sunt forma Eucharistiæ, quæ faciunt corpus Christi præsens in illâ: verba autem allata hoc faciunt; significant enim corpus Christi ibi esse præsens, & verba consecratoria faciunt id quod significant. Quoad ista verba antecedentia, *Qui pridiè quàm pateretur*, non sunt verba Christi, sed Apostolorum, quæ enuntiant, quomodo & quando consecraverit Christus. Quoad ista, *Accipite & manducate*, non sunt de essentiâ formæ, quia omittuntur à Lucâ; qui tamen ea omitteret, peccaret graviter. Quòd si Scotus in 4. *quæst. 2. n. 4.* dicere videatur, præter verba hæc, *Hoc est Corpus meum*, debere præmitti necessariò, *qui pridie quam pateretur*: per hoc non vult, ista verba esse essentialia formæ consecrationis; sed solùm intendit, quòd necessarium sit, sacerdotem loqui in persona Christi, dicendo, *Hoc est Corpus meum*; quod non innotescit, nisi per verba prædicta. Imò, hoc etiam non dicit assertivè & deffinitivè, quoniam doctores censent communiter, ad

hoc sufficere intentionem sacerdotis, non quidem in actu signato, quasi necessarium sit dicere in mente sua, Ego intendo loqui in persona Christi; sed tantùm in actu exercito, itaut, si ab illo quæratur, nomine cujus intendat dicere, *Hoc est Corpus meum*, respondere paratus sit, se loqui non prætendere de suo corpore proprio, sed de corpore Christi.

Hæc præallata veritas duo supponit; scilicet, quòd Christus verbis antecedentibus consecraverit, *Hoc est Corpus meum*, & quod nos ipsi talibus debeamus consecrare. Primò, his verbis consecravit Christus, *Hoc est Corpus meum*, ut patet ex communi omnium Ecclesiarum usu, quæ si aliqua verba antecedentia, vel subsequentia immutent, ista tamen servant inviolabiliter, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est calix Sanguinis mei*. Unde Tertullianus lib. 4. contrà Marcionem ait. *Panem acceptum Christus suum corpus fecit, dicendo, Hoc est Corpus meum.* Idem sentit Ambr. lib. de Mysteriis, cap. 9. dicens, *Sermone Christi hoc Sacramentum conficitur.* Licèt hoc admittatur communiter in Ecclesia, Catholicorum tamen aliqui existimant, Christum per potestatem excellentiæ consecrasse sine verbis, quod probabile judicat Innocentius III. lib. 4. de Mysteriis missæ cap. 6. quodque defendit Catharinus in opusculo de verbis consecrationis. Noster etiam à Capite-Fontium in eadem sententia existens, tenet Christum solâ benedictione consecrasse. Secundò, iisdem verbis, quibus consecravit Christus, nos ipsi consecramus etiam; nec ullæ preces superaddendæ sunt, tanquam necessariæ ad consecrationem; quod est contrà Græcorum recentiores, qui existimant verba ordinaria consecrationis non sufficere, nisi addantur quædam verba deprecatoria, quibus à Deo petatur conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, v. g. *Fiat hic panis corpus Christi, & hoc vinum Christi sanguis*; quæ, vel similia verba, in omnibus Græcorum liturgiis apponuntur post verba Christi dicentis, *Hoc est Corpus meum*. Quòd autem hoc sit falsum, patet ex ipsismet Græcis, qui, non expectatis aliis precibus, proponunt Sacramentum populo adorandum, statim ac sacerdos dixit, *Hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum*, ubi populus respondet, *Amen*, seu *verum est*: ex quo patet, quòd ipsi credant præsentiam realem corporis & sanguinis Christi antequam verba deprecatoria adjungantur, quod denotat, ipsa non esse de necessitate Sacramenti; nec per illa postulari, quòd panis & vinum fiant corpus Christi, sed ut panis, qui jam corpus Christi est, fiat accipientibus in salutem animæ & remissionem peccatorum. Unde notat optimè noster Guillelmus Herinck, quòd Græci interrogati à Latinis in Concilio Florentino, cur verbis Christi adderent suas deprecationes, responderunt, per verba Christi transmutari reverà panem in corpus ejus, sed insuper hoc addere ut Spiritus sanctus descendat super eos, & faciat in illis transmutationem cælestem, mediante tali pane consecrato.

Objicit Catharinus, panem transmutari in corpus, non quidem per verba Christi dicentis, *Hoc est Corpus meum*, sed per benedictionem præcedentem; quia talia verba denotant consecrationem jam anteà esse factam. Noster etiam à Capite-Fontium sustinet, quòd maledictio Dei & ejus benedictio semper habeant suam efficaciam, ut patet in serpente, qui maledictus à Deo mutatur in pejus; in muliere, quæ maledicta cum dolore parit; in Caino, qui fit profugus; & in ficu, quæ arescit: sicut vice versâ, benedicta Virgo Spiritu

A sancto impletur; benedictum genus humanum fœcundatur; & benedicti pisces & panes multiplicantur. Si ergo benedictio Dei sit efficax, inquit à Capite-Fontium, hoc arguit panem Eucharisticum transmutari ipsâ benedictione, & non prolatione verborum, quæ supponunt jam corpus Christi esse præsens, dum proferuntur. Unde, ipsemet Ambrosius lib. de Mysteriis cap. 9. expressè dicit, in hoc Sacramento benedictione naturam mutari. Resp. ad Catharinum, quòd gratis asserat, Christum ante istorum verborum prolationem. *Hoc est Corpus meum*, jam consecrasse panem, sive actu interno voluntatis, sive per quædam verba non publicè, sed secretò prolata, nec audita ab Apostolis. Ad hoc quod dicit, verba Christi dicentis, *Accipite, hoc*
B *est Corpus meum*, supponere consecrationem præcedentem; hoc negandum est, quia talis propositio non est speculativa, sed practica, quæ efficit id quod significat; unde ipsa non est vera, nisi postquam finita est, ut dicetur in objectione sequenti. Quantùm ad nostrum à Capite Fontium, ipsius opinio contradicit tum usui Ecclesiæ, tum Patribus, tum Theologis, qui omnes existimant, non benedictioni panis, sed verbis Christi attribuendam esse consecrationem, & supponunt hunc fuisse servatum ordinem in institutione Eucharistiæ. Quòd scilicet Christus primò acceperit panem, 2. gratias egerit Deo Patri, 3. panem benedixerit benedictione quæ consistebat in oratione præparatoriâ, 4. fregerit, 5. consecraverit; denique distribuerit. Ubi
C patet, fractionem præcessisse consecrationem, ità ut fractione factâ, verba consecrationis protulerit Christus super omnes simul partes; quas consecratas non immisit Christus in ora Apostolorum, sed eis ità tradidit, ut quisque propriis manibus suam partem acceperit; juxta quod Cyrillus Hierosolimitanus Catechesi 6. Mystagogicâ asserit, corpus Christi olim traditum fuisse in manus fidelium; unde Concil. Toletan. 1. cap. 14. sacrilegos vocat, qui acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserint. Usus tamen ille nunc apud nos desiit, ad vitandum periculum & irreverentiam; imò, nec perseverat panis fractio ante consecrationem, quia facilius est communicare per singulas hostias, quæ
D separatæ antequam consecrentur, æquipollent divisioni antiquæ.

Objicies, Si hæc verba, *Hoc est corpus meum*, efficiunt corpus Christi præsens; vel hoc efficiunt ut sunt vera, vel ut sunt falsa. Non ut sunt falsa; aliàs corpus Christi non esset præsens; non etiam ut sunt vera, quia sequeretur corpus Christi esse præsens antequam proferrentur verba; propositio enim vera, est ea quæ enuntiat objectum esse tale quale enuntiatur. Respondeo, hanc propositionem operari suum effectum in quantùm est vera, non quidem veritate antecedente verborum prolationem, sed veritate concomitante & immediatè se-
E quente talem prolationem: est enim hæc differentia inter propositionem speculativam & practicam, quòd prima supponat objectum esse tale antequam enuntietur, secunda verò faciat objectum tale: illa autem propositio, *Hoc est corpus meum*, est effectiva, non speculativa tantùm. Ex dictis patet, verba præallata requiri necessariò, & non debere in illis fieri mutationem substantialem; unde nil fit dicendo, *Hoc est corpus Christi*, quia illa verba non proferuntur in personâ Christi, quod requiritur. Nihil fit etiam dicendo, *Accipite hoc corpus meum*, quia hæc verba non denotant productionem corporis Christi, supponitur enim anteà productum esse. Nil fit etiam dicendo, *Hoc sit corpus meum*;

non denotatur enim productio. Nec valet dicendo, *Hic panis est corpus meum*, vel *hoc fit corpus meum*, vel *conficio corpus meum*; mutatur enim sensus formæ, quæ debet exprimi in facto esse, ut fecit Christus. Isti autem modi loquendi essent validi, *Hic cibus est corpus meum, istud est corpus meum, hic est corpus meum; hic est corpus meus, hic est corpum meus*: modo *Hic* non sumatur adverbialiter, sed loco pronominis; modò etiam istæ pronuntiationes incongruæ fiant solùm ex imperitiâ, & non ex pravâ intentione ministri.

Præter quatuor ista verba *Hoc est corpus meum*, Græci sustinent sequentia pertinere similiter ad essentiam consecrationis, nempe; *Quod pro vobis tradetur seu frangetur*, vel, ut Græci habent, *Quod pro vobis datur seu frangitur*. At hoc esse falsum constat, quia Matthæus & Marcus ea verba non habent, sed ipsa addiderunt Lucas & Paulus; nec credi potest, non consecrasse Ecclesiam, antequam Lucas scriberet. Quòd si consecraverit, certè concludendum est, ipsam usam fuisse illâ formâ, quam præscripserunt Matthæus & Marcus, & quam perpetuò retinuit Ecclesia Latina à D. Petro post Christum instituta. Idem existimant Græci de istis verbis sequentibus ad consecrationem calicis, *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; sed hoc ultimum, sicut & præcedens, sufficienter refutatur per hanc rationem, quòd illa sola verba sint essentialia consecrationi, quæ sufficienter designant præsentiam corporis & sanguinis Domini, quod fit reverà per ista verba, *Hoc est corpus meum*, & per ista, *Hic est calix sanguinis mei*. Superest ergo tantùm, ut dicamus, quem respectum habeant hæc verba; *frangetur* seu *tradetur*, & ista; *qui pro vobis effundetur*: ubi respondeo, quòd licèt ex Jansenio Gandavensi, & Maldonato videantur referri ad corpus Christi frangendum & tradendum in cruce, & ad sanguinem in eadem effundendum; attamen probabilius sit, ipsa verba referri ad passionem & crucem Christi, ita quòd sit sensus, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in cruce. Hic est sanguis meus, qui pro vobis in cruce effundetur*: non verò, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur in Sacramento*; nec, *hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur*. Ratio hujus est, quia eumdem respectum debent habere corpus ac sanguis; sed sanguis non propriè effusus est in Eucharistia: ergo utrumque debet referri ad corpus Christi tradendum in cruce, & sanguinem in ipsa effundendum. Quòd si Lucæ cap. 22. habeatur in præsenti, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*; ibi præsens sumitur pro futuro, quia jam inchoata erat passio Christi, saltem in mente Judæorum. Deinde versu sequenti addit Lucas in futuro, *Hic est calix, qui pro vobis fundetur*. Imò ipsemet Paulus 1. ad Corinth. 11. in futuro loquens, ait, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Porro, sicut diximus, validam fore consecrationem ab illo, qui diceret, *Hic cibus est corpus meum*, & similia; sic dicimus, quòd etiam valeret consecratio facta sub his verbis, *Hoc est caro mea*; quia, licèt in rigore sermonis, *caro* significet certam corporis partem, & *corpus* denotet compositum ex carne, nervis & ossibus, attamen *caro* tropicè sumpta denotat totum corpus: & sic in hoc conciliari possunt Doctores, quorum aliqui negant hanc formam esse validam, & alii affirmant, dicendo scilicet, quòd si hæc vox *caro* à consecrante intendatur sumi per Synedochen, pro toto scilicet, consecratio sit valida, secus verò, si sumatur tantùm pro parte. Primo modo loquendi utitur Cyprianus Serm. de cœna Domini. *Ex quo à Domino dictum est, Hæc est caro mea, & hic est sanguis meus, panis iste consecratur & calix.*

A

B

C

D

E

Conclusio Secunda.

HÆc sola verba, *Hic est calix sanguinis mei*, vel *hic est sanguis meus*, sunt forma respectu vini. Sic Scotus contra D. Thomam & aliquos, qui dicunt verba sequentia usque ad ista, *Hæc quotiescumque feceritis*, esse de essentiâ Sacramenti. Ratio nostra est, quia per verba sola præallata redditur sanguis præsens; verba enim consecrationis faciunt id quod significant; sed hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei*, significant sanguinem Christi esse præsentem: ergo in illis consistit præcisè forma. Quia tamen supra hoc est dissentio inter Theologos; ideò quando quis consecrat non debet habere intentionem cum solis primis verbis, vel cum omnibus necessariò, ne se exponat periculo: sed debet intendere consecrationem facere cum illis verbis quæ instituit Christus, sivè sint sola prima, sivè sint etiam sequentia. Nec dicat D. Thomas, hæc verba sequentia *Novi & æterni testamenti*, esse determinationes prædicati, ac proinde essentiales: licet enim per illas determinationes specificetur quòd sanguis qui est in calice sit idem ac ille qui effusus est; hoc tamen non est essentiale ad Eucharistiam, & sic cum solis primis potest fieri consecratio. Quòd si, dum proferuntur hæc omnia verba, teneatur calix præ manibus, hoc non importat, quòd sint de essentiâ Sacramenti; aliàs particula, *enim*, esset etiam de essentiâ; sed hoc fit ad majorem explicationem formæ præcedentis. Adde quòd in Ecclesiâ Græcâ fuerunt viri pietate insignes qui talia verba sequentia omiserunt.

Ex dictis constat, quòd si quis diceret, *Hic Calix est novum testamentum in meo sanguine*, ut Lucas & Paulus dixerunt, fieret consecratio; non enim mutatur sensus substantialis, sed idem est, ac si diceretur, *Hic est calix Christi, quo novum testamentum sancitum est*; qui tamen sic ageret, graviter peccaret contra usum Ecclesiæ & determinationes Conciliorum. Quando dicitur, *Hic est calix meus*, hoc est per metonymiam, ubi sumitur continens pro contento, ita ut sit sensus: *sanguis meus est in calice*. Porrò, notandum est, quòd perperam Dominicus Soto & alii recentiores Thomistæ velint justificare D. Thomam, quòd non censerit, omnia verba canonis esse de essentiâ hujus Sacramenti, sed tantùm de substantia & integritate ipsius, ita ut sine illis possit quidem Sacramentum confici, attamen, quando exprimuntur, concurrant verè ad consecrationem. Nam illa verba solùm concurrunt ad conversionem, quæ illam significant; sed alia verba, præter ista, *Hic est calix sanguinis mei*, non significant præsentiam sanguinis Christi: ergo nec sunt de essentia Sacramenti, nec de integritate, aut substantiâ ejus, nec concurrunt ad consecrationem. Unde, si in canone referantur & scribantur eodem ritu ac colore; ex hoc concludi non debet, quòd sint de essentiâ Sacramenti, aliàs *enim* esset particula essentialis; sed hoc significat tantùm, quòd sint de necessitate præcepti, & quòd graviter peccaret qui unum omitteret verbum. Quòd si dicatur, plura horum verborum fuisse dicta à Christo: non ex hoc resultat necessitas Sacramenti, multa enim fecit Christus quæ non præcepit facienda.

Quantùm ad usum Ecclesiæ Latinæ, quæ talia verba, non absolutè necessaria consecrationi calicis, retinet; non est improbandus, quia alia eorum

partim desumit ex evangelistis, alia ex traditione, & omnia vim & effectum hujus Sacramenti explicant. Dicitur enim primò, *Novi & æterni testamenti*; quia sanguis Christi est authenticum instrumentum veritatem confirmans sui testamenti in æternum duraturi, ad distinctionem veteris, quod ad tempus tantùm duravit. Dicitur postea, *mysterium fidei*; quia inter alia Sacramenta, istud maximè exigit fidem, quoniam, nec sensus, nec ratio, sed sola fides hoc arcanum apprehendere valet. Tandem dicitur, *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, ut denotetur generalis redemptio hominum in cruce facienda per Christi sanguinis effusionem.

Conclusio Tertia.

Verba sacerdotis proferuntur in personâ Christi, non tantùm recitativè, sed & effectivè. Et per pronomina *Hoc* & *Hic*, non significantur, nec panis, nec vinum, nec corpus, nec sanguis, nec species, sed significatur confusè contentum sub speciebus. Ratio primi est, quia si Sacerdos verba proferret in nomine suo, corpus Christi non esset, sed corpus Sacerdotis dicentis, *Hoc est corpus meum.* Ratio secundi est, quia si verba proferrentur tantùm recitativè, non efficerent corpus Christi esse sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini: ergo proferuntur, nedum significativè, sed insuper effectivè: significativè quidem, ut insinuetur quid fecerit Christus; effectivè verò, faciendo scilicet quod Christus ipse fecit, & transsubstantiando panem & vinum in corpus & sanguinem Christi. Ut autem hæc verba verè significent, sufficit quòd in fine prolationis verborum corpus & sanguis adsint. Quoad alias partes conclusionis; per *hoc*, non intelligitur panis, quia panis non est corpus Christi; non intelligitur etiam corpus Christi, quia hoc faceret hunc sensum, *Hoc corpus meum est corpus meum*: non etiam intelliguntur species, quia non est verum dicere, quòd species sint corpus Christi; remanet ergo quòd per pronomen, *Hoc*, designetur quod est confusè contentum sub speciebus; ita ut sit sensus, *quod continetur sub speciebus est corpus meum*, seu *hoc corpus est corpus meum*, sicut quando dicitur, *hic homo est Petrus*; & tunc non est propositio identica, quia procedit de magis confuso ad minus confusum. Notandum tamen est, quòd si particula, *Hoc*, supponat pro contento sub speciebus, vel pro corpore indeterminato, illud intelligendum est non pro eo tempore quo ipsa particula profertur, sed pro eo tempore quo omnia verba proferuntur; unde quando pronomen, *Hoc*, profertur, est particula vaga, quæ habet significationem suspensam, donec determinetur à prædicato, nempè *corpus meum*, & pro tunc vera esse incipit hæc propositio, *hoc corpus est corpus meum*; hæc est enim natura propositionum effectivarum.

Notandum est, ad clariorem explicationem eorum quæ diximus initio hujusce conclusionis, quòd dicere aliquid recitativè sive historialiter sit tantummodò illud referre, tanquam ab alio dictum, sine affirmatione vel negatione; ut quando asseritur, Aristotelem dixisse, mundum esse æternum, pro tunc affertur tantùm opinio Aristotelis, nec aliquid asseritur de propositione illa. Dicere verò aliquid significativè, vel assertivè, vel formaliter, est quando intendimus aliquid affirmare, vel negare; & in hoc est magna diversitas, quia ille, qui dicit aliquid recitativè, solùm recitat verba authoris, sive sint vera, sive sint falsa, proindeque semper verum dicit, modò author verba quæ recitat protulerit, etiam si sint falsa: qui verò dicit aliquid significativè, ut in tali dicto sit veritas, verba prolata debent esse conformia rebus, quas significant. Verba autem consecrationis proferuntur quidem recitativè, ut patet ex canone, in quo sacerdos recitat, Christum talia verba protulisse: sed insuper significativè etiam proferuntur, quia tali modo profert illa verba, ut nedum recitet Christum illa protulisse, sed sic se habet circa materiam consecrandam, quæ est præsens, ut de ea asserat, & significet esse corpus suum, idest, corpus Christi, in cujus personâ loquitur: ex quo resultat, quòd licèt eadem oratio non possit habere duplicem sensum significativum, potest tamen habere duplicem sensum, quorum unus erit recitativus, & alter significativus, seu effectivus, quando propositio est practica, ut in nostro proposito, ubi hæc verba, *hoc est corpus meum*, proferuntur recitativè, significativè, & effectivè. Recitativè inquam, quia proferuntur tanquam dicta à Christo; significativè, seu assertivè etiam, quia significant & asserunt corpus Christi esse præsens; & effectivè, quia nedum affirmant præsentiam corporis Christi, sed & illam efficiunt. Si sacerdos proferens verba consecrationis intenderet tantùm illa proferre recitativè, non consecraret, nisi adminùs intentio implicita adesset illa proferendi significativè. Qui verò intenderet illa proferre tantùm significativè & effectivè, tunc consecrationem faceret; quia ista sola est de essentia consecrationis. Quòd non repugnet, aliquid dici recitativè & significativè simul, patet ex hoc, quòd si quis in disputatione Respondens diceret, quòd Scotus v.g. hoc affirmet vel neget, intendendo cum Scoto negare, vel affirmare, tunc loqueretur recitativè & significativè. Quòd si Innocentius 3. lib. 4. de mysteriis missæ cap. 17. asserat, verba consecrationis proferri tantùm recitativè & non enuntiativè; loquitur ut doctor privatus, cujus opinio ab omnibus deseritur.

Quæstio X.

Quid importetur per singula verba consecrationis.

Ex dictis constat, sola ista verba, *hoc est corpus meum*, esse essentialia ad consecrationem panis; & sola ista, *hic est calix sanguinis mei*, vel, *hic est sanguis meus*, requiri essentialiter ad conversionem vini in sanguinem. Nemo enim dixerit, quòd particula, *enim*, sit de necessitate Sacramenti, quia non habetur in Scriptura, nisi apud solum Matthæum, qui eâ utitur in sola consecratione calicis, & non panis. Imò, talis conjunctio, *enim*, ponitur tantùm ad conjunctionem verborum subsequentium cum præcedentibus, & ut insinuaretur causa, cur Christus dixerit Apostolis suis, quòd acciperent & manducarent, quia scilicet id, quod illis porrigebat, erat corpus suum. Licèt autem talis particula non sit de necessitate Sacramenti, attamen est de necessitate præcepti; ita ut si quis illam omitteret voluntariè, graviter peccaret; quia estò res sit levis, nihilominus in materia gravi non potest absque gravi peccato omitti. Non desunt tamen qui credant, ob parvitatem materiæ, talem omissionem secluso scandalo & contemptu esse tantùm venialem; attamen potiùs crederem, esse semper peccatum mortale, quia non potest facilè contemptus abesse in tali omissione voluntaria, cùm nulla possit intervenire ratio, cur hæc particula omittatur. Hoc posito, hanc quæstionem proponimus propter hæreticos, qui realem

præsentiam corporis Christi negantes, diversimodè præcedentia verba exposuerunt; unde hîc videre non incongruum erit, quænam sit primò explicatio Catholicorum, & quænam fuerit hæreticorum corruptio.

CONCLUSIO PRIMA.

QUANTÙM ad primum, verbum consecrationis, nempe, *Hoc*; non absolutè rejicienda est opinio Maldonati, qui in cap. 26. Matthæi vult pronomen, *Hoc*, sumendum esse adjectivè, ita ut sit sensus, *Hoc corpus est corpus meum*; sicut in consecratione calicis, pronomen *hic* sumitur etiam adjectivè, & refertur ad calicem: & pro tunc, inquit præfatus author, licèt nondum sit corpus Christi, quando profertur pronomen *Hoc*, quod illud demonstrare videtur; sufficit tamen, quòd corpus Christi adsit in ultimo instanti, quo finita est oratio; quia pronomen demonstrativum in propositionibus practicis suspenditur, donec finita sit, & completa tota propositio. Licèt, inquam, hæc opinio absolutè non sit rejicienda, meliùs tamen est, juxta communem aliorum mentem, asserere pronomen *Hoc* sumi substantivè, ità ut, *Hoc est corpus meum*, idem sit, ac hæc res, seu *hoc ens est corpus meum*, ut usus loquendi communis habet. Cùm enim dicitur, hoc est lapis, idem est, ac si diceretur, hæc res est lapis. Quantùm ad secundam particulam, nempe, *est*, ipsa importat identitatem & convenientiam, quâ unum propriè est aliud; in communi enim modo loquendi taliter usurpatur significatio verbi substantivi, *sum, es, est*; ita ut dicere, Petrus est homo, sit affirmare, Petrum habere identitatem cum homine. Unde errant Zuinglius, Petrus Martyr, & Beza, dicentes, quòd, *est*, idem sit, ac *significat*. Imò Calvinus falsò imponit Catholicis, quòd per verbum, *est*, intelligant, *transsubstantiatur*; licèt enim ex illa particula, *est*, concludamus transsubstantiationem; usurpamus tamen illam particulam in sensu proprio, ita quòd intelligamus, id, quod dabatur à Christo Apostolis, esse verè corpus suum. Per hanc vocem, *corpus*, significatur compositum ex carne, nervis, & ossibus: & per *sanguinem*, liquor contentus in corpore humano; sic enim se habet modus loquendi usitatus: unde errant, qui dicunt, per talia verba intelligi corpus Christi mysticum, ut dicemus posteà. Tandem, cum additur, *meum*, intelligitur quòd porrigeret Christus corpus suum proprium, non verò panem simplicem, quem diceret esse corpus suum, quia ab illo creatus erat, quod fingunt hæretici.

HÆC verba, inquam, sic intellecta producunt in ultimo instanti suæ prolationis præsentiam corporis Christi; non quidem per virtutem quandam creatam & effectivam in illis existentem, quâ efficiant conversionem panis in corpus Christi, ut vult D. Thomas 3. p. q. 78. quam opinionem hausit à nostro Alensi 4. p. q. 34. Memb. 1. art. 2. sed per efficientiam moralem, ut tradunt D. Bonaventura & Scotus, & ut diximus aliàs loquentes de efficientiâ Sacramentorum in genere. Isti, inquam, doctores negant esse in verbis illis consecrantibus ullam virtutem physicam distinctam à se, quâ producant præsentiam Christi, sed tantùm illam efficiunt per assistentiam divinæ virtutis, quæ ex institutione divina decrevit, quòd quotiescumque cum debita intentione & præsentia materiæ dispositæ, à sacerdote proferrentur, efficeret Christum esse præsentem. Dicuntur tamen illa verba efficere corpus Christi præsens, non per virtutem aut qualitatem aliquam sibi datam, sed ex pacto, quod fecit Christus cum

A Apostolis, quòd necessitat ipsum Deum, ut infallibiliter ponat præsens corpus Christi sub speciebus panis & vini, quotiescumque ritè proferuntur. Licèt de virtute hac, saltem morali, verborum conveniant Catholici, remanere tamen potest difficultas, an verba consecrationis priùs naturâ significent, quàm efficiant; vel, utrùm priùs efficiant quàm significent: nam, si priùs naturâ significent, quàm efficiant, in illo priori instanti propositio erit falsa, quia significabit corpus Christi esse præsens, quod nondum erit. Si priùs verò efficiant, quàm significent, talia verba non erunt effectiva, quatenus significant; quod tamen censetur ab omnibus. Ad hanc difficultatem respondeo, quòd in eodem instanti temporis verba illa sint significativa & effectiva, quia simul tempore significant & efficiunt corpus Christi esse præsens; attamen prius naturâ significant quàm efficiunt, quia significatio est causa effectionis illorum, & ideo corpus Christi efficitur præsens sub speciebus, quia significatur præsens per verba; unde dicendum est, quòd, ut significatio sit vera, sufficiat si significatum adsit immediatè post significationem; quia talis est proprietas propositionum practicarum, licèt contrarium reperiatur in speculativis. Hîc notat Scotus, sacerdoti talibus difficultatibus logicis non esse immorandum, sed sufficere illi, si attendat, Deum ad prolationem suorum verborum facere corpus Christi præsens sub speciebus panis & vini.

B

C

CONCLUSIO SECUNDA.

HÆRETICI præsentiam corporis Christi arcere volentes ab Eucharistia, verba ipsius quæ nobis talem præsentiam comprobant, detorquere conantur ad diversas figuras, quodlibet illorum tropicè intelligendum esse contendentes. Quantùm ad particulam *Hoc*, vult Carolstadius intelligi adverbialiter, & non ex pronomine, quasi esset sensus, hîc residet corpus meum; quam explicationem asserit in lib. edito Basileæ anno 1524. se accepisse à Patre æterno, contra quem librum, alium inscripsit Lutherus contra cælestes Prophetas. Alii volunt, D per pronomen *Hoc*, intelligi totam actionem Christi instituentis hoc Sacramentum, quasi esset sensus, Hæc actio repræsentat corpus Christi. Alii contendunt hoc pronomen esse demonstrativum panis, idest, hic panis est corpus meum; primum est Buceri, & aliud Calvinistarum. Per particulam, *est*, Zuinglius lib. de vera & falsa religione cap. de Eucharistia, vult ipsam accipi debere pro *significat*: quam expositionem dicit se accepisse inter dormiendum à nescio quo, cujus coloris non meminit, an ater, an albus, ut ait in libro quem vocat subsidium de Eucharistiâ à se editum anno 1524. Hæc opinio non longè distat à mente Calvini. Alii E dixerunt, particulam *est* idem esse ac *dicitur*, per communicationem scilicet idiomatum, provenientem ex unione Sacramentali panis & corporis Christi; ita ut sit sensus, *iste panis dicitur corpus meum*, unde Boguinus quidam, author hujusce opinionis, tres assignat uniones, ex quibus communicatio idiomatum resultat; quarum prima est naturalis, ut unio animæ & corporis; secunda est hipostatica, scilicet Verbi Divini & hominis in Christo; & tertia est Sacramentalis, inter panem & corpus Christi. In hoc Lutherus qui admittit talem etiam communicationem, differt à Boguino, quod Lutherus ponat realem conjunctionem panis cum corpore, ex quo dicit oriri talem communicationem; Boguinus verò, qui ex secta Sacramen-

Sacramentariorum erat, ponit unionem tantùm Sacramentalem, in significatione consistentem, quâ res distantissimæ uniuntur, scilicet panis, qui in terra existens repræsentat corpus Christi in cœlo commorans. Quantùm ad particulam *corpus*, Oecolampadius putat, in hoc nomine esse Metonymiam, quâ nomen rei significatæ tribuitur signo; ita ut sit sensus, Hoc est *figura corporis mei*. Quod idem intendit Calvinus. Alii intelligunt per vocem *corpus*, corpus Christi mysticum, quod tamen esse non potest, ut verba sequentia testantur; additur enim, *quod pro vobis datur*; ubi corpus mysticum non datum est pro nobis, sed tantùm corpus verum. In consecratione etiam calicis dicitur: *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*; quæ verba intelligi non possunt de Ecclesia, quæ est corpus Christi mysticum, sed de vero sanguine ejus qui effusus est. Unde errant illi Calvinistæ, quos Cornelius Jansenius citat sine nomine in illa verba, *Nisi manducaveritis*, quos asserit sic vertere propositionem Christi, *Accipite & manducate, hoc est corpus meum*; in ista verba, *Accipite & manducate, quia vos discipuli, estis corpus meum, scilicet mysticum*. Denique, quantùm ad particulam, *meum*, Joannes Campanus Calvinista vult Christum asseruisse de pane, quem præ manibus habebat, & quem dixit esse corpus suum, quia ille panis erat corpus à Christo Deo factum & creatum.

Quantùm errent hæretici in illo generali dicto, quo asserunt Christum figuratè locutum fuisse in institutione hujusce sacramenti, patet; Primò ex hoc, quòd in importanti materia, qualis est institutio sacramentorum, requiratur propria & non figurata locutio, ut patet ex sacramentis legis antiquæ, qualia erant Circumcisio, Immolatio agni, & similia. Si enim tunc Deus fuisset locutus impropriè, maxima fuisset religionis perturbatio: Ergo ubi instituit sacramentum Eucharistiæ, quod præcepit fieri usque ad finem mundi, debuit profectò, ad tollendam incertitudinem, verbis propriis uti, non verò figurativis. Secundò, Christus hoc sacramentum nocte cœnæ instituens, simul condebat novum & æternum Testamentum, ut patet ex Matthæi 26. *Hic est sanguis meus novi Testamenti*; & Lucæ 22. *Hic est calix novum Testamentum in meo sanguine*; sed nihil tam indiget claris & perspicuis verbis, quàm testamentum, ne scilicet detur occasio litigandi de voluntate testatoris: ergo crimen esset dicere, quòd in verbis dedicatoriis novi & æterni testamenti nihil apertè, sincerè & simpliciter, sed tantùm tropicè & figuratè dixisset testator, nimirum Christus, qui ratione summæ sapientiæ & infiniti amoris, quo dilexerat suos in finem, debebat certè non præbere illis occasionem falsæ opinionis & perpetuæ idololatriæ ex obscuritate suorum verborum. Tertiò, præcepta & dogmata præcipua solent tradi propriis verbis, ubi tropi & figuræ adhibentur tantùm in prophetiis ad obscurandum, vel in laudationibus ad ornandum, vel in exhortationibus ad amplificandum; non verò in præceptis aut dogmatibus, quæ credi aut observari debent. Sed in institutione Eucharistiæ Christus tradidit summum aliquod dogma religionis Christianæ contentum sub his verbis, *Hoc est Corpus meum*, cui solemne præceptum subjunxit, dicens sacerdotibus in persona Apostolorum, *Hoc facite*: & fidelibus, *Accipite & manducate*: Ergo in tali occasione afferre non debuit figurata verba. Tandem patet, Christum non adhibuisse tropos, ex unanimi consensu Evangelistarum, qui eodem modo referunt Christi verba, *Hoc est Corpus meum*: ubi si Christus obscurè & figuratè voluisset intelligi, hoc illi explicuissent, ut patet ex usu ipsorum. Dum enim Joan. 2. Christus dixit, *Solvite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, protinus hoc Evangelista explicat, *ille autem dicebat de templo corporis sui*. Dum etiam cap. 7. dicit idem Christus, *Si quis sitit, veniat ad me & bibat*; hoc etiam exponit, *Hoc autem dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes*; nullam autem faciunt expositionem Evangelistæ super Christi verba: Ergo manifestè apparet, quòd illa non sint sumenda figuratè, sed propriè. Deinde, quando Christus in Scriptura aliquid figurativè intelligendum proponebat, talis locutionis expositionem postulabant Apostoli, ut patet Matthæi 13. *Edissere nobis hanc parabolam*; nihil autem quærunt super hac verba, *Accipite & manducate, hoc est Corpus meum*: Ergo signum est, quòd nihil nisi clarum, perspicuum, & prorsus intelligibile dixerit Christus Apostolis suis, qui erant rudes, & à quibus erat discessurus, quibus proindè in re tanti momenti taliter loqui debebat.

Quantùm denique ad singularem expositionem, quam ipsi hæretici afferunt super singula verba consecrationis; patet etiam, quòd maximè erraverint. Dum enim primò Carlostadius loco pronominis, *Hoc*, ponit adverbium, Hîc, quasi diceret Christus: *Hîc existit Corpus meum*; talis modus loquendi ridiculus videtur: quasi verò Apostoli non vidissent corpus Christi esse præsens tempore Cœnæ. Deinde, quoniam Christus ostendebat panem Apostolis, per pronomen *Hoc*, non potest intelligi actio quam faciebat. Nec tandem dici potest, quòd per verbum *hoc* intelligeretur panis; esset enim maximus error incongruitatis, cùm substantivum esset in masculino, & adjectivum in neutro genere. Dum secundò per verbum substantivum *est*, intelligunt *significat*, hoc est apertè contra communem usum loquendi, quo semper hoc verbum sumitur in propria significatione. Deinde, tropi non ponuntur in verbis, nisi quando non possunt sumi formaliter, ut quando dicuntur prata ridere; ibi ridere sumitur tropicè, quia propriè sumi nequit; unde alii hæretici Zuinglium & sectatores ejus rejicientes, asserunt tropum non debere apponi supra particulam *est*, sed super *corpus*; sicque dicunt, quòd in verbis Christi corpus sumatur pro figura ejus, quasi esset sensus, hoc est figura corporis mei. Sed quantùm errent tertiò hi hæretici, patet ex hoc, quòd, si panis Eucharisticus esset tantùm figura corporis Christi, extitissent in veteri lege nobiliores & expressiores figuræ corporis Christi, cujus contrarium videmus per cæremonias, & apparatum antecedentem & consequentem ad institutionem Sacramenti hujus, utpotè lotionem pedum, desiderium ingens peragendi mysterii, præparationem loci secreti, conjectos oculos in cœlum, applicationem verborum ad materiam separatam, benedictionem utriusque elementi, & alias cæremonias, quibus consideratis nullus remanebit ambigendi locus de verborum Christi veritate & proprietate. Ad alios qui dicunt, per vocem *corpus* intelligi corpus Christi mysticum; jam respondimus anteà, hoc videri falsum ex verbis sequentibus. Adde quòd, quando scriptura accipit corpus Christi impropriè, seu mysticè, pro Ecclesiâ, hoc explicat continuò, ut habetur ad Corinth. 1. *Adimpleo quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*: nullus autem Evangelistarum explicuit verba Christi consecrantis. Quare qui fingunt

Christum vocasse panem, quem habebat præ manibus, *Corpus meum*, quia panis ille ab ipso creatus fuerat, talis explicatio ita ridicula videtur ut nullâ refutatione indigeat. Et reverà talis expositio quam seriò defendit Campanus, inventa est per derisionem à Luthero contra Sacramentarios. Quòd si hæretici objiciant contra secundum particulam, quòd in Scriptura verbum, *est*, accipiatur pro significat, ut patet in his, *Semen est verbum Dei, Ioannes est Elias, Septem spicæ septem anni sunt:* Respondeo, ubi tropus est manifestus, ut in exemplis allatis, verbum, *est*, sumitur pro *significat*, non verò in dogmatibus religionis: unde Patres veteres increpabant antiquos hæreticos, qui divinitatem Christi agnoscere nolentes, reducebant ad tropos hæc verba Patris cœlestis, *Hic est Filius meus dilectus*, quæ ipsi Patres volebant intelligi propriè. Porrò si in consecratione omitteretur verbum *est*, nulla esset consecratio, quia hæc verba *Hoc Corpus meum*, nullum sensum haberent.

Quæstio XI.

Quinam hæretici realem Christi præsentiam negaverint?

Quia in sequenti quæstione dicturi sumus, corpus & sanguinem Christi verè & realiter existere in venerando Eucharistiæ sacramento; quam veritatem evertere semper conati sunt tot hæretici, ut ferè numerari non possint; ideo, antequam hoc dogma probemus, haud ingratum videbitur, si, non quidem omnes, sed præcipuos hujus veritatis adversarios recensere valeamus. Ante ipsammet institutionem, Capharnaitæ Christo hoc sacramentum promittenti sub his verbis, *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, Joan. 6. credere noluerunt, dicentes ibidem: *Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Inter istos erat Judas ex Augustino tract. 27. in Joann. & Chrysostomo homil. 46. in Joan. Sicque princeps Sacramentariorum fuit ille, qui posteà ducem se constituit illorum, qui Christum comprehenderunt. Unde Joan. 6. dixit Jesus *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt*, id est, Eucharistiam. Post institutionem defecerunt similiter Corinth. ex 1. ad Cor. 11. *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo, nam oportet & hæreses esse.* Et posteà reprehendit eos Apostolus, quòd Eucharistiam, quasi communem cibum sumerent. Alii existimant, Simonianos & Menandrianos pauco post tempore fuisse in errore eodem, teste Ignatio in Epist. ad Smyrnenses, *Eucharistias & oblationes non admittunt, eo quòd non confiteantur Eucharistiam esse carnem Christi.* Sed respondet Bellarminus, istos non tam negasse præsentiam Christi in Eucharistia, quàm Incarnationem ejus; ita quòd negarent Eucharistiam esse carnem Domini, quia nolebant concedere quòd Dominus carnem haberet. Quidquid sit de illis præcedentibus hæreticis, nil communius, quàm multiplicitas illorum, qui Deum incarnatum credentes, Christum in Eucharistia existentem negaverunt. Istos referet, quantùm patietur brevitas,

Conclusio.

Primi qui realem & substantialem præsentiam corporis Christi in Eucharistia negaverunt, fuerunt Iconomachi circa Annum 710. Isti enim, ut habetur in 7. Synodo actione 6. tomo 3. dicebant,

A ut alias destruerent imagines, unicam esse imaginem Christi, nimirum panem & vinum, quæ instituta sunt à Christo, ut suum corpus & sanguinem repræsentarent. Secundò, circa annum 800. Joannes Scotus Doctore subtili antiquior, tempore Caroli Magni, librum quendam scripsit de Eucharistia, ubi dubiè loquens de reali Christi præsentia in hoc sacramento, propterea condemnatus est in Concil. Vercellensi, ut habet Lanfrancus in libro, quem composuit de veritate corporis Domini in Eucharistia. *Tertiò*, Bertramus circiter annum 896. adduxit in controversiam, an corpus Christi, quod de Virgine natum erat, esset verè præsens in Eucharistia; sed ipsum perbellè confutavit Abbas Corbeiensis Paschasius, qui eodem degebat tempore. Berengarius *quartò*, Archidiaconus Andegavensis circa annum 1050. primus
B fuit, qui apertè defenderit & propagare studuerit hunc errorem; sed ipsum tres insignis famæ Scriptores cum Paschasio refutarunt, nimirum Lanfrancus, Guirmundus, & Algerus; quorum primus, ex Petro Cluniacensi lib. de sacrificio, scripsit contra hæresim Berengarii, benè, plenè, perfectè; secundus meliùs, pleniùs, perfectiùs; tertius optimè, plenissimè & perfectissimè. *Quintò*, Petrobusiani orti à quodam Petro Bruis circa annum 1146. asserebant quidem, in ultima cœna corpus Christi fuisse verè datum Apostolis sub panis specie, sed posteà nunquam fuisse præsens in Eu-
C charistia. Hæreticus iste refutatus fuit à Petro Cluniacensi in tractatu de sacrificio Missæ. *Sextò*, Albigenses circa annum 1208. teste Antonino Parte 4. titulo 11. cap. 7. negabant Eucharistiam esse corpus Domini, sicut Flagellantes sæculo sequenti, & Joannes Vvicleffus circa annum 1370. qui apertè docuit, non esse corpus Domini in Eucharistia, nisi ut in signo; sicut habetur ex lib. 4. Trialogi cap. 2. Error iste ab Anglia delatus in Bohemiam, totum regnum infecit. Contra ipsum acriter scripsit Thomas Vualdensis tomo 2. de sacramentis. Tandem errorem hunc renovavit sæculo præcedenti Andræas Carlostadius Archidiaconus Vvittembergensis, qui primus Sacramentariorum author dictus est, & quem
D secutus est Calvinus, asserens Christum non esse, nisi sacramentaliter, significativè, figurativè, & tropicè, in Eucharistia.

Quantùm enim ad Lutherum, qui fuit primus Carlostadii magister, licèt semina hujus erroris jecerit, attamen nusquam hanc docuit hæresim; imò ipsi restitit acerrimè: unde in epist. ad Argentinenses asserit, se valde propensum fuisse in eam sententiam, quæ in Eucharistia nil præter panem agnoscit, & conatum totis viribus hoc asserere, sed non potuisse satisfacere Scripturis, quæ contra objiciebantur: unde, cùm ex una parte Scripturarum pondere premeretur ad fatendam realem Christi præsentiam in Eucharistia, & ex alia contradicere vellet Romano summo Pontifici, negavit Euchari-
E stiam esse adorandam, revocavit in dubium, an anima & divinitas essent cum corpore Christi in hoc sacramento, transsubstantiationemque negans, impanationem admisit; asserendo corpus Christi esse præsens in pane, & cum pane, non verò panem esse realiter transmutatum in corpus & sanguinem ejus. Tanto, inquam, odio percitus erat in summum Pontificem, ut eò furoris erga ipsum devenerit, quòd nullatenus curarit, quam opinionem amplecteretur, modò displiceret Papæ. Unde lib. quem composuit de Cœna, dicit se totis viribus fuisse conatum tollere à cœna realem Christi præsentiam, prævidens quòd hoc ægerrimè ferret Pontifex; sed

cùm non posset plurimis & evidentibus Scripturæ textibus resistere, asserit se negasse Transsubstantiationem, nè cum illo conveniret. Libro etiam de captivitate Babylonica, sic de se ipso ait: *Si Pontifex, aut Concilium præciperent communionem sub utrâque specie, dicerem protinus, unam esse sufficientem; & vice versâ, si asserant, unam sufficere, totis viribus utramque sumendam esse clamabo.* Eundem odii & furoris animum manifestè declarat in religionem Catholicam, & contra Carlostadium, qui suas partes abjecerat, ut sese in Sacramentariorum authorem erigeret; in sua enim magna confessione dicit, *Cùm noluerim transsubstantiationem fateri, ut contradicam Papæ, quem plusquàm diabolum odio prosequor; cùm neque etiam simplicem figuram voluerim introducere, nè gratus sim Carlostadio, qui* B *mihi plus est execrationi, quàm diaboli centum, ubiquitatem & impanationem adinveni; licèt admitti valeat utrumque: modò repugnetur Papæ & Carlostadio, satis est.*

Carlostadius Vvittembergensis Archidiaconus ac primarius Lutheri discipulus, ut diximus anteà, sectam Sacramentariorum instituit; & ipsum secutus est Zuinglius Tigurinus Pastor, qui cùm aliquo tempore docuisset Lutheri hæresim, asserendo esse corpus Christi, sed cùm pane, tandem retractavit sententiam suam, asserens corpus Domini non esse in sacramento, nisi ut in signo. Joannes Oecolampadius ex monasterio Birgitano apostata factus, comes fuit Zuinglii, qui Zuinglius suam hæresim ad Helvetios transtulit: & Oeco- C lampadii pedibus incesserunt permulti horum omnium discipuli, inter quos fuerunt Bulingerus successor Zuinglii, qui pro illo scripsit apologiam contra Lutheranos; Bernardinus Ochinus, Petrus Martyr, & similes. Contra hos omnes Sacramentarios declamat Lutherus, ipsos excommunicationis gladio percutit, nulloque modo voluit reconciliari, nec communionem habere cum illis. Immò lib. de defensione verborum Cœnæ ait: *Nos hodie expugnat diabolus phantasticorum blasphemiis, dicentium nihil esse in cœna, præter panem & vinum, in memoriam Christi. Contrarium sufficienter ostendi vobis, ut quisque ab hisce diaboli phantasmatibus* D *caveret: nec credere possim, hanc hæresim longius esse duraturam, cùm crassissima sit & effrenata nimium.* Pauló post de iisdem Sacramentariis loquens subjungit: *Sancticuli isti modò nos idololatras nuncupant, nobis esse Deum dicentes ex farina & vino compactum; & modò addunt nostram disputationem exigui esse momenti, sicque reconciliationem esse inter utrosque ineundam. Sed in æternum maledicta sit talis concordia, quæ dilacerat Ecclesiam, nosque reddit diaboli ludibrium. Si quis aliter credat quàm verba ista enuntiant, Deum mendacem facit, Christum trucidat, & decipit populum.* Tandem, alio in loco ejusdem operis contra Calvinum invehens, qui Sacramentariorum hæresim secutus est, ipsum appellat E phreneticum, phantasticum, tropistam, ignarum, lunaticum, hæreticum, diabolum, centumque diabolis pejorem, qui hoc negare attentaverit, quod Christus dixit clarè & perspicuè.

Dum prædictæ hæreses Bohemiam devastarent & Germaniam Galliæ Reges, qui semper fidem & religionem integerrimâ conservarunt ab eo tempore, quo Clodoveus D. Remigii Rhemensis Archiepiscopi ministerio illam acceperat à Deo, omnimodam adhibuerunt diligentiam, nè suum imperium hac peste infensissimâ macularetur; at, Deo permittente, Joannes Calvinus diaboli fuit instrumentum, quo pestilentissima ista lues Gallos infecit. Pastor A curatus erat cujusdam parœciæ propè Novlodunum in Picardia, acer quidem ingenio, sed ità depravatus moribus, ut ad ignem damnatus fuisset, si intercedente suo Episcopo mentem non retractasset magistratus, ipsum addicens lilio candenti & exilio perpetuo. Patriam ergo suam deserens, sese ad Sacramentarios contulit, quorum hæresim professus, libellos cœpit prodere circiter Annum 1535. & posteà intrusus in civitatem Genebensem, exinde suam perversam doctrinam in regnum Galliæ diffudit; ubi hæreticum illud dogma nullus profiteri ausus fuerat, præter lanificium quemdam, Petrum Clericum nominatum, in civitate Meldensi commorantem. Calvinus edidit primò suas Institutiones Anno 1536. quas auxit posteà anno 1539. & ipsas denique, mutatâ formâ, quatuor libris comprehensas iterum commisit prælo. Publicavit etiam librum de Cœna Domini idiomate gallico, in quo apertè & nominatim reprehendit tum Lutherum, tum Zuinglium; licèt sua sententia à Zuingliana nullo modo, aut saltem parum differret. Porro notat Bellarminus, quòd ex industria Calvinus proponat suam sententiam obscurè, ut aliquid mysterii continere videatur. Dicens *primò*, symbola cœnæ, nimirum panem & vinum, esse tantùm in terra, & corpus Christi esse tantùm in cœlo; sicque toto hoc intervallo unum ab alio distare. Docet *secundò*, symbola prædicta, & corpus Christi, licèt inter se plurimùm distent loco, conjungi tamen, non tantùm in ratione signi, quia unum est signum alterius, sed etiam quâdam reali conjunctione, in quantùm hoc signo Deus nobis exhibet ipsum Christi corpus & sanguinem, quo animæ nostræ aluntur in æternum. Unde in cap. 26. Matthæi ait: *Verè in cœna datur nobis corpus Christi, ut sit animis nostris in cibum salutarem...... Non ergo vacuum & inane signum nobis proponitur, sed verè carnis & sanguinis Domini fiunt participes, qui fide promissionem hanc recipiunt.* Ob hoc lib. de Cœna Domini cap. 2. affirmat, Christum nobis in Cœna, veram propriamque carnis & sanguinis sui donare substantiam. Unde hoc sensu dicere non dubitat Beza, unus ex discipulis Calvini, quòd hæ Lutheranorum propositiones admitti possint, Corpus Christi est in pane, vel cum pane, vel juxta panem. Non quòd ad nos descendat corpus Christi, inquit *tertiò* Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 17. ff. 12. sed quia ex Christi carne per spiritum ejus ad nos derivatur vis quædam substantialis, quæ nutrit & alit animas nostras. Quomodò autem fieri possit, docet *quartò* hoc non posse ingenio, sed solâ fide apprehendi, quomodò fiat ista conjunctio rerum tam distantium; unde ipsemet dicit lib. 4. Institutionum cap. 17. ff. 32. *De modo si quis me interroget, fateri non pudebit sublimius esse arcanum, quàm ut meo ingenio comprehendi, aut verbis enarrari queat.* Docet *quintò*, improbos non percipere corpus Christi, licèt symbola percipiant lib. 4. Institutionum cap. 17. ff. 33. & 34. *Tandem* eodem cap. ff. 2. insinuat, hoc Sacramentum Eucharistiæ non dare corpus Christi, aut fidem, illis qui eam non habent, sed tantùm testari quòd habeant, & illud confirmare.

Quæstio XII.

An corpus Christi sit in Eucharistia?

Prælibatis in quæstione præcedenti hæreticorum erroribus, explicandum venit, quid sit credendum à Catholicis, circa tremendum & in-

effabile Eucharistiæ Sacramentum; At hoc clariùs & distinctiùs haberi non potest, quàm ex Concilio Tridentino, quòd contra Lutheranos & Calvinistas congregatum, sessione 13. celebratâ 11. Octobris sub Paulo III. Pontifice Maximo anno 1551. primo capite sui decreti hoc expressis verbis habet: *Principio docet sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento post panis & vini consecrationem Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Id est, sub specie panis & vini, quæ sunt signa sensibilia, continentia invisibiliter corpus & sanguinem Christi. Hujus miraculi rationem reddens Concilium, subjungit: *Nec enim inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit.* Mox etiam Patres hujus celeberrimæ Synodi suæ fidei antiquitatem promere cupientes addunt; *Ita enim majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, professi sunt apertissimè.*

Singulis hujus decreti verbis damnantur apertè hæretici, ut cuilibet examinanti patebit. Si enim primò definiat Concilium, Christum esse præsentem in virtute consecrationis, per hoc damnantur Lutherani Ubiquistæ, qui ante consecrationem ipsum esse ubique præsentem volunt, nec adesse in Sacramento vi verborum, sed vi omnipræsentiæ corporis Christi, ubique præsentis eo instanti, quo unitum est Verbo D. *Secundò*, dum docet Concilium, totum Christum Deum & hominem esse in Sacramento, refutatur Lutherus, qui lib. de Eucharistia ad Vvaldenses dubitat, an anima sit ibi & divinitas cum corpore. Tertiò, Concilium dicens, Christum esse verè in Sacramento, rejicit omnes Sacramentarios volentes esse tantùm in illo, ut in signo & figura. *Quartò*, definiendo, quòd adsit realiter, destruitur figmentum Calvini existimantis non adesse Christum, nisi in quantùm apprehenditur fide. *Quintò*, addendo substantialiter, hoc tollit opinionem Calvinistarum, qui volunt quidem Christum esse tantùm in cœlo, quoad substantiam; sed aliqualem virtutem diffundere in nobis, quâ confortantur animæ nostræ, modò credant Christum esse præsentem sub symbolis cœnæ, aliàs non, ut diximus. *Sextò* denique, quando assignatur corpus Domini sub speciebus panis & vini, hoc explicat modum, quo Christus existit in Eucharistia; non quidem ut in loco, aut in vase, aut sub velo, sed eo modo quo substantia panis substabat accidentibus, eo dempto, quod accidentia miraculosè per se subsistant, nec inhæreant corpori Christi, quod, cùm sit indivisibiliter in Sacramento, nullius accidentis est capax. Conformiter ergo ad hanc Concilium Oecumenici determinationem, quæ nostræ fidei est regula, sequitur nostra.

CONCLUSIO.

CORPUS Christi verè & realiter est in Eucharistia. Quod idem dicendum de sanguine ejus. Cùm enim corpus Christi à mortuis resurgens jam non moriatur, ubicumque est, ibi vivum est: ergo conjungitur cum sanguine in Sacramento. Hæc conclusio tribus maximè argumentis probabitur, nimirum ex figuris antecedentibus, ex contextibus Scripturæ, & ex Patribus Ecclesiæ, qui ante hujus

A litis ortum floruerunt: Nam, etsi Novatores nostri contemnere soleant Patres, cùm sibi adversari non dubitent; aliquid tamen eorum authoritati tribuunt in hac materia: unde Calvinus in ultima admonitione ad Vvestphalum clamat, vetustos omnes scriptores, qui primis quinque sæculis Ecclesiæ vixerunt, sibi patrocinari. Sic Petrus Martyr in præfatione suæ defensionis contra Gardinerum ad reginam Angliæ jactitat, se veterum Patrum Græcorum & Latinorum deffendere sententiam de Eucharistia.

PRIMÒ ergo probatur veritas nostræ conclusionis ex figuris aliquibus veteris Testamenti, quæ nobis adumbrarunt veritatem Eucharistiæ instituendæ

B in lege nova; præsertim ex Manna & Agno paschali. Figura enim est ignobilior re figuratâ; sed si panis Eucharisticus esset solùm panis, & non corpus Domini, figura esset nobilior: ergo Eucharistia debet esse, non nudus panis, sed Christi corpus realiter & substantialiter. Tria probanda sunt, ut suam vim habeat argumentum istud: videlicet quòd figuræ præstet veritati: Deinde, quòd manna & agnus paschalis præfiguraverint Eucharistiam. Tertiò denique, quòd in sua entitate essent quid nobilius Eucharistiâ, si in illa non contineretur Christus. Quod *primò* ignobilior sit figura veritate, ex se patet, quia per veritatem perficitur figura, & ipsa figura ad veritatem ordinatur: quod autem est propter

C aliud, ignobilius est illo, unde Paulus ad Colloss. 2. comparat figuras veteris Testamenti umbris, & impletionem corpori: & Hieronymus in cap. 2. ad Titum dicit, Tantùm interest inter panes propositionis & corpus Christi, quantùm inter umbram & corpora. Quòd *secundò* manna sit figura Eucharistiæ, sicut & Agnus Paschalis; primum habetur ex Augustino in cap. 6. Joannis, Ambrosio lib. 5. de Sacramentis cap. 1. Cyrillo, Chrysostomo, & aliis; sicut habetur apertè Joannis 6. ubi Eucharistiæ opponitur Manna, tanquam figurato figura: *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt; qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Nec desunt rationes similitudinis inter utrumque; quarum

D præcipua est, quòd sicut Manna fuit datum Israëlitis in deserto tanquam viaticum, ut tenderent in terram promissionis postquam transierant mare rubrum; sic ex Augustino Tract. 11. in Joannem Eucharistia datur Christianis in deserto hujus vitæ, ad hoc ut pergant ad cœlum nobis promissum. Quantùm etiam ad Agnum Paschalem, ipsum figurasse Eucharistiam, probant Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 40. Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ, Hieronymus in cap. 26. Matthæi, & cum cæteris Augustinus lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 37. dicens: *Aliud est pascha, quod Iudæi de ove celebrant, aliud quod nos in sanguine Domini accipimus.* Unde, si Christus citò post manducatio-

E nem Agni Paschalis instituerit Eucharistiam, hoc ideò fecit, ut indicaret veritatem ad implevisse figuram, ut docet D. Leo Serm. 7. de Passione Domini. Quòd *denique*, tùm Manna, tùm Agnus forent nobiliores pane Eucharistico, si non contineret corpus Christi sub speciebus suis; patet primò de Manna, quòd erat multum perfectius, cùm fieret miraculosè ministerio Angelorum, haberet omnem saporem, sapiendo cuilibet quod desiderabat, nec magis nutriret sub majori, quàm sub minori quantitate, quæ dici nequeunt de pane Eucharistico, si remaneat panis naturalis corpus Christi non continens. Patet etiam secundò de Agno Paschali, qui erat animal vivum, meliùs carnem Christi exprimebat, aptiùs repræsentabat illius Innocentiam, &

perfectiùs referebat effectum spiritualem Eucharistiæ, qui est nutritio, magis conveniens carni ovinæ, quàm pani solitario. Ex his ergo omnibus patet, in Eucharistia contineri realiter & substantialiter corpus Christi; aliàs, vel figuratum non esset perfectius figurâ, vel Agnus & Manna non essent figura Eucharistiæ, vel denique Manna & Agnus Paschalis entitativè sumpta non præstarent pani Eucharistico, ut panis est.

PROBATUR secundò eadem veritas nostra ex textibus sacræ Scripturæ, præsertim ex Joannis 6. ubi Christus promittit se daturum suum corpus in cibum, & suum sanguinem in potum. *Panis quem ego dabo caro mea est.* Et posteà: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in nobis.* Ex 1. etiam ad Cor. 11. ubi Christus adimplere volens id quod ante promiserat, postquam panem accepit, gratias egit, & benedixit, ait Apostolis: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum*: ubi ad tollendum omnem æquivocationis prætextum, Christus expresè subjungit in porrectione corporis: *Quod pro vobis tradetur*: & in traditione sanguinis: *Qui pro vobis effundetur.* Hoc ergo non explicent adversarii de figura corporis Christi.

Primò, quia Calvinus dicit Scripturam esse ita intelligibilem, ut explicari non debeat. Cùm ergo Christus dicat, *Hoc est corpus meum*, quomodo hoc explicat Calvinus de figura? Secundò, quia Christus hoc dixit cùm esset moriturus: ergo debebat perspicuè loqui, & non uti figuris, ut ipse promisit Joan. 12. *Venit hora cùm jam non in proverbiis loquar vobis.* Tertiò, quia Eucharistiæ institutio erat testamentum Christi, vel saltem confirmatio sui testamenti, ut habetur Lucæ 22. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*, sed testamentum debet fieri verbis perspicuis; & clausulæ ejus debent sumi ad litteram, ut habet Paulus ad Galatas dicens, *Nemo superordinet testamento hominis*, id est, glossam non imponat; maxima ergo temeritas est Calvino, dum præsumit explicare testamentum Christi. Quartò, quia si testator legasset alicui amico suam domum, nonne esset ridiculum, si executor testamenti prætenderet testatorem voluisse tantùm legare figuram suæ domûs? Quintò, quia si Eucharistia esset tantùm figura corporis Christi, nihil haberet Eucharistia supra manna, quod fuit certè figura corporis Christi. Sextò, quia si Christus voluisset tantùm loqui de figurâ corporis sui, videns Capharnaïtas sese scandalizare ex suis dictis, debuisset, ad tollendum scandalum, explicare suam mentem, & dicere, se daturum non corpus suum realiter, sed figuram corporis sui: & per talem explicationem, Capharnaïtæ rediissent ad Christum, à quo per prima verba recesserant; attamen ex Scripturâ patet, quòd Christus non explicuerit suum dictum, immò illud per juramentum confirmavit, subjungens: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Septimò, quia non est recurrendum ad figuras, ubi nulla est repugnantia; non autem repugnat, quòd Christus dederit realiter suum corpus. Octavò, quia leges à prudentibus & sapientibus latæ debent ferri per verba clara, nè quis ex verborum ambiguitate legem violet, Christus autem Sacramentum instituens legem tulit, dicens Apostolis, *Hoc facite.* Nonò, quia rex verax & probus qui seriò promisisset pecuniam & daret tantùm figuram ejus, illuderet: sed Christus, qui est rex regum & veritas ipsamet, seriò promisit carnem suam, Joan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est*: ergo si daret solum panem, qui esset figura carnis suæ, illuderet Ecclesiam. Decimò, quia Christus egisset indignè cum Ecclesiâ, quam vocat suam sponsam, si reliquisset illam in errore per spatium quindecim sæculorum & ultra, usque scilicet ad tempus Calvini, & hoc ex occasione suorum verborum, quæ Ecclesia Romana nudè & litteraliter & sine ullâ explicatione voluit credere, tanquam sponsa fidelissima, verbis sui sponsi.

PROBATUR tertiò ex Patrum testimoniis, non quidem simplicibus, in quibus Patres dicunt simpliciter, Christum esse in sacramento; tùm quia de facili videri possunt apud Bellarminum lib. 2. de Eucharistia cap. 1. & sequentibus, ubi successivè recenset Patres cujuscunque sæculi; tùm quia falsis quibusdam interpretationibus testimonia illa simplicia Patrum eludi solent communiter ab adversariis. Novâ ergo quâdam methodo adhibere prætendimus illa testimonia Patrum, quæ vocantur argumentosa ab Alano lib. 1. de Eucharistia cap. 23. quibus scilicet pravæ Novatorum interpretationes rejiciuntur, proindeque erunt validissimum argumentorum genus ad confundendum hæreticos. Dum v. g. *primò* hæretici respondentes ad verba Christi dicentis, *Hoc est Corpus meum*, dicunt, hæc verba intelligi de figura corporis ejus; adducendi sunt Patres, qui formaliter excludunt figuram, ut Damascenus lib. 4. cap. 14. *Non est figura panis & vinum, absit enim hoc; sed est ipsummet corpus.* Idem habet Theophilactus in cap. 26. Matthæi, ubi explicans hæc verba, *Hoc est corpus meum*, dicit, *Hoc quod sumitis est corpus meum, non enim tantùm figura & exemplar est corporis dominici panis, sed in illud convertitur corpus Christi. Secundò*, dum aiunt hæretici, Christum esse quidem in sacramento, sed hoc tantùm, ut in signo, non verò realiter aut substantialiter, illicò allegandus est Augustinus contrarium docens multis in locis citatis à Bellarmino, & præsertim in Psal. 33. Concil. 1. ubi explicans titulum Psalmi, in quo sunt ista verba, *Et ferebatur manibus suis*; sic loquitur, *Quomodò hoc possit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodò intelligatur in ipso David, secundùm litteram non invenimus; in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipse corpus suum ait, Hoc est corpus meum; ferebat enim ille corpus in manibus suis:* Ergo continebatur realiter & substantialiter sub speciebus panis, & non tantùm significativè. Nec dicat Calvinus lib. 4. Institutionum cap. 17. sect. 28. Christum seipsum quidem tulisse, sed impropriè tantùm & figuratè, quia sacramentum seu signum corporis sui ferebat: nam hoc evidenter contradicit Augustino, qui nedum dicit, Christum se propriis manibus portasse, sed addit, rem istam esse difficillimam & impossibilem aliis hominibus; nil autem facilius est, quàm quis se ipsum portet in signo, aut in figura, aut in imagine. Dum *tertiò* hæreticorum alii respondent ad Catholicos, Christum cum fidelibus uniri quidem in hoc sacramento, sed solâ fide, & per voluntatum concordiam, non verò realiter, nec per corporum contactum; istis afferendi sunt Chrysostomus, qui Homil. 60. ad populum Antiochenum dicit, *Semetipsum nobis commiscet, & non fide tantùm, verùm & ipsâ re nos suum efficit corpus.* Cyrillus Alexandrinus lib. 10. in Joannem cap. 13. *Non habitudine solùm, quæ per charitatem esse intelligitur, verùm etiam participatione naturali Christus in nobis est.* Confirmant hanc unionem substantialem Chryso-

ftomus homil. 33. in Matthæum, utens comparatione fermenti coagmentantis totum massam farinæ: D. Dionysius utens in lib. de cœlesti Hierarchia comparatione ferri candentis: Cyrillus lib. 4. in Joannem adhibens comparationem duarum cerarum liquefactione mixtarum.

Quartò, si verum esset, quod dicunt Novatores, Christum esse tantùm in sacramento, tanquam in signo & in figura, & quantùm ad realem & substantialem existentiam esse tantùm in cœlo; incassum dicerent Patres, in Eucharistia magnum intervenire miraculum, quòd nimirum Christus existens in cœlo, simul in altari reperiatur, ut habet Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, *O miraculum! ô Dei benignitatem! qui cùm Patre sursum sedet, in illo ipso temporis articulo pertractatur manibus.* Et homil. 3. in Epistolam ad Ephes. *Elyas ascendens pallium discipulo dimisit, Filius autem Dei ascendens, nobis suam carnem dimisit, sed Elyas quidem exutus, Christus autem nobis suam carnem reliquit, & ipsam habens ascendit.*

Quintò, si mens adversariorum esset vera, quòd in Eucharistia Christus constituisset tantùm figuram & commemorationem sui corporis, non esset fides adhibenda Patribus, qui dicunt, hoc mysterium esse creditu difficillimum, ostendere omnipotentiam Christi, maximam fidem exigere, nec credendum esse sensibus: talis enim commemoratio hæc non exigit, nec sensibus & cogitationi repugnat, ut facit nihilominus hoc sacramentum, teste Chrysostomo, homil. 83. in Matthæum, *Credamus ubique Deo, nec repugnemus ei, etiamsi sensui & cogitationi nostræ absurdum esse videatur quod dicit.* Non est autem absurdum, nec cogitationi repugnat, aut sensui, quòd sui figuram aut commemorationem potuerit dare: Ergo verba Christi non sunt intelligenda de figurata existentia corporis ejus in hoc sacramento, sed de reali & substantiali. Idem ac Chrysostomus habet Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 4. Mystagogicâ. *Nè ergo consideres panem nudum & vinum nudum; corpus enim est & sanguis Christi, secundùm Domini verba. Nec ex gustu rem judices, quin potiùs habeas ex fide pro certissimo; ita ut nulla subeat dubitatio, esse tibi donata corpus & sanguinem..... hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum, quod à nobis conspicitur, tametsi sensui vinum videatur, non tamen vinum esse, sed Christi sanguinem.*

Denique, per hoc miraculum Christi convertentis panem & vinum in corpus & sanguinem suum, probant Patres alia religionis nostræ mysteria, quæ probatio esset invalida, si non esset realis transmutatio panis & vini in corpus & sanguinem. Probat, inquam, Irenæus lib. 4. contra Valentinianos cap. 24. Christum esse verum Deum, quia potuit convertere panem in suum corpus. Probat similiter Chrysostomus homil. 83. in Matthæum, Christum habere veram carnem, ex eo quòd in ipsam converterit panem & vinum. Probat denique D. Hilarius lib. 8. de Trinit. substantialem Filii Dei generationem, ex ipsa reali seu naturali conjunctione nostri cum Christo in Eucharistia.

Ex his ergo patet, quàm ineptè Petrus Martyr Sacramentarius sese jactaverit ad reginam Angliæ, se defendere sententiam Patrum; & quàm falsò dixerit Calvinus in admonitione ad Vvesphalum, omnes vetustos scriptores, qui primis quinque sæculis vixerunt, sibi absolutè patrocinati; quandoquidem in primo sæculo habet D. Andræam, D. Ignatium in epistola ad Smirnenses citatâ à Theodoreto Dial. 3. & D. Dionysium Areopagitam lib. de Hierarchia Ecclesiastica cap. 3. sibi contrarios. In secundo sæculo Justinus martyr ipsi adversatur in Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem, sicut Pius Papa primus, qui ex Gratiano de consecrat. distinct. 2. can. *Si per negligentiam.* gravem statuit pœnam in eos, quorum negligentiâ aliquid sanguinis dominici decideret in terram, vel super altare; jussitque talem locum lambi, radi, reliquias comburi; & reponi in sacrario. Et Irenæus, qui eodem tempore disputans contra negantes Christum esse Filium creatoris, & creatorem mundi, hoc probat, quòd panem per consecrationem fecerit suum corpus. In tertio sæculo, Calvino opponuntur Tertullianus, Origenes, & Cyprianus. Tertullianus inquam, qui præter alia in libro 2. ad Uxorem, exhortans fœminas Christianas, ut non nuberent Gentilibus, unum argumentum desumit, quòd clam marito sumere deberent Eucharistiam, nè illam exponerent contemptui maritorum, si hoc scirent; quod denotat, Eucharistiam non esse panem, sed corpus Christi; unde ipsemet lib. de Corona militis recenset summam cautionem, quam adhibebant Christiani, nè aliquid Eucharistiæ in terram caderet. Quantùm ad Origenem; homil. 13. in Exodum, hortari volens populum ad venerandum verbum Dei, adducit exemplum diligentiæ, quam adhibent Christiani in conservatione corporis Christi. *Volo*, inquit, *vos admonere religionis vestræ exemplis. Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuevistis, quomodò, cùm suscipitis corpus Domini, cum omni cautela & veneratione servatis, nè ex eo parvum quid decidat, nè consecrati muneris aliquid dilabatur, reos enim vos rectè creditis, si quid inde decidat per negligentiam.* Cyprianus denique sermone 5. de lapsis dicit, eos, qui post negatum Christum absque pœnitentia ad Eucharistiam accedebant, majorem vim inferre corpori ejus quàm cùm negaverunt Dominum; quod sanè non esset majus peccatum, si tantùm tetigissent aliquod signum Christum repræsentans. Deinde, paulò inferiùs ait; *Panis, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed naturâ mutatus omnipotentiâ Verbi factus est caro.* Ibidem habet adhuc, *Doctore Christo, hac mundo innotuit disciplina, ut biberent sanguinem Christiani, cujus esum legis antiquæ authoritas districtissimè interdicit; lex quippe esum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur:* quod verum non esset, si non locutus fuisset Christus de sanguine propriè sumpto, quoniam lex vetus sanguinem figuratum non prohibebat. In quarto sæculo, contra eundem Calvinum habetur Concilium Nicænum primum, in actis cujus apud Vaticanam Bibliothecam habemus hæc verba; *In divina mensa nè humiliter intenti simus ad propositum panem & calicem; sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruento modo à sacerdotibus immolatum, & pretiosum ipsius corpus & sanguinem verè nos sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola.* Habentur etiam Athanasius, Hilarius, Cyrillus Hierosol. Ambrosius, Basilius, Gregorij Nicænus & Nazianzenus & cæteri apud Bellarminum. In quinta denique ætate recensentur ab eodem Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Synodus Ephesina, Proclus Constantinopolitanus Episcopus, Theodoretus, S. Leo & alii, qui omnes de terribili impudentia convincunt Calvinum.

Objiciunt primò omnes ferè hæretici, fundamentum primum Romanorum ex cap. 6. Joannis sumptum, ubi habetur, *Panis quem ego davo, &c. & nisi manducaveritis carnem*, esse nullum; quia in toto capitulo Joannis nulla fit mentio de manducatione reali corporis & sanguinis Christi, sed tantùm de manducatione spirituali, quæ consistit in fide Passionis ejus, per quam corpori & sanguini Christi conjunguntur fideles. Sic Lutherus libr de captivitate Babylonica cap. 1. Zuinglius lib. de vera & falsa religione cap. de Eucharistia. Oecolampadius lib. de verbis Domini. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 17. ss. 1. & alii. Imò, aliqui etiam Catholici idem existimarunt, ut Gabriel lectione 84. super Canonem Missæ; Thomas Caietanus 3. parte quæst. 80. Ruardus, Taperus in explicatione articuli 5. Lovaniensium, Cornelius Jansenius cap. 59. Concordiæ, & alii, qui respondere volentes ad Hussitas & Lutheranos, communionem sub utrâque specie probare volentes, ex hoc cap. docuerunt, non agi in illo, nisi de spirituali manducatione corporis & potatione sanguinis Domini. Respondeo primò, Christum non tantùm loqui de manducatione spirituali per fidem, communicando Passioni ejus, ut optimâ intentione verba præallata Joannis intellexerunt præfati authores Catholici, qui hoc dixerunt, ut faciliùs defenderent veritatem orthodoxam, qui proinde se subjiciunt & suas opiniones Conciliorum & Pontificum censuris; sed etiam de manducatione vera & reali corporis Christi, ut determinatum est à Concilio Alexandrino, quod approbavit Synodus tertia generalis; à Synodo septima, à Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. & aliis. Accedunt Patres in ingenti numero, ut videre est apud Maldonatum, Suarem, Vasquem, & Bellarminum lib. 1. de Eucharistia cap. 5. Nec desunt rationes, quia ibi Joannes comparat manducationem futuram, de quâ loquitur, cum manducatione Mannæ in deserto, quæ fuit vera & realis. Deinde, eadem verba intellexerunt Capharnaïtæ de manducatione reali: hoc enim fuit causa murmurationis illorum, & ratio cur dicerent; *Quomodò potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Tertiò voluit etiam Christus sic intelligi sua verba; cum enim arcere voluerit scandala à mundo, videns discipulos scandalizatos, ut ipsi testati sunt, dicentes: *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* debuisset illico tale murmur sedare, sese explicans de manducatione spiritali, & de figura corporis sui, quòd cùm non fecerit, imò priùs confirmaverit dictum solemni juramento, dicens: *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: proinde vult sua verba intelligi de manducatione corporali. Tandem, Joannes Apopostolus, qui diligentissimè omnia mysteria ultimæ cœnæ descripsit, nullum attigit verbum de Institutione Eucharistiæ, nisi in hoc capite 6. putans se sufficienter dixisse in illo loco, ut monet Augustinus lib. 3. de consensu Evangelistarum cap. 1.

Objicies 2. ex Matth. 4. *Si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*: ergo non sunt credendi illi, qui dicunt Christum esse in Sacramento. Resp. Matthæum loqui de Pseudochristis, id est, de perversis hominibus, qui se dicunt Christum; non de Christo in Eucharistiâ. *Dices*, Ergo sensus nostri falluntur, si non sit panis, sed Christus. Resp. non falli, quia vident accidentia panis; sed falleretur intellectus, si non obstante dicto Christi, crederet sub accidentibus panis non esse corpus ejus. Dices, *Quod intrat in os, in ventrem*

A *vadit, & in secessum emittitur*, quod non est dicendum de corpore Christi. Respondeo, corpus Christi non ejici, quia desinit esse eo instanti quo species corruptæ sunt, sed ejicitur in id quod conversæ sunt species post sui corruptionem. *Dices*, Indignum est, Christi corpus manibus impuri hominis tractari; Respondeo dignum esse charitate suâ. *Dices*, Hæc verba, *Hoc est corpus meum*, debere intelligi per fidem, & non realiter carnem Christi manducari, Joann. enim 6. habetur: *Caro non prodest quidquam, spiritus est qui vivificat, verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt.* Respondet Chrysostomus Homil. 26. in Joann. hoc non dici de ipsâ carne Christi, aliàs non profuisset in morte, sed de

B his qui carnaliter accipiunt; quasi sit sensus: Cognitio carnalis & habita per sensus, nil prodest ad hoc mysterium capiendum, sed fides requiritur. Quando etiam dicit Christus, *Verba quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt*; si per hoc intendisset demonstrare corpus suum esse in pane per solam fidem, aut figuram; per hanc explicationem placasset animos discipulorum, quod tamen non fecit; quia abierunt; sed hoc dixit, ut refelleret Capharnaïtas, qui putabant Christum carnem suam daturum modo cruento & sensibili, sicut carnem communem.

Objicies 3. Christum in institutione Eucharistiæ loquutum fuisse per figuras, quia quando loquitur

C de sanguine, loquitur de calice, accipiens continens pro contento: ergo etiam in pane usus fuit figurâ. Respondeo, quod sit reverà usus figurâ respectu calicis, sed illa figura omnibus constat, & est modus loquendi usitatus apud homines, qui tradentes lagenam plenam vino, dicunt, Accipe vinum. *Dices* ex 1. ad Corinth. 10. *Patres nostri*, inquit Paulus, *eandem escam manducaverunt*, sed Judæi habuerunt tantùm figuram corporis Christi: ergo & nos habemus tantùm figuram. Respondeo, manducaverunt eandem escam inter se, concedo: ac nos, nego. *Aliud est enim*, inquit Augustinus, *Pascha quod celebrat Judæus in ove, aliud quod sumimus in corpore & sanguine. Dices*, Ex Luca & Pau-

D lo est adhuc metaphora in calice; dicunt enim: *Hic calix testamentum est in meo sanguine*; sanguis verò Christi non est testamentum: ergo calix non est verè Christi sanguis. Respondeo, sanguinem Christi esse verè & propriè testamentum; non quòd sit atramentum & charta, sed quòd sit instrumentum authenticum, quo continetur voluntas Christi testatoris, & ejus hæreditas Fidelibus promittitur. Deinde, licèt in verbis Lucæ & Pauli admitteretur quædam metaphora; illa tamen satis explicatur per verba Matthæi & Marci, dicentium; *Hic est calix sanguinis mei novi testamenti*; unde dicendum est, quòd Paulus & Lucas sensum referant duntaxat verborum Christi, & non ipsissima illius verba; un-

E de nil mirum, si ex se interposuerint aliquam metaphoram, quæ non reperitur apud Matthæum, nec Marcum, qui ipsa verba Christi referunt. *Dices*, Verbum *est* sumitur in scripturâ pro significat, ut Genes. 41. *Septem spicæ sunt septem anni*; Lucæ 3. *Semen est Verbum Dei*, id est, significat, sicut quando Christus dicit, *Ego sum ostium, vitis, Pastor.* Respondeo reverà, quòd particula, *est*, aliquando idem sit ac significat, non quòd Christus in allatis exemplis significet ostium vel vitem, quia figuratum est nobilius figurâ, sed quia ostium est figura Christi; aliquando tamen non sumitur *est*, pro significat, ut quando Pater dixit: *Hic est Filius meus dilectus.* Sic etiam in consecratione, hoc verbum substantivum sumitur propriè secundùm Concilia, & Patres cu-

juscunque sæculi. Porrò hæc particula, *est*, sumitur pro significat in parabolis, & parabolæ Scripturæ dignoscuntur per applicationem factam in antecedentibus vel subsequentibus verbis; nulla autem sunt verba antecedentia vel subsequentia, quæ indicent Christum loqui parabolicè, quando dixit, *Accipite & manducate.* Pro solutione hujus ultimæ objectionis recurrendum est ad ea quæ diximus in quæstione præcedenti, ubi explicuimus omnia verba consecrationis.

Objicies 4. Christus porrigens calicem dedit tantùm vinum potandum: ergo dedit tantùm panem manducandum. Antecedens patet ex verbis Christi dicentis: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis:* ergo erat vinum. Respondeo 1. Christum accepisse duabus vicibus calicem, secundùm dictum Lucæ cap. 22. Primò, accepit calicem in cœnâ communi, & pro tunc dixit, *Non bibam amodò*, &c. Secundò, accepit calicem quem consecravit, & pro tunc non protulit illa verba. Quod si ex Matthæo, Christus dixerit hæc verba, dum protulit calicem quem prætendimus consecratum, hoc est, quia iste Evangelista non exprimit diffusè ea quæ fecit Christus. Respondeo secundò; Vocare potuit Christus suum sanguinem, genimen vitis seu vinum. Primò, quia ex vino factus est. Secundò, quia accidentia vini in illo remanserunt. Quòd si Christus dixerit Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, hoc non debet intelligi quasi Eucharistia sit memoria Christi absentis, sed quia est repetitio ejusdem sacrificii incruenti, quod fecit Christus. *Dices*, ex Psal. 113. *Deus autem noster in cœlo*, ergo non est in sacramento. Respondeo, licèt dicatur esse in cœlo, quia in illo loco gloriam suam manifestat, attamen extra cælum etiam invenitur, cùm sit ubique, *& non longè sit ab uno quoque nostrûm*, ut ait Paulus Act. 17. Si Matthæi 26. dixerit Christus, *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*: ibi loquitur Dominus de præsentia visibili, quâ reverà non semper habetur humano more conversans in hoc mundo; non negat tamen præsentiam realem & substantialem, mediante Eucharistiâ. Dicunt adversarii, & præsertim Calvinus lib. 4. Institut. cap. 17. ss. 27. nos destruere unum articulum symboli, *Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris*; quia, ut inquiunt, inde non est reversurus usque ad diem diem judicii: ergo non verum est, ipsum sæpè descendere ad existendum in Eucharistia, ut Papistæ volunt. Respondeo, nos ipsos fateri ipsum ascendisse in cœlum, ipsum sedere ad dexteram Patris, ipsum non esse reversurum, nisi in fine sæculi; ex hoc tamen inferri non debet, quòd non sit in Eucharistia, quia ad hoc non requiritur, quòd deserat cœlum, aut descendat in terram motu locali, sicut nec hoc factum est, quando apparuit Paulo eunti in Damascum, & Petro cui dixit, *Vado Romam iterum crucifigi*: sed sufficit, quòd non deserendo cœlum se constituat præsentem ubicumque voluerit, & proinde in sacramento; maximè, cùm non repugnet, idem corpus eodem tempore esse in pluribus locis, sicut habetur ex Philosophia. Unde deridendi sunt illi, qui hoc infirmant mysterium, propterea quòd non possit concipi, unum corpus esse in cœlo & in terra: magnum corpus, quale est corpus Christi, includi sub parva hostia; accidentia esse sine subjecto; & similia, de quibus objectionibus ridiculis dicendum est cum Augustino lib. 22. de civit. Dei cap. 11. *Ecce, qualibus argumentis omnipotentia Dei humana contradicit humanitas, quam possidet vanitas; quasi verò nihil sit credendum, nisi quod intellectus possit comprehendere? maximè, cùm multa naturalia penetrari non possint ab intellectu humano.*

Objicies 5. ex Tertull. lib. 1. contra Marcionem, *Christum repræsentare in pane corpus suum*; & alibi, *nobis dedisse figuram corporis sui*, & alios Patres idem sentientes. Resp. Christum repræsentare corpus, id est, præsens exhibere, sicut dicitur, quòd Pater in Thabor filium repræsentaverit. Quòd si vocent figuram corporis; hoc est, figuram plenam figurato; nam aliquando stat veritas cum figurâ, ut ad Hebræos 1. *Christus dicitur figura substantiæ Patris*, licet Christus esset ipsamet substantia Patris. Si dicat August. tract. 25. in Joan. *Quid paras dentes & ventrem? crede & manducasti*; Respondendum est, quòd Augustinus per primam partem suæ propositionis, voluerit refutare cruentam manducationem Capharnaïtarum, docens corpus Christi non atteri dentibus: Per secundam verò insinuavit, fidem esse necessariam ad effectum hujus Sacramenti. Quòd autem Augustinus, super quem malè interpretatum fundantur hæretici, non excludat realitatem, patet: in Psalmum enim 98. habet, *Christus ipsam carnem manducandam nobis ad salutem dedit*, & concione 1. super Psal. 33. *Ferebatur*, inquit, *manibus suis, quando ait, Accipite, hoc est corpus meum.* Quòd si autem Patres obscurè locuti fuerunt in hac materiâ, hoc consultò fecerunt, ne proderent arcana nostræ religionis infidelibus, qui ad eorum cognitionem non erant idonei; unde Theodoretus dialogo 1. dicit, non esse consentaneum loqui apertè, nam hìc fortè sunt aliqui infideles qui forsitan illos vocassent infanticidas & idololatras, colentes Bacchum & sanguinem. Porrò, Patres vocantes Eucharistiam signum, figuram, symbolum, typum, antitypum corporis Christi, non indicant propterea, corpus Christi esse absens; aliud est enim esse signum corporis, & esse signum corporis absentis; quando quidem ad Hæbr. 1. Christus dicitur quidem *figura substantiæ Patris*, ubi tamen in illo est divinitatis substantia. Ad Colloss. 1. dicitur similiter imago Dei, quod non impedit, quin sit Deus substantialiter. Ad Philipp. denique dicitur, quod Deus fuerit *in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo*, attamen fuerit verus homo. Dum ergo dicit Augustinus in Psal. 3. *Judam adhibuit Dominus ad convivium, in quo corporis & sanguinis sui figuram discipulis suis commendavit & tradidit.* Et lib. contra Adimantum cap. 12. *Non dubitavit Christus dicere: Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui*; non propterea ipse Augustinus, nec Patres similia dicentes excludunt præsentiam corporis Christi, quia non loquuntur de figura vacuâ, sed plenâ rei significatæ. Quando Tertullianus lib. 4. contra Marcionem dicit, *Panem acceptum ac discipulis distributum, panem suum illum fecit, dicendo, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei*: ibi non prætendit, quòd sit figura corporis simpliciter, sed figura corporis Christi fracti, oblati, & mortui visibiliter in cruce; quemadmodum Christus transfiguratus in Thabor erat figura sui ipsius in gloria. Quando denique Augustinus in Psal. 98. ait, *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: sacramentum aliquod vobis commendo, spiritualiter intellectum, vivificabit vos:* Tale dictum & similia, quibus Patres videntur minuere de veritate præsentiæ, & realis manducationis Christi, non debent intelligi de præsentia, nec de manducatione sumpta formaliter, sed de modo præsentiæ, & de modo manducationis; ita quòd Christus non

non sit præsens in Eucharistia, eodem modo, quo in se, nimirum divisibiliter & quantitativè; nec de manducatione communi, quæ fit cruento modo: unde dicendo, ***Non manducaturi estis idem corpus quod videtis***, id est, non estis manducaturi cruento modo hoc corpus quod cernitis, sicut manducantur communiter carnes humano modo.

QUÆSTIO XIII.

An corpus Christi sit in Sacramento per impanationem, aut transsubstantiationem?

SICUT plurimi circa realem Christi existentiam in Eucharistia erraverunt, sic & plurimi malè sunt opinati de modo, quo ipsemet Christus in illa præsens reddatur. Primò Berengarius & ipsius discipuli defendere non valentes in Eucharistia solam esse figuram corporis Christi, confessi sunt ipsius corpus realiter quidem existere in sacramento, sed cum pane, non explicando tamen, an panis sit hypostaticè unitus Verbo, nec ne. Itâ Guitmundus lib. 1. & sequentibus. Secundò, ex eodem reperti sunt alii, qui volebant illam partem panis, quæ à piis fidelibus erat sumenda, verti quidem per consecrationem in corpus Domini; illam verò non converti, quæ accipienda erat ab impiis: quod pugnat cum Apostolo 1. ad Corinth. 11. dicente, *Qui manducat indignè, judicium sibi manducat.* Tertiò, Durandus in 4. dist. 11. quæst. 3. voluit solam formam substantialem panis converti in formam substantialem corporis Christi, materiam vero primam remanere sub utroque termino, à quo & ad quem, nimirum sub pane, & corpore Christi. Quartò, ex opposito alii voluerunt, materiam panis fuisse reverà conversam in materiam corporis Christi; sed, quia credebant, formam panis non esse, nisi quid artificiosum, quod figuram tantùm aliquam externam & accidentariam habebat, quam videbant remanere in Eucharistia; ideò opinati sunt, formam panis remanere, & solam converti materiam. Quintò, Rupertus Abbas, docuit panem non converti in corpus & sanguinem Christi, sed assumi à Verbo Deo, modo quo natura humana ab eodem assumpta est, ita quod, sicut positâ unione hypostaticâ dicitur Joan. 1. *Verbum caro factum est*, sic per eamdem unionem dicitur Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* Sextò denique, Lutherani corpus Christi esse cum pane in Eucharistia contendunt; unde dicunt, Christum ibi reperiri impanatum, & præsentiam ipsius in sacramento fieri, non per transsubstantiationem, ut volunt Catholici, sed per impanationem; cum hoc discrimine, quòd illorum aliqui hoc fieri asserant per Ubiquitatem, in quantùm scilicet Verbum D. est ubique ratione immensitatis, & corpus Christi conjunctum est cum ipso Verbo, proindeque est ubique præsens, sicut & Verbum: ex quo concludunt, ipsummet corpus Christi esse in Eucharistia, non quidem vi verborum, sed ratione ubiquitatis ejus; unde isti Lutherani vocantur Ubiquistæ. Alii tamen volunt, non ratione ubiquitatis, sed vi verborum, corpus Christi existere realiter & substantialiter in Eucharistia, sed esse commixtum pani. Hìc notandum est, per integrum sæculum Calvinistas, Lutheranos, tanquam hæreticos objurgasse, quòd in confessione Augustiana apud Vindelicos non solùm partem notabilem Scripturæ rejecerint, retinuerint imagines, ac fidem Purgatorii permiserint, sicut & invocationem Sanctorum; sed præsertim, quòd Missam conservaverint apud se, realitatem corporis Christi in Eucharistia admittentes, & ipsius manducationem oralem: non obstantibus tamen his, convenerunt simul in nationali synodo celeberrimâ habitâ Charentonii prope Parisios Anno 1631. ubi confessi sunt Calvinistæ, omnes & singulos articulos confessionis Augustanæ nihil continere pietati, aut cultui divino, aut hominum saluti, contrarium; totamque suam præcedentem controversiam eum illis, itâ mediocris esse momenti, ut nihil haberet, quod communionem posset impedire utriusque Ecclesiæ. Et sic, qui maximè infensi sunt Romanis realitatem præsentiæ Christi admittentibus, & manducationem oralem corporis ejus, de facili conveniunt cum Lutheranis, quorum tamen eadem est fides ac Romana; quod manifestè denotat, Calvinistas non agrè ferre Romanorum opiniones, nisi quia ab ipsis Romanis admittuntur.

CONCLUSIO.

CORPUS Christi non est in Eucharistiâ per impanationem, quia nec totus panis remanet, ut vult Lutherus, nec materia prima panis, ut vult Durandus. Ratio nostra contra primum petitur ex verbis Christi dicentis, *Hoc est corpus meum:* si enim ibi esset panis, falsò diceret, *Hoc est corpus meum;* panis enim non est corpus Christi, nec corpus Christi est panis; deinde si esset substantia panis in Eucharistiâ, homo post sumptionem non esset jejunus. Ratio contra Durandum sumitur ex Concilio Tridentino sessionis 13. can. 2. ubi habetur, *Si quis dixerit, in Sacramento Eucharistiæ, substantiam panis & vini remanere, negaveritque mirabilem illam conversionem totius substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, remanentibus duntaxat speciebus panis & vini, Anathema sit.* Quoniam ergo species panis & vini remanent, nec panis, nec materia ejus supersunt. Quòd si Eucharistia dicatur panis apud Paulum, *Quotiescumque manducabitis panem hunc, &c.* dicitur primò panis transitivè, id est, id quod anteà erat panis. Secundò, dicitur panis extrinsecè, quia remanent accidentia panis. Tertiò, dicitur panis analogicè, quia sicut panis nutrit corpus, sic Eucharistia nutrit animam. Quòd si Gelasius Papa dicat manere naturam panis; id est, proprietates, quæ vocantur natura, sicut illi qui agunt de proprietatibus plantarum, dicuntur agere de plantarum naturâ. Si Chrysostomus dicat, in hac conversione sunt quæ erant; hoc est, quoad speciem externam, non quoad substantiam. Si Durandus dicat, in omni mutatione manere subjectum commune; id est, materiam; hoc verum est in mutatione naturali. Si dicat Damascenus lib. 4. de fide cap. 4. mutari panem in carnem, sicut in nutritione hominis, ubi remanet materia; hoc dicit analogicè, ut ostendat esse mutationem realem, non tamen est omnimoda similitudo, ibi enim est transformatio, & hîc est transsubstantiatio.

QUIA adversarii incessanter clamitant, transsubstantiationem non fuisse cognitam usque ad Concilium Lateranense sub Innocentio III. circa Annum 1200. & Lutherus ipse cap. 1. libri de captivitate Babylonica sæpissimè affirmat, transsubstantiationem esse inventum S. Thomæ; imò & dicat Kemnitius in Concilio Lateranensi traditam fuisse quidem opinionem transsubstantiationis, sed non definitam nisi à Concilio Tridentino: talia esse falsissima, melius demonstrari non potest, quàm ex

Bellarmino lib. 3. de Eucharistia cap. 20. ubi per singula sæcula usque ad duodecimum, in quo extitit Innocentius III. vetustos Patres enumerat, qui Transsubstantiationem admiserunt, non quidem sub nomine transsubstantiationis, sed sub. titulo conversionis, mutationis, effectionis, transelementationis, & similibus. De illis omnibus afferemus tantùmmodò Tertullianum, qui lib. 4. in Marcionem ait, *Acceptum panem corpus suum facit, dicendo, Hoc est corpus meum.* Cyprianum serm. de Cœna Domini, *Panis iste, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed naturâ mutatus, omnipotentiâ Verbi factus est caro.* Cyrillum Hierosolimitanum Catechesi 4. mystagogicâ, *Aliquando aquam mutavit in vinum, & non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutarit?... Sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur tibi sanguis.... Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem sentiat.* Ambrosium, *Non hoc est quod natura formavit, sed quod consecravit benedictio; majorque vis est benedictionis quàm naturæ; quia benedictione natura ipsa mutatur.* Gregorium Nissenum Oratione magnâ Catechiticâ cap. 37. *Rectè Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi corpus credimus transmutari.* Augustinum à Beda citatum in cap. 1. 1. ad Corinth. *Non omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus Christi.* Ex quibus patet, quàm absurdè dicant hæretici, Concilium Lateranense & S. Thomã dedisse Transsubstantiationi ortum. Quantùm ad Kemnitium, dicentem opinionem transsubstantiationis fuisse quidem indictam in Concilio Lateranensi, sed non definitam sub anathemate, nisi tempore Concilii Tridentini; evidenter refutatur ex Concilio Romano ante Concilium Lateranense celebrato circa Annum 1060. sub Nicolao II. ubi Berengarius, abjurando suam hæresim, dixit; *Ego Berengarius anathematiso eam hæresim, de quâ hactenus infamatus sum, quæ astruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodò esse sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Christi.* Idem anathemisat Berengarius in alio Concilio Romano Anno 1079. sub Gregorio VII. propter varias fraudulentas expositiones, quas in præcedentia verba admittebant Berengariani. *Ego Berengarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari per verba nostri Redemptoris substantialiter converti in veram ac propriam & vivificatricem carnem & sanguinem Iesu Christi.* In Concilio Generali Lateranensi anno 1215. sub Innocentio III. dogma transsubstantiationis sub nomine proprio confirmatum est, & præscriptum etiam sub anathemate, quidquid dicat Kemnitius; quando quidem cap. 1. traditur fides Concilii de Trinitate, de Creatione, de Incarnatione, de Ecclesia, & Sacramentis, ubi fit mentio de transsubstantiatione; & posteà cap. 3. de hac confessione loquens Concilium dicit, *Excommunicamus & anathematisamus omnem heresim extollentem se adversus hanc orthodoxam fidem, quam superiùs exposuimus.* In Concilio generali Romano anno 1413. damnatus est primus articulus Joannis Vvicleffi asserentis substantiam panis & vini manere in sacramento. Hoc idem reprobavit Concilium generale Constantiense an. 1414. sess. 8. ubi confirmatur sententia Romani Concilii. In Concilio denique Florentino generali anno 1439. consentientibus Latinis & Græcis, data fuit instructio Armenis, in quâ de Eucharistia dicitur, *Substantia panis in corpus Christi & sub-*

A *stantia vini in sanguinem convertuntur.* Et ex istis omnibus videre habet Kemnitius, quàm absurde dicat, doctrinam de Transsubstantiatione non fuisse definitam, nisi per Concilium Tridentinum.

Rationes hujus veritatis, saltem convenientiæ, istæ sunt. Primò, ob venerationem sacramenti; quia, si cum corpore Christi esset substantia panis, periculum foret, nè à simplicibus, qui adorant id quod sub speciebus continetur, adoraretur ipse panis. Secundò, si remaneret substantia panis, non posset sacerdos bis sacrificare eodem die, quia ex decreto Apostolorum, teste Augustino Epist. 118. cap. 6. non potest corpus Christi sumi, nisi à jeju-B nis; cujus contrarium habetur ex usu Ecclesiæ, quæ ante mille annos permisit sacerdotibus, ut ter sacrificarent in die natalis Domini. Tertiò, non videtur rationabile, quod simul adsint panis terrenus, qui sit cibus ventris, & panis cœlestis, qui mentis sit cibus. Quòd si hæretici velint rejicere transsubstantiationem, quia hujusce nominis non meminit Scriptura, imò est nomen peregrinum & barbarum, ut inquiunt Lutherus, Calvinus, & utriusque sectatores; talis objectio videtur ridicula, quia non litigamus de nomine, sed de veritate rei. Cùm ergo Patres dixerint, panem Eucharisticum converti in corpus Christi, remanentibus solis speciebus, nonne hoc est Transsubstantiationem admit-C tere, seu mutationem quamdam mirabilem, quæ uno simplici nomine non potest clariùs explicari, quàm nomine transsubstantiationis, quod admittit Concilium Lateranense, videns totam substantiam panis & vini, tùm secundùm materiam, tùm secundùm formam, converti in corpus & sanguinem Christi? Quòd potuerit autem Concilium hoc nomen Transsubstantiationis admittere, patet exemplo Concilii Nicæni, quod introduxit nomen ὁμοούσιος, quod anteà inusitatum fuerat: & Concilii Ephesini, ubi Patres introduxerunt nomen Θεοτόκος. Quòd si etiam Petrus Martyr dicat lib. contra Gardinerum objecto 84. Græcos semper abhorruisse à transsubstantiatione, quod probare contendit ex D hoc, quòd Græci in Concilio Florentino noluerint huic dogmati assentiri cum Latinis; non obstante tamen hac controversiâ, reconciliatos fuisse: hoc gratis fingit. Imò semper in doctrina Transsubstantiationis convenerunt Græci cum Latinis, ut videre est apud antiquos Patres Græcos, Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nicænum, Chrysostomum, Cyrillum Alexandrinum, Damascenum, Theophilactum, & alios, quos citat Bellarminus. Hoc idem habetur in Concilio Lateranensi, ubi interfuerunt quatuor Patriarchæ Græcorum; & in Concilio Florentino in instructione Armenorum, cui Græcos consensisse patet ex hoc, quòd initio instructionis habeatur, ipsam esse factam E *sacro approbante Concilio*; & in fine additur, *data in publica synodali sessione*, quod falsum esset, si abfuisset una pars Concilii. Quòd si ergo controversiam aliquam habuerint Græci cum Latinis in hac materia, nunquam fuit de transsubstantiatione ipsa, quam semper admiserunt Græci, ut evidenter probat doctissimus Arnaldus; sed de modo quo fiebat Transsubstantiatio, volentibus Latinis ipsam fieri solis Christi verbis, & contendentibus Pœnis, admittendas esse quasdam orationes deprecatorias.

Objiciunt hæretici, tanquam axioma verissimum, quòd nulla veritas proponenda sit, ut articulus fidei, quæ non habetur manifestè ex Scriptura, qualis non est Transsubstantiatio. Respondeo, quòd

si hoc esset, non possent proponi tanquàm aliquid de fide Evangelia & Epistolæ Pauli, quia nullibi Scriptura determinat, hæc esse canonica. Dicunt secundò iidem Novatores, Scotum non convenire de Transsubstantiatione; sed in hoc falsò imponunt tanto Doctori: licet enim sustineat *in 4. dist. ij. quæst.* 3. contra D. Thomam, Deum potuisse constituere suum corpus præsens in Eucharistia simul cum pane, quæ res ad fidem pertinet, nusquam tamen dubitavit de veritate Transsubstantiationis. Licèt etiam sustinuerit, ex verbis solius Scripturæ sine traditione & conciliis, transsubstantiationem non posse probari; attamen semper habuit in confesso, quòd traditione ecclesiasticâ & definitionibus conciliorum positis, possint ritè applicari hæc verba Christi dicentis, *Hoc est corpus meum*, ad probandam transsubstantiationem. Dum subjungunt Novatores, Eucharistiam 1. ad Corinth. 10. & 11. etiam post benedictionem vocari panem multoties; hoc non intelligitur de pane simpliciter sumpto, sed de pane mutato in corpus Christi, qui proptereà dicitur panis, quia anteà panis erat, accidentia panis retinet, & effectivè idem est ac panis; tum quia, sicut panis materialis alit corpus animale, sic Christi corpus cibus est sustentans hominem spiritualem & internum; tùm quia, sicut panis triticeus ex multis granis resultat; sic fideles unum corpus efficiuntur, dum participant de illo pane Eucharistico. Si dicant ex Gelasio, lib. 2. contra Eutichem, non desinere naturam panis, sicut & habet Chrysostomus in Epist. ad Cæsarium monachum; Respondetur communiter, quòd nec liber ille sit Gelasii Papæ, sed alterius cujusdam Græci; nec Epistola sit Ioannis Chrysostomi, sed alterius cujusdam Joannis Constantinopolitani. Deinde, per nomen naturæ intelligitur virtus naturalis accidentium panis & vini, quæ habent eosdem effectus, ac si adesset substantia panis & vini. Si ex Patribus antiquis allegent, Eucharistiam constare duabus rebus, terrenâ & cælesti; per rem terrenam non intelligunt substantiam panis & vini, sed species utriusque; sicut per rem cœlestem intelligitur Christus invisibiliter contentus sub illis. Dum instant, dicendo, quòd si substantia panis desit, erit falsitas in accidentibus, quæ sunt naturalia signa panis, qui tamen non existit; Respondeo, esse naturalia signa panis, quando non intervenit Omnipotentia Dei; secùs si interveniat, ut in proposito, ubi per Dei virtutem tollitur, vel potiùs mutatur substantia panis in corpus Christi, absque tamen ullâ ipsius informatione. Nec pro tunc dicant, sensum ergo falli circa suum objectum; quia, ultra quòd in nostro casu non fallitur circa objectum suum proprium, quæ sunt accidentia, sed tantùm circa objectum accidentale, quod est substantia: nil mirum, si circa illud fallatur sensus, cùm etiam circa substantias sensibiles fallantur homines vulgò, quando ex sola apprehensione sensuum judicant; ut patet ex illis, qui apprehendunt glaciem ut crystallum, & auricalchum ut verum aurum. Urgent communiter adversarii, hostiam consecratam varias recipere mutationes, quod non posset fieri, si non apponeretur substantia panis, tanquàm subjectum illarum mutationum; ut v.g. quando hostia dicitur alterari, calefieri, aut veneno infici, sicut habemus de Victore III. summo Pontifice, & Henrico VII. Imperatore, qui veneno in Eucharistia posito perierunt. Ad hoc respondendum est, quòd si hostia tantùm alteretur, ut quando calefit, vel condensatur, vel inficitur veneno, tunc illa alteratio recipitur in quantitate, quæ remanet in sacramento: si verò fiat corruptio specie-

A tum, ut quando comburitur hostia, tunc requiritur substantia quædam, quæ convertitur in aliam, quia corruptio unius est generatio alterius: sed talis materia substituitur à Deo in illo instanti, quo desinunt species per combustionem.

QUÆSTIO XIV.

An in Transsubstantiatione fiat annihilatio panis.

EX quæstione præcedenti liquet, panem & vinum ita transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi, ut nihil de entitate physica aut metaphysica panis remaneat post consecrationem. Nihil, inquam, remanet de entitate physica panis, quia tum materia, tum forma substantialis ejusdem convertitur in materiam & formam corporis Christi, juxta determinationem Concilii Tridentini, sess. 13. can. 2. ubi habetur, quòd tota substantia panis convertatur in corpus & sanguinem Christi, remanentibus duntaxat speciebus panis & vini. Nihil etiam remanet de entitate metaphysica panis, quia nec existentia panis, nec subsistentia ipsius, nec individualis entitas ejusdem remanent post consecrationem. Non remanet primò existentia panis, quia ex Doctore nostro non distinguuntur essentia & existentia; unde, cùm essentia panis conversa sit in essentiam corporis Christi, idem dicendum est de existentia: Immò, quando res desinit, vel transit in substantiam alterius, cessat existere: ergo, cùm panis per consecrationem convertatur in corpus Christi, ipsius existentia desinit. Non remanet secundò panis subsistentia, quia subsistentia est modus intrinsecus rei, ab entitate propria ipsius prorsus indivisibilis: ergo, cùm desinat propria entitas panis, non potest remanere ipsius subsistentia. Tertiò denique, si, ut volunt Henricus & Cajetanus, individualis entitas panis remaneret, non jure dixisset Concilium, sola accidentia panis remanere. Adde, quòd non esset idem corpus Christi in cœlo & in sacramento, quoniam in sacramento entitas Christi esset ipsa entitas individualis, quæ præfuit in pane; in cælo autem non esset entitas quæ præfuit in pane: ergo non esset eadem entitas individualis, nec idem corpus in cælo, ac in sacramento. Porrò, in conversione Eucharistica non convertitur tantùm panis in se, sed panis hic, & in individuo sumptus: ergo entitas individualis cessat, & non remanet, quidquid dicant præfati authores. Posito ergo, quòd per Transsubstantiationem nihil remaneat de entitate physica aut metaphysica panis, ulteriùs progrediendum est, & inquirendum utrùm proptereà panis dicatur propriè annihilari.

CONCLUSIO.

LIcet in resolutione hujus quæstionis problematicus videatur Doctor noster, qui *in 4. dist. ij. quæst.* 4. tenet utrumque probabile, panem scilicet annihilari & non annihilari; attamen quæst. 10. quodlibeticâ asserit, panem revera non annihilari. Cujus propositionis veritas desumitur primò ex hoc, quòd si panis annihilaretur, & postea produceretur corpus Christi, tunc essent duæ actiones, per quarum primam annihilaretur panis, & per secundam produceretur corpus Christi; sed juxta Catholicorum mentem consecratio seu conversio, quæ fit in sacramento Eucharistiæ, dicit tantùm unam actionem, quæ vocatur Transsubstantiatio: ergo pa-

nis non annihilatur, sed convertitur in substantiam corporis Christi, ut fatentur communiter omnes Theologi cum Scoto præallegato, D. Thoma quæst. 75. art. 3. D. Bonaventura in 4. dist. ij. Secundò, verba consecrationis efficiunt id quod significant; at significant tantùm panem non annihilari, sed converti in substantiam corporis Christi: ergo dici non debet, quòd panis annihiletur. Licèt enim in Transsubstantiatione negari non possit, quin virtualiter includatur desitio panis, quæ fit immediatè per subtractionem influxûs conservativi; non tamen est annihilatio formalis, quia vi conversionis sacramentalis corpus Christi succedit. Tertiò, terminus annihilationis est purum nihil; at in consecratione sacramentali terminus ad quem est corpus Christi, in quod convertitur panis: ergo non est ibi propria annihilatio, sed conversio panis in corpus Christi.

Objicies. Id quod ità desinit esse, ut nihil ipsius absolutè remaneat, dicitur annihilari; in conversione sacramentali nihil substantiæ panis remanet, quandoquidem, ut diximus antea, tum materia prima panis, tum forma illius, tum existentia & subsistentia convertuntur in materiam primam, formam substantialem, existentiam & subsistentiam corporis & sanguinis Christi: ergo panis reverà propriè, & formaliter annihilatur. Respondeo, quòd licèt nihil remaneat de entitate physica aut metaphysica panis, ut nos ipsi probavimus; attamen ibi non est formalis annihilatio; quia reperitur quædam dependentia inter desitionem panis, & successionem corporis Christi, nec Deus desinit conservare entitatem panis, ut desinat simpliciter, sed ideò subtrahit suum influxum conservativum panis, ut vi desitionis panis, corpus Christi succedat; & sic non sunt in hoc casu duæ actiones, sed unica, quæ vocatur transsubstantiativa conversio. Vnde observant communiter doctores, quatuor conditiones requiri ad veram conversionem: quarum *prima* est, quòd aliquid desinat esse; non potest enim unum in aliud converti, nisi esse desinat id, quod erat anteà. *Secunda* est, quòd aliquid succedat in locum ejus quod convertitur, seu quod desinit esse; quia pro tunc non esset conversio rei, sed corruptio vel annihilatio, si terminus ad quem non esset aliquid succedens termino à quo. *Tertia* est, quòd in conversione, tam terminus à quo, quàm terminus ad quem sint positivi; & in hoc distinguitur propria conversio à creatione & annihilatione, quæ sunt quidem actiones, sed non conversiones. *Vltima* denique conditio est, quòd sit connexio quædam, seu dependentia, inter desitionem unius, & successionem alterius; sive talis dependentia sit naturalis, ut quando ad corruptionem ligni succedit productio ignis; sive sit tantùm dependentia moralis, quæ procedit, non quidem ex natura rerum, sed ex Voluntate Divina, ut patet in sacramento Eucharistiæ, ubi, non ex natura rerum desitioni panis succedit productio corporis Christi, sed ex voluntate divina, quæ decrevit, ut quotiescunque vi verborum sacerdotis desineret panis, succedere immediatè corpus Christi: & talis dependentia impedit, quominùs panis annihiletur in consecratione. Non ideò enim Deus panem annihilat, ut remaneat annihilatus, sed ut convertatur in corpus Christi; & hæc est ratio peremptoria, quam adducunt authores, ad probandum panem non annihilari, & salvandam propriè Transsubstantiationem, quæ est actio simplex, per quam Deus convertit substantiam panis in substantiam corporis & sanguinis Christi.

Quæres, an conversio panis in corpus Christi A sit productiva vel adductiva, id est, utrùm per transsubstantiationem corpus Christi jam præexistens in cœlo reproducatur in sacramento, vel utrum sine ulla reproductione corporis Christi, corpus illud, quod jam in cœlo existit, reddatur præsens in sacramento, ubi anteà non existebat. Utrumque probabile reputat Scotus, probabilius tamen videtur, quòd Christus sit præsens in Eucharistia per reproductionem corporis & sanguinis sui; de facilè enim concipi potest, quòd corpus Christi jam præexistens in cœlo, idem numero reproducatur in sacramento altaris; & hæc videtur esse mens Patrum, præsertim Cypriani lib. de Cœna Domini, Ambrosii lib. 4. de sacramentis cap 4. Damasceni lib. 4. cap. 14. & aliorum plurimorum. B Deinde, iidem Patres communiter comparant hanc conversionem sacramentalem cum aliis mutationibus substantialibus, & supernaturalibus, v. g. cum conversione aquæ in vinum, & uxoris Loth in statuam salis; sed in illis mutationibus fit vera productio formæ substantialis: ergo in Transsubstantiatione fit etiam realis, & substantialis reproductio corporis Christi de novo existentis in Eucharistia, ubi anteà non erat. Tandem, Transsubstantiatio est conversio substantialis, ut ex vi vocabuli constat; sed conversio substantialis debet esse productio alicujus substantiæ, vel alicujus termini substantialis: ergo in consecratione sacramentali Christus non fit præsens sub speciebus per solam C adductionem, quæ dicit tantùm relationem præsentiæ ad ipsas species: ergo dicendus est Christus præsens in Eucharistia per actionem reproductivam, & non per adductivam. Remaneret enim semper nova difficultas, an corpus Christi in cœlo præsens adduceretur ad altare transeundo per medium tam distans, nimirum per totum aërem, & per omnes cœlos usque ad altare; vel non transeundo, quod utrumque non minimam pareret difficultatem. Sicut etiam, an per tot media diversa transiret, sicut diversa sunt altaria, in quibus eodem tempore redditur præsens. Cùm ergo tales solvantur difficultates, astruendo reproductionem, ideo melius est, si dicatur, Christum reddi præsentem per reproductionem. Unde, si contrarium sentiat D Scotus; potiùs videtur affirmare possibilitatem talis præsentiæ adductivæ, quàm negare illam præsentialitatem fieri actualiter per actionem reproductivam.

Quæstio XV.

Quæ sint in Eucharistiâ vi verborum, & quæ per concomitantiam?

De fide est, Christum esse in Sacramento Eucharistiæ, & consequenter sunt in eo corpus ejus, anima, sanguis, & divinitas; postquam enim E resurrexit, jam non moritur: cùm sit ergo vivus in Eucharistiâ, debet habere animam, sanguinem & corpus; corpus autem, sanguis, & anima, non sunt sine divinitate, quod semel enim assumpsit Verbum divinum, nunquam dimisit: sed quærimus, quænam sint præcisè tùm sub specie panis, tùm sub specie vini, vi verborum, & quæ per concomitantiam.

Conclusio.

Sub specie panis vi verborum est solum corpus Christi, & sub specie vini solus sanguis; per

concomitantiam verò sub specie panis est sanguis, & sub specie vini est corpus, & sub utrâque specie est anima & divinitas. Sic Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. *Statim*, inquit, *post consecrationem, Domini nostri corpus, ejusque sanguinem, sub panis & vini specie, vnâ cum ipsius animâ & divinitate existere, docet fides Catholica, sed corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini ex vi verborũ: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub utrâque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur: divinitatem porrò, propter admirabilem illam ejus cum corpore & animâ unionem hypostaticam.* Positâ hac determinatione, nulla requiritur ratio probativa nostræ conclusionis, quia Catholici non possunt repugnare Concilio, & hæretici non disputant de hac veritate, non credentes ipsum Christum esse præsentem in Eucharistiâ; posset tamen hæc assignari ratio, quòd scilicet verba ex propriâ suâ virtute faciunt tantùm id quod significant; sed verba quæ proferuntur super panem, significant tantùm præsentiam corporis Christi, & verba prolata super vinum, denotant tantùm præsentiam sanguinis: ergo hoc tantùm efficiunt, & sic ex vi verborum est solum corpus sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini; unde si Apostoli consecrassent in triduo, sanguis & anima Christi non fuissent sub hostiâ, licet fuisset divinitas, quæ non dimisit corpus in sepulchro, nec animam in lymbo. Deinde; si ex vi verborum sanguis esset cum corpore, Christus non esset in Sacramento ut immolatus; ideò enim in Eucharistiâ est sacrificium, quia mysticè separantur corpus & sanguis Christi, vi verborum scilicet; talis tamen separatio, quæ fit vi verborum, non impedit quin hæc omnia sint simul, corpus, sanguis, anima & divinitas, quia est idem Christus in Sacramento ac in cœlo.

Objicies, Anima est forma corporis: ergo si corpus sit sub specie panis vi verborum, anima etiam erit. Respondeo, animam non esse formam corporis, sed esse formam hominis; sine animâ enim corpus habet formam corporeitatis, quæ ponitur reverà in Sacramento vi verborum cum organis suis corporalibus, unde corpus Christi in Eucharistiâ est organicum, non tamen Christus est organicè in Sacramento. Est inquam organicum, quia habet omnia organa quæ habet in cœlo; non est tamen organicè, quia non potest uti organis suis, non est enim extensum extrinsecè. *Dices*, Sanguis requiritur ad rationem corporis: ergo vi verborum, ubi est corpus, ibi est sanguis. Respondeo distinguendo: est de ratione corporis vivi, conc. immolati, nego. In Sacramento autem est ut immolatum, unde nec sanguis est illi necessarius, nec alii humores. *Dices*. Ergo corpus Christi est bis in Eucharistiâ, scilicet vi verborum sub specie panis, & per concomitantiam sub specie vini. Respondeo esse bis, sed diverso modo.

In nostram scholam insurgit Suares, attribuens Scoto, quòd sub specie panis vi verborum dixerit esse sanguinem: sed pro responsione legendus est tantummodò Scotus, qui distinctione utens asserit, quòd corpus Christi possit sumi dupliciter: nimirum latè, prout includit omnia quæ spectant ad totum corpus organicum, sive sint partes animatæ sive sint aliqua, quæ non sunt formaliter animata; & pro tunc nil vetat dicere, quòd sub specie panis vi verborum contineatur sanguis, quia pro tunc, licèt sanguis non sit pars corporis, tamen censetur pertinere ad integritatem ejus, quando scilicet corpus sic latè sumitur. Si spectetur verò corpus Christi strictè, prout includit partes tantùm animatas ab anima Christi, cujusmodi non est sanguis, qui licèt sit in potentia propinqua ut convertatur in carnem, & proinde fiat pars corporis, attamen formaliter non est pars; pro tunc non est dicendum, quòd sanguis reperiatur vi verborum sub panis specie. Sic Scotus *in 4. dist. 11. qu. 4. ad 2.*

Porrò, super hanc quæstionem tria notanda sunt. *Primò*, licèt divinitas Christi dici nequeat incipere de novo esse in sacramento, quia nullibi de novo potest fieri præsens divinitas, quæ jam est ubique per immensitatem; attamen nil vetat dicere, quòd incipiat esse præsens in Eucharistia novo titulo, videlicet ratione positionis corporis Christi, cui est unita substantialiter, in quantum, si per impossibile non esset ubique per immensitatem, fieret præsens in sacramento, sicut dicitur in Incarnatione, quòd non incipiat divinitas esse præsens in humanitate, sed quòd præsens reddatur novo titulo, nimirum ratione unionis hypostaticæ. *Secundò*, sicut Christus in Eucharistia, & corpus ejus dicitur consecrari, sic nil prohibet, quin dicatur per communicationem idiomatum Verbum Divinum consecrari etiam, quemadmodum per eamdem communicationem dicitur conceptum de Virgine & in cruce mortuum. *Tertiò*, licèt tota Trinitas sit in Eucharistia per concomitantiam, sicut in illa reperitur subsistentia Verbi; non tamen eodem modo aliæ personæ reperiuntur in sacramento, quo Verbum divinum, quia subsistentia Verbi est primò & per se concomitanter sub speciebus panis & vini, & secundò Divinitas, quia Verbum divinum est indistinctum ab illa, & tertio Pater & Spiritus sanctus sunt in sacramento; quia per circumincessionem in Verbo existunt. Porrò, licèt corpus Christi subsistens sit in sacramento vi verborum, attamen ipsius subsistentia, quæ est subsistentia Verbi, non reperitur in illo, nisi per concomitantiam; quia, licèt corpus Christi sit hoc & singulare ex natura sua, attamen non est subsistens, nisi quia illi advenit subsistentia Verbi, quæ cùm sit unum & idem cum Divinitate, & Divinitas non reddatur præsens nisi per concomitantiam, ideò vi verborum non reperitur subsistentia Verbi, nec subsistentia corporis Christi, quæ eadem est, nisi per concomitantiam.

Quæstio XIV.

An Christus sit in singulis partibus hostiæ ante divisionem?

Constat Christum esse sub singulis partibus hostiæ post divisionem ejus: quantumcumque enim dividatur hostia, modò partes sint sensibiles, manet semper Christi corpus totum sub qualibet. Sic Concilium Tridentinum Sess. 13. Can. 3. *Si quis negaverit in venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub unaquaque specie & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri, Anathema sit.* Hoc habetur ex facto Christi, qui accipiens calicem consecratum, Lucæ 22. *dedit illum discipulis*, & dixit, *Accipite & dividite inter vos:* quod denotat, in singulis speciebus separatis fuisse totum Christum, aliàs singuli accipientes partem calicis, non accepissent totum Christum. Ob hanc veritatem, in præfatione quadam, quæ habetur in Missali Ambrosiano, & quæ

refertur *de consecratione dist. 2. cap. singuli* 77. habentur ista verba, *Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est, nec per singulos minuitur, sed iterum se præbet in singulis.* Ad hoc denique demonstrandum, quòd, divisâ hostiâ, non dividatur Christus, nec minùs ipsum accipiat, qui sumit tantùm fragmentum hostiæ, quàm qui totam manducat, adducitur communiter exemplum Mannæ, quod Exodi 16. non plùs reficiebat illum, qui ipsam collegerat in majori quantitate, quàm qui in minori. Quòd si Augustinus serm. 2. de verbis Apostoli, ut habetur *de consecrat. dist. 2. can. qui manducant*, dicat, *unumquemque in hoc sacramento accipere partem suam, & per partes accipi corpus Christi in sacramento; integrum autem manere in cælo*; per hoc vult sanctus Doctor loqui de sumptione Christi quoad effectum, in quantùm uni datur una gratia, alteri alia, juxta communicantium exigentiam & necessitatem. Quòd si subjungat Augustinus, *integrum manere Christum in cælo*, non propterea concludi debet, quòd sit divisus in sacramento, quia non inducit particulam exclusivam, quæ denotet ipsum esse tantùm integrum in cælo; Immò ibidem ait, post communionem Christum manere integrum in corde communicantis, dicens, Totus est in cælo Christus, & Totus in corde tuo. Ex his ergo constat, post divisionem hostiæ Christum esse sub qualibet parte. An autem sit etiam in illis partibus singulis ante divisionem, id quæritur.

CONCLUSIO.

CORPUS Christi est totum sub qualibet parte hostiæ ante divisionem. Sic Scotus, D. Thomas 3. p. quæst. 76. Richardus, Major, Gabriel, Sotus & alii communiter in 4. dist. 10. & 11. sicut Alensis & D. Bonaventura, qui hoc probant ex D. Hilario relato in jure, de consecratione dist. 2. *Ubi est pars corporis Christi, ibi & totum.* Cùm ergo in qualibet parte hostiæ sit aliquid corporis Christi, in qualibet etiam parte hostiæ est totum corpus ipsius. Deinde, si esset una pars corporis in una parte hostiæ, & alia pars sub alia parte, frangeretur corpus ad fractionem hostiæ. Tertiò, ex hoc sequeretur, quòd corpus Christi esset commensurativè in hostia, quia una pars corporis corresponderet uni parti hostiæ, & altera alteri, & tunc majus esset in majori hostia, & minus in minori. Quartò, corpus Christi ponitur in sacramento per transsubstantiationem panis in ipsum; sed quælibet pars panis est panis, quia panis est totum homogeneum: ergo quælibet pars panis convertitur in totum corpus, juxta Innocentium 3. dicentem, *Ego sane concesserim, quòd totalis panis in totale corpus convertatur, ita tamen, quòd nulla pars panis in aliquam partem corporis transeat.* Quintò, corpus Christi sub sacramento reperitur excellentiori modo essendi, quàm spiritus; quando quidem spiritus est tantùm in uno loco, & corpus Christi in pluribus; sed spiritus taliter existit in loco & anima in corpore, ut sit totus in toto loco, & totus in qualibet parte: ergo hoc non est denegandum corpori Christi in Eucharistia. Tandem, corpus Christi est totum in qualibet parte hostiæ post divisionem: ergo & antè; quia non possunt esse plures præsentiæ corporis Christi, nisi sint plures prolationes verborum super plures materias. Nec est eadem ratio de specie reflectente in speculo, quæ est tota in toto & tota in qualibet parte post divisionem, non antè; quia multiplicario faciei procedit ex reflectione specierum in corpore

A lucido, unde quia ante divisionem erat tantùm unum corpus lucidum continuum, erat tantùm una reflexio; postquam autem separatum est speculum, corpus tot producit reflexiones, quot sunt corpora lucida: in proposito autem nulla est productio de novo, quando hostia est divisa in partes: quoniam ergo videtur, quòd corpus Christi sit totum sub qualibet parte post divisionem hostiæ, debuit esse totum sub qualibet parte ante divisionem, aliàs essent plures præsentialitates corporis Christi novæ sine novâ prolatione verborum.

OBJICIES. Si corpus Christi ante divisionem hostiæ, sit in qualibet parte totum: ergo est multoties in hostiâ. Respondeo, negando consequentiam, quia numerus non resultat nisi post divisionem;
B non enim anima est pluries in corpore, licet sit tota in toto & tota in qualibet parte. Dicendum ergo est sic de Christo, quòd sit tantùm semel in hostia; est enim in Eucharistiâ ad modum substantiæ spiritualis, quoniam denudatur omni quantitate externâ. *Dices*: Nullibi ponitur corpus Christi, nisi ex intentione consecrantis; sed intentio consecrantis non est, quòd corpus Christi faciat præsens sub singulis partibus hostiæ: ergo sub illis & sub singulis non continetur corpus Christi. Respondeo, quòd licèt consecrans non explicitè respiciat singulas partes hostiæ, intendit tamen illas implicitè consecrare; quia dum vult consecrare totum, vult consequenter consecrare partes. Hîc quærere solent speculativi, an corpus Christi, quod est sub om-
C nibus partibus divisibilibus hostiæ, sit etiam sub indivisibilibus, quæ divisibilia ipsa terminant & copulant: v. g. sub punctis, lineis, & superficiebus, quæ reperiuntur in hostia. Aliqui, ut Vasquez & noster Poncius dist. 44. negant Christum esse præsentem hujusmodi indivisibilibus, quod colligit Poncius ex Doctore nostro *dist.* 10. *quæst.* 9. *num.* 3. contrarium tamen probabiliùs sequitur ex doctrina ejusdem Scoti, dicentis, quòd Angelus sit ita in loco, ut sit in omnibus indivisibilibus loci: cùm ergo corpus Christi sit in hostia eo modo, quo Angelus est in loco, ideò non potest intelligi esse con-
D tinuè in hostia, nisi sit in omnibus indivisibilibus ejus. Quod confirmari potest per animam rationalem, quæ non posset informare corpus, nisi consequenter informaret omnia indivisibilia corporis. Sic igitur non posset corpus Christi esse continuè præsens sub partibus divisibilibus hostiæ, nisi esset etiam præsens sub indivisibilibus, quæ partes divisibiles continuant & terminant. Non quod sit primariò & per se præsens sub indivisibilibus, vi consecrationis; quoniam sub illis anteà non erat substantia panis, sed illis est præsens secundariò & consequenter, quia in eodem loco existunt, ubi sunt partes continui. Cùm autem contrariæ opinioni videatur favere Scotus, ideò ille explicandus est, quòd loquatur de hostia totali, quam sustinet non
E posse esse indivisibilem, juxta ea, quæ diximus anteà, materiam sacramenti debere esse sensibilem.

QUÆSTIO XVII.

Utrùm corpus Christi habeat suam quantitatem in Eucharistia?

CORPUS Christi non existit sub Sacramento circumscriptivè; quia præsentia circumscriptiva est, quando una pars locati respondet uni parti loci, & alia alteri; licet possit dici esse circum-

scriptivè, ratione specierum quæ sunt in loco circumscriptivè. Non est etiam definitivè in Eucharistiâ, quia quod est definitivè in uno loco, non est in alio; sed dicitur esse sacramentaliter, id est, modo quodam admirabili & ineffabili per modum substantiæ spiritualis, quoniam est totum sub totâ hostiâ, & totum sub qualibet parte; ita tamen ut sit actualiter in pluribus aliis locis eodem modo. An habeat autem quantitatem in Eucharistiâ, antequam solvatur, sciendum est, esse duplicem quantitatem; internam nimirum & externam. Prima distinguit partes à partibus in ordine ad se, easque ordinat, ita ut non confundantur; secunda verò, extendit substantiam & ejus partes in ordine ad locum, ita ut una pars respondeat uni parti loci, & alia alteri.

CONCLUSIO.

CHRISTUS non habet in Sacramento quantitatem externam, benè autem internam; non enim est extensum corpus Christi in ordine ad locum, quasi una pars ipsius corporis correspondeat uni parti hostiæ, aliàs non esset totum sub qualibet parte, ut diximus, & sic non habet quantitatem externam: habet tamen internam, in quantùm corpus Christi est animatum & organicum; & proinde certâ quantitate, saltem intrinsecâ, prout partes ejus non confunduntur, sed distinguuntur; caput enim non est humerus, nec humeri brachia, sicut nec brachia pedes; licet ubi sit unum, ibi sit aliud. Alii hanc veritatem explicant, dicentes, Christum habere quantitatem in Eucharistiâ, non modum quantitativum, intelligentes per quantitatem, extensionem partium in ordine ad se, & per modum quantitativum, extensionem in ordine ad locum. Quòd, inquam, Christus non habeat quantitatem, seu extensionem externam, patet ex hoc, quòd totum corpus Christi existat æqualiter sub parva hostiæ parte, ac sub tota, juxta id quod Ecclesia canit in missa V. sacramenti, *Fractum demum sacramēto, ne vacilles sed memento, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Quòd habeat verò internam, patet ex Scoto *in 4. dist. 10. quæst. 1. §. de secundo*, dicente cum aliis Theologis, quòd corpus Christi existat animatum in Eucharistia, & ad animationem requiratur organisatio seu figuratio, quæ non potest esse à sola forma corporeitatis, quæ dat tantùm distinctionem partium substantialium; sed debet esse à quantitate vi cujus corpus illud habet partes organisatas, distinctas, & ordinatas, tum inter se, tum respectu totius. Unde dicendum remanet conformiter conclusioni nostræ, quòd corpus Christi sit in Eucharistia ad modum substantiæ habentis suam extensionem vi quantitatis internæ, sine ulla tamen extensione partium in ordine ad locum.

OBJICIES, Si Christus habet aliquam quantitatem, erunt duæ quantitates simul, quia species sub quibus est corpus Christi, habent suam propriam quantitatem. Respondeo duas quantitates posse simul esse, quando una est interna, & alia externa, ut in proposito: & exemplum habetur de hac penetratione dimensionum, seu quantitatum, quando corpus Christi exivit de sepulchro; erat enim quantitas lapidis penetrati cum quantitate corporis Christi penetrantis. *Dices:* Non potest una pars esse extra aliam, quin possit designari locus, ubi illa sit; v.g. caput, manus, & c. ubi non est collum; sed hoc dicit respectum ad locum: ergo extensio intrinseca non potest esse sine positione

A extrinseca. Respondeo negando majorem, quia per positionem intrinsecam, collum est quidem extra humeros, attamen ubi erunt humeri, ibi erit collum; sicque verum est dicere, quòd quantitas illa intrinseca præstet divisibilitatem subjecti, non spatii; proindeque corpus Christi in Eucharistia est divisibile secundùm se, quia una pars non est alia; est verò indivisibile secundùm locum; & in hac occasione dicendum est, quòd plùs distet pes à capite, quàm brachium, distantiâ scilicet quantitativâ intrinsecâ, sed non distantiâ situali & extrinsecâ. Quòd si dicat Augustinus Epist. 150. ad Dardanum, *Tolle spatia corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, neque erunt*; quod videtur insi-
B nuare, omnem quantitatem divisibilitatem præstare, non tantùm subjecti, sed & spatii; sicque non posse reperiri quantitatem intrinsecam, quin reperiatur extrinseca. Respondendum est, Augustinum loqui per respectum ad res, quæ in loco existunt naturaliter; non per respectum ad Omnipotentiam Divinam, ita quòd, etiamsi naturaliter non possit aliquod corpus habere extensionem internam sine externa, nec quantitatem sine modo quantitativo, possit tamen hoc fieri virtute divinâ, ad quam mensuranda sunt quæcumque dicuntur de hoc ineffabili mysterio, juxta id quod habetur ex Concilio Tridentino sess. 3. cap. 1. dicente, corpus Christi
C esse sacramentaliter præsens eâ existendi ratione, quam, etsi verbis vix exprimere possimus, possibilem tamen esse Deo, cognitione per fidem illustratâ possumus assequi.

Si ergo hæretici in antiquissima religionis nostræ dogmata insurgere non desinant, dicentes, ridiculos esse Papistas, dum corpus Christi septem vel octo pedum constituunt in puncto quodam indivisibili; idemque corpus asserunt, esse quantum & non quantum, magnum & non magnum; maximè cum impossibile sit, uti dicunt, quòd vera quantitas locum non occupet: videant quæso, quàm ignorantes decipiantur; vel alios decipere attentent, cùm nullus Catholicorum dicere unquam voluerit corpus Christi esse quantum & non quantum,
D sed tantùm asseruerit, ipsum habere quantitatem & magnitudinem intrinsecam, licèt extensione & magnitudine careat extrinsecâ. Cùm autem fingunt impossibilitatem, quòd vera quantitas locum non occupet, contrarium habemus in nativitate Christi, in resurrectione ejusdem, & in ipsius introitu ad Apostolos januis clausis, de quo habetur Joan. 20. Primò, Christus ex Immaculata Virgine natus est, salvâ rupturâ claustri virginalis, sicut habet Symbolum Apostolorum dicens, Christum non tantùm esse conceptum, sed natum ex Maria Virgine, juxta id quod habetur Isaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet Filium:* quibus verbis apparet insolentia Erasmi, qui asserere ausus est, Mariam concepisse
E quidem virginem, non tamen virginem peperisse; exprimit enim scriptura, quòd non tantùm virgo conceperit, sed etiam pepererit. Si ergo corpus Christi, quod erat quantum, saltem quantitate internâ, non habuerit quantitatem externam, aliàs fuisset violatum claustrum virginitatis Mariæ, non est impossibile, quòd remaneat quantitas interna sine externa extensione. Secundò, ex resurrectione Christi, qui obsignato lapide exiit de sepulchro, sicut tradunt omnes sancti Patres, constat, quòd facta fuerit dimensionum penetratio, corpore Christi retinente suam quantitatem internam, amissâ externâ. Hoc admittit ipsemet Calvinus in Harmonia Evangelica ad caput 28. Matthæi, ubi ait, surrexisse Christum, non amoto nec devoluto la-

pide, quia ille qui potuit suâ virtute excitare suum corpus in sepulchro, eâdem virtute potuit egredi sepulchrum occluso ostio, ut miraculo sit excitatus & miraculo egressus. Si ergo patres dicant, Christo resurgenti adfuisse Angelos; adfuerunt quidem tanquàm miraculi testes, non verò quasi adjutores. Si etiam mulieres summo mane accedentes ad monumentum lapidem revolutum invenerint, hoc factum est ab Angelis, in gratiam mulierum, scilicet ut apertè viderent Christum tunc esse suscitatum à mortuis. Tertiò denique, talis separatio quantitatis externæ ab interna innotescit ex ingressu Christi ad discipulos januis clausis, & stetisse in medio discipulorum, qui conterriti sunt videntes ipsum sine ulla januarum apertione esse ingressum ad illos.

Quæres, quomodò Christus sit præsens in sacramento. Respondeo primò, Christum non esse præsentem speciebus sacramentalibus, tanquàm locatum in loco; tum quia esset in illis, vel sub illis definitivè aut circumscriptivè, quod utrumque negavimus in annotatione hujusce quæstionis; tum quia corpus Christi ambiretur per superficiem concavam specierum, quod falsum est etiam, cùm totas species intimè penetret, sicut penetrabat anteà substantia panis, qui non dicebatur esse sub accidentibus suis, tanquam locatum in loco. Respondeo secundò Christum non esse sub accidentibus, per actionem quâ sustentet illa, ut vult D. Thomas, quia talis actio Christi in sacramento supponit necessariò præsentiam ejus, quandoquidem res non censetur præsens, quia operatur; sed operatur, quia est præsens. *Respondeo tertiò*, Christum non esse præsentem speciebus, quasi illis uniatur hypostaticè: talis enim & tantæ unionis non habetur exemplum, nisi in ineffabili Incarnationis mysterio. *Respondeo quartò*, Christum non esse præsentem accidentibus per informationem passivam, quasi ipsis informetur; quia, ut aliqua substantia informetur accidentibus, debet existere divisibiliter, corpus autem Christi indivisibiliter existit in Eucharistia: ergo nec accidentia recipere potest, quibus informetur. *Respondeo quintò*, remanere ex negatione horum modorum præsentiæ Christi, quòd sit præsens per unionem tantùm extrinsecam, quâ Christus voluntariè decrevit, se præsentem reddere illis speciebus. Sic Scotus *dist.* 10. *quæst.* 6. ubi dicit, Christi corpus non esse unitum speciebus, sicuti forma est unita materiæ, vel è converso; vel sicut actus est unitus potentiæ, vel è contra; aut veluti pars est in toto; vel generaliter, sicut aliquid necessitate naturali conjungitur cùm altero; sed per actum voluntatis divinæ; quia Deus eâ voluntate, quâ instituit Eucharistiam in Ecclesia, determinavit facere corpus suum præsens speciebus post consecrationem. Non quod talis præsentia Christi referatur formaliter ad locum, seu ad spatium in quo sunt species; sed quòd primariò, intrinsecè, & formaliter referatur ad species ipsas sacramentales, quibus conjungitur & unitur; aliàs diceretur quidem Christus præsens spatio, in quo sunt species, sed non diceretur illis speciebus propriè præsens, quod tamen falsum est; imò, variatâ præsentiâ locali, quæ respicit spatium, non variatur præsentia Christi, ut sustinet Scotus; quod denotat, illam præsentiam terminari propriè ad species, & non ad locum. Porrò, si quæratur quid sit præsentia illa sacramentalis? Respondet optimè Doctor, esse respectum realem extrinsecùs advenientem, qui reducitur ad prædicamentum Ubi. Hanc præsentiam Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. vocat localem; non quòd sit propriè localis ad locum, sed quia est realis & substantialis præsentia, ratione cujus corpus Christi est sub speciebus & cum speciebus, ubi anteà non erat.

Quæres, utrùm præsentia sacramentalis dependeat à naturali, ita quòd produci non potuerit Christus, nec esse in sacramento, antequàm productus fuisset & formatus ex virgine. Respondeo negativè cum Scoto *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 4. *num.* 4. Sic etiam Vasquez, de Bassolis, & alii multi, quos sequitur Suarez 3. part. disput. 48. sect. 2. Ob hoc Doctor noster cum suis, asserit sacramentum Eucharistiæ potuisse institui ante Incarnationem; non quòd potuisset corpus Christi ante unionem Verbi cum humanitate reperiri in sacramento, tunc enim non fuisset propriè corpus Christi, quia non fuisset corpus hominis Deo uniti; sed quòd potuisset Deus producere in sacramento corpus Verbo divino unitum, antequàm formatum fuisset in utero Mariæ; quod corpus extitisset sacramentaliter, antequàm extitisset naturaliter. Hujus autem alia ratio esse non potest, nisi quia præsentia sacramentalis non dependet absolutè à præsentia naturali; quoniam corpus Christi existens simpliciter, est indifferens ad modum existendi naturaliter, & ad modum existendi sacramentaliter, quia præsentia naturalis non est de essentia præsentiæ sacramentalis, nec ejus causa, nec ullâ ratione ad illam concurrit, sicut nec vicissim præsentia naturalis dependet à præsentia sacramentali, quoniam utraque est effectus immediatus potentiæ divinæ: Ergo per potentiam absolutam potest dari præsentia sacramentalis absque naturali, sicque præsentia sacramentalis à naturali non dependet: proindeque potuit Christus reddi præsens in Eucharistia, antequam conceptus fuisset de Maria Virgine. Hanc opinionem Scoti absurdam vocat Cajetanus quæst. 76. art. 2. putans ipsum existimasse, quòd Scotus assereret, modum existendi sacramentaliter non pendere necessariò à modo existendi simpliciter: quasi diceret Scotus, Christum posse existere sacramentaliter, & non substantialiter, & in se; nihil enim tale excogitavit Doctor noster: imò, impossibile est, quòd Christus extiterit sacramentaliter, quin extiterit simpliciter & in se, quoniam existentia sacramentalis supponit existentiam absolutam. Sed voluit tantùm Scotus, quòd taliter independeat existentia sacramentalis à naturali, ut potuerit existere sacramentaliter, indivisibiliter, & sine extensione locali in Eucharistia, antequam existeret naturaliter, divisibiliter & cum extensione externa in utero matris. Ob hoc Gabriel Vasquesius 3. part. disput. 192. cap. 1. optimis rationibus Cajetanum refutat, probatque non solum veram esse mentem Scoti, sed nequidem ipsam discrepare ab aliorum Scholasticorum sententia.

Quæstio XVIII.

Quænam prædicata verificentur de Christo in Eucharistia?

Quædam sunt prædicata quæ concernunt motum & existentiam, ut esse sursum, deorsum, in sacrario, &c. Alia sunt prædicata, quæ sunt propria & absoluta specierum, ut esse albæ, rotundæ, &c. Alia tandem quæ ostendunt actionem & passionem, ut v. g. generare vermes, & lacerari. Quænam debeant dici Christo vel de corpore Christi, assignabit

Conclusio.

CONCLUSIO.

IN prædicatis quæ concernunt existentiam & motum specierum, quæ dicuntur de speciebus, dicuntur de corpore Christi; & sic, sicut species dicuntur esse in sacrario, sursum, deorsum, deferri ad infirmum, ore sumi, trajici ad stomachum, hæc omnia dicuntur de Christo & de corpore ejus; quia moto continente movetur contentum, moto dolio movetur vinum. Prædicata quæ sunt propria & absoluta speciebus, licet competant illis, non tamen affirmantur de corpore Christi; unde quoniam albedo, rotunditas, sapor, sunt veluti qualitates absolutæ specierum, quæ conveniunt illis, ideò dicuntur albæ, rotundæ, & sapidæ; non tamen conveniunt corpori Christi, quod non debet vocari, nec rotundum, nec album, nec sapidum. Prædicata quæ important actionem aut passionem, conveniunt speciebus, non corpori Christi; & sic licet species dicantur generare vermes, & atteri dentibus & lacerari, hoc non debet dici de corpore Christi. Ad tales enim actiones & passiones requiritur extensio localis, quam non habet corpus Christi: potest tamen impropriè & per denominationem extrinsecam dici, quod corpus Christi frangatur; sic in sacrificio missæ celebrato ritu D. Ambrosii, Sacerdos dicit ad Christum, *Corpus tuum frangitur, ô Christe!* Si quis quærat rationem, quare species possunt dici rotundæ, & non corpus Christi; est, quia istæ locutiones & ista prædicata non supponunt pro contento sub speciebus, sed tantùm pro ipsâ quantitate panis, quæ est subjectum accidentium.

ALIAS regulas tradit Bellarminus, ut distinguantur quænam prædicata verificentur de Christo in Eucharistia, & quænam illi attribui non debeant. *Prima est*, quòd nomina substantiva, quæ dicuntur de Christo, vel de corpore ejus extra Sacramentum, dicantur etiam de illo, ut in Sacramento est; sicque aptè dicitur, in Sacramento esse corpus, carnem & sanguinem Christi, quia nomina substantiva, quæ significant naturam rei, abstrahunt à modo quo existit, & sic conveniunt Christo, ubicunque existat, sive sacramentaliter, sive naturaliter. *Secunda est*, quòd licèt nomina adjectiva, quæ non dicunt ordinem ad corpora circumstantia, & conveniunt Christo, ut est in cœlo, conveniant etiam illi, ut est in Sacramento; ubi dicitur, esse corpus verum, reale, naturale & animatum; attamen nomina adjectiva, quæ dicunt ordinem ad corpora circumstantia, non illi conveniunt in Sacramento, licè ipsi adaptentur in cœlo; & proptereà dici non debet, quòd Christus sit sensibilis, visibilis, tangibilis, aut extensus; quia talia nomina ordinem dicunt ad corpora circumstantia, quem ordinem non habet Christus in Sacramento. *Tertia regula est*, quòd adverbia, quæ dicunt modum existendi corporalem, idest, modum existendi communem corporibus, non debeant dici de Christo existente in Sacramento, licèt dicantur de illo, ut in cœlo est; unde, licèt Christus dicatur esse verè, realiter & substantialiter in Eucharistia, attamen dici non debet, quòd sit corporaliter, mobiliter, sensibiliter in Sacramento; quia hoc exigit extensionem externam corporibus communem, quam non habet corpus Christi in Eucharistia. Attamen, ut diximus anteà, impropriè & ratione accidentium, quibus conjungitur, dicitur videri, moveri & tangi communiter, juxta satis communem usum loquendi Patrum, & præsertim Chrysostomi dicentis Homil. 83. in Matthæum, *Ipsum vides, ipsum tangis, ipsum comedis.* Sed hoc dicitur impropriè & figuratè tantùm, & non propriè, quidquid dicant aliqui, existimantes illa dici debere verè & propriè de corpore Christi, quæ dicerentur verè & propriè de pane, si adesset, qui reverà diceretur propriè videri, tangi & frangi ratione accidentium; sed istorum fundamentum falsum est, quia credunt unionem Christi cum accidentibus esse hipostaticam, vel ei valde similem; unde admittunt communicationem idiomatum inter Christum & accidentia, quod falsissimum est; tum quia Christus in Eucharistia posset dici rotundus, sapidus, &c. quod absurdum esse fatentur omnes, licèt in Incarnatione dicatur, Deum fuisse corporeum, tristem, & similia; tum quia, si Christus posset dici verè & propriè videri, quia videntur species; posset etiam dici calefieri aut frigefieri, quando frigefiunt aut calefiunt species, sicut Deus dicitur in incarnatione pati & vulnerari in carne. Tum denique, quia communicatio Idiomatum est mutua, & sic Attributa Divina quæ conveniunt Christo, convenirent etiam accidentibus, quod nemo huc usque asserere ausus est.

QUÆSTIO XIX.

Utrùm corpus Christi dicatur agere, pati, & moveri?

OMNIS actio vel est sensitiva, ut est visio, auditio, &c. vel spiritualis, ut intellectio & volitio. Quærimus, utrum tales actiones possit elicere Christus; & insuper, utrùm possit esse subjectum aliquarum actionum nostrarum: v. g. videri, aut tangi, & consequenter pati. Quærimus denique, an corpus Christi possit de loco in locum moveri.

CONCLUSIO PRIMA.

ACTIONES intellectivas potest elicere Christus, ut est in Sacramento; non verò sensitivas, nisi de potentiâ Dei absolutâ. Ratio primi est, quia anima Christi intelligit sicut Angelus, independenter à sensibus; talis enim dependentia tollitur in beatis; unde licet Christus in Eucharistiâ sit modo inextenso, potest elicere actiones vitales spirituales. Ratio secundi est, quia sensus externi agunt per species, quæ sunt materiales & quantæ, & sic debent recipi in organo quanto & divisibili; sicut autem corpus Christi non est extensum in Eucharistiâ, sic nec organa habet extensa: ergo nec videre, nec audire potest, ut est in Sacramento; licet Christus in Sacramento videat per operationem quàm habet in cælo, quoniam est unum & idem corpus numero in cælo ac in Sacramento; & hoc est quod dicunt communiter authores, Christum operari per concomitantiam in Sacramento. Ratio tertii est, quia nulla est contradictio, quin per absolutam Dei potentiam possit Deus imprimere species objectorum spoliatas sua quantitate externâ in organa inextensa Christi.

Ex dictis patet, quòd licet operationes sensitivæ non possint competere Christo, ut existenti in Eucharistia, possint tamen illi competere concomitanter, licèt non primariò, nimirum ut in cælo est. Primum patet, quia illud censetur primariò inesse Christo, ut existit Sacramentaliter, quod taliter illi inest, ut absolutè inesset, etiamsi Christus non esset alibi; sed si Christus non esset alibi, quàm in Sacramento, nimirum in cælo, non possent illi compete operationes sensitivæ, quales sunt visio,

auditio, & locutio, quia non habet organa corporea extensa in Sacramento: ergo non competunt illi primariò. Quia tamen operationes, quæ insunt Christo existenti in cælo, illi conveniunt ut in Sacramento est, ideo dicuntur illi inesse concomitanter. Ratio autem, quare actiones quæ competunt Christo in cælo existenti, illi adaptentur in Sacramento, desumitur ex hoc quod dicit Scotus, nullum absolutum desinere esse in aliquo propter novum respectum extrinsecùs advenientem; sed operatio est forma absoluta, quæ convenit corpori Christi simpliciter: ergo illi convenit in Sacramento, & in quocunque loco reperiatur; quia præsentia sacramentalis est tantùm novus respectus, qui non variat formas absolutas. Quando ergo dicunt, operationem requirere respectum potentiæ ad objectum, sicque Christum, qui in cælo videt beatam Virginem sibi approximatam non posse videre illam, ut existit in Sacramento, quandoquidem ab illo maximè distat: tunc respondendum est, quòd operatio sensitiva exigat respectum potentiæ ad objectum, ubi fit primariò, non verò ubi fit tantùm concomitanter. Ex quo sequitur, quòd licèt primariò Christus non possit videre B. Mariam à se longe distantem; attamen in Sacramento illam dicitur videre, licèt summè distet, quia talis visio non competit illi, nisi concomitanter, quatenus est eadem numero visio, ac ea quà illam videt in cælo.

CONCLUSIO SECUNDA.

CORPUS Christi, ut est in Sacramento, non potest alterari ab agentibus naturalibus, nec videri ab oculo corporeo, nec intelligi cognitione naturali. Primum dicitur, quia alteratio requirit contactum corporeum & quantitativum; sed corpus Christi non potest tangi per modum quantitativum, quandoquidem est inextensum: ergo nec alterari. Secundum asseritur propter eamdem rationem, quia oculus corporeus tendit tantùm in res quæ divisibili modo existunt. Tertium tandem affirmatur eodem argumento, quia cognitio naturalis ortum habet à sensibus: si ergo corpus Christi non potest percipi sensu corporeo, nec consequenter poterit cognosci naturaliter. Super visionem Christi in Eucharistiâ, D. Thomas asserit, quòd quando apparet visibiliter, miraculosè tamen figura Christi, Christum non videri in se, nec ejus sanguinem aut carnem, sed tantùm colorem & figuram ipsum referentem, & pro tunc non sunt consumendæ species illæ, sed servandæ in loco decenti, & novus panis iterum consecrandus est, ut perficiatur sacrificium. Nec tunc dicendum est, quòd si in figura taliter apparenti non esset vera caro Christi, tunc fieret quædam deceptio; hoc enim falsum est, quia talis apparitio, & tale miraculum fit tantùm ad repræsentandam veritatem rei; & ad significandum, quòd caro Christi reverà sit in Sacramento Eucharistiæ; licèt non sit ipsa caro, quæ appareat. Quòd siquis instet, dicens, talem figuram apparentem posse adorari, proindeque esse veram carnem Christi: Respondeo, adorari tantùm respectivè, sicut crucem, in quantùm est signum miraculosum repræsentans veritatem corporis Christi; non verò adorari ut ipsa est caro. Nam tales apparitiones tribus præsertim rationibus contingunt: nimirum vel ad confirmationem fidei, vel ad devotionem dignè communicantium augendam, vel ad terrorem & punitionem illorum, qui indignè communicant. Ad hæc autem omnia non requiritur, quòd vera caro Christi appareat, cùm sufficiat ad illa miraculum divinitùs patratum; ad confirmandam veritatem hujus mysterii, ad augendam devotionem communicantium, & ad terrendum indignè accedentes, ut habetur apud Nicephorum, prosiliisse ignem ex arcula, in qua recondita erat hostia consecrata, cùm mulier indignè communicatura accessisset. Non negamus tamen, quidquid in contrarium afferat Vasques, quin aliquando Christus possit apparere in forma humana, & forsan apparuerit, sicut multi tradunt, sub specie pulcherrimi cujusdam pueri, ut communicantium zelus & ardor magis inflammarentur. An autem illæ mutationes fiant verè, per immutationem objecti; aut apparenter, per immutationem solius phantasiæ, aut etiam medii, vel organi sensitivi, de hoc certò judicari non potest; licèt sit probabile esse mutationem tantùm apparentem, si illa à quibusdam tantùm videatur, & ab aliis cernatur Sacramentum in forma consueta; vel si illa mutatio non satis constanter, & ad longum tempus appareat.

CONCLUSIO TERTIA.

CORPUS Christi movetur quidem ad motum specierum, non tamen à Sacerdote; quasi Sacerdos movens species, moveat & corpus; sed movetur à Deo, qui statuit, quòd quotiescumque moverentur species, ipse moveret corpus; & hoc per idem miraculum continuatum, quo univit corpus Christi cum speciebus ex suâ solâ voluntate. Sic Scotus, cujus ratio hæc est: Quando aliqua duo conjunguntur tantùm contingenter per voluntatem superioris, si unum illorum sit proportionatum volenti, & aliud improportionatum, movens movendo proportionatum, non propter hoc movet aliud per accidens, sed est ipsum superius, quod univit cum alio quod etiam movet aliud, scilicet improportionatum, ad motum proportionati; sed corpus Christi unitur contingenter cum speciebus per voluntatem Dei tanquam superioris, & corpus illud est improportionatum illi qui movet species, quandoquidem est inextensum; ergo quando sacerdos movet species; non est ipse qui movet corpus, sed est Deus qui movet illud. Exemplificat Scotus de Angelo, qui vult se unire lapidi per voluntatem; qui fert illum lapidem, non fert Angelum, sed est ipse Angelus qui se movet ad motum lapidis.

OBJICIES, Moto aliquo, movetur per accidens quod est in illo: ergo Sacerdos movens species movet per accidens corpus Christi. Antecedens est verum, quando contentum est in continente, vel ut forma, vel ut pars, vel est necessariò conjunctum illi, aut contingenter per voluntatem alterius, non verò per suam propriam voluntatem: Christus autem est conjunctus speciebus per voluntatem suam, & Dei concurrentis cum illo; unde si moveatur, non movetur per accidens à sacerdote. *Dices*, Homo in navi est conjunctus navi per voluntatem, attamen navis movet illum per accidens: ergo, &c. Respondeo, hoc esse verum, quia virtus fluctuum maris movens navim, posset hominem seorsim movere, & sic movet hominem per accidens; sacerdos verò non posset seorsim movere corpus Christi, quia est inextensum: Deinde corpus Christi non est sub speciebus tamquam in contento; est enim æqualiter in superficie specierum ac in profunditate, & hoc solvit utramque objectionem. *Dices*: Movetur anima ad motum corporis, licet sit improportionata moventi. Respondeo, hoc fieri quia facit unum per se cum illo;

corpus autem & species non faciunt unum physicum, sed tantùm unum morale: unde non debet unquam dici, quòd corpus moveatur à Sacerdote, quia motio corporis fit per membra organica quæ habent extensionem.

Quæstio XX.

An accidentia sint sine subjecto simpliciter in Eucharistia?

Inter authores modernos aliqui, nimirum De-chartistæ, loco accidentium admittentes tantùm modos, volunt quidem remanere species reales panis & vini in Eucharistia, non verò ulla accidentia; Immò, asserunt pertinaciter, nullum reperiri Concilium, quod de accidentibus remanentibus factâ consecratione mentionem faciat, ut dicunt patere ex Concilio Tridentino Sess. 13. Can. 2. ubi negatur, substantiam panis & vini remanere, sed converti in corpus & sanguinem Christi, *remanentibus duntaxat speciebus panis & vini*, ubi non loquitur concilium de accidentibus. Alii verò nedum accidentia remanere, aut species reales perseverare negant; sed volunt, tantùm post consecrationem adesse species intentionales eorumdem accidentium, sub quibus erat panis, conservatas à Christo; vel potiùs, ipsum Christum in Eucharistia se tribuere videndum ad instar panis & vini, sicut se præbuit videndum Mariæ Magdalenæ sub hortulani forma. Hanc opinionem, suppresso nomine, proposuit modernus quidam author, ut refert Poncius noster, disput. 44. quæst. 9. cujus scripta se vidisse Romæ testatur, in quibus probare intenderat, accidentia, simul cum substantiâ panis & vini, desinere, solasque remanere species intentionales, quæ sese ingerentes sensibus visui exponebant hostiam. Quantùm autem istæ opiniones distent à veritate, de facili probatur.

Primò, dum dicunt De-chartistæ, nullum accidens dari in rerum natura, nec proinde accidentia panis aut vini remanere post consecrationem; in hoc universaliter rejiciunt communem omnium sæculorum philosophiam, quod maximam sanè insolentiam redolet. Dum asserunt verò, nulla concilia reperiri posse, quæ existentiam accidentium separatorum à subjecto commemorent in Eucharistia; tantummodò videre habent, ut falsitas illorum demonstretur, Concilium Constantiense, ubi sess. 8. damnantur articuli Vvicleffi, qui in secundo sustinebat, accidentia panis & vini non esse sine subjecto. Videre est posteà idem Concilium sess. 15. damnans Joannem Hussium, qui art. 4. tenebat, eos blasphemare in Deum, scandalisare Sanctos, & illudere Ecclesiæ, qui in Eucharistia fingunt accidens sine subjecto. Accedit Concilium Coloniense sub Paulo 3. parte 7. cap. 15. ubi expressis verbis habetur, *Quid enim panis vinique species aliud sunt post consecrationem, quàm species sacramentales, & accidentia sine subjecto?* Adjungi potest denique Concilium Tridentinum, in quo, licèt sess. 13. can. 2. fiat mentio tantum de speciebus, quæ post conversionem transsubstantialem remanent; attamen, per species intelliguntur accidentia ab omnibus, ut patet ex Catechismo ejusdem Concilii, ubi cap. de Eucharistia legitur, accidentia quæ illic oculis, aut aliis sensibus percipiuntur, sine ulla re subjecta existere. Secundò, dum Author innominatus, de quo superiùs, tenet, nec accidentia, nec species reales, sed tantùm intentionales remanere; talem opinionem noster Poncius probat, primò esse temerariam, quia est sine sufficienti fundamento contra universam Theologorum turmam; dicit secundò, esse erroneam, quia omnes scriptores semper existimarunt de fide esse, quòd accidentia illa sensibilia panis & vini maneant sine subjecto in Eucharistia, sicut Prædicatores & Pastores hoc communiter fidelibus tradunt credendum; suadet denique illam esse hæreticam, quia Concilium Tridentinum determinat, quòd species duntaxat panis & vini maneant, quod esset falsum, si species intentionales de novo producerentur à Deo, destructis cum pane & vino accidentibus, quæ sunt species reales, quod tamen prætendit innominatus ille Author.

Conclusio.

Dicendum est simpliciter, quòd in Sacramento Eucharistiæ remaneant accidentia sine subjecto; nomine subjecti intelligendo subjectum ultimatum, nimirum substantiam, quæ accidentia naturaliter sustentare solet. Nec obest, quòd aliqua accidentia sacramentalia sustententur per quantitatem; sicut nec impedit, ut domus dicatur subsistere sine fulcimento, quòd tectum fulciatur parietibus, modò parietes ipsi non sint fundamento innixi. Sic etiam, estò qualitas, figura, & alia accidentia panis existant in quantitate, non minùs tamen tota accidentium congeries dicenda est remanere sine fundamento; quia illa non habent saltem subjectum mediatum, nimirum substantiam, in qua sustententur. Quòd autem accidentia, seu species panis & vini, remaneant sine subjecto, definivit, ut jam diximus, Concilium Tridentinum sess. 13. Can. 2. Idem habetur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. *firmiter*, in Constantiensi sess. 8. ubi damnatur Vvicleffus asserens, accidentia panis & vini in Eucharistia non esse sine subjecto; sicut & Joannes Hussius sess. 15. ac denique Concilium Coloniense præcitatum in annotatione. Ob hoc autem voluit Deus remanere accidentia, & non desinere per consecrationem, sicut substantia panis & vini desinunt; nimirum, ut forma carnis Christi occultaretur communicantibus, nec ipsi abhorrerent à manducatione corporis humani; deinde, nè caro Christi, quæ nunc gloriosa est, communicantium oculos offenderet; tertiò, ut fides haberet meritum, credendo rem aliter se habere, quàm sensibus appareat; quartò, quia ad Sacramentum requiritur signum aliquod sensibile, quod rem insensibilem contineat; unde, cùm caro Christi non sit sensibilis in Eucharistiâ, ut pote inextensa, ideo indiget sensibilibus ac corporeis accidentibus, sub quibus existat.

Ratio hujusce veritatis desumitur à Doctore ex hoc, quòd nemo dubitare possit, quin in Eucharistiâ sint accidentia panis & vini, ut dictant ipsimet sensus; sed illa accidentia non possunt esse in subjecto: ergo sine subjecto existunt. Probatur minor; Si essent in subjecto, vel essent in pane, vel in corpore Christi, vel afficerent aëris substantiam; nullum autem horum dici potest: ergo non sunt in subjecto. Primò, illa accidentia non sunt in pane, quia non ampliùs remanet panis, ut probavimus assignando transsubstantiationem ejus in corpus & sanguinem Christi. Secundò, neque sunt in corpore Christi, quia illa accidentia sunt extensa & divisibilia & corpus Christi existit in Sacramento indivisibiliter: ergo accidentia non possunt in illo recipi, juxta commune Philosophorum axioma,

Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Tertiò denique; aer non potest esse subjectum illorum accidentium, nec illis informari; tùm quia non est aptus ad illa recipienda, aliàs esset durus & posset frangi, sicut species panis; tum quia deberet admitti novum miraculum, quo de subjecto in subjectum accidentia migrarent. Quòd si quis dicat, factâ consecratione, non ampliùs remanere illa accidentia, aut in pane, aut in Christo, aut in aëre; sed in aliquâ novâ substantiâ, quæ per miraculum creata esset de novo; Respondendum est, hoc gratis fingi. Imò, superfluum videretur destruere substantiam panis, in quo erant talia accidentia tanquam in loco proprio, & statim reproducere aliam substantiam, quæ illa sustineret: ergo ex omnibus his liquet, accidentia esse sine subjecto, neque propterea dicendum est, quòd ex hac suppositione sequantur plura miracula, ut pote ipsa agere sine subjecto, ipsa pati, moveri & frangi, quæ tamen necessaria non sunt: quia est tantùm unum miraculum, quoniam posito quòd accidentia miraculose existant sine subjecto, naturale est illis, ut possint agere, moveri & frangi, sicut dicemus posteà.

Objicies. Non potest accidens esse sine substantiâ: ergo accidentia non sunt sine subjecto in Eucharistiâ. Negatur antecedens, quia accidentia habent aliquam entitatem absolutam distinctam ab entitate substantiæ, quam entitatem Deus conservare potest sine entitate subjecti, & quam de facto conservat in hoc Sacramento; non quidem eodem concursu quo conservabat eadem accidentia in subjecto, quia illud est naturale; sed alio, qui supernaturalis est & longè sublimior. *Dices*, inhærentiam esse essentialem accidenti, quia accidens definitur entis ens, cujus esse est inesse seu inhærere. Respondeo, inhærentiam aptitudinalem posse dici quidem de essentia accidentis, quod reverà semper retinet aptitudinem & propensionem ad inhærendum nullâ virtute separabilem; inhærentia tamen actualis non est essentialis accidenti: Imò, est separabilis, ut innuit D. Basilius in Hexamero, asserens lucem in primâ creatione fuisse divinitùs productam sine subjecto cui inhæreret. Dùm ergo dicunt, accidens definiri entis ens; non est vera definitio, sed tantùm descriptio quædam; quoniam suprema genera, nec ea quæ ipsa excedunt; quale est accidens, nequeunt definiri. Unde, licèt accidentia quæ actu inhærent possint dici entis entia, non quasi entitas unius sit entitas alterius, quoniam distinguuntur ut res à re, sed quia sunt in eodem loco; attamen, in Eucharistiâ accidens non est entitas alterius entis, quia nulli subjecto inhæret; sed est entitas absoluta per potentiam Divinam miraculosè subsistens.

Objicies secundò. Ex hac conclusione sequeretur, quòd si divinitùs accidentia essent sine subjecto, Deus proinde illa sustentaret, & sic suppleret vices causæ materialis, quod est falsum; aliàs, sicut ex materiâ & accidente resultat compositum, sic etiam in Eucharistiâ Deus esset compositus. Respondeo, Deum non sic dici sustentare accidentia, quatenùs illorum singularitatem terminet, quod tamen esse possibile probavimus in Tractatu de Incarnatione, ostendentes Verbum D. nedùm potuisse assumere naturam intellectualem hominis, sed & quamcumque aliam, etiam accidentalem terminare potuisse. Non etiam sic dicimus Deum sustentare accidentia, quasi se substituat loco materiæ, ut ab illis informetur; sed ideò dicitur illa sustentare, quia per concursum suum miraculosum & supernaturalem facit ut subsistant sine subjecto, & independenter ab illo. *Dices*. Substantia completa non potest esse sine propriâ existentiâ: ergo accidens completum non potest existere sine propriâ inhærentiâ; sed accidentia Sacramenti Eucharistiæ sunt completa, quia talia sunt post consecrationem, ac ante: ergo non possunt spoliari suâ propriâ existentiâ, nec proinde existunt sine suo subjecto. Respondeo negando antecedens; quia substantia completa humanitatis Christi caret suâ propriâ subsistentiâ, & solâ subsistentiâ Verbi subsistit; cùm ergo substantia completa dicat ordinem magis aliquo modo intrinsecum ad suam propriam subsistentiam, quàm accidens ad subjectum, quod sibi tantùm extrinsecum est; proinde, si videatur in Incarnatione substantia completa, quæ spoliatur propriâ subsistentiâ, mirari non debent hæretici, si in Sacramento Eucharistiæ dicamus accidentia separari à subjecto. *Dices*. Ergo accidens erit substantia, quia per se subsistit. Respondeo, per se subsistere negativè, quia non inhæret, non verò positivè; quia subsistentia positiva competit tantùm substantiæ, & sic semper negandum est, quòd in hoc casu accidens sit substantia; retinet enim semper inhærentiam aptitudinalem, cujus substantia est incapax.

Quæstio XXI.

An in Eucharistia sint accidentia sine subjecto mediato, vel immediato?

Duplex est subjectum accidentium: mediatum scilicet & immediatum. Mediatum est substantia cui inhæret tota collectio accidentium, nam substantia dicitur talis, tùm à subsistendo per se, tùm à sustentando accidentia. Immediatum verò est quantitas, cui alia accidentia insunt; ut calor, sapor, odor, albedo, rotunditas, & alia. Postquam in quæstione præcedenti resolvimus, accidentia esse simpliciter sine subjecto, hîc magis ad particularia descendentes, quærimus, utrùm omnia accidentia quæ in Eucharistiâ reperiuntur sine omni subjecto sint, ità quòd, neque subjecto mediato, neque subjecto immediato inhæreant?

Conclusio.

Omnia accidentia Eucharistiæ sunt sine subjecto mediato, non vero omnia sunt sine immediato; imò, licèt aliqua quæ sunt in subjecto mediato possent esse sine illo, attamen aliqua illorum non possunt esse nisi in subjecto. Hæc conclusio quatuor habet partes, quarum prima probata remanet ex conclusione præcedenti, ubi ostendimus omnia accidentia esse sine substantiâ, quæ est subjectum mediatum accidentium. Quoad secundam partem, patet ipsius veritas ex hoc, quòd calor, color, sapor, rotunditas, & alia accidentia panis præter quantitatem inhæreant ipsi quantitati, tanquam subjecto immediato; quia illæ qualitates sunt divisibiles & extensæ: ergo requiritur, quòd sint in subjecto extenso & divisibili, quod aliud esse non potest, quam quantitas. In tertiâ parte diximus, quòd aliqua accidentia Eucharistiæ sint in subjecto immediato, nempe in quantitate, quæ tamen possunt esse sine illo; nam licèt qualitas sit in quantitate tanquam in subjecto immediato, potest tamen absolutè esse sine illâ; quia, ut inquit Doctor noster, licèt qualitas sit extensa, ut

patet ad sensum, qui percipit v. g. albedinem esse A duorum vel trium digitorum; non est tamen extensa essentialiter, extensione quæ sit intrinseca qualitati, sed tantùm extensione per accidens, unde illa qualitas potest separari divinitùs ab illâ extensione accidentali, & sic remanere separata à quantitate. Deinde, plus dependet qualitas à substantiâ, quàm à quantitate, quia ad substantiam ordinatur primariò, & secundariò ad quantitatem; cùm ergo possit esse qualitas sine substantiâ, poterit esse sine quantitate. Nec quis dicat, quòd pro tunc illa qualitas, v. g. albedo, foret simul sensibilis, quia est patibilis qualitas; & insensibilis, quia non esset extensa; pro tunc enim dici deberet semper sensibilis, saltem in potentiâ; quia revera est patibilis qualitas, licèt actu non sentiretur; quia non B haberet extensionem. Quantùm denique ad quartam partem, ubi diximus, aliqua accidentia Eucharistica non posse esse sine subjecto; ipsa patet, maximè de accidentibus relativis ut sunt motus specierum, æqualitas, similitudo, & illarum locatio, quæ debent necessariò esse in quantitate, vel in qualitate, in quantùm non potest v. g. esse respectus inter duo, quin illa duo existant, nec proinde æqualitas, aut similitudo inter albedines specierum, quin dentur albedines, quæ sunt subjectum talium accidentium relativorum; & sic aliqua sunt accidentia Sacramentalia in subjecto, quæ non possunt esse extra illud. Nec dicendum est, contra secundam C partem, quòd si aliqua accidentia essent in quantitate tanquam in subjecto, accidens esset subjectum accidentis: hoc enim est possibile; ut patet de velocitate & tarditate, quæ habent motum pro subjecto. Quòd si dicatur contra quartam partem, accedens respectivum non habere repugnantiam ad existendum sine subjecto, nec ut accidens est, alias hoc repugnaret omni accidenti; nec, prout est respectus, aliàs relationes Divinæ essent in subjecto: Respondendum est, hoc repugnare accidenti, non quia est accidens, nec prout est respectus simpliciter, sed prout est respectus accidentalis. Adde quòd, licet relationes Divinæ non sint in subjecto, sunt tamen in suppositis, sine quibus existere non possent.

Super existentiam, quam habent sine subjecto D accidentia Eucharistiæ, aliqui cum Suare sustinent, præter specialem concursum Dei, quo conservantur extra subjectum, debere admitti aliquem modum positivum per se existendi, similem modo essendi, quem habet substantia; ità quòd desinente pane, cui inhærebant accidentia, ipsa reciperent modum illum positivum per se essendi, actuali inhærentiæ repugnantem: sed contrarium asseverat Scotus *in 4. dist. 12. quæst. 1. num. 4. & 24.* Tum quia modus ille esset superfluus, in quantùm sine illo Deus in genere causæ efficientis potest sustentare hujusmodi accidentia, & illa conservare extra substantiam sine subjecto: ergo inutilis esset additio talis modi. Tum etiam, quia modus ille est im- E possibilis; nam vel esset substantialis, vel accidentalis; si substantialis, adderetur contra naturam accidentis, quæ nihil substantiale recipere potest: si esset autem accidentalis; ipsemet modus postularet inesse subjecto, nec per se posset existere, nec dare aliis accidentibus, ut per se existerent. Deinde, si accidentibus Eucharisticis daretur modus positivus essendi per se, similis illi modo quem habebat panis ante consecrationem, variaretur natura illorum accidentium; quia talis modus esset, vel differentia, vel proprietas substantiæ ab illâ inseparabilis, quæ non posset communicari alteri, quàm substantiæ, nisi illi alteri communicaretur ipsa substantiæ ratio, sicut non potest communicari differentia aut proprietas hominis alteri ab homine, nisi mutetur & illud alterum, quod pro tunc naturam hominis induceret recipiendo illius differentiam essentialem aut proprietatem internam: ergo, si accidentia Eucharistica haberent modum positivum essendi per se, mutarentur in suâ naturâ, & rationem substantiæ induerent, quod absurdum est dicere. Tandem, si accidentia Eucharistica reciperent modum essendi per se à Deo, post illam receptionem talis virtutis, illis naturale esset existere sine subjecto; quia quoties vis aliqua supernaturalis datur alicui, postquam illi data est, agere potest naturaliter illud, ad quod data est illa virtus; ut patet de cæco, qui postquam à Deo recepit visum, naturaliter videt; sed nullus est qui dicat, accidentia Eucharistica naturaliter existere sine subjecto: ergo non debet admitti talis modus essendi per se, qui accidentibus concedatur, sed tantùm admittendus est concursus specialis, inditus à Deo accidentibus, quo conservantur extra subjectum, nec proinde dicenda sunt illa accidentia manere in statu violento, quia non inhærent; quoniam quæ fiunt ex præscripto authoris naturæ non sunt in statu violento, sed in statu naturali; quia naturale est cuicunque enti creato remanere in tali statu, quo ipsum posuerit supremus omnium entium Dominus; sicque sufficit, quòd Deus tribuat accidentibus Eucharisticis sine ullo medio in genere causæ efficientis quidquid habebant antea à subjecto in genere causæ materialis, proindeque, nedùm est superfluus, sed insuper impossibilis, modus ille, quem ipsis attribuere contendit Suares.

Quæres, an accidentia Eucharistica possint extra subjectum exercere easdem actiones, quas efficere poterant, dùm erant in subjecto? Ante responsionem, sciendum est, quòd duplex sit actio, nempe realis & intentionalis. Intentionalis est ea, quâ aliquod objectum per speciem intentionalem sui ipsius potest intellectum vel sensum immutare, sese præstando intelligendum vel sentiendum. Actio realis est illa, quâ producitur aliquid reale in objecto. Et illa duplex est, nempe substantialis, quâ objectum generatur vel corrumpitur; & accidentalis, quâ subjectum tantùm alteratur, recipiendo scilicet mutationem aliquam accidentalem. Hoc posito, *Respondeo primò:* Accidentia Sacramentalia panis & vini possent sine subjecto producere actiones intentionales, tùm intellectivas, tùm sensitivas, ut testatur experientia; quoniam videmus & gustamus species sacramentales, quæ non sunt in subjecto, ac circa illas ratiocinationes producimus, dicendo v. g. albedinem hostiæ esse patibilem qualitatem, esse accidens, & sic de aliis. Hujus veritatis ratio est, quia vis immutandi sensum vel intellectum non dependet à substantiâ, sed à solis accidentibus, è quibus emanant species. Imò, quòd substantia sit sensibilis aut visibilis, hoc pendet à substantiâ. *Respondeo secundò*, quòd accidentia Eucharistica non possint producere actiones substantiales, nec consequenter generare aut producere substantiam; quia, nec accidentia ipsa, uti in subjecto sunt, possunt concurrere principaliter ad generationem vel corruptionem substantiæ; quandoquidem accidentia non sibi assimilant substantiam, & agens principale assimilat sibi productum. Deinde, accidens, cùm sit minùs perfectum substantiâ, non habet unde illam producere possit. *Respondeo tertiò*, accidentia in Sacramento posse alterare substantiam; quia possunt alterare acciden-

tia contraria; quoniam si species sacramentales sint calidæ aut frigidæ, calefacere possunt aut frigefacere; nam ex illorum separatione à substantiâ nihil suæ virtutis aufertur: Imò, subjectum non aliter ipsis necessarium est, nisi ad existendum, non verò ad operandum; unde, cùm sine subjecto existant modo quantitativo & divisibili, proinde agere possunt accidentaliter & immutare accidentaliter substantiam. Licèt autem ad illam immutationem & alterationem sequatur aliquando corruptio substantiæ, & productio alterius; non sunt tamen ipsa accidentia, quæ corrumpunt, sed potiùs agens universale, nempe Deus, qui corruptis accidentibus necessariò conjunctis cum substantiâ, illam destruit & aliam producit quæ convertitur in tertiam; v. g. in vermes qui nascuntur ex speciebus hostiæ corruptis. Porrò, sicut accidentia Eucharistica possunt actiones elicere sine subjecto, sic etiam possunt moveri localiter, sicut frangi, dividi, uniri, rarefieri, & condensari, ratione scilicet quantitatis specierum, quæ cùm sint extensæ in ordine ad locum, possunt fieri rariores vel densiores.

Quæstio XXII.

Quamdiù maneat corpus Christi sub speciebus?

Incipit reverà esse sub illis eo instanti quo completur prolatio verborum, quia tunc est sub speciebus, quando verba significant ibi esse corpus Christi, quoniam verba efficiunt id quod significant. Cùm ergo, prolatis verbis, significetur corpus Christi esse præsens, ideò post ipsorum verborum prolationem præsens efficitur. Est, inquam, præsens per mutationem receptam in accidentibus, non verò in pane neque in corpore Christi, nisi impropriè. Quod aliqua fiat mutatio respectu accidentium, patet ex hoc quòd ante consecrationem actualiter inhæreant subjecto, & post consecrationem sint extra illud, & ad modum substantiæ existant per se. Quòd autem nulla fiat mutatio propria, neque in pane, neque in corpore Christi per consecrationem, quæ est conversio illius in istud, ex hoc probatur, quòd in mutatione propriè sumptâ requiratur subjectum commune, quod acquirat unam formam post aliam; sed in consecratione & transsubstantiatione subjectum non reperitur commune, quod fuerit anteà sub formâ panis, & posteà induat formam corporis Christi; Imo panis totaliter destruitur, & corpus Christi totaliter incipit esse: ergo nec panis mutatur propriè, licèt suum esse totale deperdat; nec corpus Christi, licèt acquirat novam præsentiam, quam non habebat priùs; quia scilicet non datur subjectum commune pani & corpori Christi: & hæc est ratio, quare dicitur communiter, creationem & annihilationem non esse veras mutationes. Posito ergo, quòd absque ullâ temporis successione corpus Christi reddatur præsens sub speciebus panis & vini, eo instanti quo prolata sunt consecrationis verba, ulterius inquirimus, quandiu duret præsentia talis, sub speciebus Eucharistiæ?

Conclusio.

Tamdiu conservatur corpus Christi sub speciebus, quamdiu conservaretur substantia panis, si ibi adesset; quia Christus ex institutione Sacramenti succedit in locum panis: sicut ergo per quamlibet alterationem specierum non desinit cor-

A pus, nisi per eam tantùm, per quam desineret panis; non etiam desinit eo ipso quo in os recipitur, aut in ventrem trajicitur, quia non ita statim desineret substantia panis; desinit autem, quando ex ipsis speciebus generantur vermes. Quod si una pars specierum corrumpatur quibus vermes succedant, & alia pars specierum remaneat; desinit corpus Christi sub illis accidentibus, non verò sub istis quæ remanserunt. Quid autem fiat si vinum consecratum misceatur cum non consecrato: Respondent Doctores, quòd si misceatur cum vino ejusdem speciei, tamdiu remaneat sanguis, quamdiu remanet illud vinum; ita quod, si una gutta consecrati misceatur cum magnâ quantitate non consecrati, manebit sanguis Christi sub accidentibus il-

B lius guttæ; quia si in illâ guttâ esset substantia vini, non destrueretur illa gutta per magnam quantitatem ejusdem vini, quoniam corruptio fit tantùm à contrario. Unde major pars Doctorum dicit, quòd illa quantitas vini, cui admixta est gutta consecrata, debeat conservari ad pios usus, ob reverentiam debitam speciebus consecratis; licet aliqui dicant, posse administrari laïcis; quia illa gutta habetur pro amissâ, cùm ignoretur quænam illa sit. Quòd si illa gutta vini consecrati misceatur cum alio vino alterius speciei, verbi gratia cum vino albo, quod à multis censetur esse diversum specie à rubeo, dicant, quòd desineret esse sanguis Christi eo instanti quo desinerent esse species vini rubei, & ex illis fieret vinum album. Porrò, an in illo casu debeat

C dici, quòd sanguis Christi admisceatur cum vino: respondetur negativè; quia licet species vini consecrati misceantur cum vino non consecrato, substantia tamen sanguinis non miscetur, quia ea tantùm misceri dicuntur, quorum extremitates conjunguntur; conjunctio autem fit tantùm inter res quæ habent extensionem localem: cum ergo sanguis sit inextensus, non potest dici, quòd misceatur cum vino.

Veritas hujus conclusionis supponit accidentia Sacramentalia corrumpi posse extra subjectum, sicut possent corrumpi, si existerent in subjecto, & hoc etiam ab agentibus naturalibus, ut experientia testatur, quâ videmus species panis & vini altera-

D tiones physicas suscipere in stomacho communicantium, ubi calefiunt, rarescunt, ac denique corrumpuntur; sicut aliquando evenit in pixide sacrarii, ubi si diutiùs remanserint, ità alterantur, ut corrumpantur etiam successu temporis; unde præcipitur communiter, consumi mensibus singulis veteres hostias & recentiores alias substitui: quod etiam fieri aliàs præceperunt Concilium Turonense & Aurelianense, ex Burchardo lib. 5. Decreti. Ratio hujus ex eo desumitur, quòd primò talia accidentia, præsertim qualitates, habeant contrarium à quo patiantur. Deinde, habeant commune subjectum, à quo mutuò se expellant, nempe quantitatem.

E Tertiò, habeant extensionem localem, quæ requiritur ad contactum agentis ad patiens: Et sic, cùm habeant omnes conditiones requisitas, nedùm ad alterationem, sed etiam ad passivam corruptionem, negari non potest, quin qualitates in Eucharistiâ existentes corrumpi possint ab agentibus naturalibus, eodem modo quo corrumperentur, si existerent in substantiâ panis & vini. Si tamen non inhærerent quantitati; annihilari quidem possent à Deo, non tamen possent illas corrumpere agentia naturalia; quia ad destructionem alicujus requiritur pugna contrariorum, ad pugnam requiritur contactus physicus, & ad contactum physicum exigitur ut agens & patiens sint & existant divisibiliter & cum

extensione ad locum. Quantùm verò ad quantitatem quæ reperitur in Eucharistiâ; licèt realiter mutari possit, dùm frangitur, dividitur, rarefit, condensatur, & mutatur localiter; attamen corrumpi non potest ab agente naturali, nec totaliter destrui, sed annihilari, ut inquit Scotus cum multis aliis: quia, vel corrumperetur per se à naturali agente, vel corrumperetur ad corruptionem subjecti, quod utrumque falsum est. Primò, quia sicut conservatur à Deo solo, ita ab illo solo corrumpi potest. Secundò, quia in Sacramento Eucharistiæ non habet subjectum: ergo ad corruptionem subjecti corrumpi nequit quantitas; unde tenent communiter Theologi, & Scotistæ præsertim, corruptis speciebus per agentia naturalia, à Deo annihilari quantitatem. *Dices*, Porrò species, quando corrumpuntur, non convertuntur in substantiam, quia non potest ex accidente fieri substantia; nec in aliud accidens, quia cùm illud accidens novum non haberet subjectum, tunc creatura causaret accidens sine subjecto; nec reducuntur in nihilum, quia virtus annihilandi accidenti corrumpenti competeret, quod falsum est. Dicendum ergo remanet, quòd tales qualitates corruptæ mutentur in alias qualitates contrarias, quæ insunt substantiæ, quam de novo Deus creat ad corruptionem specierum.

Quæstio XXIII.

Quomodo ex speciebus generetur aliquid?

Species Sacramentales possunt nutrire, ut docet experientia: ex illis ergo potest produci sanguis, cum nutritio nihil sit aliud, quàm conversio alimenti in sanguinem, & sanguinis in substantiam aliti: ex speciebus etiam alteratis & corruptis generantur vermes; & sic quærimus quomodò hoc possit fieri, quia omnis generatio præsupponit materiam in qua forma substantialis rei genitæ recipiatur, ibi autem nulla est materia.

Conclusio.

Quando ex speciebus producitur substantia, hoc fit ab agente supernaturali, scilicet à Deo, qui eodem instanti quo species ita sunt alteratæ, ut non posset naturaliter sub eis conservari panis substantia, si esset, & consequenter quo desinit esse corpus Christi, ibi creat materiam, eique unit quantitatem panis & vini & alias qualitates quæ inhærent illi pro eo instanti quo materia illa jam est ultimò disposita ad susceptionem illius formæ substantialis quam Deus producit, & quam produxisset panis corruptus, si priùs fuisset. Hæc conclusio non est ità in confesso apud omnes, quin aliquam inter Doctores patiatur controversiam. Nam licèt omnes fateantur, ex sumptione Eucharistiæ fieri aliquam generationem; aliqui tamen, ut Caïetanus, prætendunt ob hoc non debere novam materiam creari à Deo, quia eadem numero materia, quæ erat sub pane & vino remanet sub formâ substantiali corporis Christi, & transit in substantialem ejus compositionem; unde, quando species destructæ sunt & Christus desiit esse sub illis, tunc eadem numero materia, quæ anteà erat sub formâ panis, & quæ remansit sub formâ corporis Christi, novam formam substantialem accipit, eo ipso quo accidentia corrupta sunt. Sed, ut aliàs diximus, ista opinio rejicitur universaliter ab omnibus Theologis, qui distinguentes transsubstantiationem à transformatione, sustinent in ipsâ transsubstantiatione, quam admittunt omnes Catholici, non fieri tantùm conversionem formæ substantialis panis in formam substantialem corporis Christi, sed totum panis compositum, secundùm materiam & formam sumptum, mutari in materiam & formam corporis Christi.

Alij volunt, quòd reverà per Transsubstantiationem materia panis desinat, sicut ipsius forma, succedantque immediatè corpus & sanguis Christi; attamen nolunt, quòd corruptis speciebus & mutatis in aliam naturam, v. g. in acetum vel substantiam ejus à quo sumuntur, sit necessarium, novam creari materiam, quæ induat formam substantialem aceti, vel hominis tales species assumentis; quando quidem, ut inquiunt, quantitas specierum, quæ gerit vicem materiæ in Eucharistiâ substare incipit formæ aceti ipsius, vel formæ hominis, in cujus stomacho digeruntur species vi caloris naturalis, & induunt formam substantialem illius. Hæc opinio attribuitur D. Thomæ 3. part. quæst. 77. art. 5. in corpore & ad primum: Attamen Thomistarum varii ipsum variè interpretantur, existimantes hoc non posse rationabiliter admitti, quia substantia genita ex speciebus sacramentalibus est compositum substantiale, quod non potest in suâ compositione involvere tantùm accidens, seu quantitatem: aliàs vermes, qui v. g. ex speciebus corruptis generarentur, non essent vera animalia, quoniam non constarent vero corpore essentialiter materiam involvente. Unde semper recurrendum est ad ea quæ in conclusione diximus, quòd in generatione quæ fit ex accidentibus corruptis, non remanserit materia prima panis, quæ destructa est per Transsubstantiationem; nec sola quantitas remaneat, quæ induit novam formam substantialem; quia acetum v. g. quod ex speciebus corruptis generatum esset, haberet tantùm rationem entis per accidens, quoniam componeretur solùm ex quantitate & formâ substantiali aceti; & dicendum, quòd in tali occasione, quâ desinit corpus Christi, creetur à Deo alia substantia in eo instanti quo ab agente naturali introducitur forma substantialis rei de novo productæ. An autem reproducatur eadem numero substantia panis, quæ anteà destructa fuerat; vel alia de novo producatur, quod utrumque pendet ex solo Dei bene placito, non nisi conjecturaliter dici potest. Attamen verisimilius est, quòd reproducatur eadem substantia panis, quæ antea fuerat; quia cùm materia prima sit ex naturâ suâ incorruptibilis, & materia præcedens panis fuerit in quâdam violentiâ, quando amisit suum esse, ut locum daret præsentiæ Christi, connaturale videtur, quòd reproducatur eadem; maximè, ut fiat minor variatio in universum, supponendo in primâ creatione totam materiam primam fuisse simul creatam, & nullam successu temporis esse creandam; quod reverà fieret, si diceretur in nostro proposito, materiam antecedentem panis reproduci, & non aliam.

Quæres, An corpus Christi censeatur amittere aliquid, quoties corrumpitur hostia? Ex antecedentibus supponitur, quòd species Eucharistiæ Christum continentes de facili corrumpi possint; vel malo casu, quando v. g. ex negligentiâ sacerdotis ità veterascunt in pixide, ut adveniente humiditate omnino alterentur & desinant retinere corpus Christi; vel regulariter, quando ex intentione rectâ sumuntur à communicantibus, in quorum stomacho vi caloris nativi destruuntur, & proinde cessat præsentia corporis Christi. Hoc

supposito, quæritur, utrùm speciebus amittentibus suum esse, corpus Christi aliquid etiam amittere censeatur? Respondeo, ex corruptione specierum corpus Christi mutari realiter & aliquid deperdere quod habebat anteà. Mutatur, inquam, realiter corpus Christi, quia ubi fit transitus à contradictorio in contradictorium, ibi est mutatio realis; sed, quando corrumpuntur species, fit transitus corporis Christi à contradictorio in contradictorium; quia transit ab esse præsens hîc ad non esse præsens hîc: ergo mutatur realiter: Deperdit etiam aliquid quod anteà habebat, nempe præsentiam sacramentalem, quæ nihil est aliud, quàm respectus extrinsecùs adveniens. Quòd si Christus esset tantùm sacramentaliter sub unâ hostiâ, nec esset ullibi secundùm existentiam naturalem, corruptis speciebus deperderet suum totum esse, nec remaneret ullibi præsens; quia supponitur existere tantùm sub illâ hostiâ, quam existentiam deperdit per corruptionem talis hostiæ. Attamen, nunc, ubi existit naturaliter in cælo & sacramentaliter in Eucharistiâ, dum cessat esse in Sacramento, non deperdit existentiam simplicem, sed tantùm respectum præsentiæ in tali hostiâ, & conservat suam existentiam naturalem in cælo, sicut & alias præsentias sacramentales in cæteris hostiis consecratis, in quibus remanet. Quòd si esset tantùm præsens in unâ hostiâ, totum suum esse sacramentale deperderet; & conservaret esse naturale in cælo. In quâ materiâ quæritur aliquando, quanto tempore remaneant communiter species incorruptæ in stomacho. Ad quod responderi nequit, nisi per conjecturas; aliqui tamen medici à Lugo consulti responderunt, à mediocri stomacho parvam hostiam consumi in spatio minuti, quæ est sexagesima pars horæ? Alii existimant, nullum remanere scrupuli locum post quadrantem. Alii non dubitant, quin spatio quinque Pater noster & totidem Ave Maria fiat generatim concoctio. Alii nolunt dubitare, quin species panis & vini consumptæ censeantur post absolutam missam & sacrarum vestium exuitionem. Meliùs tamen dici debet, hoc non posse certò definiri ob diversitatem stomachorum, temperamentorum, & sanitatis. Porrò, licèt dixerimus in antecedentibus, accidentia nutrire; non tamen solvunt jejunium, quia illud quod nutrit corruptis speciebus non est substantia ore sumpta, nec demissa in stomachum more alimenti; sed immediatè producta in stomacho ultimo instanti quo corruptæ sunt species. Nec insuper dicendum est talem nutritionem corporalem injuriam facere Sacramento; quia non est ipsum Christi corpus, quod convertitur in substantiam nostram: Imò hoc rationi repugnat, quia corpus Christi est indivisibiliter; sed est ipsa substantia, quam de novo Deus producit. Unde remanet dicendum, veram & propriam fieri nutritionem, & non tantùm apparentem, ut vult Algerius lib. 2. de Eucharistiâ.

Quæstio XXIV.

Quosnam effectus producat Eucharistia?

FORMA Sacramenti Eucharistiæ producit præsentiam corporis Christi; verba enim prolata à Sacerdote faciunt Christum præsentem in altari; sed non loquimur de illo effectu formæ, benè autem de effectu producto per species consecratas. Prænotandum tamen est, Christum in Eucharistia tribus modis posse sumi: Primò, sacramentaliter

A tantùm, seu materialiter, ut quando quis peccati conscius Eucharistiam sumit: Secundò, spiritualiter tantùm, quomodo dicuntur sumere Christum illi, qui per affectum Christo uniuntur, & actu ipsum suscipere cupiunt: Tertiò, sumitur materialiter simul & spiritualiter, quando quis cum dispositione prævià recipit Sacramentum, & rem seu effectum Sacramenti. Hîc ergo loquimur de effectu qui producitur per Eucharistiam tertio modo susceptam.

Conclusio Prima.

B EUCHARISTIA non confert per se primam gratiam, potest tamen conferre per accidens; sed per se confert augmentum gratiæ. Tres sunt partes, quarum probatur prima: quia sumptio Eucharistiæ supponit hominem in gratiâ, unde vocatur sacramentum vivorum: deinde est cibus & alimentum animæ, cibus verò non dat vitam, sed illam conservat & fortiorem reddit; & hoc quadrat Divo Paulo dicenti primæ ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, &c.* idest tollat peccatum, nè sit reus corporis & sanguinis Domini: si ergo tollat peccatum, ante sumptionem Eucharistiæ, gratia præcedit: ergo illam non confert per se. Hæc veritas habetur ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 2. ubi vocatur Eucharistia antidotum quo liberamur à culpis quotidianis & à peccatis mortalibus C præservamur; quod solum non diceret, si ipsa mortalia sanaret. Imò ejusdem sess. Can. 5. damnat eos qui dicunt, præcipuum effectum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum. Ob hoc D. Ambrosius lib. in Lucam cap. 37. ait, *Hic ordo servetur in hoc mysterio, ut priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur; deinde alimonia mensæ cælestis exuberet.* Et ante ipsum Clemens Romanus ait lib. 7. Apostolic. Constitut. cap. 71. *Si quis sanctus est, accedat; si quis non est, curet ut fiat per pænitentiam.* Huic conclusioni contradicunt hæretici, & præsertim Lutherus, dicens; D *Pernitiosum errorem esse, si quis accedat eâ fiduciâ nixus, quòd confessus sit, & quod non sit sibi conscius peccati. Imò existimans, Christum in hoc Sacramento non venisse vocare justos sed peccatores, putat nullum esse magis paratum ad recipiendam effectum hujusce Sacramenti illo qui minus est dispositus ad illud.* Unde, in concione de dignâ præparatione ad Eucharistiæ Sacramentum habitâ anno 1518. habet, *Optima dispositio non nisi ea est, quâ pessimè es dispositus; & è contra, tunc pessimè es dispositus, quando optimè es dispositus.* Ratio illius sumitur ex hoc quòd sanguis Christi qui hauritur in Eucharistiâ sit effusus *in remissionem peccatorum*; sicque illum, qui cum majoribus & turpioribus peccatis ad communionem accedit, majores inde & E nobiliores accepturum esse effectus: sed verba illa *in remissionem peccatorum* spectant ad sanguinem Christi effundendum in cruce.

SECUNDA pars est omnium doctorum existimantium, quòd ille qui bonâ fide se existimat contritum, & est tantùm attritus, vi Sacramenti Eucharistiæ remittatur illi peccatum; quia Sacramenta conferunt gratiam ex opere operato, ergo illam producunt, ubi non ponitur obex; sed qui credit se esse contritum, vel attritum, & benè absolutum, & tamen non est contritus, nec benè absolutus, defectu jurisdictionis & intentionis ministri, non ponit obicem: ergo illi confertur prima gratia, & tollitur ab eo peccatum mortale, per receptionem Eucharistiæ, per quam fit de attrito contritus:

Hoc

Hoc confirmare videntur verba Augustini Serm. de veritate Evangelii apud nostrum Alensem 3. part. quæst. 56. memb. 3. ubi dicit sanctus Doctor, *Deum vivificare peccatores*; & hoc conformiter menti Ecclesiæ quæ in oratione quadragesimali à Deo postulat, ut *perceptio hujus Sacramenti, sit ablutio scelerum & remissio omnium delictorum.* Quod intelligit Damascenus 4. de Fide cap. 14. de peccatis mortalibus, etiam quoad culpam. Hic effectus ad excellentiam & dignitatem Eucharistiæ spectat, quòd ex opere operato vivificet peccatores, qui saltem bonâ fide accedunt ad illam, nec ullum gratiæ impedimentum ponunt: & hoc maximè, quia ipsa continet substantialiter Christum ipsum, omnis gratiæ fontem; quod dici nequit de aliis, quæ continent Christum tantùm virtualiter. Porrò, licèt hæc veritas probabilissima videatur, B & ipsam sequantur D. Thomas, S. Antoninus, Scotus, Alensis, Richardus, Paludanus, Durandus, Sotus, Sylvester, & plures alii; illa tamen non est de fide, nec illam definierunt Concilia; imò non defuerunt authores, qui illam negarent; dicendo, quòd si quis putans se esse debitè absolutum, qui tamen talis non esset, sumendo Eucharistiam, nec peccaret; neque etiam mundaretur à peccatis mortalibus; quod tamen difficile est conceptu: si enim in hac occasione moreretur, salvus evaderet, quod non posset fieri si peccata adhuc in illo remanerent. Unde melius est, si dixerimus conformiter authoritatibus præcitatis, Sacramentum C Eucharistiæ per accidens conferre gratiam sanctificantem, & remittere peccata mortalia, dùm quis bonâ fide & sine obice ad communionem accedit.

Quoad tertiam partem, quâ diximus Eucharistiam per se conferre augmentum gratiæ, patet per hoc quòd Eucharistia sumatur per modum cibi, juxta Joannem cap 6. *Caro mea verè est cibus*; sed cibus confortat vitam corporalem, atque ipsam corroborat: ergo & Eucharistiâ vitam spiritualem gratiæ. Hoc confirmat Eugenius IV. in decreto fidei dicens, *Hujus Sacramenti effectus, quem operatur in animâ dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum; & quia per gratiam homo Christo in-* D *corporatur, consequens est, quòd per hoc Sacramentum gratia augeatur dignè sumentibus.* Ratio hujus est, quòd omnia sacramenta instituta sint ad gratiam conferendam ex opere operato; sed Eucharistia non confert per se gratiam primam, seu habitualem simpliciter, quia est sacramentum vivorum: ergo saltem confert gratiam secundam seu in augmento. Si quis dicat, augmentum gratiæ potiùs competere Confirmationi, quàm Eucharistiæ: Respondebitur, hoc utrique convenire; Confirmationi scilicet, quæ hominem ad virilem ætatem perducit; & Eucharistiæ, quæ in omni ætate hominis augmentum gratiarum communicat. Si quis instet, quòd proinde accedentibus multis & iteratis E communionibus perveniri posset ad summum gradum gratiæ, quod tamen reservat D. Augustinus ad statum patriæ, in quo solùm aderit gratiæ & charitatis plenitudo; unde propter hanc rationem Alensis 4. part. quæst. 41. memb. 2. & D. Bonaventura in 4. dist. 12. docent, per Eucharistiam gratiam non augeri secundùm essentiam, sed tantùm penes effectus, nimirum fervorem, devotionem, & majus robur ad resistendum tentationibus: Respondendum erit, non obstante horum opinione, probabiliorem esse sententiam nostri Richardi, qui cum Theologorum turmâ communi docet, entitatem gratiæ crescere ex sumptione hujus sacramenti. Ad rationem autem quam allegant, dico quòd per repetitionem communionum, sicut ex aliarum virtutum exercitio, possit quilibet justus augmentum gratiæ recipere, nunquam tamen ad summum gradum illius perveniet pro hoc statu, quia tantam habet latitudinem, quòd ultimus gradus illius non possit à viatoribus obtineri. Porrò, si quis urgeat, immeritò comparari Eucharistiam cibo, quia cibus vires paulatim deperditas reparat, & gratia non minuitur paulatim & successivè, sed tota deperditur adveniente peccato mortali, & tota conservatur si non adveniat: Respondeo, quòd licèt tota remaneat vel pereat tota secundùm entitatem & quoad habitum, attamen quoad actum; v. g. quoad fervorem operationis, per peccata venialia, per tentationes & motus concupiscentiæ minuitur; unde utilissimus est usus Eucharistiæ, ut homo pristino restituatur fervori. Tandem, sicut vi hujus sacramenti augetur gratia, sic & virtutes augmentum recipiunt, ut docet Innocentius III. de Officio Missæ part. 3. cap. ultim. quia charitas est forma cæterarum virtutum: ergo auctâ charitate, necessarium est virtutes augeri.

Conclusio Secunda.

Eucharistia delet peccata venialia, aliquam pœnam peccati tollit, & gratiam sacramentalem seu actualem confert. Sunt adhuc tres partes. Ratio primæ est, quia Eucharistia excitat nos ad actus Charitatis, & per tales actus Charitatis delentur peccata venialia; & sic illa tollit, mediatè saltem. Aliqui insuper Theologi addunt, quòd tollat peccata venialia immediatè ex opere operato. Pro secundâ parte, diximus quòd tollat aliquam pœnam peccati, quod potest intelligi dupliciter: Si enim Eucharistia sumatur pro sacrificio expiatorio, tollit ex opere operato pœnam debitam peccatis, & tantam tollit, quantam vult Deus, vel Ecclesia quæ applicat sacrificium; si verò sumatur ut Sacramentum, non aufert pœnam ex opere operato, sed ex opere operantis, juxta valorem actuum amoris & charitatis quos in nobis excitat; non remittit tamen totam aliquando, aliàs non esset injungenda pœnitentia illis qui recipiunt Eucharistiam, sicut nec injungitur adultis baptisatis; nec etiam concedendæ essent indulgentiæ, ad relaxandas pœnas illorum qui communicant. Tandem pro tertiâ parte diximus, quòd Eucharistia conferat gratiam sacramentalem; hoc est enim commune omnibus Sacramentis, & conforme Concilio Tridentino, dicenti, *ea conferre auxilia ad vitanda peccata & tentationes superandas.*

Hæc tertia pars conclusionis confirmatur ex primâ; quia, si Eucharistia remittat peccata venialia mediatè tantùm, quæ opinio probabilior est; hoc non potest aliter facere, quàm conferendo actualia auxilia, quibus homo excitatur ad detestationem sui peccati: ergo hoc Sacramentum gratias actuales communicat. Deinde, per auxilia Eucharistiæ reprimitur concupiscentia, passiones edomantur, & corpus spiritui subditur. Tandem noster Richardus in 4. dist. 9. art. 1. quæst. 2. duodecim effectus commemorat Eucharistiæ tribus his versibus dispositos.

Inflammat, memorat, sustentat, roborat, auget
Hostia spem, purgat, reficit, vitam dat & unit,
Confirmatque fidem, munit, fomitemque remittit.

Quatenus scilicet 1. charitatem inflammat: 2. passionem Christi reducit in memoriam: 3. sustentat contra casum provenientem ex propriâ infirmitate: 4. roborat contra dæmonum impulsus; 5. spem

auget: 6. purgat venialia peccata & aliquando mortalia: 7. reficit manducantem spirituali consolatione: 8. vitam dat spiritualem gratiæ: 9. unit nos Christo: 10. fidem confirmat: 11. munit contra tentationes diaboli: 12. fomitem remittit, reprimendo ardorem concupiscentiæ carnalis. An autem ex sumptione Eucharistiæ resultet aliquis effectus circa corpora nostra; Respondent affirmativè Doctores, quatuor præsertim illis communicari. Primò, suo contactu sanctificat corpora nostra: unde Chrysostomus Homil. 30. in 2. ad Corinth. monet nos dignos esse honore, respectu contactûs corporis Christi. Secundò, minuit concupiscentiæ ardorem, vel per se, aut per causas secundas; temperando sanguinem, aut conferendo gratias prævenientes, quibus ab objectis carnalibus avocetur imaginatio. Tertiò, uniendo corporaliter communicantes cum seipso; non quidem physicè, sed moraliter; in quantum communicantes in gratiâ acceptâ perseverantes tractat Christus, ut suam propriam carnem; unde dicit Chrysostomus Homil. 83. in Matth. *Non sufficit ipsi hominem fieri, flagellis cadi, & crucifigi; sed nos secum in unam, ut ita dicam, massam reducit, neque id fide solùm, sed reipsâ nos corpus suum effecit.* Si enim sponsus & sponsa propter propinquitatem localem censentur una caro, profectò caro Christi & nostra per manducationem realem debent reputari unum & idem corpus. Quartò denique, jus aliquod ad resurrectionem finalem obtinent nostra corpora ex sumptione Eucharistiæ, juxta id quod habetur Joan. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Ita quòd, si corpora nostra non essent resurrectura ex determinatione Divinæ voluntatis, mererentur resurgere propter unionem cum corpore Christi, quod vocatur à Patribus, immortalitatis & resurrectionis germen; unde, quia per communionem facti sumus corpus & membra ejus; convenit, ut sit proportio inter caput & membra, quòd, sicut ille resurrexit, ita & nos resurrecturi sumus.

Quæstio XXV.

Quandonam Eucharistia producat suos effectus?

Ex dictis patet, quòd Eucharistia plurimos effectus conferat; in quo autem tempore conferantur? an in illo in quo hostia ab ore trajicitur in stomachum? an in illo quo species manent in stomacho? an denique post consummationem specierum?

Conclusio.

Eucharistia confert effectum, non quando recipitur in ore, sed quando trajicitur in stomachum; facta enim est promissio gratiæ manducantibus, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Manducatio autem non fit quando recipitur vel retinetur alimentum in ore, nec quando alimentum est concoctum & digestum, sed quando defertur cibus in stomachum, ergo gratia communicatur in manducatione; in manducatione, inquam, primâ, quando scilicet prima pars hostiæ; vel una species deglutita est; in eâ enim totus Christus residet. Ex quibus sequitur, quòd qui tam diu retinent hostiam in ore, ut corrumpantur species antequam deglutiantur, non recipiant fructum Eucharistiæ; nam

A gratia datur manducanti Sacramentum; non manducatur autem Sacramentum, quando non trajiciuntur species in stomachum; ergo gratia non confertur. Quandiu species manent in stomacho, non confertur major gratia ex opere operato, etiamsi crescat dispositio & fervor subjecti; gratia enim confertur ex opere operato manducanti: potest tamen conferri ex opere operantis, in quantùm per illud opus elicitum in gratiâ meretur augmentum gratiæ. An autem qui sumpsit Eucharistiam in peccato, & conteritur antequam species sint digestæ in stomacho, recipiat gratiam virtute Sacramenti; videtur quòd non, quia per solam manducationem confertur. An tandem qui manducando aliquam partem hostiæ est in peccato, & antequam

B alias partes, vel aliam speciem degluriat, producit actum contritionis, recipiat gratiam ex vi Sacramenti, controvertitur inter Doctores; negat enim Bonacina, quia totus, inquit, effectus Sacramenti producitur per sumptionem primæ partis: alii contrarium tenent, & in majori numero, sicut & conferri majorem gratiam, quando post sumptionem unius speciei magis disponitur subjectum, ante sumptionem alterius. Sic Cajetanus, Suares, Soto, Reginaldus & cæteri.

Ex dictis patet, quòd Eucharistia non producat suos effectus principales, quando recipitur hostia in ore; nec quando hostia trajicitur de ore ad guttur; nec quando consumptæ sunt species & digestæ

C in stomacho; sed eo instanti, quo hostia, vel prima pars illius attigerit partem saltem superiorem stomachi. Non, inquam, conferuntur effectus Eucharistiæ quando recipitur in ore hostia, quia illa, ut diximus, manducantibus promittitur, & ille non diceretur manducasse, qui cibum masticatum ex ore ejiceret, nec propter masticationem præsumeretur fregisse jejunium; unde non solet præberi Eucharistia infirmis, qui non possunt deglutire; sed sollicitè curatur quando urget debilitas, ut apponatur vinum ad faciliùs trajiciendam hostiam. Propterea etiam debent cavere communicantes, nè longiori tempore species Eucharisticas in ore retineant; quia, si corrumperentur vi salivæ aut caloris, ante-

D quam trajicerentur in stomachum, tales non dicerentur communicare, nec effectus Eucharistiæ reciperent. Secundò, probabile est etiam contra Præpositum & alios, gratiam non conferri, quando hostia est trajecta per guttur, & nondum attigit stomachum; quia is solùm dicitur verè manducare cui alimentum ab ore & gutture in stomachum trajicit; unde censeretur communiter jejunus qui ejiceret cibum, antequam illuc pervenisset. Tertiò, effectus hujus sacramenti non expectat consumptionem specierum in stomacho, quia talis digestio seu consumptio non exigitur, ut quis dicatur propriè manducare. Porrò, quando diximus effectum hujus sacramenti requirere rejectionem hostiæ in stomachum; non exigitur absolutè quòd

E tota hostia sit intra stomachum; sed sufficit, si prima pars hostiæ intraverit in stomachum; tunc enim totus effectus producitur, & non successivè, quasi ad majorem quantitatem specierum sequeretur major gratia. Hanc tamen opinionem Cajetanus dicit aliàs ità communem fuisse inter vulgares fideles Hispaniæ, ut multi caverent, sibi majorem quantitatem specierum porrigi, ut ad proportionem majoris speciei daretur major gratia; unde Antonius Zapata Cardinalis monuit sacerdotes, nè cui plures seu majores particulas ministrarent: quod repugnat communi sententiæ Theologorum, qui asserunt, non minorem gratiam conferri sub mi-

nori specie ; nec majorem sub majori. A

Ob hoc etiam dicitur communiter, quòd non conferatur gratia major sub duplici, quàm sub unicâ specie ; quandoquidem sub alterâ specierum Christus totus æquè perfectus continetur & sumitur, ac sub duabus : ergo conferunt gratia æqualis, quatenus illam non conferunt species, quia sub illis Christus sumitur. Quòd autem species majores vel minores fuerint panis aut vini, plures vel pauciores, nihil refert. Hoc confirmat Concilium Provinciale Moguntinum sub Sebastiano cap. 21. *Iam nec hoc quidem quisquam fidelis dubitare debet, illum sub unâ specie communicandi morem ad salutem sumentium æquè utilem & efficacem esse, quàm alterum sub utrâque.* Imò, idem definire videtur Concilium Tridentinum Sess. 21. c. 3. *Sub alterâ tantùm specie totum atque integrum sacramentum sumi, ac propterea, quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Aliàs, si hoc non esset, justè increparent hæretici Catholicos, quòd injustè Ecclesia privaret laicos participatione calicis, si illa conferret aliquem effectum peculiarem. Nec obstat, quod Clemens VI. in bullâ ad regem Angliæ anno 1341. illi concedat usum calicis ad augmentum gratiæ ; hoc enim intelligitur de majori gratiâ obtinendâ ex opere operantis ob devotionis confirmationem. Nec obest quod infertur, vix unquam conferri gratiam ex sumptione calicis, qui tamen non est minoris efficaciæ, quàm species panis ; nam hoc non provenit ex defectu virtutis calicis ; sed quia jam supponitur effectus productus ; unde, nec fragmenta hostiæ producunt communiter gratiam, nisi dispositio intereà crescat ; licèt aliquando calix, & ipsa fragmenta, gratiam possint conferre, si anteà esset obex, qui per contritionem tolleretur inter utramque sumptionem. Quòd si Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 3. dicat, *Quotiescumque bibis, remissionem accipis peccatorum, & inebriaris spiritu:* Respondeo, Ambrosium non tribuere specialem effectum sanguini, ut distinguitur contra corpus ejusdem ; sed tribuit simpliciter effectum, tùm sanguini, tùm corpori ; ità quòd, si sumeretur sanguis ante corpus, ipse solus conferret gratiam. Unde, si Cyprianus lib. 1. epist. 2. dicat non esse denegandum sanguinem Christi illis, qui suum sanguinem effusuri sunt pro illo : eodem modo explicandus est, quòd hoc scilicet dicat, quia effectus communis est, tùm sanguini, tùm corpori ; sicut aliquando D. Paulus attribuit effectum redemptionis nostræ sanguini Christi, dicens ad Coloss. cap. 1. *Pacificans per sanguinem crucis ejus* ; & aliquando ipsius carni, subjungens posteà ; *Reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem.* Deinde, Patres non tribuunt effectum speciebus vini, sed ipsi sanguini, quem reverà accipiunt qui sub unicâ tantùm specie communicant. Ex his resultat, non esse recipiendum quod Salmeroni attribuitur Tomo 9. in Evangelia Tract. 36. in Joannem, propè finem, totum effectum Eucharistiæ dari sub unâ specie, si una tantum sumatur ; sumenti autem duplicem dari medietatem in sumptione primæ speciei, & aliam medietatem in sumptione secundæ.

B

QUÆSTIO XXVI.

Quænam dispositio requiratur in suscipiente ?

Ad hoc ut suscipiatur effectus hujus Sacramenti, tres in communi dispositiones requiruntur : prima, ut suscipiens sit baptisatus, quia Baptismus est janua Sacramentorum ; secunda, ut habeat intentionem recipiendi illud ; tertia, ut non sit conscius peccati mortalis, hoc enim Sacramentum vocatur Sacramentum vivorum.

CONCLUSIO.

Non sufficit contritio de peccato antequam aliquis sumat Eucharistiam, sed debet ex præcepto Ecclesiæ præmittere confessionem, si adsit copia confessarii ; & hoc est conforme Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. imò docent Patres apud Suarem, hoc præceptum esse divinum, latum scilicet à Christo, dicente apud D. Paulum, *Probet autem seipsum homo.* Quòd si copia confessarii desit, debet præmitti contritionis actus cum proposito confitendi in primâ occasione, & ille qui communicat tantùm cum attritione cognitâ, peccat mortaliter ; ponit enim obicem gratiæ conferendæ per Eucharistiam : qui verò Eucharistiam sumit cum contritione tantùm existimatâ, vel cum attritione quam ex ignorantiâ invincibili sufficere putat, recipit effectum Sacramenti, quia bona fides excusat à peccato, & sic non ponit obicem ; quia autem cum illâ contritione verâ vel existimata, debet includi votum de confessione faciendâ in primâ occasione ; reverà debet illud votum impleri ; hoc enim habet expressè Concilium Tridentinum, dicens, *Quòd si sacerdos absque praviâ confessione, necessitate urgente, celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Porrò, qui sumit Eucharistiam, debet esse jejunus ; nedum jejunio Ecclesiastico, quod consistit in unicâ comestione ; sed & naturali, consistente in abstinentiâ à quocumque cibo à mediâ nocte. Ratio hujus est, quia Corpus & Sanguis Christi debent esse primus fidelium cibus, ideò nullus cibus ante eum debet sumi, neque per modum alimenti, neque medicamenti. Quomodo autem frangatur jejunium, vel non frangatur, docetur potiùs ex usu, quàm ex scientiâ. Illud autem præceptum est Ecclesiasticum, non Divinum ; ut patet ex Christo qui communicavit post cœnam, & ex primitivâ Ecclesiâ, ubi aliquando sumpta fuit Eucharistia feria 5. in Cœnâ Domini post cœnam, ad repræsentationem Cœnæ Dominicæ, quod postea tamen revocatum est in Concilio Toletano. Quia antea diximus, neminem peccati mortalis conscium posse sumere Eucharistiam, ideo deneganda est communio peccatori publico eam petenti.

C

D

Quia tanti momenti censetur esse communio apud fideles, mihi videor, non sat dixisse in quæstione præcedenti de dispositionibus quæ requiruntur in suscipiente ; imò per quasdam quæstiunculas judicavi, distinctiùs multa resolvere scitu planè necessaria. Sed supponendum est anteà, triplicem esse Communionem, seu potiùs manducationem Corporis Christi ; scilicet sacramentalem tantùm, spiritualem tantùm, & sacramentalem simul & spiritualem. Prima illa est, quâ corpus Christi manducatur quidem ore corporis, sed cum peccati mortalis conscientiâ, & consequenter indignè ; ita quòd, qui taliter manducat Christum, tantùm

E

abest quòd obtineat effectum Sacramenti, qui est gratia; imò novum peccatum committit. Communio spiritualis tantùm intelligitur communiter illa, quæ non fit ore corporis, sed tantùm in voto & desiderio; & in istâ recipitur res seu effectus Sacramenti, non Sacramentum ipsum. Nomine Communionis spiritualis Patres communiter intelligunt fidem in Christum, ita quòd omnes, qui in ipsum credunt & participant ipsius passioni, dicantur Christum spiritualiter manducare; unde asserunt, nullum posse obtinere salutem, neque etiam parvulos, nisi anteà crediderint, quod vocant manducare carnem filii hominis. Manducatio tandem sacramentalis & spiritualis simul ea est quâ realiter ore corporeo manducatur corpus Christi cum debitâ & dignâ præparatione, & proinde gratia recipitur, & soli homines sunt capaces ultimæ hujus communionis. Unde, si panis Eucharisticus dicatur panis Angelorum; hoc ideò dicitur, quia debet sumi ab hominibus tantam puritatem habentibus, quantam habent Angeli. Deinde, per panem Angelicum intelligitur communiter manna, quod fiebat ab Angelis. Quod si bruta casu fortuito manducent hostiam consecratam, talis manducatio dici non debet sacramentalis; quia, licèt recipiant materiale Sacramenti, non tamen recipiunt ipsum, ut Sacramentum est, cùm nullam habeant aptitudinem ad gratiam aut gloriam: Ideoque talis manducatio potest dici quidem realis & materialis, non sacramentalis. Sic dicendum est de illo homine, qui bonâ fide manducaret hostiam consecratam, quam crederet esse panem communem; quia nihil cogitat de Sacramento. Et ob hoc specialiter, præter tres modos suprадictos addunt aliqui quartum hunc, qui non est propriè sacramentalis.

Quæres primò, quænam dispositio requiratur in communicantibus ex parte naturæ. Notat Alensis noster 4. part. quæst. 46. & sequentibus, multipliciter posse oriri capacitatem vel incapacitatem manducandi corpus Christi; nimirùm, vel ex parte naturæ, vel ex parte mentis, vel ex parte corporis, vel ex parte animæ, vel ex parte conversationis exterioris. Primò, ex parte naturæ quærimus, quibus ministranda sit Eucharistia. Secundò, ex parte mentis, an sit dispensanda furiosis, amentibus & energumenis. Tertiò, ex parte corporis, utrùm prævia aliqua dispositio requiratur ad suscipiendam Eucharistiam. Quartò, ex parte animæ, quid in ipsâ requiratur, ut debita sit illius sumptio. Quintò deniquè, ex parte exterioris conversationis, an scilicet prava & infamis conversatio impediat, nè quis ad communionem admittatur. Quantùm ad primum, *Respondeo*, quia nec bruta, nec angeli, possunt propriè recipere corpus Christi, ideo soli homines sunt capaces illius. Bruta, inquam, non possunt propriè illud manducare sacramentaliter; quia ad hoc requiritur, ut sumatur per modum crediti & cogniti; possunt tamen, ut diximus, manducare ipsum materialiter; unde, si aliqui dixerint, corpus Christi non intrare intra bruta, quæ hostiam consecratam comederent; hoc intelligendum est, quantùm ad significationem & effectum. Nec etiam Angeli dicuntur corpus Christi posse manducare, quia sunt incapaces manducationis corporeæ, quæ, cùm sit actio vitalis, non potest elici ab Angelo, nequidem in assumpto corpore. Quoad Christum, capax erat, ut manducaret suum corpus; Imò probabilius est, ipsum sumpsisse, testibus inter alios D. Hieronymo epist. ad Hedibiam dicente, *Ipse conviva & convivium,*

A *ipse comedens & qui comeditur:* Et D. Chrysostomo, qui homil. 26. in Matth. ait, *Bibit ex eo, ut audientes hoc, non dicerent, quid sanguinem bibo, & carnem manduco? ut enim non perturbarentur, sicut turbati fuerunt* Caphatnaitæ, *primus sanguinem suum bibit.* In hoc tamen discordant Alensis & D. Thomas, quòd ille nolit, Christum seipsum sumpsisse sacramentaliter; quia non sumpsit ad augmentum gratiæ; ubi D. Thomas hoc contendit esse dicendum; quia credens & cognoscens se ipsum manducavit: sed hæc controversia est tantùm de nomine. Quantùm ad capacitatem parvulorum Eucharistiam sumendi; licèt sint illius capaces, & possit illis gratiam conferre ex opere operato, cùm nullum gratiæ ponant obicem, quando baptisati
B sunt; attamen illis dispensari non debet, antequam annos discretionis attigerint, ex Concil. Trident. sess. 21. Can. 4. Quòd si dicatur, illos proinde magnâ gratiâ privari; Respondebitur, talem gratiam non esse necessariam; sed necessarium esse, quòd caveatur nè Sacramentum exponatur periculo irreverentiæ. Recurrendum est circa hanc materiam ad finem tertiæ quæstionis hujus capitis.

Quæres secundò, utrùm requiratur aliqua dispositio ex parte mentis, ita quòd furiosis, amentibus & energumenis debeat conferri Eucharistia? *Respondeo primò*, quòd, licèt ex antecedenti resolutione non debeat dispensari Eucharistia ante suffi-
C cientem discretionem; illis tamen amentibus, qui aliquando usum rationis habuerunt, quam aliquâ ex causâ amiserunt posteà, non deneganda est communio; nisi sciatur, eos cum peccato mortali incidisse in amentiam, sed potiùs præsumatur oppositum; modò adhuc non sit periculum vomitûs, aut alterius irreverentiæ; quia pro tunc verum est, Eucharistiam illis prodesse; quoniam non præsumuntur posuisse obicem: unde pastores tenentur illis tradere Eucharistiam per modum viatici. Præsumuntur enim ante suam amentiam christianè vixisse, & præcessisse consequenter devotionem, quæ includit voluntatem interpretativam recipiendi Sacramenta, quorum sunt capaces. *Respondeo*
D *secundò*, quòd si amentes & furiosi probabiliter censerentur verbis aut factis prorupturi in contumeliam Eucharistiæ, ipsis absolutè neganda esset; nisi lucida intervalla contingerent, in quibus abesset tale periculum. Tunc, inquam, posset dari, ut sentiunt Concilia Carthaginense 4. Can. 76. Toletanum 11. Can. 11. Arausicanum 1. Can. 3. & Catechismus Romanus cap. *de Eucharistiâ* num. 49. *Respondeo tertiò*, Energumenis seu dæmoniacis lucida intervalla habentibus, si ratione utantur, & nullum sit irreverentiæ periculum, posse conferri Eucharistiam, nedum in articulo mortis, aut in paschate; sed etiam frequentiùs, si hoc expedire judicaverit confessarius prudens: Paulus
E enim V. in rituali suo, arcendos à sacrâ communione recensens, nihil exprimit de energumenis; Imò, tit. de exorcisandis obsessis, ait: Admoneatur obsessus ut sacrâ confessione & communione sæpiùs ad arbitrium superioris se communicet. Si ergo Concilium Elibertinum Can. 37. prohibeat, nè nominentur energumeni ad altare; loquitur tantùm de illis energumenis, qui propter peccatum publicum, vel propter excommunicationem Ecclesiæ fuerant arrepti à dæmone; quòd frequenter contingebat primis temporibus. *Respondeo quartò*, mutos & surdos à nativitate regulariter esse arcendos à communione; tales enim ad hoc non admittit Ecclesia: quia non sufficienter constat, eos

sit esse instructos de veritate hujus mysterii, quod non potest distinctè cognosci, nisi cognoscatur Incarnationis mysterium, & aliæ quædam veritates fidei, quod communiter haberi non potest ab illis qui à nativitate sunt surdi & muti. Si constet tamen aliquando, ex nutibus & desiderio recipiendi Eucharistiam & ex aliis conjecturis moraliter sufficientibus, eos cibum Eucharisticum distinguere à prophano; & insuper pie vivant, pro tunc recipi possunt ad Eucharistiam, maximè tempore Paschatis & in mortis articulo. An autem illa præsumpta sufficiens dispositio obtineri possit in illis, affirmativè existimant gravis notæ authores; tùm quia habent tales fidem infusam in baptismo intùs operantem; tùm quia pollent incredibili mentis acumine, per quod, compensante naturâ, solo nutu comprehendunt ea, quæ vix scripto aut dicto possunt alii apprehendere. Quòd si illi surdi & muti fuerint etiam cæci, recipi nequaquam debent; quia, nisi viderint alios devotè adorantes Eucharistiam, cognoscere nequeunt ea quæ ad communionem sciri requiruntur.

Quæres tertiò, utrùm requiratur aliqua dispositio ex parte corporis? Jam de hoc diximus in conclusione, quòd sumpturus Eucharistiam debeat esse jejunus, jejunio etiam naturali, quòd consistit in carentiâ cibi cujuslibet, sive per modum medicamenti sumatur, sive alimenti, & hoc à mediâ nocte usque ad tempus communionis; in tali enim horâ, ex communi usu Ecclesiæ, censetur dies inchoari; & sic, qui paulò ante mediam noctem aliquem cibum sumpserunt non arcentur à sumptione Eucharistiæ, licèt non dormierint anteà, nec cibus præcedens fuerit ullo modo digestus; hoc tamen exigit tanti Sacramenti majestas & communicantium devotio, qui facere debent, nè facer ille cibus cum prophano misceatur. Licèt jejunium ante communionem non sit de jure Divino, quoniam Christus post cœnam communicavit Apostolos; attamen est præceptum Ecclesiasticum solemne, quod dicunt plurimi emanatum fuisse ab Apostolis; de quo præcepto fit mentio specialis in Concilio Carthaginensi 3. Can. 29. Matisconensi 2. Can. 6. Toletano 7. Can. 2. & aliis. Et hoc juxta antiquos patres, quoniam Tertulianus lib. 2. ad Uxorem cap. 5. ait, *Non sciet maritus quid secretò & ante omnem cibum gustes*: & Augustinus epist. 1000. *Placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, priùs in os Christiani dominicum corpus intraret, quàm alii cibi: ideo mos ille ubique servatur.* Quod permisit ergo Concilium Carthaginense, Eucharistiam sumi à non jejunis in die cœnæ Domini, non est ab universali Ecclesiâ receptum; imò revocatum censetur contrariâ consuetudine ante mille annos habitâ. Quod autem fecit Christus, qui Eucharistiam tradidit Apostolis cœnâ factâ, hoc non impedit veritatem nostræ positionis; imò Augustinus præcitatus ad inquisitiones Januarii respondet, *Vt vehementiùs Salvator commendaret hujus mysterii altitudinem, ultimum hoc voluit infigere in cordibus discipulorum: quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis ad Ecclesias docendum reservavit.*

Diximus, Ratione jejunii observandi, neque cibum, neque alimentum sumi debere à mediâ nocte. Licèt enim pro diversitate regionū vel negotiorum variè censeatur inchoari dies, attamen ex communi Ecclesiæ usu incipit mediâ nocte. Talem mediam noctem existimant aliqui cōputandam esse à puncto quo incipit sonitus horologii; alii volunt, non incipere, nisi post sextam horam pulsatam, quod mathematicè loquendo sustineri posset; sed moraliter

A verisimilius est, mediam noctem durare usque ad ultimum sonum. Quòd si horologiorum civitatis unum præcedat aliud, probabilius tenetur, quòd quis possit sequi tardius, modò non constet ipsum errare. Hoc fortè negabunt qui probabilitatem opinionum nolunt recipere; sed alii è contrà, sentientes horologia varia se habere ut diversæ opiniones probabiles. Licèt parva cibi quantitas non impediat jejunium Ecclesiasticum, in unicâ refectione consistens, parvitas tamen materiæ jejunium naturale frangit; unde, licèt ille qui os abluendo transmittit aliquid aquæ per salivæ modum, censeatur adhuc jejunus, talis tamen non esset, qui hoc sumeret per modum cibi aut potûs. Et illud censetur trajici per modum salivæ, quod in minimâ quan-

B titate ità admiscetur cum salivâ, ut unum quid cum illa faciat; & illud censetur transmitti per modum cibi & potûs, quod à salivâ veluti separatum sumitur. Ob hoc, qui granum anisi, vel unam aut alteram guttam aquæ per os in stomachum transmitteret, non posset communicare; sicut nec qui ulla aromata, aut saccharum, aut tabacum ori imponentes aliquid ex illis deglutirent à mediâ nocte. Si tamen ex tabaco masticato, vel hausto per nares, nihil deglutiatur; hoc non nocet jejunio: licèt hoc mihi multùm derogari videatur reverentiæ tanto Sacramento debitæ. Si aliquid humoris tabaci salivam afficiens hauriatur, hoc neque jejunium frangit, ut potè ad modum salivæ transiens in stomachum.

C Præcedentium ciborum reliquiæ communionem non impediunt, si sumantur involuntariè; secùs, si voluntariè, secundùm multos; licèt aliqui hoc nimis scrupulosum sentiant, maximè si reliquiæ non sint notabiles. Papyrum deglutitam aliqui existimant naturale jejunium solvere, quia illâ vescuntur aliqua animalia; alii tamen negant. Ea quæ à valido stomacho digeri nequeunt, sed prorsus rejiciuntur indigesta, ut frusta quædam auri, argenti, ligni, unguis, aut capillorum, non reputantur obesse communioni; sicut nec pluvia, pulveres, aut muscæ, quæ casu cum aëre trajiciuntur in stomachum; quia hæc fiunt per modum respirationis, non comestionis. Quòd si quis dubitet an

D comederit post mediam noctem, jejunus adhuc censetur; licèt Sanches censeat possessionem esse pro præcepto, non pro communicaturo, qui pro tunc non deberet communicare, quia certus esset de præcepto jejunii, & dubius an manducaverit. Non obstante præcepto jejunii ad Eucharistiam recipiendam, ab illo hæc excipiuntur. *Primò*, gravis infirmitas, in quâ æger per modum viatici tenetur ex præcepto communicare; tunc enim tale præceptum prævalet, ut docet Concilium Constantiense sess. 13. & Rituale Romanum Titulo de infirmorum communione: unde ægrotus non tenetur cum notabili incommodo differre communionem,

E nec sumptionem cibi, aut medicinæ; quia lex fortior urget. Hoc tamen credunt aliqui prohibitum, nisi pro primâ vice in eodem morbo; sed probabiliùs contrarium sentiunt alii, & in praxim vulgò reducitur. Imò, non dissentirer ab illis, qui communionem porrigerent non jejuno ægrotanti in forti tentatione constituto, ubi non adhuc viatico indigeret. Nec tamen ex dictis inferendum est, quòd sacerdos non jejunus possit consecrare ad viaticum tradendum infirmo; quia tale privilegium infirmo concessit Ecclesia, non sacerdoti. *Secundò*, excusat à jejunio necessitas consummandi sacrificium; unde, si post ablutionem sacerdos reperiat aliquas reliquias sacrificii, potest illas sumere in

quàvis quantitate reperiantur, quandiu est in altari; non verò potest consummare hostiam, quam consecravit in usum alterius: *Tertiò*, propter eamdem rationem perficiendi sacrificium, si sacerdos advertat esse aquam in calice, quam potavit, denuò tenetur consecrare vinum; nec debet proinde expuere aquam ratione gravis indecentiæ. Si etiam post sumptionem unius speciei deficiat sacerdos, alius non jejunus perficere debet; quia plus est, sacrificium manere imperfectum, quàm Eucharistiam à non jejuno sumi: quoniam, ut inquit Doctor noster, perfectio sacrificii est de jure Divino, & jejunium de jure positivo tantùm. *Quartò*, periculum irreverentiæ irrogandæ Sacramento à jejunio dispensat, quando scilicet periclitaretur hostia, nè combureretur, aut comederetur à brutis, vel arriperetur ab hæreticis, aut infidelibus. Quòd si ante consecrationem sacerdos privatim celebrans recordetur, se non esse jejunum, desistere debet, modò hoc possibile sit sine scandalo; si tamen celebret publicè, progredi tenetur; quia supponitur, quòd non posset desistere sine scandalo. Idem dicendum de aliquo communicaturo, si adsit vel absit occasio scandali.

Sicut ex reverentiâ, cum præcepto tamen Ecclesiæ, debet quilibet accedere ad hoc Sacramentum, antequam aliud ore sumpserit, sive per modum cibi, sive per modum alimenti; sic ex eodem motivo, debet fidelis, postquam communicavit, se abstinere à sputis, per aliquod temporis spatium; licèt hoc sit tantùm de congruitate, si constiterit nullum in ore remansisse fragmentum, & non de præcepto; quia, etiamsi adhuc species indigestæ remaneant in stomacho, sputum tamen aut saliva ex solo capite in os defluunt, aut saltem ex pulmonibus extrahuntur, non ex ventriculo. Licèt dicant aliqui, post communionem posse in ore apponi aromata quædam ad provocationem flegmatum; exactè tamen cavendum est, nè excitare possint ad vomitum, qui provocari non debet, nisi postquam certò habebitur, illas esse corruptas. Si tamen ex rarissimo accidente constaret, species fuisse infectas veneno, & alio modo non posset auferri periculum mortis, pro tunc posset vomitus provocari; quia communiter tenetur, illum non obligari ad hostiam quam consecravit sumendam, quam posteà cognovit esse infectam veneno. Deinde, quando aliàs porrigebatur Eucharistia infantibus, probabilissimum erat, quòd eam sæpissimè essent evomituri, quem vomitum asservabant in sacrario, quod denotat aliqualiter, vomitûs timorem non esse præferendum conservationi vitæ. Porro, præter jejunium naturale, nulla alia dispositio exigitur ex parte corporis; nam, si ex Concilio Braccarensi 3. cap. 3. præcipiatur sub pœnâ excommunicationis, ut sacerdos laicaliter communicans orarium ponat super humeros; tale præceptum non ampliùs obligat. Quod similiter aliqui voluerunt, etiam inculpabilem carnis immunditiem arcere à communione; hoc intelligendum est de consilio, non, ex præcepto. De consilio, inquam, quia tales, qui involuntariè polluuntur per somnia, & qui uxorati exercent usum matrimonii, maximam patiuntur alienationem mentis; unde expectandum est, quòd caro spiritui reducatur. Hoc tamen non requiritur ex præcepto, juxta D. Gregorium dicentem, *Si ex veneratione magnâ percipere non præsumunt, laudandæ sunt mulieres: sed si perceperint, non sunt judicandæ; naturæ enim superfluitas in culpam reputari non valet.*

Quæres quartò, utrùm requiratur aliqua dispositio ex parte animæ? Non loquimur de dispositione necessariâ ad receptionem substantialem corporis Christi, quia realiter recipitur à reprobis & peccatoribus; imò, & traditum fuit Judæ à Christo; sed loquimur de dignâ & legitimâ receptione illius: ad quod Respondeo, non requiri quidem exclusionem peccati venialis, benè autem peccati mortalis: & hoc est quòd omnes dicunt, requiri statum gratiæ ad recipiendam Eucharistiam, quæ est Sacramentum vivorum. Quòd possit quis communicare cum peccato veniali, sentiunt omnes doctores, & præsertim Scotus in 4. dist. 9. art. 2. quæst. 1. Quòd autem debeat communicans purgari à peccato mortali, & esse in statu gratiæ; hoc probat Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. & can. 11. ex 1. ad Corinth. 11. *Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat; qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat.* Qui ergo peccati mortalis conscius ad hoc Sacramentum accedit; non solùm privatur receptione gratiæ, quæ est effectus illius; sed insuper novum admittit peccatum, sacrilegii videlicet, quod gravius censetur omnibus aliis peccatis contra creaturas admissis; Ratione scilicet objecti, nimirum Christi, qui propter unionem ad Verbum Divinum transcendit omnes creaturas. Ratione tamen alicujus circonstantiæ, aliqua peccata contra creaturas deteriora censentur impiâ communione, ut occidere hominem, violare famam proximi, & occultum peccatum prodere; quia communio indigna nullum reale damnum infert Christo, nec inferre potest; ubi homicidium, detractio, & infamatio, notabile damnum inferunt proximis, humanam societatem conturbant, & sunt contra legem naturæ: unde, nè prodantur peccata aliorum, Ecclesia occultis peccatoribus non negat Eucharistiam. Ut quis dignè accedat ad Eucharistiam, non sufficit contritio peccatorum mortalium, sed requiritur confessio sacramentalis, quando haberi potest; ut habet Conc. Trid. sess. 13. can. 11. *Statuit atque declarat ipsa sancta synodus illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque se contritos esse existiment, habitâ copiâ confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem; Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

Si quis quærat, quo jure teneantur fideles ad observationem hujus præcepti; fatentur omnes, non esse de jure naturæ, quia naturaliter sufficit ad communionem status gratiæ, qui per contritionem obtineri potest: sed controvertuntur in hoc, quòd Navarrus, Medina, & aliqui alii, velint ipsum esse duntaxat apostolicum, sicut & præceptum de Eucharistiâ sumendâ à jejunis; alii verò in majori numero existimant, tale præceptum esse Divinum, utpote à Christo traditum & promulgatum à Paulo, juxta ipsius verba quæ antecedenter protulerat, *Ego enim accepi à Domino.* Sic Scotus in 4. dist. 9. quæst. unicâ. Unde Apostolus dicens, *probet seipsum homo*, non tam præceptum facit, quàm jam factum à Christo promulgat, quod confirmare videtur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. dicens, *Communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum, probet autem seipsum homo.* Licèt necessariò præmittenda sit confessio Sacramentalis ad communionem, cùm fieri potest, quidquid dicat Cajetanus asserens, solam contritionem sufficere, quod jussit Pius V. expungi ab ejus commentario; attamen, si desit copia confessarii, & adsit communicandi necessitas, potest quis Eu-

charistiam sumerè cum contritione solâ; quæ pro tunc est de jure Divino-naturali, ubi confessio est tantùm de jure Divino-positivo; quoniam, licèt sit de jure naturali, ut homo in genere fugiat peccatum quòd committeret indignè recipiendo Eucharistiam, non tamen necessarium est absolutè, ut hoc faciat per confessionem Sacramentalem, sed sufficit quòd fiat per contritionem quæ gratiam conferre nata est. Necessitas communicandi censetur esse, quando quis est moriturus, quando sacerdos tenetur ex officio celebrare, & hoc non valet præstare per alium; quando exigitur celebratio ad consecrandam hostiam pro communione moribundi, quando sequeretur infamia & scandalum non celebrando aut communicando, quando missâ inchoatâ recordatur sacerdos peccati mortalis non confessi. Ubi talis non reperitur necessitas in sacerdote nec in laico, sed tantùm devotio quædam, ut potè occasio festi celebrandi vel indulgentiæ lucrandæ, tunc non licèt communicare, nisi confessio præcesserit. Quòd si urgeat præceptum communionis paschalis & desit confessarius, non licet communicare, quia præceptum de confessione faciendâ ante communionem, ut potè Divinum, prævalet præcepto Communionis paschalis, quod est tantùm Ecclesiasticum.

Confessarii copia deesse videtur, non solùm quando deest simpliciter, qui confessionem audire valeat, sed etiam, quando confiteri non potest pœnitens sine gravi periculo infamiæ, damni, revelationis, vel inductionis ad peccatum; si tamen hoc locum habeat respectu tantùm unius aut alterius peccati, alia tenetur confiteri pœnitens. Alii sunt casus qui dispensare possunt à confessione; sed quia de facili reperiuntur apud Canonistas, ipsis propterea supersedemus, dicturi tantùm, quòd ille, qui per solam contritionem purgatus communicavit, tenetur quàm citiùs confiteri, si sit sacerdos celebrans; quia hoc expresè habetur in Concilio Tridentino sess. 13. cap. 7. *Si necessitate urgente sacerdos absque praviâ confessione celebraverit, quàm primùm confiteatur.* Quoad laicos verò, & sacerdotes laicaliter communicantes, ad hoc non tenentur; quia de solis sacerdotibus loquitur Concilium. Ad hoc etiam non tenentur sacerdotes illi, qui obliti de aliquo peccato sacrificaverunt, de quo recordantur posteà, quia idem Concilium agit tantùm de peccatis, quorum conscius est sacrificans. Aliqui tamen dicunt, quòd ad confessionem debeant illicò pergere etiam laici; si non ex decreto Concilii, saltem ex naturâ & congruentiâ rei. Aliqui, præter emundationem à peccato, devotionem quandam & reverentiam exigunt, ut digna sit communio; quæ fuit opinio Cajetani: sed hæc opinio aliis improbabilis videtur, tùm quia hac de re Christus nihil præcepit, respiciens ad hominis fragilitatem, quæ tanta est, ut sæpè sæpiùs ad actiones suas non attendat; tùm quia olim hoc Sacramentum dabatur parvulis actuali devotione carentibus; tùm denique quia non habentes talem devotionem actualem, censerentur obicem ponere huic Sacramento, & sic novum peccatum admittere, quod nemo dixerit. Si ergo noster Alensis 4. parte quæst. 41. memb. 3. art. 2. videatur requirere devotionem; loquitur de habituali, quam fidelis sese applicans ad communicare volendum, præmittere debet, saltem in examine conscientiæ, licet illam non habeat actualiter, quando communicat.

Quæres quintò, utrùm ex parte conversationis exterioris requiratur aliqua conditio ad communionem? Hoc intelligi potest, vel de peccatoribus pu- A blicis & notoriis, quos criminosa conversatio arcet à communione; vel de illis, qui licet forsan non peccent mortaliter in exercitiis suis, attamen modum aliquem vivendi peccaminosum profitentur qui ipsos à communione separat. Respondeo primò, licèt peccatori occulto publicè petenti Eucharistiam non possit ipsa negari, attamen peccatori publico neganda est, quocunquè modo petat. Ratio primæ partis est, quia sacerdos tenetur providere famæ proximi, quod non faceret, si illi publicè petenti negaret Eucharistiam pro crimine occulto; tunc enim proderet peccatum illius, quod alios lateret. Si autem peccator communionem postularet occultè, deneganda esset absolutè; quia pro B tunc nullum esset periculum scandali aut prodendi famam alterius. Quoad secundam partem, constat ex D. Chrysostomo homil. 83. in Mathæum dicente, *Non parva vobis imminet pœna, si quem aliquâ improbitate teneri scientes, hujus mensæ participationem permittatis; sanguis enim Christi de manibus vestris exquiretur.* Quòd autem hoc debeat intelligi de peccatis publicis, non occultis, sufficienter probatur per verba sequentia, *Non de ignotis, sed notis disputo.* Si sacerdos requisitus à peccatore publico de receptione Eucharistiæ possit aliquâ viâ prudenti efficere, nè talis communicet, ad hoc tenetur; si hoc autem præstare non valeat, nisi tradendo hostiam non consecratam pro consecratâ, C id nunquam licet, tùm quia prophanaretur Sacramentum, simulando illud ministrare; tum quia ipsimet communicanti & populo occasio idololatrandi præstaretur. Si quis suspectus de crimine accedat ad Sacramentum, & suspicio sit violenta, arceri debet à communione; quia talis suspicio, scientiæ & evidentiæ æquivalet. Si autem suspicio violenta non fuerit, debet præstari Eucharistia; quia nullus potest privari jure suo pro solâ suspicione, quæ cùm non sit violenta, est temeraria, vel tantùm probabilis; si autem est temeraria, injusta est; & si est probabilis, remanet semper dubia; & in dubio melior est conditio possidentis. Suspicio temeraria oritur ex causâ irrationabili, ut cùm procedit D de assuetis ad detractionem; probabilis verò consistit in signis probabilibus; violenta autem argumentis apparentibus nititur, ut si quis v. g. assuetus furto noctu in domo reperiretur, in quâ latrocinium aliquod factum est. Porrò, licèt aliàs permissum fuerit tradere Eucharistiam suspectis de crimine aliquo, ut ab illo purgarentur, qualiter habetur in Concilio Vvormaciensi can. 10. & refertur in Jure can. *si Episcopo* 2. quæst. 5. ubi statuitur, quòd si presbytero aut Episcopo crimen imputetur aliquod, missam celebret, & sic innocens habeatur; aliàs per quinquennium arceatur ab Ecclesiâ: hoc tamen non est ampliùs in usu, quia talis via ad purgationem tentat Deum, petendo ut ipse ex miraculo delictum manifestet. Deinde, est extra fi- E nem Eucharistiæ. Porrò, per notorium peccatorem intelligitur ille, qui talis judicatus est per sententiam juridicam, aut confessionem factam in jure, unde ista vocatur notorietas juris; vel ille cujus crimen ità evidens est, ut nullo modo negari queat, & ista est notorietas facti.

Respondeo 2. Præter peccatores publicos & notorios, qui arceri debent à communione, eo modo quo diximus; sunt & alii, qui licèt forsan non sint actu in peccato, sunt tamen in statu habituali, qui regulariter est peccaminosus; unde ut infames habentur & proinde communione privandi sunt. Hi sunt primò Bohemi & Ægyptii, qui per provincias, Galliæ præsertim, divagantes latrocinia exercent:

qui si tolerentur à regibus, hoc est ad duritiem cordis. Secundi sunt aleatores, quorum ludendi habitualis professio in multa & gravia peccata inducit; multiplicando nimirum perjuria & blasphemias, conservando nimium lucrandi desiderium, voluntatem spoliandi proximum, retinendo & transgrediendo leges Ecclesiæ, quæ tales aleatores ex professione excommunicat; non tamen illos, qui animo sese recreandi ludunt. Tertii sunt illi, qui exercentes duellum seu monomachiam, perseverant in voluntate continuâ occidendi proximum. Quarti sunt divinatores & sortilegi, qui meritò carne & sanguine Christi pasci non debent, cùm pactum inierint cum dæmone. His adduntur communiter lenones, meretrices & histriones, qui in scenis publicis exercentes comœdias, vel tragœdias, rejiciuntur à D. Cypriano lib. 1. epist. 10. Similiter choreas exercentes communione privantur per canones; quod tamen verum non est de illis qui id faciunt recreationis causâ cum honestate. Olim etiam arcebantur fucis & pigmentis utentes, sed tales nunc usus communis tolerat. Publici denique pœnitentes aliàs etiam non recipiebantur ad communionem, nisi Ecclesiæ forent reconciliati. Porrò, non solùm hi omnes legibus Ecclesiasticis ejiciendi sunt à participatione Eucharistiæ; sed etiam nunquam debent admitti, donec publicè & coram testibus suæ pœnitentiæ signa dederint.

Quantùm ad usum communionis; Recurrendum est ad quæst. 3. de necessitate hujus Sacramenti, ubi diximus, quòd licèt communio non sit absolutè necessaria necessitate medii; est tamen necessaria necessitate præcepti, ubi etiam asseruimus, sex fuisse ritus communicandi in Ecclesiâ, & plura alia annotavimus, quæ sumptionem Eucharistiæ concernunt. Unde, hîc tantùm superest addendum, super difficultatem, quâ sæpe-sæpiùs quæritur, utrùm frequenter vel rarò communio fieri debeat; quòd in hoc non possit certa regula assignari, quando quidem hoc pendet ex puritate conscientiæ, ex devotione circa Sacramentum, & aliis circunstantiis corporis & animæ, quas judicare debet prudens confessarius: unde dicebat aliàs Augustinus cap. 53. de Ecclesiasticis Dogmatibus, *Quotidie Eucharistiæ communionem percipere, nec laudo nec vitupero.* Hoc refertur in jure de Consecrat. dist. 2. cap. *quotidie.* Nec dicendum est, quòd communionem quotidianam introducere debeat fructus notabilis ex illâ proveniens, & exemplum fidelium, qui in primitivâ Ecclesiâ ferè quotidie communicabant: nam attendendum est etiam ad dignitatem & ad reverentiam Sacramenti, quæ exigit, ut non nisi à valde perfectis sumatur quotidie. Et quantùm ad primorum Christianorum exemplum, qui erant in speciali fervore, audiendus est D. Bonaventura dicens dist. 12. parte 2. art. 2. quæst. 2. ad 1. *Si quis videat, se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandus est, si actu communicet*: Ex quibus constat, quòd proportionatè ad majorem vel minorem dispositionem fidelium debeant multiplicari vel non multiplicari communiones: attendendo tamen ad reverentiam huic Sacramento debitam, cujus nimia frequentia posset contemptum parere. Unde, non est approbanda doctrina illa, quam nuperis diebus tradiderunt aliqui authores ex Hispaniâ oriundi, qui existimant, bonum esse cuicunque peccati mortalis non conscio, communionem sumere, cujuscunque conditionis sit, sive continens aut uxoratus, etiam post copulam maritalem; Imò & post pollutionem die ipsâ procuratam voluntariè: nam talis & nimia familiaritas pareret sæpe-

A sæpiùs contemptum, & talis usus est planè alienus à sanctorum Patrum opinione.

Quæstio XXVII.

Quis sit minister Eucharistiæ?

IN aliis Sacramentis confectio & administratio Sacramenti ad eumdem pertinent; qui conficit enim Sacramentum, dicitur minister ejus: respectu autem Eucharistiæ alius potest esse minister conficiens, alius distribuens. Hanc veritatem improbant hæretici, existimantes sacramentum Eucharistiæ non esse rem permanentem, sed transeuntem, quæ in usu duntaxat consistit. Unde Calvinus cum suis contendit, tunc solummodò panem & vinum esse Sacramentum, dùm comeditur & bibitur; sicut aqua baptismi est tantummodò Sacramentum cùm abluit: ideo negat, Sacramentum manere, si ad ægrotos deferatur. Aliqui tamen Calvinistarum, ut Kemnitius, docent in totâ actione cœnæ domini, quæ consistit in benedictione panis, fractione, & distributione immediatâ, tùm ad ægrotos, tùm ad absentes, remanere corpus Christi. Imò, non defuerunt alii, quos commemorat Claudius *de Saintes* repetitione 4. de Eucharistiâ cap. 12. qui dicerent, Eucharistiam remanere Sacramentum per triduum integrum propter ægrotos. Sed cur non per quatuor etiam dies, aut C menses, aut annos, aut toto illo tempore, quo species integræ & incorruptæ perseverant? Longè profectò sanior est mens catholica, asserens juxta Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. & 6. Eucharistiam & contentum sub eâ semper remanere, sive sumatur actu, sive servetur in sacrario, juxta antiquam consuetudinem, tempore etiam Concilii Nicæni primi usitatam. Unde can. 4. ejusdem Concilii Trident. expressè habentur hæc verba, *Si quis dixerit, peractâ consecratione, non esse corpus, & sanguinem Christi, sed tantùm dùm sumitur; & in hostiis, quæ post communionem reservantur, non re-* D *manere verum Domini corpus; Anathema sit.*

Conclusio Prima.

SOLUS Sacerdos potest Eucharistiam conficere; licèt Vvicleffus maximè dubitaverit, an hoc non posset bonus laicus, quod malus Sacerdos valet facere. Lutherus lib. de Captivit. Babylon. cap. de ordine, apertè definivit, quòd sicut quilibet Christianus baptismum conferre potest, sic & Eucharistiam conficere valeat: ita quòd, nec ministrorum electio aut ordinatio requiratur, nisi ob disciplinam ecclesiasticam, in quâ nimia videretur confusio, si quilibet extra casum necessitatis Sacramentum attentaret conficere. Ob hoc tantùm ordinationes E admittit Lutherus ipse, qui eò usque devenit, ut diceret, Sacramentum à diabolo confectum, esse validum: Calvinus è contrà lib. 4. Institut. cap. 1. § 22. censuit, tùm Eucharistiam, tùm baptismum, esse irritum, nisi conficiatur à publico ministro, qui tamen minister nullam requirit ordinationem, sed electionem duntaxat, quæ est ad tempus; ità quòd, hodie aliquis clericus aut laicus sit minister, qui cras talis non erit. Sed quomodò tale quid admitti potest à Calvino circa necessitatem ministrorum ad confectionem Sacramenti? quandoquidem Calvinistæ censent, verba ministri conficere tantummodò Sacramentum, quatenus excitant fidem in audientibus; quæ quidem fides potest excitari sive verba

verba proferantur ab ordinato vel non ordinato, ministro vel non ministro, homine vel dæmone, psittaco vel corvo. Ob hoc ergo tectius est, si sequatur mens Catholica, quæ asserit, solos sacerdotes ritè ordinatos & consecratos posse conficere Eucharistiam, ut docent Concilia generalia Nicænum, Can. 14. Lateranense cap. 1. sub Innocentio III. Florentinum in Armenorum instructione, & Tridentinum sess. 23. cap. 4.

Hoc confirmant Patres Ecclesiæ. Nam D. Cyprianus lib. 1. epist. 2. nedùm docet, Eucharistiam non posse confici, nisi à sacerdotibus; sed etiam colligit, non esse apud hæreticos veram Eucharistiam, quoniam apud eos non erat verum sacerdotium. Athanasius in 2. Apologiâ contra Arianos refert, patres synodi Alexandrinæ impediisse, ne quidam Hischiræ Arianus celebraret, quia non erat ordinatus à vero Episcopo. Epiphanius hæresi 79. docet, solos Apostolos à Christo ordinatos fuisse Eucharistiæ ministros, & deinde alios, qui ab ipsis creati sunt Episcopi & Presbyteri; itaut cæteris laïcis, ne quidem ipsi B. Virgini hoc unquam fuerit licitum. Chrysostomus lib. 3. & 6. de Sacerdotio, & Homiliâ 51. & 83. in Matthæum communiter extollit sacerdotes supra Angelos, quòd isti non possint consecrare Eucharistiam, benè autem illi. D. Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum, & 85. ad Evagrium, quorumdam Diaconorum superbiam comprimere tentat, ex hoc, quod longè inferiores sint presbyteris, in hoc, quòd consecrandi potestatem, quam presbyteri habent, ipsi non possideant.

Ratio nostræ conclusionis principaliter sumitur ex voluntate Christi, qui solis sacerdotibus dixit, Lucæ 22. *Hoc facite;* quibus verbis non jussit tantùm, quòd manducarent & biberent, sicut licitum est omnibus Christianis; sed quòd consecrarent, sumerent & aliis distribuerent, sicut hæc omnia Christum facientem videbant; ut semper intellexit Ecclesia. Deinde, si sacerdotium vetus erat particulare familiæ cuidam, nimirum Aaronicæ, quantò minùs novum sacerdotium, quod longè excellit supra vetus, debet non indifferenter concedi omnibus & singulis, sed solùm illis, qui juxta verba Apostoli ad Hebræos 5. vocantur à Deo, tanquam Aaron. Tandem, ut, inquit Scotus noster, sicut ab animâ derivantur virtutes ad cætera membra, mediante corde; & in republicâ principaliores actus ad personas digniores spectant; ità congruum est, ut actus & potestas conficiendi Eucharistiam resideat penes illos, qui sunt principaliores in Hierarchiâ ecclesiasticâ, quales sunt sacerdotes. Ob has rationes, & præsertim propter institutionem Christi, qui tale ministerium concessit sacerdotibus, nullus casus repertus est, in quo licuerit consecrare diacono aut laico; imò, in summâ etiam necessitate potiùs Catholici caruerunt Eucharistiâ, quàm ut conficeretur à non sacerdote.

Objiciunt Hæretici, tùm contra id quod in Annotatione diximus, Eucharistiam esse permanentem; tùm adversùs conclusionem nostram; quòd, sicut baptismus consistit tantùm in usu & potest confici ab omnibus & singulis, sic idem dici debet de hoc sacramento. Sed ad utrumque respondendum est, non sic esse philosophandum de Eucharistiâ, ac de baptismo; quia baptismus consistit tantùm in actione, quæ est transiens, non verò in aquâ, quæ non potest dici sacramentum, quando quidem secundùm se considerata non significat gratiam; Eucharistia verò consistit in speciebus & in corpore Christi; quæ omnia permanent. Deinde, confectio baptismi & Eucharistiæ dependent à solâ

A institutione Christi, qui potestatem baptisandi conferre voluit singulis hominibus, propter sui necessitatem, sicut habetur ex traditione Ecclesiæ explicatâ in Concilio Tridentino; ubi potestatem consecrandi voluit tantùm præbere Apostolis & illorum successoribus, quibus dixit, *Hoc facite*. Nec quis dicat, sumptionem Eucharistiæ, quæ est finis consecrationis, & consequenter quid illâ nobilius, fidelibus cunctis licere: ergo & consecrationem. Respondent enim Scotus & D. Bonaventura, non esse parem rationem; quia, licèt sumptio sit quid melius, quoad utilitatem; non tamen est quid nobilius, quoad potestatem: unde omnibus dixit Christus Joan. 6. *Nisi manducaveritis*: solis autem presbyteris dixit Lucæ 22. *Hoc facite*: & ideo ipsimet Angeli, nisi ex speciali dispensatione Divinâ consecrare possent.

B

Sicut solus Sacerdos potest conficere Eucharistiam; sic etiam omnis potest, sive sit excommunicatus, degradatus, & hæreticus; habet enim semper ordinem Sacerdotalem, & consequenter potestatem supra corpus Christi reale, quam accepit in susceptione Ordinis. Quòd si jus canonicum dicat, consecrationes hæreticorum esse irritas: idest, quòd prohibeatur ab illis recipere Eucharistiam: deinde sunt irritæ, quando pravam habent intentionem. Quia autem diximus, quòd quilibet Sacerdos possit Eucharistiam conficere; hoc Sacramentum potest

C confici à pluribus simul, si eodem instanti verba proferant: si autem non proferant simul; qui primus profert, conficit Sacramentum. Qui autem profert verba cum alio Sacerdote, v. g. ordinati cum Episcopo, isti debent habere intentionem consecrandi, non absolutam, sed conditionatam; supposito scilicet, quòd simul cum Episcopo verba proferant, quia si haberent absolutam intentionem consecrandi, & Episcopus primò absolveret verba; tunc ordinati proferrent verba super materiam consecratam, quod est sacrilegium: si verò priùs absolverent verba, Episcopus non consecraret, & sic non sacraret; licet Cajetanus alio modo respondeat, quòd ordinati non proferant verba formaliter cum

D intentione consecrandi; sed tantùm materialiter, ut instruantur quòd potestatem hoc faciendi receperint.

Si adversus ea quæ diximus, quemlibet Sacerdotem posse consecrare, quis instet, dicens, degradatum hoc non posse; quia non remanet Sacerdos cùm spolietur privilegio clericali, & curiæ sæculari tradatur: Respondendum est, quòd privilegium clericale, utpotè concessum à Constantino Imperatore, qui non erat Sacerdos, non sit essentiale sacerdotio; & sic non minùs quis est Sacerdos post degradationem, ac ante, ut testatur Concilium Tridentinum, docens sess. 7. can. 9. nunquam amitti posse characterem sacerdotii, quo durante, subsistit

E valida consecrandi potestas. Unde sess. 23. cap. 4. damnat eorum sententiam, *qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere, & semel ritè ordinatos iterum laïcos posse effici*. Quod confirmatur ex usu Ecclesiæ, quæ revertentes ab hæresi, aut schismate, aut quocunque crimine alio, propter quod fuerunt degradati, non iterum ordinat; sed reconciliatione post pœnitentiam factâ, in pristino gradu recipit.

Conclusio Secunda.

Solus Sacerdos est ordinarius minister circa distributionem hujus Sacramenti; ut autem possit licitè ministrare illud, debet habere jurisdictionem,

Primum patet ex communi lege Ecclesiæ, quæ statuit ut solus Sacerdos ministraret Eucharistiam: potest tamen hæc distributio committi Diacono in necessitate, unde reverà Diaconi antiquitùs ministrabant, quod non est nunc in usu, ob copiam Sacerdotum. An autem hoc licitum sit aliis à Diacono, aliqui credunt laïcum in mortis articulo in necessitate expositum, posse se ipso sumere Eucharistiam, aut alteri ministrare, sicut fertur factum fuisse à reginâ Scotiæ, quæ proxima Martyrio sese communicavit, & factum fuit in primitivâ Ecclesiâ, ubi Eucharistia dabatur laïcis in sudario, sumenda scilicet, dum proximum esset martyrium. Hoc posse adhuc fieri, maximè quando judicatur Eucharistia multum necessaria, tenetur à pluribus Doctoribus; sed alii & probabiliùs & in majori numero contrarium tenent; sic inter alios sentit Bonacina. An autem Sacerdos non sacrificando, possit se communicare extra diem Veneris sanctam, in qua est speciale privilegium; hoc illi conceditur, sicut & Diacono in extremâ necessitate, ubi deessent Sacerdos & Diaconus. Secundum constat etiam ex vocabulo Pastoris, qui tali nomine insignitur, quia ipsi incumbit pascendi officium; & sic ille qui ministrat hoc Sacramentum, debet esse Pastor & habere jurisdictionem ordinariam, qualem habent Episcopi, Parochi, & alii quibus animarum cura incumbit ex officio; vel saltem ab illis licentia debet concedi: unde peccant qui sine privilegio administrant Eucharistiam non subditis, & hoc mortaliter; nisi credatur fore ut Pastor hoc sciens, approbaturus sit & daturus licentiam.

Ex hac conclusione sequitur primò, quòd licèt potestas delegata dispensandi Eucharistiam competat Diaconis, in casu gravis necessitatis; attamen solis Sacerdotibus concessa est talis potestas ordinaria. Primùm habetur, ut diximus, ex antiquâ praxi Ecclesiæ, quâ Diaconi olim, non propriâ authoritate, sed ex jussu Episcopi vel Presbyteri, tanquam ministri eorum, Eucharistiam dispensabant; sæpius quidem sub specie vini, ut testantur verba S. Laurentii ad S. Xistum Papam dicentis, *cui commisisti dominici sanguinis dispensationem*; aliquando tamen, etiam frequenter, sub specie panis; ut habet Justinus martyr Apologiâ 2. pro Christianis; & Concilium Nicænum Can. 14. dicens, *Quòd si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant & edant*, loquendo de Diaconis. Nec audiendi sunt illi, qui volunt Diaconum dispensasse ex officio sanguinem, & ex commissione corpus dominicum; utraque enim potestas erat æqualiter delegata, ut habetur ex Clemente lib. 8. Constitut. Apostolic. cap. 28. *Oblatione ab Episcopo aut Presbytero factâ, ipse Diaconus dat populo, non tanquam Sacerdos, sed tanquam qui ministrat Presbyteris.* Sæpiùs tamen illa dispensatio sanguinis committebatur Diaconis, quam corporis Christi, ob majorem commoditatem fidelium communicantium in utrâque specie; ita quòd Sacerdos traderet corpus, & Diaconus subsequens sanguinem. Quoad secundum, probant Doctores, ordinariam potestatem dispensandi hoc sacramentum competere jure divino solis Sacerdotibus, ex Lucæ 22. ubi solis Apostolis dixit Christus, *Hoc facite in meam commemorationem*; & illis consequenter qui successerunt Apostolis in sacerdotio: & hoc juxta hymnum Ecclesiæ, *Cujus officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant & dent cæteris.* Hujus ratio est, quia sicut soli Sacerdotes accipiunt potestatem supra corpus Christi verum quod conficiunt, ita ipsi soli authoritatem habent circa corpus illius mysticum, nimirum fideles, quibus dispensare debent Eucharistiam. Si ergo initio nascentis Ecclesiæ porrigebatur Eucharistia, intra manus fidelium, hoc fiebat à Sacerdote, qui principalis dispensans censebatur. Ratio, cur frequentiùs dispensabant Diaconi sanguinem quàm corpus, designatur à Scoto in 4. dist. 13. quæst. 2. in fine, quia scilicet Christi sanguis non tangitur, nisi mediantè vase, & immediatè tanguntur species panis; & propterea, dum à Sacerdotibus porrigebatur prima species, dicebant ipsi, *Corpus Christi*; & à percipientibus respondebatur, *Amen.* Dum verò posteà secundam speciem porrigebat Diaconus, dicebat ipse, *Sanguis Christi, calix vitæ*, & respondebatur, *Amen.*

Sequitur secundò ex nostra conclusione, quòd nullo modo possit concedi clericis inferioribus Diacono potestas dispensandi hoc sacramentum, juxta communem sententiam Doctorum; in quo sequuntur definitionem Concilii Rhemensis, quæ refertur in jure cap. *pervenit*, de Consecrat. dist. 2. Hoc non impedit tamen veritatem eorum quæ diximus; in casu extremæ necessitatis, deficientibus Sacerdote & Diacono, laïcum posse sibi assumere Eucharistiam per modum viatici, modo absit scandalum; hoc enim non est prohibitum jure divino, aliàs non fuisset licitum fidelibus antiquis secum deferre Eucharistiam imposterum sumendam, dum adveniret occasio martyrium subeundi; nec infirmus ille Presbyter, cujus meminit Eusebius lib. 6. Historiæ c. 34. misisset particulam hostiæ ministerio pueri ad Serapionem moribundum; nec denique laudaretur regina Scotiæ Maria *Stuart*, quòd curam habuisset servandi apud se hoc sacramentum, quod propriis manibus sumpsit, imminente martyrio. Quoad Sacerdotem, qui in necessitate communicandi existit, potest communicare seipsum, dum alius deest Sacerdos; cùm sit ordinarius minister hujus sacramenti, nec requiratur ex natura rei distinctio sumentis à ministro. Quòd si sit lex hoc prohibens, ipsa cessat tempore necessitatis, quæ sufficiens censetur à Doctoribus ex sola devotione, aut ex occasione solemnis alicujus festi celebrandi, in quo ipse consecrare non potest. An autem Sacerdos infirmus, cui hostia delata est à Diacono, debeat illam sumere propriis manibus; multi existimant, alii negant, & cæteri credunt utrumque fieri posse: hoc idem extendi ad Diaconum censetur communiter, sed gravior requiritur necessitas.

Sequitur tertiò ex ibidem dictis, quòd soli Pastores possint dispensare hoc sacramentum, cujus dicuntur dispensatores ordinarii, juxta Concilium Carthaginense 1. cap. 7. & Milevitanum can. 28. ubi unicuique præcipitur, ut in propria Ecclesia, & de manu proprii Pastoris communicet. Ad talem autem administrationem, sive per se, sive per alios, jus habent, & ad hoc tenentur Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in sua diœcesi, & Parochus in sua parochia. Tenentur, inquam, Pastores ad hanc dispensationem, non tantùm quotiescumque subditi ad receptionem talis sacramenti obligantur, sed toties quoties à subditis petitur rationabiliter; quoniam Pastores debent pascere subditos, non tantùm in necessariis, sed etiam in valde utilibus ad salutem; ut potè ad hoc accipientes stipendium: non tenentur autem exteri, nisi solâ lege charitatis, vel nisi interveniat gravis aliqua necessitas, in qua quisquis obligatur de salute proximi consulere. Quod si non adsit rationabilis causa in petentibus, qui v. g. exigerent Eucharistiam tempore quo infirmatur Parochus, aut gravibus impeditur negotiis; tunc potest communio non præcepta denegari. Hoc

non impedit tamen, quin ex privilegio & delegatione propriorum Pastorum, qui sunt Papa, Episcopus, & Parochus, quilibet in sua ditione possit aliis dispensare Eucharistiam, ut patet de Religiosis Mendicantibus, qui licentiam habent summi Pontificis Eucharistiam ministrandi cuilibet fideli toto anni tempore, exceptis communione Paschali, & eâ quæ fit per modum viatici; ut videri potest apud nostrum Rodriguez tomo 1. quæst. 56. art. 3. Quando autem in bullis Pontificum hanc licentiam concedentium Regularibus, excipitur dies paschæ, vel resurrectionis Domini; hoc non impedit, quin tali die possit apud illos administrari Eucharistia voluntaria, quando fideles alio die in sua parochia communicarunt ad satisfaciendum præcepto communionis Paschalis. Sic pene omnes contra Navarrum & paucos alios, quia scilicet Pontifices tantùm voluerunt consulere præcepto communionis Paschalis, quæ de jure pertinet ad Parochos, quorum subditi debent singulis annis ex cap. *omnis utriusque sexûs* communionem recipere à proprio sacerdote. Attamen si in tali communione voluntariâ factâ in die Paschæ apud Regulares, interveniret aliquod scandalum, ipsa fieri non deberet; imo de facili credere, majoris esse decentiæ & congruitatis, quòd nulla tunc fiat laïcorum communio in privilegiatorum Ecclesiis, licèt absolutè posset apud illos recipi hoc Sacramentum cum restrictione allata; quia per talem communionem paschatis, quam prohibent Pontifices extra parochiam, intelligitur illa quæ est ex præcepto; non verò communio voluntaria.

QUÆSTIO ULTIMA.

An sumenda sit necessariò Eucharistia sub utraque specie?

HÆc difficultas præcisè oritur pro laïcis: nullius enim dubitat, quin Sacerdos sacrificando debeat illam sub utrâque specie sumere: pro laïcis ergo nos continuò objurgant hæretici, dicentes, quòd contra institutionem Christi faciamus, dividentes Eucharistiam, & unâ parte fraudantes laïcos. Hæc controversia ortum habuit Pragæ in Bohemia circa annum 1412. Dum enim Petrus Dresdensis Vvicleffista in verba Christi incidisset dicentis Joan 6 *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: miratus est, quòd laïci fraudarentur usu calicis; & ob hoc impulit Jacobellum tunc Pragæ concionantem, ut moneret in concionibus, nullum de populo posse salvari, qui de calice Domini non biberet, quod vehementer placuit omnibus hæreticis, ut testatur Æneas Silvius in historia Bohemorum cap. 30. Licèt Lutherus in sermone habito initio suæ apostasiæ de Eucharistia, declaraverit non esse necessarium, dari utramque speciem laïcis, attamen lib. de Captivit. Babylon. cap. 1. probat, jure divino debere Sacerdotes utramque speciem laïcis porrigere ipsam volentibus; liberum tamen illis remanere, vel unam postulare, vel utramque. Imò, in asserr. art. 16. asserit, impios esse eos, qui, cùm non possint impetrare utramque speciem, saltem unam non desiderant. Calvinus denique cum suis lib. 4. institut. cap. 17. ss. 47. & sequentibus, probat Eucharistiam sub utrâque specie esse necessariam. Quod idem confirmat in antidoto articulorum Parisiensium art. 7. Fundamenta sua hæretici desumunt, quòd totus Christus non sit in quavis specie: quòd tota ratio sa-A cramenti non reperiatur in una: quòd major sit fructus proveniens ex utrâque, quàm si altera tantùm sumeretur: quòd denique utriusque sumptio præcipiatur in Scriptura, sicque proinde debeat reputari jure divino, cui derogare nullo modo possunt Romani.

CONCLUSIO.

NON est necessarium ut sub utrâque specie recipiatur Eucharistia; Concilium enim Trident. sess. 21. cap. 1. prohibet talem administrationem laïcis sub excommunicationis pœna. *Prima ratio est*, quia Joann. 6. habetur; *Si quis manducaverit* B *ex hoc pane, vivet in æternum*. Et ibidem: *Hic est panis qui de cœlo descendit, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur*; ubi Scriptura tribuit omnem vim sanctificandi & justificandi, Eucharistiæ sumptæ sub specie unicâ; quod non faceret, si altera species esset necessaria ad salutem. *Secunda ratio* petitur ex Lucæ 24. ubi sub una specie Christus dedit Eucharistiam discipulis Emmaüs; per panem enim quem benedixit, fregit & illis porrexit, intelligunt Augustinus, Hieronymus, Theophilactus, Chrysostomus & alii, panem Eucharisticum: & non possunt respondere hæretici, quòd, licet Scriptura loquatur tantùm de pane, hoc non impediat, quin calicem C porrexerit; statim atque enim panem dedit, evanuit ab oculis eorum. Quòd si respectu aliorum non liceat consecrare sub unâ specie tantùm, hoc licet tamen Christo, qui est supra legem. *Tertia ratio* sumitur ex Actuum. 2. ubi Apostoli erant perseverantes in communicatione fractionis panis: quòd autem Lucas hìc locutus fuerit de Eucharistiâ, fatentur Lutherus sermone de Eucharistiâ, Calvinus cap. 17. institutionum ss. 35. sicut & Plessæus libri primi de Eucharistiâ capite primo. Nec dicant hæretici, per fractionem panis intelligi etiam benedictionem calicis, quia Apostoli non potuissent consecrare sub unâ specie: talis enim responsio gratis fingitur, & ejus ratio nulla est, quia ibi non loquitur Lucas de D Apostolis consecrantibus, sed de recenter conversis, quibus frangebatur panis, licèt Apostoli consecrassent anteà sub utraque specie, ut fit communiter. *Quarta ratio* habetur ex primitivâ Ecclesiâ, ubi non erat licita congregatio Christianorum, & dabatur Eucharistia laïcis sub solâ specie panis, ut ferrent illam in proprias domos & ibi sumerent, vel in necessitate, vel ex pietate: viris quidem in concava manu, & mulieribus in linteo. Sic Tertullianus libri 2. ad Uxorem capite 5. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum; Cyprianus sermone de Lapsis; Basilius in Epistolâ ad Cæsariam Patriciam; Hieronymus in Epistola contra Jovinianum; Augustinus sermone 152. *Quinta ratio* hauritur ex S. Leone qui sermone 4. de Quadragesimâ loquens de Manichæis, asserit E eos qui Romæ habitabant & sumebant communionem cum Catholicis, nunquam sumere calicem, quia erant in hoc errore quòd crederent vinum esse fel draconis; hoc autem non fecissent publicè, nisi licitum fuisset communicare sub unâ specie: vel sub utrâque simul. *Sexta* tandem *ratio* potest repeti ex motivis, quæ impulerunt Ecclesiam Catholicam, ut alteram speciem removeret. Hæc autem fuerunt: Primò, quia non minùs sub unâ specie totus Christus continetur cum sanguine; secundò, quia non minor gratia datur sub unâ quàm sub duabus, quoniam gratia non datur per species, sed per contentum sub illis; tertiò, quia sunt multi abstemii à vino; quartò, quia vinum multis in locis deest in tantâ quantitate; ut vix tot homines communicare

possent; quintò, quia esset periculum effusionis.

Objicies. 1. Ioannis 6. habetur, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem; non habebitis vitam in vobis*; ergo ut gratia concedatur, debet quilibet Christianus sumere sanguinem sub specie vini. Resp. non ibi esse præceptum de sumptione specierum; sed tantùm præcipitur, ut quis manducet corpus & bibat sanguinem; utrumque autem fit sumendo solam speciem panis, quia tunc sanguis dicitur bibi quoad substantiam, quoniam sumitur res potabilis, licet non dicatur propriè bibi quoad modum. Quòd si Matth. 26. dixerit Christus, *Bibite ex hoc omnes*; hoc dictum fuit Apostolis solis, addit enim Marcus, *& biberunt ex eo omnes*. Quòd si dixerit Christus, *Quod vobis dico, omnibus dico*; ibi loquitur Christus de vigiliâ; dixit enim, *Vigilate & orate, &c.* & illicò subjunxit, *quod vobis dico, omnibus dico*.

Objicies 2. Debemus sumere Eucharistiam, sicut illam instituit Christus: sed Christus instituit illam sub utrâque specie: ergo, &c. Resp. neg. maj. aliud enim est institutio Eucharistiæ facta à Christo, aliud est præceptum ejus; si enim deberemus nos conformare absolutè Christo, deberemus sumere Eucharistiam post cœnam. Nec instare debent hæretici, quòd hoc jusserit Christus dicens, *Hoc facite*, id est, *distribuite sub utraque specie, sicut ego*; hoc enim est falsum, quia dixit tantùm, *hoc facite*, post porrectionem corporis; ad calicem autem dixit, *hoc facite, quotiescumque biberitis in meam commemorationem*, ad ostendendum quòd posset fieri receptio Eucharistiæ, & non bibi species vini. Dices, Ergo frustra instituit Christus sub utrâque specie: Negatur, instituit enim Eucharistiam, non tantùm ut Sacramentum, sed & ut sacrificium, ad quod requiritur consecratio & sumptio utriusque speciei.

Objicies 3. D. Leonem exprobrantem Manichæos, qui nolebant sumere speciem vini: sed ad hoc jam respondimus, quòd scilicet crederent Manichæi, sanguinem esse fel Draconis: non ergo illos objurgat quòd noluerint recipere speciem vini, sed quòd noluerint ob superstitionem & errorem. Sic etiam intelligendus est Gelasius Papa. Quòd si dicat Cyprianus sermone de Cœnâ Domini, *Lex usum sanguinis prohibet, Evangelium præcipit ut bibatur*: intelligitur de bibitione secundum substantiam, non de bibitione secundum modum. Si quis dicat: Perfectior est Eucharistia sub utrâque specie, quàm sub unâ; Respondemus ut aliàs, esse perfectiorem in significatione secundariâ, quia Eucharistia significat perfectam refectionem, quæ sicut in corporalibus fit ex pane & vino; in spiritualibus etiam debet fieri ex corpore & sanguine Christi.

Objiciunt quartò hæretici, præsertim Calvinistæ, Christum non esse totum sub utrâque specie, sed solum corpus sub pane, & solum sanguinem sub vino; unde lib. 4. Institut. cap. 17. ss. 18. 35. & 47. concomitantiam Romanorum impugnat. Lutherus in assert. art. 16. affirmat quidem, totum Christum esse sub qualibet specie; sed interrogatus privatim à quodam amico de communione sub utrâque specie irridet nostram concomitantiam; unde quidam ex suis, ut Hamelmannus refert lib. de communione sub utrâque specie, dicit concomitantiam esse diabolicum inventum. Respondeo hoc esse falsissimum, aliàs Christiani solam speciem panis recipientes sumerent tantùm cadaver, seu corpus mortuum, quod ridiculum est diceret nam corpus quod recipitur in sacramento, est idem numero, ac corpus quod in cælo est; sed corpus Christi in cælo est vivum, in-

A formatum animâ rationali, & repletum sanguine: ergo vivum remanet in sacramento, quoniam ad Roman. 6. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.* Quòd si in contrarium allegent rithmum S. Thomæ, *Dogma datur Christianis, quòd in carnem transit panis, & vinum in sanguinem*: per hoc non debet intelligi, quòd in carnem solam panis transmutetur, & vinum transsubstantietur in merum sanguinem; aliàs non subjungeret illicò, *manet tamen Christus totus sub utraque specie*; ubi designat, quòd totus existat Christus sub specie panis, & totus sub specie vini. Nec debent ad hoc respondere, quòd Christus reverà sit totus sub utrâque specie

B conjunctivè, non verò sub alterâ tantùm: nam, qui dicit utrumque, disjunctivè loquitur; & sic Christus non esset totus sub utrâque specie, nisi esset totus sub specie panis, & totus sub specie vini.

Objiciunt quintò, totam rationem sacramenti non consistere in una specie, & sic mutilari sacramentum, & imperfectum porrigi laicis. Respondeo, quòd licèt Eucharistia sub vna specie non sit perfecta in ratione sacrificii, tamen est perfecta in ratione sacramenti; ita quòd hostia consecrata asservata in sacrario, & à laicis sumpta, verè & propriè dici debeat sacramentum Eucharistiæ; unde sess. 21. Concilii Tridentini cap. 3. nedum habetur, in una specie totum Christum sumi, sed etiam verum esse sacramentum. Ratio hujus est, quia sacramentum consistit in signo visibili invisibilis gratiæ; sed reperitur signum visibile, nempe species panis,

C & gratia invisibilis, nempe Christus, qui est substantialis gratia: ergo ibi est verum sacramentum. Nec quis dicat, absque calice non esse integrum convivium, quod consistit in cibo & potu: quia, licèt non sit perfectum convivium in repræsentando, est tamen perfectum in essendo & in efficiendo; quoniam per solam speciem panis significatur sufficienter refectio animæ, etiamsi non adderetur species vini, & vice versâ. Imò & sufficienter reficitur anima, quamcunque sumat; quoniam non sunt species, quæ reficiunt, sed Christus, qui sub utrâque præsens existit. Quòd si duæ species simul sumantur, non sunt duo sacramenta, nec debet dici sacerdos celebrans duplex sacramentum sumere; sicut nec ille, qui duas hostias, aut duas particulas,

D aut duos calices simul reciperet. Secus autem, si duæ species diversis temporibus sumerentur; quia pro tunc una sumptio non diceret ordinem ad aliam.

Objiciunt sextò, majorem recipere gratiam, qui duas species recipiunt quàm qui unam: ergo unâ specie non debent fraudari laïci, quia aliquo gradu gratiæ privarentur. Respondeo, hoc jam negatum fuisse à nobis in fine quæstionis illius, ubi quæsitum est, quandonam Eucharistia producat suos effectus. Et hoc juxta mentem D. Thomæ, D. Bonaventuræ, Scoti, & aliorum, tum veterum, tum recentiorum. Ratio nostra est, quia, si utraque species plus gratiæ conferret, quàm una, vel hoc esset

E ratione symboli continentis, vel rei contentæ sub symbolo; atqui symbola Eucharistiæ gratiam non conferunt per se, sed mediante contento, Christo videlicet, qui, cùm sit totus sub qualibet specie, totam gratiam communicat in sumptione unius, quam communicaret in sumptione utriusque. Quòd si Alensis noster existimet, majorem fructum provenire ex utrâque specie, quam ex una: hoc intelligit extrinsecè, ratione scilicet augmenti devotionis, quæ continuatur; & non ratione sacramenti in se spectati. Cæterum, licèt plus gratiæ ex utrâque specie proveniret, non expediret propterea, ut om-

nes utramque speciem sumerent : nam minùs malum est, quòd aliqui homines careant aliquo bono non necessario, quàm quod sacramentum evidenti periculo irreverentiæ exponatur. Cùm autem moraliter fieri non posset, quin sæpissimè effunderetur sanguis Christi, ideo, licèt per talem negationem unius speciei privarentur communicantes aliquo gradu gratiæ, non propterea cuncti fideles ad participationem calicis deberent admitti, sicut nec admittuntur parvuli ad receptionem Eucharistiæ; ex quâ augmentum gratiæ recipere valerent.

CAPUT QUARTUM.

De sacrificio Missa.

ANTEQUAM descendamus ad explicationem Sacrificii Missæ, præsciendum est, quid & quotuplex sit Sacrificium in se. Sic autem definitur : Est oblatio rei sensibilis, à legitimo ministro, soli Deo facta, per realem immutationem hostiæ, ad testandum illius summum dominium. *Oblatio* tenet locum generis; ponitur postea, *rei sensibilis*; & sic oblatio interna, qua quis se & sua offert, non est sacrificium. Dicitur *à legitimo ministro*; idest à Sacerdote, qui solus offerre potest; licet Agnus Paschalis in veteri lege fuerit immolatus à quolibet Patrefamilias, erat enim institutum ante legem Mosaicam, & sic servabatur ordo legis naturæ, ubi Patres familias erant Sacerdotes; licet alii speciali Dei instinctu sacrificaverint, ut Abel, Abraham & Melchisedech. Dicitur, *soli Deo facta*; quia Sacrificium pertinet ad cultum Latriæ, qui soli Deo debetur. Additur, *per realem immutationem hostia*: occidebantur enim animalia, carnes eorum cremabantur, & aliæ hostiæ immutabantur, ut oleum & sanguis, quæ fundebantur super altare, sic etiam de cæteris. Quòd si dicatur, Christum non se occidisse; non minùs tamen à seipso Sacerdote sacrificatus est, quia se occidit moraliter, tradendo se voluntariè Judæis: licèt autem Martyres se tradant, non se tamen sacrificant propriè, quia non sunt Sacerdotes veri, & non moriuntur ad testandum summum Dei dominium, sed ad testandam fidem.

SACRIFICIUM dividitur tripliciter. Primò ratione materiæ, secundò ratione formæ, tertiò ratione finis. Ratione Materiæ dividitur Sacrificium in Victimam, immolationem & libamen. In Victimâ offerebantur animalia: per Immolationem res inanimatæ solidæ offerebantur, ut panis, simila, thus, manipulus spicarum virentium, & triticum; quæ omnia levabat sacerdos & immutabat diversimodè; scindendo panem in frusta, cremando similam, vel in sartagine aut clibano, urendo sal & triticum, denique & adolendo thus: in Libamine tandem offerebantur res inanimatæ liquidæ, sicuti sunt vinum, sanguis, oleum & aqua, quæ omnia effundebantur super altare.

DIVIDITUR Sacrificium ratione Formæ, in holocaustum, hostiam pro peccato, & hostiam pacificam. Quando Sacrificium erat Holocaustum, tota res consumebatur sine reservatione : quando erat Hostia pro peccato (scilicet externo) una pars erat in alimentum Sacerdotis, & aliæ erant consumptæ: quoad Hostiam pacificam, dividebatur in tres partes, quarum una consumebatur, altera erat pro Sacerdote, & alia pro offerentibus. Si hostia offerebatur in gratiarum actionem, partes reservatæ debebant comedi eodem die; si verò erat pro bene-

A ficio accipiendo, poterant reservari in sequentem, & non ulteriùs.

DIVIDITUR tandem Sacrificium ratione finis, in Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium & Propitiatorium. Primum erat solùm ad Deum colendum; secundum ad gratias agendum; tertium ad accipiendum beneficium aliquod; quartum ad obtinendam relaxationem pœnarum peccatis debitarum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Sacrificium Missa, & à quo institutum fuerit?

B

ALIA erat Missa Catechumenorum, quæ durabat usque ad offertorium, ubi tunc recedebant; alia fidelium, quæ erat ab offertorio ad finem, quo dimittebantur, dum diceret Sacerdos, *Ite Missa est*; alia est tandem Missa, quæ utramque complectitur. Quantùm ad antiquitatem nominis Missæ, neminem latet, ipsum primis temporibus fuisse usitatissimum, nimirum in Concilio Romano sub Sylvestro 1. in Carthaginensi 2. can. 3. in Carthaginensi 4. can. 84. Valentino can. 1. Agathensi can. 47. Aurelianensi 1. can. 18. & aliis, quæ ante mille annos celebrata sunt. Hoc confirmant Patres,
C & inter alios Ambrosius, qui lib. 3. epist. 33. *ait, Ego mansi in munere, Missam facere cepi, orare in oblatione Deum, ut subveniret.* Et Augustinus, qui serm. 91. de tempore dicit, *In lectione, qua nobis ad Missas legenda est, audituri sumus, &c.* Ac denique plurimi alii, ut D. Leo epist. 88. ad Episcopos Germaniæ & Galliæ. Felix IV. in epist. 1. S. Benedictus cap. 17. suæ regulæ. D. Gregorius lib. 1. epist. 12. & innumeri, quos nominatim recensere tædiosum esset : unde ad explicationem nominis Missæ & ad definitionem ipsius progrediendum est.

CONCLUSIO PRIMA.

D MISSA secundum nomen, venit à verbo quodam Hebraico, quod significat oblationem; vel a verbo latino, mitto, quia per consecrationem nobis veluti mittitur Christus à Deo, & per oblationem & sumptionem remittitur à nobis Deo. Missa verò secundùm rem est actio sacra, quâ conficitur Christi corpus, Deo offertur, & à Sacerdote sumitur. Quòd autem Missa sit Sacrificium, patet; quia in eâ reperiuntur omnia, quæ requiruntur ad Sacrificium: scilicet primò Sacerdos qui offert, nempe Christus, qui est principalis offerens; secundo Hostia seu Christus sub specie panis & vini; tertiò Deus cui offertur; quartò Ecclesia pro qua offertur; quintò altare in quo offertur; & sextò,
E actio sacrificantis: Eucharistia ergo est simul Sacramentum, quatenus sub signo visibili, nempe sub speciebus; continet rem invisibilem, scilicet Christum, & gratiam quam confert; & Sacrificium etiam, quatenus offertur Deo Christus in illâ existens. Hanc veritatem impugnant nostri hæretici, nullum agnoscentes sacrificium in lege nova, præter opera bona, quæ offerunt & immolant Deo fideles, juxta verba Davidis, *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus.* Unde in tantam lapsi sunt impudentiam, ut improbare ausi fuerint veteres & antiquos Patres, qui unâ voce admittunt oblationem corporis & sanguinis Christi pro vero & proprio sacrificio, ut videre est apud Calvinum lib. 4. institut. cap. 18. ff. 11. & 12. & anteà apud Luthe-

rum, qui in lib. de abroganda Missa, in lib. contra regem Angliæ, & in illo, quem scripsit de Missa privata, ait, *Hic non moramur, si clamitent Papistæ, Ecclesia, Ecclesia; Patres, Patres: quia, ut dixi, hominum dicta aut facta nihil in tam magnis curamus: scimus enim, ipsos Prophetas lapsos esse, adeoque Apostolos. Verbo Christi judicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos.* Quanta, quæso, impudentia in perfidis homunculis, qui tam sanctam, tam piam, tamque venerandam antiquitatem & ipsius dogmata repudiare non verentur!

Confirmari potest veritas nostræ conclusionis ex pluribus textibus tum veteris tum novi Testamenti, ex quibus duo tantùm, brevitatis causâ, afferemus: scilicet ex Psal. 109. & ex Malachiæ 1. David inquam spiritu prophetico Christum alloquens ait, *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*; sed Melchisedech sacrificavit in pane & vino: ergo sic sacrificium obtulit Christus, nedum in cruce, sed etiam quando obtulit Patri suum corpus & sanguinem sub specie panis & vini; unde Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium dicit, *Quis magis sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit: & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, idest, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem?* Quòd si respondeant hæretici, Melchisedech non sacrificasse, sed tantùm protulisse panem & vinum, ut milites Abrahæ confortarentur; hoc falsissimum est, quia verè protulit panem & vinum sanctificatum per oblationem Deo factam, quandoquidem Scriptura notat, quòd hoc fecerit, ut sacerdos; *At verò Melchisedech rex Salem proferens panem & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, benedixit ei*, nimirum Abrahæ. Post illam autem benedictionem & oblationem factam Deo, illos panes sanctificatos distribuit Abrahæ & sociis ejus, sicut fieri solebat in victimis pacificis. Si dicant similiter aliqui, Christum forsan sacrificasse; sed hoc non ampliùs facere fideles, qui non sunt sacerdotes, qualis erat Christus: hoc debet negari absolutè, juxta Augustinum, qui lib. 16. de Trinit. cap. 22. loquens de oblatione Melchisedech, dicit, *Ibi primum apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo toto orbe terrarum.* Quantùm ad textum Malachiæ, habetur cap. 1. ubi loquens de sacrificio novæ legis, dicit in persona Dei alloquentis sacerdotes Mosaïcos circa sua sacrificia, *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quòd autem loquatur de sacrificio Eucharistico, sic tradit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. & inter Patres D. Damascenus, qui lib. 4. de fide cap. 14. loquens de Eucharistia ait, Illud est purum & incruentum sacrificium, quod Dominus à solis ortu ad occasum prædixit per Prophetam. Nec obstat, si Malachias loquitur in præsenti, & non in futuro tempore; taliter enim Prophetæ, futura ac præsentia æqualiter cognoscentes, loqui solebant.

Objicies hæreticos, qui volentes eludere vim hujus contextûs, dicunt Malachiam non loqui de vero sacrificio, sed de impropriè sumpto, seu de sacrificiis spiritualibus, quæ in laudibus, & in orationibus consistunt. Respondeo, hoc esse gratìs allatum. Primò, quia quando Scriptura loquitur de sacrificio impropriè sumpto; illud non vocat absolutè sacrificium, sed aliquem terminum restringentem adjungit, vocans illud, vel

A sacrificium laudis, vel sacrificium justitiæ, aut hostiam vociferationis. Secundò, Malachias vocans oblationem, de qua loquitur, *mundam*, illam opponit oblationibus immundis sacerdotum veterum; sed talia sacrificia, quæ offerebant sacerdotes Judæorum, erant corporalia & propriè sumpta: ergo sacrificium Ecclesiæ, de quo loquitur, erit propriè sumptum & corporale; factum scilicet in corpore & sanguine Christi. Tertiò, loquitur Malachias de novo aliquo sacrificio, quod debet succedere antiquis, & quod non fuit illis commune; sed oblationes spirituales, ut potè preces, bona opera, & mortificationes corporeæ, erant illis communes, nobis etiam: ergo loquitur de oblatione corporea,

B & propriè dictâ, quæ alia non potest esse, quàm oblatio corporis & sanguinis Christi, quæ fit in Eucharistia. Quartò, loquitur Propheta de sacrificio quod offerebatur à solis sacerdotibus, quos præcisè alloquitur; sed talia sacrificia erant vera & propria: ergo nostrum quod illis opponit, est proprium similiter. Quintò denique, nostra explicatio de vero sacrificio est ea, quam tradunt Justinus martyr in dialogo cum Triphone; Irenæus lib. 4. cap. 32. Cyprianus libro 1. contra Judæos cap. 16. Eusebius Cæsariensis lib. 1. demonstrationum evangelicarum cap. ultimo. Chrysostomus in Psalm. 5. Hieronymus in Malachiam. Augustinus lib. 18. de civit. Dei cap. 35. & alii.

C Objicies, Christum esse unicum sacerdotem: ergo non dantur alii sacerdotes: ergo nec sacrificium quod offeratur quotidie. Antecedens probatur ex cap. 7. Hebr. ubi Apostolus dicens, quòd multi fuerint sacerdotes Aaronici, quorum unus, adveniente morte, alteri succedebat, posteà concludit, quòd Christus, qui nunquam moritur post resurrectionem suam, sit unicus sacerdos. Respondeo, quòd revera sit unicus sacerdos principalis, nempe Christus, sicut est tantum unus pastor, & unus magister; hoc tamen non impedit, quin habeat alios sacerdotes vicarios, qui sibi invicem succedant, ut Christus scilicet suum sacerdotium exequatur usque in sæculorum finem; non quidem per se, sed per suos vicarios. Si quis dicat, adveniente

D Christo, sacerdotium & sacrificium Aaronicum fuisse reprobatum propter suam infirmitatem; sed sacrificium crucis non fuit tale, imò infinitum valorem includit: ergo non alio sacrificio opus est: Respondendum erit, nos non substituere sacrificium altaris sacrificio crucis, quasi insufficienti; imò non est duplex sacrificium, sed unicum tantùm, quod multoties repetitur, ut rememoretur sacrificium crucis, & quotidie per oblationem ipsius summè colatur majestas divina; ac denique, ut per talem oblationem externam nobis applicetur fructus passionis Christi. *Dices*, Christus non mactatur in Missa: ergo Missa non est sacrificium. Respondeo, Christum non mactari realiter & actu,

E quia Christus est impassibilis; mactatur tamen mysticè, in quantùm, vi verborum consecrationis, corpus à sanguine separatur; unde Christus est in altari, ut immolatus; licèt, per naturalem consecutionem & per concomitantiam, vivus & totus reperiatur sub qualibet specie.

Conclusio Secunda.

Sacrificium Missæ, quantum ad substantiam, fuit institutum à Christo in ultimâ cœnâ, ubi consecravit panem in corpus, & vinum in sanguinem, in quo consistit præcisa ratio Sacrificii, ut dicemus; & sic sacrificavit & tulit legem de illo Sa-

crificio, ut duraret in perpetuum, dicens Apostolis, *Hoc facite, &c.* Ratio congruentiæ, cur Christus instituerit hoc Sacrificium, est, quia ad novæ legis authorem pertinebat instituere substantialia legis, cujusmodi est Sacrificium. Quoad ceremonias quæ adjungi solent Sacrificio Missæ, institutæ sunt & compositæ ab Ecclesiâ. Si quis dubitaret, an Christus sacrificaverit, posset convinci ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. & ex D. Paulo ad Hebr. 7. ubi Christus vocatur *Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.* Sicut ergo Melchisedech sacrificavit in pane & vino, sic Christus debuit sacrificare sub speciebus panis & vini. Si etiam quis dubitet, an Apostoli Missam celebraverint; respondebitur affirmativè ex Actuum 13. ubi enim Latinè habetur, *ministrantibus illis*, textus Græcus habet λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, idest, *ipsis celebrantibus Missam Domino*: Liturgia enim & Missa idem sunt. Deinde ad Corinth. 10. scribit Paulus, *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* hoc autem est celebrare Missam.

Nedum Christus instituit sacrificium missæ, ut diximus, sed insuper est principalis sacerdos, qui ipsum primariò offert, quotiescunque peragitur, juxta verba Davidis, Psal. 109. ubi de Christo dicitur, *Tues sacerdos in æternum.* Si enim Christus est sacerdos perpetuus, debet perpetuò offerre sacrificium, quoniam Paulus ad Hebr. 5. dicit, quòd *omnis pontifex constituitur, ut offerat dona & sacrificia*; sed non censetur perpetuò offerre sacrificia, nisi in quantùm est principalis offerens in sacrificio missæ: ergo ille est, qui nedum instituit missæ sacrificium, sed insuper præcipuus offerens dici debet, juxta Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 3. *Christus in hoc sacrificio est principalis offerens; unde & oblatio semper est munda, sicut prædixit Malachias, nec ullâ ministrorum indignitate & malitiâ inquinari potest.* Quòd si quis dicat, Christum dici meritò à Davide sacerdotem in æternum, & perpetuò sacrificium offerre, quia offert continuò sacrificium crucis saltem in virtute: talis responsio refutatur ex verbis sequentibus, ubi, nedum dicitur *sacerdos in æternum*, sed subjungitur, *secundùm ordinem Melchisedech*, quod intelligi nequit, nisi de sacrificio altaris, in quo species panis & vini offeruntur, sicut in sacrificio Melchisedecis panis & vinum sunt oblata. Nostra veritas confirmatur ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. firmiter. *Christus idem ipse est sacerdos & sacrificium*: & ex Chrysostomo homil. 83. in Matth. *Non sunt humanæ virtutis opera; quæ tunc in illa cœna præstitit, ipse quoque nunc operatur, nunc perficit, nos ministrorum locum tenemus; qui verò sanctificat & transmutat, ipse est.* Si quis instet dicens, Si Apostoli in triduo mortis sacrificassent, tunc Christus non fuisset principalis sacrificans, quia pro tunc non fuisset sacerdos, quoniam non fuisset homo, separatâ animâ à corpore. Respondet D. Thomas, quòd anima Christi unita Verbo dici potuisset sacrificare, quia sicut sacerdotalis caracter residet in anima, sic potentia sacrificandi, quæ in Christo caracteris sacerdotalis tenet locum, residet etiam in anima. Sed quia Hugo à S. Victore, Magister Sententiarum, & alii existimant, Christum in triduo non fuisse sacerdotem, ideo tenent, pro tunc Christum non fuisse principalem offerentem immediatum, sed mediatum solummodò, quatenus illis dedisset potestatem sacrificandi; post resurrectionem verò, ubi iterum factus est

A homo, & proinde sacerdos rursus haberi cœpit, tunc fuit principalis offerens, tum immediatus, tum mediatus.

Sicut Christus est principalis offerens immediatus & invisibilis, sic sacerdos est immediatus, sed visibilis offerens in sacrificio Missæ, & ipse solus. Est inquam, immediatus offerens; quia ipse est, qui immediatè cum Christo consecrat panem in corpus, & vinum in sanguinem, quod utrumque facit per verba sensibilia; unde meritò dicitur sensibilis offerens & sacrificans, quoniam sacrificium consistit in immolatione hostiæ, & Christus censetur immolatus per verba sacerdotis, quæ ex se habent virtutem separandi corpus à sanguine, licèt per concomitantiam & consequentiam naturalem ibi sit corpus

B ubi est sanguis. Patet etiam, quòd solus ille, qui caractere sacerdotali insignitus est, sacrificare valeat, quidquid contradicant hæretici, ex jam dictis agendo de ministro Eucharistiæ; quia Lucæ cap. 22. & 1. ad Corinth. 11. solis Apostolis, eorumque successoribus, qui sunt presbyteri, commisit Christus Eucharistiæ consecrationem, dicendo, *Hoc facite*, juxta Concilium Tridentinum sess. 22. can. 2. *Si quis dixerit, his verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent corpus suum & sanguinem, Anathema sit.* Quod longè anteà determinatum fuerat in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. firmiter: *Neque hoc sacramentum conficere po-*

C *test, nisi sacerdos ritè ordinatus.* Hujus ratio potest desumi ex hoc, quod sacrificium in genere non possit propriè offerri, nisi per sacerdotem, Paulo dicente ad Heb. 5. *Omnis pontifex ex hominibus assumptus constituitur, ut offerat dona & sacrificia*: unde, sicut in lege Mosaïca, nemo ordinariè poterat offerre sacrificium, nisi esset verus sacerdos; sic in lege nova solis presbyteris id competit, juxta Paulum præcitatum, *Nemo assumit sibi honorem, nisi qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Quod ita verum est, ut nec ipse Christus sibi per se assumpserit sacerdotium, sed acceperit à Patre, Pau-

D lo subjungente: *Sic & Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret; sed qui locutus est ad eum; Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Dixi, quòd in lege Mosaïca nullus poterat offerre ordinariè sacrificium, nisi esset sacerdos de tribu Levi, vel de tribu Aaronis, postquam ad illius solam familiam devolutum est sacerdotium; hoc tamen non impedit, quin extraordinariè & ex dispensatione divina alii quicunque homines possent sacrificare ex quacunque forent tribu.

Quòd si quis ergo dicat, Heliam laïcum de tribu Manasse, vel Benjamin, obtulisse sacrificium 3. Regum 18. Gedeonem similiter laïcum de tribu Gad sacrificasse, Judicum 6. Regem Salomonem & universum populum immolasse victimas in templo; Pa-

E ralip. 5. Rursus Jephte spurium & infamem natalibus de tribu Manasse filiam suam immolasse propriâ manu, Judicum 11. Tandemque agnum paschalem, qui inter Judæorum sacrificia erat præstantissimum, fuisse per singulas familias immolatum ab omnibus Judæis; Exodi 12. *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel*: Respondeo ad duo prima, Heliam & Gedeonem hoc fecisse ex speciali dispensatione Dei; licèt aliqui contendant, Heliam fuisse de tribu Levi; & sacrificium Gedeonis non fuisse oblatum ab illo, sed per Angelum, cui tunc Gedeon ministrabat. Secundò, ad Salomonem & universum populum dico, ipsos non immolasse per se & immediatè, sed mediatè tantùm &

moraliter, obligando sacerdotes ad talem immolationem, suas preces conjungendo cum illorum orationibus, & suppeditando omnia, quæ ad sacrificium erant necessaria. Tertiò, quoad Jepthe, aliqui existimant per immolationem, quam dicitur fecisse de sua filia, intelligi, non occisionem ejus, sed consecrationem ad cultum Dei, servando virginitatem, sicut Moniales dicuntur immolari Deo, quia per virginitatis votum ipsi dedicantur. Alii autem volunt, quòd licèt filiam occiderit, talis mactatio non esset proprium sacrificium; quia materia non erat apta ad sacrificium, nec Deus jusserat ipsam immolari: immò hanc actionem fuisse peccaminosam Patrum plurimi reputant. Quartò denique, quantùm ad agnum paschalem; primo anno, quo immolatus est, certi ministri ad hoc advocati non fuerunt, quia in exitu de Ægypto nimiùm urgebat tempus, nec lex Mosaïca data erat, nec proinde Aaron destinatus ad sacerdotium; unde, juxta ritum legis naturæ, principes familiarum agnum immolaverunt illo anno, sicut & in sequenti, quo etiam lex Mosaïca nondum data erat in monte Sinaï. Quoad reliquos triginta & octo annos, in quibus manserunt Israelitæ in deserto; toto illo tempore non celebraverunt pascha, donec pervenissent ad terram promissionis; quia tunc non tot agnos, nec tantam copiam farinæ invenire poterant, ut facerent panes azimos; immò manna erat illis in cibum. Dum verò accesserunt ad terram promissionis, tertium pascha celebraverunt in Galgalis, Iosue 5. in quo immolari debuerunt agni. An autem immolati fuerint protunc à solis sacerdotibus & levitis in atrio tabernaculi vel templi, à quibus ipsos acciperent singuli patres familiàs manducandos in singulis familiis; hoc tenent multi cum Abulensi in cap. 23. Exodi quæst. 27. sed contrarium probabilius censetur à Lyrano nostro in 2. Paralip. cap. 30. & à plurimis aliis, & præsertim à Philone Judæo, qui lib. 3. de vita Mosis ait, quòd non adducerent laïci victimas ad altare, ut mactarentur per sacerdotes; sed, jubente lege, tota gens sacrificaret & quisque manibus suis mactaret hostiam: quod tamen debet intelligi factum fuisse per primogenitos & principes familiarum, qui in hoc negotio reputabantur adhuc sacerdotes, sicut tales erant in lege naturæ. Quia autem hoc factum est per specialem Dei dispensationem insinuatam his verbis Exodi 12. *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel*; ideò non contradicit his quæ diximus anteà, ad solos sacerdotes spectare ordinariam oblationem sacrificii. Porro, probabilissima censeri debet hæc opinio, ex hoc, quòd sacerdotes & levitæ non potuissent tantam multitudinem agnorum occidere, quæ perducebatur aliquando ad ducenta quinquaginta millia, quibus nedum mors esset inferenda ab hora nona circiter ad undecimam, sed etiam auferendæ pelles.

QUÆSTIO II.

A quo offeratur Missa, & quid in illa offeratur?

QUANTÙM ad primam partem, jam soluta manet ex quæstione præcedenti, ubi diximus, principalem offerentem esse Christum, & minùs principalem esse sacerdotem, & ipsum solum. Christus, inquam, est principalis & invisibilis offerens, nedum mediatus, quatenus sacerdotium & sacrificium instituit, jussitque ut ipsum offerretur; sed etiam immediatus, in quantum in no-

A mine & personâ ipsius, sacerdotes illud offerunt, & in persona ejus dicunt, *Hoc est corpus meum*: unde in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. dicitur, quòd sit nunc idem offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum in cruce obtulit, cum hac distinctione, quòd in cruce per se & sub specie propria, & in altari sub aliena specie, & sacerdotum ministerio sacrificium offerat; quod sufficit, ut hæc actio sacrificandi censeatur moraliter esse actio Christi, sicut in veteri Testamento locutio Angeli censebatur esse actio Dei, unde Angelus dicebat in Dei persona, *Ego sum Deus Abraham, &c.* sicut sacerdos dicit, non in persona sua, sed Christi, *Hoc est corpus meum.* Quòd si Scotus quod lib. 20. num. 23. dicat, Christum non offerre in Missa sacrificium immediatè; hoc est, quia non sacrificat eo B modo, quo fecit in ultima cœna; nec est ipse, qui profert immediatè verba sacrificatoris; non minùs tamen dicitur immediatus sacrificans, quia verba proferuntur à sacerdote in persona Christi, & ipse est, qui tale sacrificium Patri suo offert. Præter Christum principaliter & immediatè offerentem invisibilem, sacerdotes insuper, ut diximus, sunt minùs principales, immediatè etiam, sed invisibiliter offerentes. At nobis est addendum, quòd licèt ipsi soli sint propriè offerentes, quia ipsi soli actu celebrant; attamen cæteri, qui sacrificio intersunt, dicuntur moraliter ipsum aliquo modo offerre; vel C ministrando, vel assistendo, vel petendo illud pro se offerri, vel affectu se conjungendo cum principali offerente. Hoc probant ista verba canonis, *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, &c.* sicut & ista, *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Quibus verbis adjungi possunt ista, quæ dirigit sacerdos ad populum ante canonem, *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat.* Hoc ergo posito, superest tantùm, ut ad secundam partem quæstionis respondeat nostra

CONCLUSIO.

IN sacrificio Missæ offertur Christus, seu corpus & sanguis ejus, quatenus sunt sub speciebus panis & vini; ut habetur in Concilio Lateranensi sub D Innocentio III. cap. *firmiter*, ubi dicitur, Christus idem ipse est sacerdos & sacrificium. Et in Concilio Tridentino sess. 22. can. 2. ubi definitum est, Christum instituisse sacerdotes ut offerent corpus & sanguinem suum. Cap. etiam 1. ejusdem sess. docetur, Christum in cœna novissima corpus & sanguinem suum Deo Patri obtulisse. Hoc longè anteà pronuntiaverat Augustinus 10. de civit. cap. 2. *Christus est offerens, Christus est oblatio.* Ratio hujus veritatis est, quia sacrificium crucis & Missæ non differunt, nisi accidentaliter, in quantùm scilicet actiones sacrificandi sunt diversæ, & per unam Christus passibilis immolatur, per aliam Christus E impassibilis; sed in sacrificio crucis Christus, seu corpus & sanguis Christi est hostia, quæ Deo immolata fuit: ergo ipsemet Christus offertur & immolatur quotidie in sacrificio Missæ, vel ejus corpus & sanguis, ut subsunt speciebus. Unde dicit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. *Quòd sit una eademque hostia, idemque nunc offerens, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.* Diversitas autem hæc alia non est, nisi quòd Christus sese obtulit in cruce cruento modo, & sub specie propria; in Eucharistia verò sese offert incruento modo, & sub specie aliena; in quantùm corpus ejus & sanguis offeruntur, non ut in

cœlo

cælo sunt, quia debet fieri immutatio hostiæ, quod non fit in cælo, ubi Christus non immutatur: ergo ut sunt sub speciebus panis & vini, ubi sanguis est separatus à corpore vi verborum, quorum significatio est talis, & vis tanta est, quòd revera destruerent corpus physicum Christi, nisi impedirentur per concomitantiam. Hujus rationem jam aliàs attulimus, quòd scilicet verba consecrationis efficiant id quod significant præcisè, & nihil præterea; atqui verba, quibus consecratur panis, significant tantùm præsentiam corporis, sicut verba, quibus consecratur vinum, significant solùm præsentiam sanguinis; & sic quantùm ad vim illorum, separarent corpus à sanguine reverà & actu, nisi obstaret naturalis consecutio & concomitantia, quæ facit, ut corpus Christi in Eucharistia debeat esse vivum, & proinde conjunctum cum sanguine & animâ, quoniam est idem numero cum corpore Christi in cælo existente. Si quis contra conclusionem dicat, quòd hostia præsupponatur actioni sacrificandi, proindeque Christus non possit dici hostia, quoniam non est existens sub specie panis & vini ante sacrificationem, quæ in consecratione fita est: Respondebitur, antecedens tantùm esse verum in sacrificiis animalium, ubi res oblata erat nobilior, antequam offerretur, quàm post; quoniam anteà erat vivens, & posteà fuit mortua: non sic autem de Eucharistia, ubi id quod sequitur ad destructionem panis, nempe Christus, est nobilior ipso pane.

Si post allatas rationes, quibus probare conati sumus in superiori quæstione, Eucharistiam esse verum & propriè dictum sacrificium, in quo Christus offertur reverà sub speciebus panis & vini, aliquis ulteriùs dubitet de veritate hujus propositionis; attendat quæso ad conjunctionem religionis veræ cum vero & proprio sacrificio, quæ tanta est, ut nusquam reperta fuerit religio, quæ sacrificium externum & propriè dictum non habuerit; sed, si sacrificium Missæ non esset verum, proprium, & externum sacrificium, nullum aliud extaret apud Christianos: ergo, si novatores nostri Christiani haberi velint, necesse est illis, admittere sacrificium Missæ. Probatur major ex hoc, quòd primi homines, qui deum coluerunt, fuerint Cain & Abel, qui illicò obtulerunt Deo sacrificia in protestationem illius summi dominii, Genesis 4. Quando renovari cæpit mundus, finito diluvio, renovata sunt sacrificia à Noemo, Genesis 8. Imò & Danielis 12. habetur, quòd Antichristus, ut religionem in fine temporum destruat, sacrificium juge ablaturus sit. Probatur minor, quòd ablato sacrificio Missæ nullum aliud haberet Christiana religio; quandoquidem sacrificium Crucis non sufficit ad religionem conservandam. Tum quia quælibet religio debet habere sacrificium sibi proprium, ubi sacrificium Crucis commune est legi naturæ, legi scriptæ, & christianæ; quoniam omnia illa sacrificia ad istud referebantur: & sic non poterant distingui illæ religiones per sacrificium Crucis. Tum quia sacrificium proprium religionis propriæ, debet illam comitari perpetuò; unde Paulus Heb. 7. ait, quòd translato sacerdotio necesse sit, ut legis translatio fiat; sed sacrificium Crucis non mansit, nisi in virtute & effectibus: ergo non sufficit ad conservandam religionem nostram. Tum denique, quia sacrificium religionem aliquam conservans debet esse externum ac visibile, quod sæpe sæpiùs debet repeti; sed sacrificium Crucis non est visibile Christianis, qui solâ fide ipsum percipiunt: ergo per illud non possunt simul convenire, nec ipsum repetere, nisi denuò Christum occiderent. Ex his ergo sequitur, quòd si sacrificium Missæ non esset verum & proprium, religio Christiana vero & proprio sacrificio careret, quod summè derogaret excellentiæ legis gratiæ; quæ, cùm longè superet legem naturæ, & scriptam, in quibus reperiebantur plura externa & sensibilia sacrificia ad Dei cultum ordinata, debet proinde habere etiam sacrificium aliquod verum, proprium, externum, & sensibile, quod aliud esse nequit, nisi Missæ sacrificium.

Quæstio III.

In qua actione consistat essentia hujus sacrificii?

Plures sunt actiones in Missâ, scilicet oblatio panis & vini ante consecrationem, ipsa consecratio, oblatio corporis & sanguinis post consecrationem, fractio hostiæ & commixtio cum sanguine & tandem distributio laïcis. Non potest consistere sacrificium in primâ Oblatione, quia nondum est Christus; non potest etiam consistere in secunda, quia pro tunc non immutatur hostia; non consistit tertiò in Fractione, quia si casu aliquo hostia in calicem caderet, omittenda esset fractio, & sumenda species panis cum calice; quartò non consistit in Distributione laïcis, multæ sunt enim Missæ, ubi Sacerdos solus communicat: superest ergo difficultas, an essentia hujus Sacrificii consistat in Consecratione, vel in Sumptione hostiæ.

Conclusio.

Sacrificium Missæ precisè consistit in solâ Consecratione, non in Sumptione. Non consistit inquam in Sumptione, quia de fide est, ut habet Concilium Tridentinum, quòd Christus sacrificaverit in nocte cœnæ, licet non sit de fide ipsum sumpsisse suum corpus & sanguinem; communior tamen pars doctorum hoc sentit. Deinde, sacrificium est actio Sacerdotis, ut Sacerdos est, ad quam habet potestatem præcisè, ex vi suæ ordinationis; Sumptio autem non est actio Sacerdotis, nisi in quantùm fidelis est: ergo sacrificium non consistit in Sumptione: superest igitur ut in Consecratione consistat. Diximus enim quòd Christus est principalis offerens in hoc sacrificio; ergo sacrificium consistit in illâ actione, quæ fit in personâ Christi, at Consecratio sola fit in personâ ejus, ubi Sacerdos nomine Christi, dicit, *Hoc est corpus meum*, & sic in Consecratione consistit Sacrificium Missæ. Adde quod Sacrificium consistit in illâ actione quæ immutat & destruit hostiam: hoc autem fit per Consecrationem, ubi Christus ponitur ut immolatus, quoniam separatur corpus à sanguine vi verborum.

Objicies: Sacrificium debet esse sensibile, ut patet ex definitione ejus; sed Consecratio seu mystica separatio corporis à sanguine, non est sensibilis: ergo, &c. Resp. esse sensibilem ratione Formæ, seu verborum quæ sensibiliter proferuntur, & quæ, quantum est in seipsis, idest mysticè, separant corpus & sanguinem. Dices, Ergo post Consecrationem potest non sumi Hostia, quod omnes negant. Respondeo, duplicem esse finem hujus sacrificii: Unus est intrinsecus, scilicet gloria Dei, ad quam Missa destinatur; alius est extrinsecus, nempe utilitas sacrificantis; propter finem ergo extrinsecum non debet fieri Consecratio sine sumptione hostiæ. Quòd si in die Veneris Sanctâ nulla adsit actio sacrificativa præter sumptionem, adsit ta-

men sacrificium, ex his verbis quæ profert sacerdos, *Sic fiat sacrificium in conspectu tuo hodie*: Respondeo, hac die non celebrari propriè Missam, nec proprium sacrificium offerri; sed verbis allatis postulat Ecclesia à Deo, ut sacrificium diei præcedentis illi fiat denuò acceptabile; unde sumptio Eucharistiæ, quam facit sacerdos in die Parasceves, non differt à communione laïca sacerdotis, nisi penes solemnitatem Ecclesiasticam.

OBJICIES ex 1. ad Corinth. 11. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur; hic est Calix qui pro vobis effunditur*; illa autem fractio & effusio fiunt in sumptione. Respondeo, quòd corpus frangitur, non in Sumptione, ubi franguntur tantum species, non corpus; sed in Consecratione, ubi ponitur corpus Christi ut immolatum & divisum à sanguine. Dices, Si sacrificium consistat tantùm in mysticâ fractione hostiæ: ergo hoc Sacrificium non est reale, sed tantùm mysticum. Respondeo, esse reale simul & mysticum; mysticum quidem, quia mysticè tantùm mactatur hostia; est tamen reale, quia continet realiter Christum qui Deo offertur. Dices, Si sacrificium perficitur in solâ Consecratione, Sacerdos in consecrando deberet applicare suam intentionem pro vivis & defunctis; solet tamen Ecclesia facere memoriam defunctorum post Consecrationem calicis. Respondeo, quòd effectus qui habetur per Missam ex opere operato, applicetur in ipsâ Consecratione; effectus autem qui applicatur dum Sacerdos facit memoriam defunctorum, est tantùm ex opere operantis; unde intentio ministri debet exprimi, vel paulò ante Missam, vel saltem ante Consecrationem.

Licet sumptio Eucharistiæ non pertineat formaliter ad essentiam sacrificii, ut confirmatur ex Concilio Toletano 12. relato in jure canon. cap. *Relatum de consec. dist.* 2. quod graviter reprehendit sacerdotes, qui non communicabant toties quoties celebrabant sacrificium, quasi unum non esset de essentia alterius; attamen dicitur communiter pars ipsius integralis, vel saltem extrinseca sacrificii perfectio; quoniam Eucharistia instituta est, nedum ut sacrificium, sed etiam ut convivium; unde debet sumi hostia à sacerdote, ut ipsius significatio totaliter impleatur. Et ob hoc semper curavit Ecclesia, quatenus celebrans, aut alius sacerdos, primo deficiente, sacra perficeret per sumptionem. An autem talis sumptio sit juris divini, tenetur communiter; licèt Suares dist. 75. sect. 5. in fine hoc non satis constare dicat. An etiam ad sacrificium Missæ requiratur essentialiter utriusque speciei consecratio; respondendum est, quòd si consideretur hoc sacrificium quatenus institutum est à Christo, necessariò requiratur utraque species; sic enim illud instituit Christus; si verò spectetur simpliciter, ut sacrificium, in quo immolatur & offertur Christus, dici potest, quod vera ratio sacrificii salvaretur, etiamsi fieret tantùm unius speciei consecratio; quia pro tunc separaretur adhuc, vi verborum, corpus à sanguine, quoniam si sacerdos diceret tantùm supra panem, *hoc est corpus meum*, solum corpus, & non sanguis, redderetur præsens, proindeque Christus esset ibi ut immolatus.

Porro, confirmant Patres in consecratione consistere præcisam rationem sacrificii; quia D. Irænæus lib. 4. cap. 32. ait, Christum dicendo, Hoc est corpus meum, docuisse novam oblationem novi Testamenti. Et D. Cyprianus serm. de cœna Domini, inquit, quòd panis Eucharisticus sit simul medicamentum & holocaustum, ex quo prolata sunt verba. Ac denique D. Gregorius 4. Dialog. cap.

A 58. asserit, quòd ipsâ immolationis horâ, ad vocem sacerdotis cœlum aperiatur; quod asserere est, immolationem fieri ad vocem sacerdotis. Tandem, si ad sacrificium absolutè requireretur manducatio, sacerdos deberet manducare omnes hostias, quas consecrat; quia sacrificat, nedum per respectum ad hostiam, quam manducat, sed etiam per respectum ad hostias quæ remanent aut manducantur à communicantibus. Adde quòd deberet etiam manducare eamdem numero hostiam, quam consecravit; cujus tamen contrarium aliàs visum est in praxi recepta multis in locis, ubi sacerdos renovaturus hostias gestari solitas in publicis supplicationibus solebat

B veterem manducare & substituere novam, quam recenter consecraverat. Quòd si talis usus nunc displiceat, hoc non impedit tamen, quin aliàs receptus fuerit; quod denotat, tunc Ecclesiam non existimasse necessarium, eamdem hostiam, quæ consecrata est in uno sacrificio, debere consumi in eodem. Quòd si sacrificium Missæ dicatur holocaustum, ad cujus rationem requiritur consumptio; verum est quidem, ad holocaustum requiri consumptionem, id est, integram destructionem hostiæ, non verò manducationem: & sic sufficit, quòd in Missa totus Christus destruatur, & totus offeratur Deo, nec ulla pars ejus cedat in utilitatem humanam, nisi spiritualem. Si quis instet, sacrificium in oblatione consistere: ergo non tantùm in consecratione: Respondetur, quòd eadem actio sacerdotis sit simul consecratio & oblatio: consecratio quidem,

C quatenus est actio conversiva panis & vini in corpus & sanguinem; & oblatio, quatenus fit à sacerdote eâ intentione, ut glorificetur Deus, & ipsi exhibeatur ad testandum supremum illius dominium. Sic dicendum est de mactatione animalium, quæ erat simul destructio hostiæ præcedens naturâ oblationem, & virtualiter erat oblatio Deo facta.

QUÆSTIO IV.

An Sacrificium Missæ sit Propitiatorium & Impetratorium?

D IN præludio hujus capitis diximus, quòd sacrificium ratione finis sit quadruplex, nempe Latreuticum, Eucharisticum, Impetratorium, & Propitiatorium seu Expiatorium. Quòd sacrificium Missæ sit Latreuticum seu honorarium, ex hoc constat, quòd per ipsum Deus summè honoretur, & de hoc conveniunt ipsimet hæretici: non quòd admittant, illud esse verum sacrificium, sed improprium; ni quantùm asserunt, Eucharistiæ distributionem & manducationem cedere in honorem Dei. Quòd etiam hoc sacrificium sit Eucharisticum seu sacrificium laudis, quod potest offerri in gratiarum actionem pro beneficiis à Deo acceptis; hoc idem etiam admittunt hæretici, qui panem Eucharisticum distribuunt & manducant eo animo, ut

E Deo referant actiones pro beneficio passionis Christi. An autem sit Expiatorium seu Propitiatorium; hoc negant, dicentes quòd hoc derogaret passionis Christi merito, quâ abundantissimè satisfecit pro omnibus peccatis, ad Hebr. cap. 9. & 10. An denique sit Impetratorium; novatores distinguunt, dicentes, quòd revera possit impetrare beneficia ipsis sumentibus, non verò aliis; qui Eucharistiam respiciunt, solummodò ut sacramentum, & sacramenta non prosunt, nisi sumentibus.

CONCLUSIO PRIMA.

SACRIFICIUM Missæ est verè Expiatorium seu Propitiatorium, quatenus multùm prodest ad peccatorum remissionem & peccatores justificandos. Sic Concilium Tridentinum sess. 22. can. 3. *Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem Propitiatorium: vel soli sumenti prodesse, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, Anathema sit.* Hoc probant verba Christi sacramentum istud instituentis, *Hic est sanguis, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum.* Sic Paulus ad Heb. 5. ubi præcipuum munus sacerdotis indicat esse in hoc, quòd offerat pro peccato. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, ut offerat dona & sacrificia pro peccato.* Idem habetur in Liturgia Jacobi dicentis: *Offerimus tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris & ignorantiis populi.* Idem confirmatur à Patribus, nimirum Origene, qui Homil. 13. in Leviticum, loquens de præcepto conficiendi Eucharistiam in memoriam Christi, ait: *Ista est commemoratio sola, quæ propitium facit Deum hominibus.* Basilio in Liturgia, sic Deum alloquente; *Dignos efficito nos, qui puro corde stemus coram te, & offeramus sacrificium hoc reverendum ad abolenda delicta nostra, & pro piaculo populi tui.* Chrysostomo lib. 6. de sacerdotio dicente; *Pro universo orbe terrarum sacerdos legatus intercedit deprecatorque est apud Deum, ut hominum omnium, non viventium modò, sed etiam defunctorum peccatis propitius fiat.* Cypriano serm. de cœna Domini dicente, Eucharistiam esse holocaustum ad purgandas iniquitates. Ambrosio lib. 1. de Officiis cap. 48. asserente, Christum offerre seipsum, quasi sacerdotem, ut peccata nostra dimittat. Gregorio lib. 4. Dialog. cap. 58. pronunciante, quòd hæc victima singulariter animam salvet ab æterno interitu. Augustino denique inter infinitos alios locos lib. 20. de civ. Dei cap. 25. docente, sacrificium pro peccato offerri in Ecclesia, usque ad diem judicii, & non ulteriùs; quia post eum diem non erunt quibus peccata possint remitti. Ratio corroborativa hujus veritatis alia esse non potest à voluntate divina; quæ fecit, ut sicut in lege naturæ & in scriptâ offerebantur sacrificia pro peccatis, ut patet ex cap. 1. lib. Job, ubi sanctus ille Patriarcha in lege naturæ vivens quotidie sacrificabat pro peccatis filiorum; & ex cap. 4. & sequentibus lib. Levitici, ubi communis fit mentio de sacrificiis pro peccato oblatis; sic idem debet esse in lege gratiæ.

OBJICIUNT hæretici, Propitiationem sacrificii altaris cedere in præjudicium sacrificii Crucis; quasi illud non esset ex se sufficientissimum ad cunctorum peccatorum deletionem: sed respondetur, hanc consequentiam esse falsam; quia per sacrificium Missæ non remittuntur peccata præcisè, nec relaxatur pœna peccatis debita, sed per illud nobis applicatur efficacia sacrificii Crucis, sicut fieri solet per quodcumque sacramentum, & per quamcùmque actionem meritoriam, quæ longè tamen minoris est meriti, quàm sacrificium Missæ. Unde, sicut tota efficacia sacrificiorum veterum pendebat à sacrificio Crucis, saltem præviso; sic efficacia sacrificii Missæ pendet à sacrificio Crucis, sine quo, nec sacrificium Eucharisticum, nec sacramenta nova nullam haberent efficaciam, Paulo dicente ad

A Heb. 10. *Christus unâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos.* Nil tamen vetat dicere, quòd effectus passionis Christi dependeat à sacrificio Missæ; quia causa universalis pendet à causa singulari, sine quâ universalis non causaret; sicut etiam singularis nihil efficeret sine dependentiâ ab universali, quæ influit in effectum; unde etiam Missæ sacrificium dependet à sacrificio Crucis, sine quo nihil haberet meriti. Quando objiciunt Lutherani, quòd unum sacramentum non prosit, nisi soli suscipienti, cujus remittit peccata, & non alteri, ut patet de baptismo & de pœnitentia, quæ solis baptisato & pœnitenti prosunt; sic etiam sacrificium Missæ soli sacrificanti prosit & non aliis.

B Respondendum est, quòd multùm intersit inter sacramentum, cujus susceptio ad sanctificandum suscipientem ordinatur, & sacrificium, cujus oblatio ordinatur, tum ad utilitatem sacerdotis, tum aliorum, pro quibus offertur.

CONCLUSIO SECUNDA.

SACRIFICIUM Missæ verè etiam censetur esse Impetratorium, in quantùm, nedum spiritualia impetrat iis pro quibus offertur, sed etiam temporalia, ut habetur in Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. quòd sacrificium Missæ non tantùm pro peccatis & pœnis offerri debeat, sed & pro aliis necessi-

C tatibus. Ratio nostra est, quia sacrificium Missæ est præstantissimum orationis genus; oratio verò nedum est meritoria, quatenus fit ab homine justo: nedum est satisfactoria, quatenus opus est laboriosum; sed etiam est impetratoria, in quantùm impetrat à Deo, in cujus honorem fit, ea quæ sunt necessaria temporaliter & spiritualiter: tale ergo ergo debet esse sacrificium Missæ, quod est oratio præstantissima, non quidem verbalis, sed realis: Deinde, in veteri Testamento reperiebantur hostiæ, non solùm propitiatoriæ, quæ offerebantur pro peccato, sed etiam pacificæ, quarum aliæ erant in gratiarum actionem, & aliæ pro beneficio accipiendo, ut diximus in præludio hujus capitis, & ut habetur Levit. 7. in genere, & in particulari 2. Re-

D gum ultimo, ubi David obtulit hostiam pacificam propeste avertenda, quod impetravit. 2. etiam Machab. cap. 3. Onias hostiam obtulit pro vita temporali Heliodori, & 1. Esdræ 6. Hebræi immolaverunt hostias pro vita regis Darii. Si ergo veteres illæ hostiæ, quæ omnes in Eucharistia continentur, ut docet Augustinus lib. 1. contra advers. legis cap. 20. erant Impetratoriæ, à fortiori tale debet esse sacrificium Missæ, ut probatur ex omnibus Liturgiis, Jacobi, Clementis, Basilii, & Chrysostomi, qui inter sacrificandum præcipiunt, ut oretur pro pace, pro fructuum copia, & similibus temporalibus beneficiis; unde Tertullianus dicit lib. ad Scapulam,

E *Sacrificamus pro salute imperatoris.* Cyrillus Jerosol. catech. 5. mystag. ait, quòd in sacrificio Missæ incruento obsecratio fiat pro Ecclesiæ pace, tranquillitate mundi, regibus, militibus, ægrotis, afflictis, & summatim pro omnibus qui egent auxilio. Chrysostomus homil. 18. in Acta Apost. docet, sacrificium offerri pro fructibus terræ. Augustinus, pro purgatione domûs à vexatione dæmonum. Et Gregorius homil. 37. in Evang. asserit, sacrificium oblatum fuisse pro homine in longinqua regione captivo, cujus vincula miraculosè soluta sunt eâdem horâ, quâ sacrificium fuit oblatum. Ratio nostra est, quia, si sacrificium Missæ potest placare Deum, ut peccata condonet, saltem mediatè; poterit etiam à Deo impetrare dona temporaria &

spiritualia. Imò præcipua efficacia hujus sacrificii A est, quòd vim Impetrationis habeat; ita quòd, si dicatur Propitiatorium, hoc est, quia impetrat remissionem culpæ: si dicatur satisfactorium, hoc est, quia remissionem pœnæ impetrat: si dicatur denique meritorium, hoc est, quia impetrat gratias actuales ad benè faciendum.

Ex quibus omnibus patet, quòd sacrificium istud non solùm valeat ad bona spiritualia, nimirum ad obtinendas virtutes, & impedienda peccata; sed etiam ad temporalia sibi & aliis procuranda, ut sunt sanitas, aëris temperies, copia fructuum, remotio sterilitatis, & malorum similium. Non quòd omnia quæ petuntur in hoc sacrificio infallibiliter obtineantur determinatè, cùm multæ possint esse B causæ, cur ipsa non concedat Deus; nimirum quia non sunt utilia ad salutem, vel quia melius est, ut ad opportunius tempus differantur, vel quia indigni sunt illi pro quibus sacrificium offertur quòd talia accipiant, vel quia quando sacrificium offertur ut Deus parcat & beneficia impendat peccatoribus, indigni sunt, ut per unicum sacrificium, cujus valor finitus ac limitatus est, obtineantur postulata. Hoc non impedit tamen, quin nostrum sacrificium sit infallibiliter Impetratorium beneficii etiam temporalis; quia licèt determinatè non obtineantur aliquando ea quæ petuntur, ob rationes allatas, vel alias similes; attamen credi debet, quòd alia impetrentur beneficia, quæ nobis meliora esse prævidentur à Deo, & ob hoc dicitur communiter, C quòd sacrificium Missæ habeat suum effectum, & proinde beneficiorum temporalium impetrationem, ex opere operato, quatenus scilicet, independenter à bonitate vel à malitiâ ministri, idoneum est, ut obtineat à divina bonitate, quòd postulata concedat. Ad hoc tamen plurimùm addere videtur devotio sacerdotis, quæ adjuncta principali offerenti & rei oblatæ, quæ ex se sunt quidem sufficientissima; nihilominus multùm prodest, ut petita accipiantur: unde, licèt æqualis meriti sit sacrificium mali ac boni ministri, quantùm ad absolutam efficaciam sacrificii, quod offertur principaliter à Christo sanctissimo offerenti, & ab Ecclesia, quæ etiam sanctissima est; attamen, quantùm ad effica- D citatem majorem, proportionatam ministro minùs principali, dici potest, quòd Missa boni sacerdotis fortiùs excitet Deum, ut faciliùs postulata tribuat, sicut patet de legato, qui reverà obtinere potest id quod postulat in virtute ejus à quo mittitur, & ex consideratione muneris quod offert; attamen faciliùs obtinebit, si ipse sit gratus principi, apud quem fungitur legatione.

QUÆSTIO V.

Quis sit effectus Sacrificii Missæ?

NON loquimur de effectibus quos habere potest ex opere operantis; sicut enim per quodlibet opus bonum, homo in gratiâ constitutus, potest mereri augmentum gratiæ, auxilia actualia, satisfacere pro se & pro aliis, quoad pœnam temporalem, & sibi etiam & aliis multa impetrare; sic hoc potest etiam fieri per sacrificium Missæ, quod est actus præstantissimus orationis. Loquimur ergo tantùm de effectibus qui procedunt à sacrificio Missæ ex opere operato.

CONCLUSIO.

SACRIFICIUM Missæ non confert gratiam habitualem in se, nec in augmento immediatè; potest tamen utrumque facere mediatè. Non producit primò gratiam habitualem in se, quia supponitur jam producta, tùm in sacrificante, tùm in illis pro quibus sacrificium meritoriè offertur. Non producit secundò augmentum gratiæ per se, quia cresceret gratia in infante, amente & dormiente, si pro illis offerretur; producere tamen potest utramque gratiam mediatè, impetrando scilicet actualia auxilia, mediantibus quibus peccator poterit resurgere à peccato, & sic recipere gratiam habitualem in se; impetrando etiam auxilia actualia justo, mediantibus quibus poterit elicere actum charitatis, & mediante illo actu crescere in gratia. Eodem modo dicendum est de remissione peccati ac de gratia; quòd scilicet non remittat peccata mortalia immediatè: sed tantùm mediantibus auxiliis actualibus, quibus homo à peccatis resurgit; & etiam venialia sic remittit, mediante scilicet speciali auxilio, excitante ad actum perfectum amoris divini, quo peccatum veniale remittitur: specialior ergo effectus sacrificii Missæ est, quòd impetret gratias prævenientes, quibus peccatores ad pœnitentiam excitentur & justi ad majorem perfectionem; & quòd causet etiam relaxationem pœnæ temporalis debitæ peccato, sive secundùm se totam, sive secundùm partem.

QUÆRES, an effectus sacrificii Missæ sint ex opere operato. Negari nequit, quin prosit sacrificium ex opere operantis, nimirum ex bonitate & devotione sacerdotis, ad modum scilicet aliorum bonorum operum, quæ Deo placent, non tantùm, quia in se bona sunt, sed etiam, quia procedunt ab illo, qui per devotionem & charitatem Deo gratus existit. Sed quæritur ulteriùs, utrùm etiam prosit ex opere operato illis pro quibus offertur, ita ut ex se valeat, dum fit ex præscripto legis, quidquid sit de bonitate vel malitia ministri. Ad quod respondeo, sacrificium Missæ producere saltem aliquos effectus ex opere operato, aliàs non esset majoris efficaciæ, quàm privatæ sacerdotum orationes; nec excellentior esset vis agendi illius, quàm sacrificiorum legalium, quæ ex opere operantis suos effectus producebant. Deinde, cùm sacerdos celebrans non offerat sacrificium nomine proprio, sed nomine Ecclesiæ universalis, quæ purissima est; & in persona Christi, qui est principalis offerens, nomine cujus loquitur in consecratione, ideo ab Ecclesia, & à Christo, & ab hostia oblata, quæ est Christus ipsemet, debet repeti efficacitas hujus sacrificii, & non à sacerdote immediato, proindeque ex opere operato dici debet producere suos effectus, & non tantum ex opere operan- E tis. Tandem nullus negat, quin sacramenta sint efficacia ex opere operato; sed Eucharistia non est minoris efficaciæ in genere sacrificii, quàm sacramenti, quandoquidem in illo sacrificio Christus realiter offertur, etiam per semetipsum, cujus orationes sunt valoris infiniti, nec rejici possunt: ergo, sicut Eucharistia in genere sacramenti suos effectus producit ex opere operato, idem facere debet in ratione sacrificii; ratione scilicet Christi offerentis, Christi oblati, & Ecclesiæ, in cujus nomine offertur hoc sacrificium. Non quidem respectu omnium effectuum ut in responsione diximus, quoniam in sacrificio Missæ multa petuntur temporalia, quæ non impetrantur; sed saltem quoad ali-

quos; nimirum quoad illos, quos Christus promisit infallibiliter, ut pote remissionem peccatorum, relaxationem pœnarum debitarum peccatis, auxilia quædam ad contritionem necessaria, & ad perseverantiam, aliaque id genus dona.

Porro, si dixerimus, quòd Eucharistia in genere sacrificii non sit minoris efficacitatis, quam Eucharistia in genere sacramenti, vel quàm alia sacramenta; per hoc tamen non intendimus, sacrificium Missæ eo modo operari, ac cætera sacramenta; quia, ut diximus in conclusione, sacramenta producunt gratiam immediatè, sacrificium verò Missæ tantùm mediatè; unde rectè dicit D. Thomas in 4. dist. 12. quæst. 2. art. 2. ad 4. sacrificium justificare eos pro quibus offertur, non ut causam proximam, sed donum contritionis impetrando. Ratio hujus est, quia si justificaret immediatè, requireret dispositionem præcedentem in illo pro quo offerretur, quod falsum esse constat ex hoc, quòd aliàs non liceret sacrificare pro illis qui sciuntur esse impœnitentes. Deinde, ipsummet sacrificium Crucis non justificavit efficienter & immediatè, aliàs omnes homines justificasset, sed tantùm mediatè, impetrando gratias, quibus homines justi reddantur: ergo idem dicendum est de Missæ sacrificio, quod non est majoris efficacitatis, quàm sacrificium Crucis, à quo suam virtutem obtinet. Tandem, non est verisimile, quòd Deus instituerit diversa media ad immediatè justificandum: cùm ergo instituerit baptismum ad justificationem immediatam infidelium, & pœnitentiam ad justificandos fideles immediatè, ideo dici debet, quòd sacrificium Missæ mediatè tantùm justificet homines, impetrando nimirum gratias à Deo, quibus peccatores excitentur ad pœnitentiam, & hoc modo justificentur.

Quæstio VI.

An valor Sacrificii Missæ sit finitus vel infinitus?

Locuti fuimus in præcedenti quæstione de effectu sacrificii Missæ, qui non tam se extendit ad gratias habituales procurandas, quàm ad impetrationem gratiarum prævenientium, quibus resurgant illi pro quibus offertur, & ad impetrationem etiam relaxationis pœnæ debitæ peccato; & tandem ad impetrationem beneficiorum temporalium. An autem hi effectus impediantur à ponentibus obicem, seu ab existentibus in peccato mortali; distinguendum est: si enim loquamur de relaxatione pœnæ temporalis, ille effectus non conceditur nisi justis, & non peccatoribus: An autem reviviscat ille effectus, quando quis resurgit à peccato, nihil certi affirmari potest, licet hoc credat Henriques: Quoad beneficia etiam temporalia, non est verisimile, quòd Deus illa conferat iis, qui illi sunt odio per peccatum. Si autem sermo sit de gratiis prævenientibus, collatio earum non impeditur per peccatum mortale; immò ideò offertur, ut per pœnitentiam remittantur peccata: potest tamen quis per obstinationem se reddere indignum, ut recipiat majores gratias, quas Deus daturus esset, si per insignem malitiam peccatoris non impediretur. Postquam autem hæc omnia dicta sunt de effectu hujus sacrificii, videndum nobis est, an valor & effectus ipsius, sit Finitus vel Infinitus: ubi per valorem sacrificii intelligimus moralem dignitatem quam habet ex re oblatâ, vel ex parte offerentis; per effectum verò intelligimus id quòd datur intuitu talis dignitatis: & illa tandem dignitas repeti potest, vel ex parte offerentis principalis, qui est Christus, vel minùs principalis, qui est Sacerdos.

Conclusio.

Sacrificium Missæ, ut est à Christo, est Infiniti valoris; & Finiti, ut est à sacerdote; & effectus illius simpliciter Finitus dici debet. Ratio primi est, quia Christus, qui est hostia & principalis offerens, est infinitæ dignitatis, ratione unionis ipsius cum Verbo Divino: ergo valor Missæ, ut ab utroque repetitur, est Infinitus: non quod habeat hoc sacrificium potentiam merendi aliquid, aut operandi novam satisfactionem; quia Christus qui beatus est, non est amplius in statu merendi: sed hoc sacrificium dicitur Infinitum, quia habet vim infinitam impetrandi, quòd Passio Christi applicetur nobis; & sic hoc sacrificium non facit injuriam sacrificio Crucis, quia non habet suum effectum, nisi in ordine ad Passionem Christi, quam nobis applicat. Ratio secundi est, quia si spectetur sacrificium Missæ, in quantùm à simplici sacerdote offertur, vel ab Ecclesiâ, valor ille est Finitus; quia sanctitas utriusque est finita, & in oblatione magis consideratur donatio offerentis, quàm res oblata, quando res oblata non facit ditiorem illum cui offertur. Quòd si aliquis dicat, hoc sacrificium esse infinitum in valore: hoc debet intelligi mediatè, quatenus impetrat peccatori gratias prævenientes, quibus deletur peccatum, quod est aliquo modo infinitum. Ratio denique tertii est, quòd si sacrificium Missæ haberet effectum infinitum, tam prodesset omnibus quàm singulis, & Ecclesia uno sacrificio Purgatorium vacuare posset; & sic non deberet curare, quòd anniversaria pro eâdem animâ dicerentur: immò non deberet permittere, quòd pro unâ personâ particulari Missa celebraretur, iret enim contra charitatem, celebrando pro unâ, si sine diminutione effectûs, ita prodesset omnibus ac uni. Ex hoc etiam sequeretur, quòd qui accepisset centum eleemosinas pro centum missis à centum personis, posset satisfacere, si tantùm diceretur una Missa; quia tam prodesset illis centum, quàm uni solùm, quod est pravum & erroneum sentire.

Objicies ex dictis, Principalis offerens est Christus, hostia oblata est ipsemet, & sacerdos nihil facit, nisi in personâ Christi; quoniam ergo hæc omnia sunt infinita, valor hujus sacrificii erit infinitus, & effectus infinitus. Resp. quòd aliud est loqui de valore, aliud de effectu; posset enim valor seu dignitas sacrificii esse infinita & producere effectum finitum; non sufficit enim quòd aliquid sit infinitum in se, nisi offerens instituat illud ad effectum infinitum; quodlibet enim opus Christi erat sufficiens ut redimeret genus humanum; quia tamen Deus instituerat, ut sola mors Christi nostram salutem operaretur, ideò aliæ actiones pœnales non habuerunt effectum infinitum, nisi quatenus dicunt ordinem ad ipsius mortem: quia ergo Christus non instituit hoc sacrificium, ut haberet fructum infinitum; ideò effectus ipsius remanet semper finitus. Deinde, omne opus meritorium mensuratur ab acceptione divinâ; idest, in tantùm valet apud Deum, in quantùm acceptatur ab illo qui nemini tenetur: quoniam ergo Deus non acceptat sacrificium Missæ, ut habeat effectum infinitum, ideò remanet finitus in effectu. Quòd autem Deus non acceptet illud pro infinito, habetur ab Ecclesiâ, quæ plura sacrificia pro eâdem persona offert.

Objicies secundò: Si plures sacerdotes consecrarent eamdem hostiam, & quilibet sibi applicaret fructum ejus, vel alteri, quilibet haberet tantum fructum, ac si unus consecraret, ut tenent communiter Doctores; quod signum est, sacrificium Missæ habere effectum infinitum. Resp. Verè quidem singuli haberent tantum fructum, quantum unus, sed hoc non procedit ex infinitate effectûs sacrificii Missæ, bene autem ex eo quòd pro tunc essent plura sacrificia, tot scilicet, quot essent sacerdotes; quia singuli consecrant per se independenter, ut totales ministri, & sacrificium consistit in actione consecrantis, quæ pro tunc esset multiplex, si proferrent verba eodem instanti. Quòd si hostia sit unica, hoc non impedit multiplicationem sacrificiorum, sicut nec multæ hostiæ ab eodem Ministro consecratæ, faciunt plura sacrificia.

Objicies tertiò: Sacrificium Missæ idem est, ac sacrificium Crucis: Ergo, cùm illud sit infinitum in valore, istud etiam tale dici debet. Negatur consequentia, cujus ratio non est, quia in sacrificio Crucis destruitur esse naturale Christi, quod pretiosius est ipsius esse sacramentali, quod tantùm destruitur in Missâ, non enim reperitur infinita distantia inter esse naturale & sacramentale Christi; unde, licèt in hoc differant, si tamen unum esset infinitum, aliud etiam tale deberet esse. Sed validior ratio petitur ex hoc, quòd in sacrificio Crucis Christus per se sit unicus offerens, qui ratione sui infiniti meriti, tribuit infinitum valorem sacrificio Crucis: in sacrificio autem Missæ, Christus est quidem principalis offerens, sed non est unicus; immò offert hoc sacrificium per sacerdotem, qui cùm sit finitus in merito, valor propterea sacrificii debet esse finitus. Deinde, accedit ipsa Christi voluntas, quæ potuisset quidem obtinere à Deo, ut sacrificium Missæ pro quibuscumque impetrare posset quælibet sine restrictione; attamen voluit tantùm petere, ut per singulas oblationes hujus sacrificii certa mensura fructûs passionis suæ obtineretur, tum ad remissionem peccatorum, tum ad alia beneficia temporalia obtinenda. Ideo autem sic rem se habere voluit Christus, ut frequentaretur hoc sacrificium, & suam regularitatem conservaret ordo providentiæ divinæ, quæ omnia faciens in numero, pondere & mensura, voluit, ut pretium infinitum in Cruce acquisitum, quo totus mundus posset salvari, non applicetur, nisi in certa mensura.

Quæstio VII.

Pro quibus possit celebrari sacrificium Missæ.

Triplex fit communiter applicatio Missæ. Prima est generalis, quæ fit ab Ecclesia applicante sacrificium generaliter pro vivis & defunctis, & singulariter pro summo Pontifice, Rege, Episcopo & aliis, quorum meminit sacerdos, ut habetur in canone. Secunda est specialis, quæ competit illis, pro quibus Sacerdos intendit specialiter offerre sacrificium. Tertia est specialissima, & hæc fit Sacerdotis. De secundâ nobis est quæstio.

Conclusio.

Sacrificium Missæ potest offerri pro omnibus viventibus, qui sunt intra Ecclesiam, sive sint justi, sive peccatores; sunt enim capaces fructuum hujus sacrificii, dum sunt in hac vitâ: immò Sacer- A dos non potest aliquem excludere à tali oblatione; quia si hoc fieret palam, esset scandalosum; si clam, signum esset odii occulti. Non potest autem offerri pro excommunicatis excommunicatione majori, hoc enim prohibetur in Jure Canonico; potest tamen offerri pro infidelibus, qui sunt extra Ecclesiam, quia nulla lex prohibet; econtrà Paulus jubet fieri orationes pro Regibus Gentilibus qui erant extra Ecclesiam: ergo sacrificium Missæ, quod est præstantissimum genus orationis, potest illis applicari. Si August. dicat, non debere offerri pro peccatoribus; hoc est pro peccatoribus mortuis. Si Concil. Bracharense idem dicat de Catechumenis; loquitur de illis qui mortui sunt sine Baptismo & gratiâ. Quando Concil. Meldense dicit, B non esse offerendum pro Energumenis, se explicat dicens, non debere nomina eorum recitari in publicâ oratione. Quòd sacrificium Missæ possit fieri pro infidelibus, confirmari potest ex comparatione sacrificii Missæ cum sacrificio Crucis: nam sicut sacrificium Crucis pro omnibus oblatum est sine ullâ exceptione, sic offerri potest pro omnibus Missæ sacrificium, saltem quantùm ad naturam sacrificii; unde, si illud non possit offerri pro excommunicatis, hoc non procedit ex natura rei, sed tantùm ex prohibitione Ecclesiæ. Imò, quando ordinantur sacerdotes, non limitata, sed universalis & absoluta traditur illis potestas offerendi C sacrificium pro vivis & pro defunctis.

Objicies Augustinum dicentem lib. 1. de origine animæ cap. 9. sacrificium corporis Christi non esse offerendum, nisi pro illis, qui sunt membra Christi; sed infideles non sunt Christi membra: ergo pro illis offerri non debet. Respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæst. 2. ad 4. Augustinum intelligi de illis, qui sunt Christi membra actu vel potentiâ, unde quandoquidem infideles possunt fieri membra Christi, recipiendo ejus fidem, ideo pro illis potest offerri sacrificium Missæ, ut fiant actu membra Christi. Si enim D. Paulus 1. ad Timoth. 2. obsecret fieri orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, & pro regibus, ac omnibus, qui in su- D blimitate constituti sunt, negari non debet, quin etiam pro infidelibus offerri queat sacrificium Missæ, quod est præstantissimum genus orationis; unde Chrysostomus homil. 6. in hanc epistolam dicit, pro rege gentili esse offerendum: & in homilia de Adam & Eva asserit, sacerdotes publicè orare pro infidelibus, hæreticis, Judæis, Catechumenis, & cæteris aliis. Ad hæc addi potest pro responsione alia ad D. Augustinum, quòd S. Doctor loquatur loco citato de defunctis, qui, cùm sint mortui in peccato, non sunt membra Christi, neque actu, neque potentiâ, proindeque sunt incapaces fructûs sacrificii Missæ. Ex prima responsione sequitur, quòd sacerdotes commorantes in terris infidelium debeant expressè offerre sacrificium pro E illarum plagarum regibus, modò sint simpliciter infideles; secùs autem, si sint excommunicati, quales existunt reges hæretici. An autem liceat offerre sacrificium pro hæreticorum designatorum conversione, tutius erit, si sacerdos ita suam intentionem moderetur, ut intendat offerre simpliciter pro augmento, pace, & unitate Ecclesiæ; quia hoc est indirectè conversionem hæreticorum postulare à Deo, cùm non possit augeri & pacificari Ecclesia, nisi convertantur hæretici.

Quoad excommunicatos, meritò diximus anteà, quòd non possit pro illis offerri sacrificium directè & expressè; quia in jure canonico cap. à

nobis, de sententia excommunicationis, prohibetur publicè orare pro excommunicatis, & proinde hæreticis qui excommunicati sunt; sicque non sunt capaces sacrificii Missæ, quod publicum est, cùm offeratur à ministro publico, qui ad hoc constituitur ab Ecclesia: Sacerdos tamen potest considerari, vel ut publicus minister seu legatus Ecclesiæ, ab illa habens commissionem sacrificandi & offerendi publica suffragia, & protunc non potest sacrificium offerre pro excommunicatis & hæreticis non toleratis; quia hoc Ecclesia prohibet, ut habetur capite citato, & capite *sacris*: vel considerari potest, tanquam persona privata, & protunc potest secretò orare in suo *memento*, & in precibus, quæ in Missa dicuntur, pro excommunicatis, quatenus scilicet ipsæ preces sunt opus meritorium ipsius sacerdotis; nam Ecclesia prohibet tantùm, nè fiant orationes publicæ nomine suo pro excommunicatis. Quòd si aliquis excommunicatus sit toleratus ab Ecclesia, id est, non sit nominatim excommunicatus, post Concilium Constantiense licitè potest sacrificium offerri pro illo, & alia suffragia publica, ut fertur in Extravag. hujus Concilii *ad evitandum*. Concludendum ergo est, quòd liceat indirectè sacrificium offerre pro excommunicatis non toleratis, orando scilicet pro augmentatione & unitate Ecclesiæ; quæ revera augmentatur, si ad ejus gremium redeant excommunicati. Potest etiam offerri idem sacrificium expresè & publicè pro excommunicatis toleratis, à tempore saltem Concilii Constantiensis. Non potest tamen ipsummet offerri directè & publicè pro excommunicatis nominatim præcisis ab Ecclesia. Porrò, quantum ad Catechumenos, licèt nondum baptisati sint, pro illis tamen offerri potest sacrificium; sive sint viventes, de quo nullus dubitat; sive sint mortui, quia jam actu censentur credere, propter intentionem, quam habebant recipiendi baptismum; unde, si per contritionem mortui sint in gratia, & habeant peccata expianda in purgatorio, sublevari possunt per sacrificium Missæ.

Quæstio VIII.

Utrùm sacrificium Missæ possit offerri pro mortuis?

Tria sunt mortuorum genera, nimirum beati, damnati, & existentes in purgatorio. Sacrificium Missæ non potest offerri pro beatis, ut est Latreuticum, quia ut sic soli offerendum est Deo, cui unicè cultus latriæ reddi potest. Nec, ut est Satisfactorium; quia nullam pœnam luendam habent. Nec, ut Impetratorium; quia summo bono fruentes nullo bono carent. Potest tamen offerri pro illis, ut est Eucharisticum; agendo gratias Deo pro beneficiis, quæ illis contulit: & hoc cedit in illorum gaudium accidentale, videndo, quòd in sui memoriam summè colatur Deus per sacrificium. Quoad damnatos, pro illis non potest offerri sacrificium; sunt enim fructuum ejus incapaces, quoniam in inferno nulla est redemptio; unde quod de Trajano & aliis ab inferno liberatis dicitur, reputatur fabulosum. Idem judicium ferendum est de parvulis sine baptismo decedentibus in peccato originali. Tandem, quoad existentes in purgatorio soli hæretici negant illis prodesse sacrificium Missæ; asseverant verò, multùm ipsos iuvari per illud, Catholici omnes.

A

Conclusio.

Sacrificium Missæ pro animabus defunctorum in purgatorio existentium offerri potest, juxta Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. & can. 3. ubi definitur, tale sacrificium esse institutum pro vivis ac defunctis; unde sacerdotibus ordinatis confertur potestas offerendi pro utrisque. Hanc veritatem probant vetus Testamentum, Traditio Ecclesiæ, ac Patres. Primum patet ex 2. Machab. 12. ubi Scriptura approbat usum Judæ Machabæi jubentis sacrificium offerri pro peccatis mortuorum. Nec dicant hæretici, tales libros non esse canonicos; contrarium enim sufficienter alibi demonstravimus. Dato etiam, quòd locus iste non esset canonicus, nonne magis adhærendum est Patribus Ecclesiæ ex his verbis probantibus utilitatem sacrificii Missæ pro defunctis, quàm Calvino ipsam temerariè & sine fundamento improbanti? Secundum desumitur ex Augustino, qui hanc tradit regulam lib. 4. de baptismo cap. 24. quòd scilicet id credendum sit esse ex traditione Apostolica, quod in tota Ecclesia servatur, nec in aliquo Concilio institutum est, sed semper fuit observatum; at oratio pro mortuis semper fuit servata in qualibet Ecclesia, nec reperitur tempus, aut locus, in quibus instituta fuerit, ergo ex tali regula ritè probatur, sacrificium pro mortuis esse ex traditione Apostolica. Quòd mos ille inoleverit in omni Ecclesia, patet ex Conciliis in qualibet provincia celebratis, ut pote Carthaginensi 3. in Africa cap. 29. Bracarensi 1. in Hispania cap. 34. Cabilonensi in Gallia relato in jure canonico cap. *visum est, de consecratione*, dist. 1. ut & Vuormaciensi in Germania cap. 10. & aliis similibus, sicut videri potest apud Bellarminum. Tertium tandem constabit legentibus eumdem Bellarminum, qui lib. 2. de Missa cap. 7. Patres Græcos & Latinos recenset, qui unâ voce stabiliunt utilitatem sacrificii Missæ pro requie defunctorum. Horum omnium brevitatis causâ, tria, Cypriani, Ambrosii, & Augustini, assignabimus testimonia. Cyprianus lib. 1. epist. 9. asserit, quòd sui antecessores salubriter providerint, nè quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ita quòd, si quis hoc attentaret facere, sacrificium pro eo, nec pro dormitione ejus offerretur. Ambrosius in orationibus habitis de obitu Theodosii, Valentiniani, & Satyri, promittit se pro illorum animabus sacrificia oblaturum. Augustinus denique innumeris in locis, sed præsertim Libro de cura pro mortuis cap. 1. & libro de origine animæ cap. 11. comprobat, sacrificia pro defunctis oblata multùm illos juvare.

Quòd si objiciant hæretici, orationes & sacrificia pro defunctis non posse dici ex traditione Apostolica, quoniam orationes pro defunctis institutæ fuerunt in Concilio Carthaginensi 3. circa annum 417. ad hoc respondendum est, quòd licèt in illo Concilio mentio fiat de orationibus & sacrificiis pro defunctorum solatio faciendis, attamen non ibi reperiatur talium orationum institutio, sed mentio illarum fiat tanquam rei antiquissimæ, testimonio veterum Patrum approbatæ, qui etiam omnia Concilia antecesserunt, ut videre est apud Eusebium Cæsariensem centum annis præfato Concilio anteriorem lib. 4. de vita Constantini: sicut & apud Tertullianum ducentis annis eodem Concilio antiquiorem: ac denique apud Clementem lib. 8. constitut. cap. 19. qui trecentis annis ante idem

Concilium vixit. Hæc omnia confirmantur per condemnationem Aerii, qui circa annum 349. publicâ Ecclesiæ damnatione percussus est, quòd diceret, frustraneas esse orationes factas pro defunctis; quamvis hoc negare contendat Melanchonius in Apologia confessionis Augustanæ contra Epiphanium, Augustinum, Damascenum, & alios. Epiphanius enim in Anacæphalæosi seu recapitulatione omnium hæresum expressè ait, Aerium fuisse Arianum perfectissimum, ampliùs docentem, non esse offerendum pro iis qui dormierunt. Idem habet Augustinus cap. 53. libri de hæresibus, & Damascenus lib. de centum hæresibus.

Quæstio Ultima.

De quibusdam circumstantiis ad Missam requisitis.

Quamplurimæ sunt circumstantiæ quæ sacrificium Missæ concernunt; sed quia potiùs à Canonistis, quàm à Scholasticis exquiri debent, de solemnioribus tantùm dicetur aliquid, quæ videntur magis necessariæ. An v. g. Sacerdos celebrare teneatur; quâ horâ, quo loco, quibus vestibus celebrare possit, & debeat; & hæc omnia explicabuntur.

Conclusio.

Quoad necessitatem celebrandi, probabile est, quod sacerdotes vi ordinationis suæ teneantur celebrare aliquoties in vitâ; licet aliqui sentiant contrarium, dicentes, de hoc nullum esse præceptum, nec divinum, nec Ecclesiasticum; unde explicant verba Christi dicentis, *Hoc facite*, quòd per ea Christus voluerit obligare non singulos sacerdotes, sed Ecclesiam totam, vel saltem prælatos, qui sunt successores Apostolorum, quibus Christus dixit, *Hoc facite*; unde addunt, quòd sacerdos per ordinationem acceperit quidem potestatem sacrificandi, non obligationem; & quòd possit non sacrificare, sicut potest non absolvere. Contrarium tamen tenetur communiter; & asseritur, quòd sacerdos vi sui officii acceperit onus intercedendi pro populo apud Deum, sicut faciebant sacerdotes veteris legis, & propter hanc causam teneatur offerre sacrificium; si enim non sacrificaret, faceret, ut in vanum recepisset gratiam Dei, cùm in ordine potestatem consecrandi receperit: Deinde, nunquam sacrificando, daret occasionem scandali. Tandem Pius V. videns Cajetanum dicentem sacerdotem tantùm peccare venialiter, qui nunquam sacrificat; curavit hanc opinionem deleri ex commentario supra D. Thomam. Quoties autem teneatur sacrificare sacerdos, hoc non expressè dicunt doctores, sed solùm affirmant quemlibet teneri, saltem aliquoties in anno celebrare; & hoc juxta Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. docente, quòd Christus jusserit Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio per verba ista, *Hoc facite*, ut offerrent sacrificium. Aliqui putant, quòd sacerdotibus sufficiat, si aliunde ad hoc non teneantur, quòd celebrent semel in anno: alii exigunt quòd ad minus ter aut quater offerant: alii adhuc frequentiùs, ex cap. *dolentes, de celebr. missarum*, ubi Innocentius III. cum Concilio Lateranensi increpat sacerdotes, qui vix quater in anno celebrant; quod posteà inhibere videtur sub pœna suspensionis. D. Thomas 3. p. quæst. 22. art. 10.

A asserit, sacerdotes quoscumque sub præcepto teneri celebrare Missam in præcipuis festis, & maximè in illis, in quibus religiosiores laïci ex devotione communicare consueverunt: quod Sylvester & Soto existimant obligare sub mortali, ubi legitimum impedimentum non excusat. Nam omnes asserunt, præceptum divinum esse & ex munere sacerdotali resultans, ut sacerdotes, qui onus intercedendi ad Deum susceperunt, multoties celebrent; sed quando de re gravi, qualis est oblatio sacrificii, imponitur præceptum, transgressio ejus levis existimari non debet: ergo sacerdotes, qui huic præcepto non satisfaciunt, quando possunt & oportet, censeri debent mortaliter peccare. Quòd si sacerdos possit nunquam uti potestate quam habet
B remittendi peccata; non est par ratio eum obligatione offerendi sacrificium, quia hæc non ordinatur tantùm ad auxilia præstanda particularibus, sed toti Ecclesiæ. Deinde, ordinatur etiam ad gratiarùm actiones Deo reddendas, & ad cultum latriæ ipsi referendum, quod omitti non debet. Tandem, si sacerdos requiratur de absolutione in casu necessitatis, ipsam negare non potest. Unde, cùm semper necessaria sit oblatio sacrificii pro universitate fidelium & Deo colendo, fieri debet, quando datur facultas, & præceptum illud affirmativum urget, de quo prudens confessarius debet consuli.

Quantùm ad pastores, & alios, qui curam animarum habent; tales tenentur sub peccato morta-
C li celebrare Missam in sua parochia, vel per se, vel per alios, omnibus illis diebus, quibus subditi tenentur audire sacrum: ad hoc enim recipiunt stipendia, ut cuncta necessaria ad salutem suppeditent parochianis. Attamen non tenentur illis applicare sacrificium titulo pastoratûs, bene autem, si interveniat aliqua specialis obligatio; unde pastoribus sufficit, quòd prædicent Evangelium, rudimenta fidei explicent, ministrent sacramenta, ac Missam celebrent, ut ipsam commodè valeant audire, ac ipsi participare assistentes. Nolim tamen dicere, quin justissimum sit, ac æquitati maximè conso-
D num, ut qui curam animarum habent, tanquam constituti mediatores inter populum suum & Deum, pro illo fructum sui sacrificii, non solùm generalem, sed & specialem applicare non dedignentur. Non defuerunt qui crederent, singulos sacerdotes ad offerendum quotidiè teneri, quibus favet sanctus Gaudentius, qui tract. 2. in Exodum ait, *Dominus discipulis fidelibus mandat, quos primos Ecclesiæ suæ constituit sacerdotes, ut indesinenter ista vitæ æternæ mysteria exercerent, quæ necesse est, à cunctis sacerdotibus per singulas totius orbis Ecclesias celebrari.* At hæc opinio, tanquam nimis rigorosa, communiter rejicitur; licèt hoc semper cum multis aliis facere consueverit D. Andræas Apostolus ad Proconsulem dicens, se quotidie imma-
E culatum agnum immolare in altari. Quòd si S. Hieronymus in epistola ad Titum cap. 1. dicat, episcopos, in quibus continentur presbyteri, debere singulis diebus immolare hostiam salutarem pro suis populique peccatis: hoc non intendit dicere per modum præcepti, sed tantùm consilii, ut patet in *cap. fin. de privilegiis in 6.* ubi per alternativam clausulam notatur, quòd episcopus singulis diebus Missam dicat, vel audiat.

Quoad horam celebrandi sacrificium Missæ, non licet hoc facere ante auroram; cujus rei duplex affertur ratio: una mystica, quia offertur in Missâ Christus qui est candor lucis æternæ; & alia litteralis, quia ante crepusculum diei non sunt homines

ad tam pium opus dispositi. Excipitur tamen ab hac regulâ nox Nativitatis Domini, & olim excipiebatur etiam nox Resurrectionis, in qua Missa celebrabatur, quia Christus in nocte surrexit; nunc autem cessavit illa consuetudo, & illa Missa anticipatur & dicitur in Sabbato Sancto. Quòd si Telesphorus determinaverit, Missam non esse celebrandam, nisi horâ tertiâ, loquitur de Missis Cathedralibus & Conventualibus. Si etiam loquatur de aliis, hoc communi consuetudine revocatum est. Missa etiam non debet regulariter post meridiem inchoari. Dixi regulariter, per privilegium enim licet aliquando etiam post meridiem celebrare.

Licèt diximus, Missam regulariter non esse celebrandam ante crepusculum; hæc tamen regula in quibusdam occasionibus relaxari solet, v. g. si necessitas adsit communicandi infirmum gravi morbo laborantem. Imò, contrarius etiam usus inolevit apud Germanos & Gallos, ubi hyemali tempore Missa privata celebratur circa horam sextam, in quâ aurora nondum elucescit; in gratiam videlicet famulorum & operariorum, qui aliàs sacro non possent interesse. Navarrus in summa cap. 25. num. 85. opinatur, celebrationem Missæ esse licitam toto die usque ad horam nonam, quæ tertia est post meridiem; sed propter suam singularitatem deseritur ab omnibus. Hoc non impedit tamen, quin juxta primævam disciplinam Ecclesiæ tempore jejuniorum Missæ celebrentur horâ nonâ, ut habetur ex canone *quando*, & canone *solent*, dist. 1. de Consecr. Præcipua ratio, quam adduxit Navarrus pro sua sententia, hæc est, quia Christus in cruce fuit immolatus hora nona, quæ eadem est apud nos, ac hora tertia post meridiem: unde, cùm incruenta Christi oblatio debeat correspondere cruentæ, cujus est repræsentativa, ex hoc colligit, convenientissimum esse, ut tali horâ celebretur Missæ sacrificium. Sed si hoc verum esset, non posset Missa celebrari horâ tertiâ, aut sexta, quod est contra communem usum Ecclesiæ; unde ad conformitatem sacrificii incruenti cum cruento, sufficit, si eadem hostia offeratur in utroque, estò tempus sit diversum.

Licèt singulis diebus Missam celebrari convenientissimum sit; in tribus tamen prohibet Ecclesia, nè à singulis sacerdotibus celebretur. Primus est Feria quinta in cœna Domini, in qua, juxta veterem consuetudinem, in unaquâque Ecclesia unica Missa solemniter celebratur, reliquis Sacerdotibus solâ communione vel assistentiâ contentis, ut constat ex Alcuino, libro quem conscripsit de divinis Officiis cap. de Cœna Domini. Hoc autem sic fieri voluit Ecclesia, ob reverentiam Christi, qui solus celebrare volens propriis manibus communicavit Apostolos. Quòd si contrarius usus multis in locis habeatur, & præsertim in Gallia: hoc fit tantùm ex tolerantia Episcopi, qui hoc videt, nec tamen prohibet. Similiter in die sexta Parasceves Missæ non celebrantur, sed ita disponitur officium extraordinario ritu, ut sine consecratione tantummodò recolatur memoria passionis Christi. Hoc ortum habet ab antiquioribus sæculis, ut testatur Innocentius I. qui sedit anno Domini 402. Hic ad Decentium scribens manifestè testatur, hanc servari Ecclesiæ traditionem antiquam, ut biduò ante triumphum Resurrectionis Domini, *In memoriam mortis & sepulturæ ejus sacra mysteria non celebrentur; nam utique constat, Apostolos biduò ipso & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occulisse. Quod utique non dubium est, in tantùm eos jejunasse biduò memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat, isto biduò sacramenta penitùs non celebrari.* Sicut tali die non licèt sacerdotibus celebrare, sic nec permitti debet clericis aut laïcis communio, nisi ita sint infirmi, ut suscipere debeant viaticum, juxta rubricam Missalis Romani; quæ præcipit, ut Feriâ quintâ in cœna Domini conservetur una hostia consecrata pro sequenti die, vel etiam plures, si hoc necesse fuerit pro infirmis. Tandem, in Sabbato sancto non celebratur regulariter, nisi unica Missa solemnis, cujus officium à benedictione cerei Paschalis & sequentibus, sine alio introïtu, inchoatur. Protunc enim perseverat luctus Ecclesiæ in morte sui sponsi, quo durante conveniens est, ut non celebretur sacrificium, sicut nec in Feria sexta. Si autem Innocentius præcitatus dicat, *istô biduò sacramenta penitùs non celebrari*: Respondendum est, quòd reverà non celebretur Missa de Sabbato sancto; sed anticipatur illa, quæ celebrari solebat aliàs mediâ nocte resurrectionis Domini, ut patet ex verbis collectæ: *Deus qui hanc sacratissimam noctem gloriâ Dominicæ resurrectionis illustras.* Quoad communionem laïcorum, quæ priscis temporibus prohibebatur; incœpit fieri licita tempore sancti Gregorii, qui sub titulo Sabbati sancti præcipit, infantes & adultos, qui hoc mane regenerati sunt, communione sacrâ statim esse reficiendos.

Quoad locum hujus Sacrificii, debet fieri celebratio in Ecclesiâ, ob reverentiam; potest tamen Episcopus sine ullâ necessitate, utendo solùm jure suo, dare licentiam celebrandi in domo privatâ, & oratorio non consecrato; modò habeatur semper altare portatile. Quoad Ecclesiam violatam, non licet in eâ celebrare. Sex autem modis potest violari Ecclesia. Primò, per voluntarium homicidium; secundò, per injuriosam sanguinis effusionem; tertiò, per seminis humani effusionem, non occultam; quartò, per sepulturam fidelis excommunicati; quintò, per sepulturam infidelis; sextò, quando parietes comburuntur, vel ita destruuntur, ut integrè reædificari debeant. Qui in Ecclesiâ violatâ celebrat, peccat mortaliter; non tamen fit irregularis, sicut qui celebrat in Ecclesiâ interdictâ. Potest dare Episcopus licentiam celebrandi in loco violato, quia potest dare licentiam consecrandi in non consecrato. Si violatio contingat ante canonem incœptum, Sacerdos debet desinere: si post, debet absolvere. Si Ecclesia sit tantùm benedicta & non consecrata, potest Sacerdos statim eam reconciliare per aspersionem aquæ benedictæ, & alias ceremonias quæ habentur in Rituali: si autem sit consecrata ab Episcopo, debet ab eo reconciliari. Licèt Concilium Tridentinum videatur auferre Episcopis authoritatem permittendi celebrationem Missarum extra Ecclesiam & oratoria ad divinum cultum tantùm dedicata; contrarium tamen censent Lessius, Præpositus, & plerique alii, existimantes per hoc suaderi tantùm Episcopis, ut illud non permittant pro suo arbitratu; quod non impedit, quin ex justa causa possint dispensare, ut pro tempore aliquo celebretur Missa in loco prophano, sed honesto, etiam aliis usibus deputato: ut potè in cubiculo nobilis cujuscumque personæ lecto præ infirmitate recumbentis.

Quoad ornamenta; requiritur altare, sive fixum sive portatile, quod lapideum sit & consecratum ab Episcopo, vel sacerdote simplici ex deputatione solius summi Pontificis. Primis Ecclesiæ temporibus, quibus tyrannorum persecutiones in universam grassabantur Ecclesiam, altaribus ligneis aliquando utebantur reverà primi fideles; sed, concessâ pace Ec-

clesiæ, statuit sanctus Sylvester, quòd deinceps altaria ex lapide fierent, sicut in officio dedicationis Basilicæ Salvatoris habetur. Hoc idem constituit Evaristus Papa dicens, quòd si altaria lapidea non fuerint, non consecrentur ad celebranda divina officia. Hoc litteraliter factum fuit ob commoditatem Ecclesiæ, quæ major est in usu materiæ alicujus communissimæ & durabilis; & mysticè, ut repræsentetur Christus, qui se petram nominat; & ejus sepulchrum, quod fuit cavatum in lapide. Altare duplex est, ut diximus; fixum videlicet, quod affixum est in structura massæ alicujus; & portatile, quod, nulli loco adhærens, transportari potest. Illud amittit suam consecrationem, si amoveatur à basi, seu massâ, aut si ipsa enormiter frangatur; istud verò suam conservat, licèt separetur à ligno, in quo includitur, vel à massa. Illam tamen deperdit, quando ita frangitur, ut nulla pars ejus calicem cum patena possit continere, saltem secundùm majorem partem utriusque. Altare viaticum propriè dicitur ara, & fixum dicitur altare. Antiquo jure strictè prohibitum erat, nè extra loca consecrata ab Episcopis Missa celebraretur, *ex canone 12. dist. 1. de consecrat.* Imò S. Sylvester in generali synodo declaravit, abjiciendos esse sacerdotes, qui in locis non consecratis celebrare attentarent; attamen constat, Martyres in latibulis suis consecrasse Eucharistiam & dispensasse, ut acta ipsorum perhibent: unde D. Petrus in carcere detentus sacrificium Deo immolavit, ut testatur Acta ff. SS. Martyrum Processi & Martiniani. Quia ergo hæc omnia sibi cōtradicere videntur, ad eorum conciliationem dicendum est, quòd primæ determinationes intelligendæ sint pro eo tempore, quo in pace videretur Ecclesia; & tunc prohibetur, nè celebretur sacrificium in locis non consecratis: secus verò, si urgeat gravis aliqua necessitas, unde in canone 11. *dist. 1. de consecrat.* postquam determinatum est, quòd sacrificia offerre non liceat, nisi in locis sacratis Domino, immediatè subjungitur; *nisi summa coëgerit necessitas.* Similiter in can. 12. præallegato, ubi præcipitur, sacrificia fieri in locis ab Episcopo consecratis, additur, *vel ille permiserit;* per hoc indicans, ex concessione Episcopi, licitam esse Missæ celebrationem in locis non consecratis. Hoc D. Augustinus permisit alicui ex sacerdotibus suis, ut iret apud Tribunitium Hesperium ad sacrificium corporis Christi ibi offerendum, ut cessaret malignorum spirituum vexatio, qui domum Tribunitii infestabant, quod revera accidit. In eo autem loco, nec erat Ecclesia, nec oratorium consecratum, ut verba posteriora ipsius Augustini indicant lib. 22. de civit. Dei cap. 8. Licèt autem in locis honestis non consecratis possit sacrificari ex Episcoporum dispensatione, & reverà sic sacrificaverint antiqui fideles persecutionum temporibus; hoc tamen nunquam licuit, nisi sub altari saltem viatico: unde existimandum est, quòd missus sacerdos ab Augustino ad Tribunitium secum attulerit aram portatilem; & quòd primævi fideles similia altaria attulerint, aut invenerint in locis illis privatis, vel denique aliqua consecraverint in ipsis fidelium domibus. Ex dictis ortum est privilegium Episcopis concessum circumferendi secum altaria portatilia, ut habetur in 6. decretalium lib. 5. tit. de privilegiis cap. 12. Quam libertatem concesserunt & concedunt in dies Episcopi, ut stata oratoria habeant honestè & decenter disposita, in quibus apponantur portatiles aræ ad celebrationem sacrificii, sicut colligitur ex Concilio Tridentino sess. 22. decreto *de celebrandis & evitandis in celebratione Missæ.*

Requiritur insuper ad celebrationem Missæ calix cum patena, quæ inter ornamenta Ecclesiæ præcipua sunt. Calices fuisse aliquando vitreos, aut ligneos, existimarunt plurimi; sed nullum tempus designari potest, quo receptus fuerit in Ecclesia usus calicum ligneorum, aut vitreorum, ut propriè & verè dici queat, communem fuisse usum Ecclesiæ consecrandi in hujusmodi calicibus. Verum quidem est, quòd in aliquibus locis intrusi fuerint calices lignei, vel vitrei, ex rerum forsan penuria, vel ex incuria pastorum; sed nullibi unquam præscriptum fuit, nec positivè permissum, ut talibus calicibus uterentur sacerdotes; unde, ad extirpationem talis abusûs, prohibitum est canone *ut calix*, de consecrat. dist. 1. *nè fierent calices de ære, aut aurichalco; quia ob vini virtutem æruginem pariunt, quæ vomitum provocat. Nec quis præsumat celebrare Missam in ligneo aut vitreo calice.* Cujus utriusque rationem reddit glossa, quia scilicet vitrum fragile est, & immineret periculum effusionis. In veteri Concilio Chalcutensi in Anglia sub Adriano I. anno 787. cap. 10. vetitum est, *nè etiam de cornu bovis calix aut patena fieret ad sacrificandum.* Quòd si dicat Baronius in annotationibus ad 7. idûs Augusti, à temporibus Apostolorum vitreum calicem fuisse in usu; hoc sine fundamento allegat, sicut & Honorius Augustodunensis lib. 1. de antiquit. Miss. ritu cap. 89. scribens, Apostolos in ligneis calicibus Missas celebrasse: imò contra utrumque dicendum est, quòd absurdum sit opinari, Apostolos ita suâ sponte descivisse ab exemplo Domini, qui in calice argenteo celebravit, ex Venerabili Bedâ; vel exciso è lapide pretioso coloris punicei & cærulei, quem agatham vocant, qui adhuc asservatur in Valentina civitate apud Hispanos ex nostro Carthagena, ut vi is adeò materiæ vitreæ aut ligneæ usum in ministerio adhiberent. Quòd si dicatur, Zephirinum Papam circa annum 203. decrevisse, ut consecratio divini sanguinis fieret in vitreo vase, non autem in ligneo, ut anteà: hoc non expressè definivit in particulari, calices debere esse vitreos, sed tantùm fecit in communi statutum, ut omnia vasa altaris vitrea essent, nihil subjungens de calice in particulari. Damasus in pontificali dicit tantùm de Zephirino, quòd constituerit ministros esse portaturos vitreas patenas ante sacerdotes, dum Episcopus Missas celebraret, quæ quidem patenæ non erant illæ, quæ inserviunt coopertura calicis. Tandem, si calicis vitrei usus à Zephirino institutus fuisset, vel repertus in Ecclesia ab Apostolorum temporibus, quomodò decretum præcitatum *ut calix*, quod fuit desumptum ex canone 6. Concilii Provincialis Rhemensis, præsumpsisset abrogare decretum Zephirini, vel usum Apostolorum, qui universæ tamdiu placuisset Ecclesiæ? Sanè longè probabilius est, hunc morem particularem fuisse, nec unquam ab Apostolis derivatum, aut à Zephirino institutum, aut ab universali Ecclesia approbatum, sed duntaxat toleratum in quibusdam locis, ex nimia penuria rerum pro aliquo tempore existenti in Ecclesia.

Quantum ad calices ligneos; existimaverunt plurimi, illos fuisse in communi Ecclesiæ usu, ex eo quòd dixerit aliàs S. Bonifacius martyr & Moguntinus Episcopus, quondam sacerdotes aureos ligneis calicibus usos fuisse; nunc verò è contra, ligneos sacerdotes aureis calicibus uti; quod Apophtegma, tanquam celeberrimum, recitatum est in Concilio Triburiensi anno 895. can. 18. Sed ex hoc effato S. Bonifacii ineptè novatores increpant Pa-

pistas, quòd loco ligneorum calicum, aureorum & argenteorum pompam introduxerint; ipse enim Papa tantùm insinuare intendit, quod priscæ ætatis sacerdotes planè essent aurei moribus & doctrinâ, ubi illi, qui jam in suo tempore, sicut & in nostro, vigebant, lignei prorsus erant, & sunt, præ inscitia & indignitate. Dicendum est ergo, quòd omnibus temporibus, etiam in primitiva Ecclesia, furente adversus fideles ethnicâ superstitione, fuerint semper calices aurei, argentei, immò & gemmati, quos aliquando vendiderunt illustres prælati ad subveniendum pauperum necessitatibus; ut patet de S. Exuperio Tolosæ Episcopo, de quo S. Hieronymus epist. 4. ad Rusticum dicit, omnem substantiam vendidisse, ut ipse esuriens pasceret alios, ac portasse corpus Christi in canistro vimineo, ac sanguinem in vitro. Idem habetur de S. Cæsario Arelatensi Episcopo, qui venditis omnibus pretiosis Ecclesiæ ornamentis, ut pote thuribulis, calicibus, patenis, & similibus, pro redemptione fidelium, sub Gothorum captivitate detentorum, passus est usum gerendi sanguinem Christi in vase vitreo, ut habetur apud Surium tomo 8. die 27. Augusti. Licet diximus, calices debere fieri ex auro, vel argento, vel saltem ex stanno in necessitate, sicut habetur canone *ut calix*, sufficit tamen, quod cuppa sit ex tali materia, licèt pes sit ex ære, aut plumbo, vel aurichalco. Calix sicut & patena debent esse consecrata ab Episcopo, vel saltem extraordinario jure à sacerdote simplici ex commissione solius summi Pontificis; unde si Augustinus in Psalmum 113. & D. Hieronymus in quadam epistola ad Theophilum videantur censuisse, calicibus & sacris vasibus Ecclesiæ sacrandis non opus esse benedictione speciali, sed sufficere contactum pretiosi corporis & sanguinis Domini quo sanctificantur; isti patres non excludunt necessitatem benedictionis introductam ab Ecclesia, sed tantùm innuere contendunt, quòd etiamsi calices solemni ritu non benedicerentur, tamen ex solo contactu corporis & sanguinis Domini sanctificationem acquirerent.

Quantum ad patenam; est aliquod vasis genus à patendo dictum, quod debet tantùm esse de auro, vel argento, vel stanno, sicut calix. Præter patenam & calicem, requiritur corporale, & purificatorium; ut patet ex usu, cum hac distinctione quòd primum debeat esse benedictum, non sic verò secundùm; unde nec in Pontificali, nec in Ritualibus habetur ulla benedictio purificatorii, sicque loco ipsius mundum posset adhiberi sudarium, non impendendum tamen posteà prophano usui. Exiguntur insuper alia ornamenta ad celebrandum; linteum videlicet aliquod super altare, extensum quod ipsum tegat, deinde mappa, saltem simplex, licèt communiter duplicata admittatur. Debet etiam adesse lumen, sine quo peccatum mortale esset celebrare, nisi in necessitate extrema. Requiritur Missalis liber, in quo ad minus sit canon, sine quo celebrans mortaliter peccaret; quia se exponeret periculo. Exiguntur præterea amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, & casula, & hoc sub mortali peccato. Hæc vestimenta debent esse benedicta ab Episcopo, vel ab alio habente ad hoc facultatem, qualem habent prælati Mendicantes, & eorum vicarii, non tantùm pro suis Ecclesiis, sed etiam alienis; ut constat ex privilegio Innocentii VIII. vivâ voce concesso congregationi S. Justinæ, quod indubiè participant Ordines Mendicantes. Quantùm ad contrectationem sacrorum vasorum, & aliorum instrumentorum; possunt laïci tangere mappas altaris, & indumenta sacerdotalia; corporalia vero & purificatoria non possunt, postquam sacro usui fuerunt applicata. Sic & dici debet de pixide & Lunulâ, etiam benedictis, antequàm hostiæ in illis fuerint appositæ. Sixtus IV. vivæ vocis oraculo concessit clericis & laicis fratribus, ut cum reverentia possent tangere calices, corporalia, & alia ornamenta; quod fecit etiam Callixtus III. sed posteà Leo X. hoc illis denegavit; sicque sine speciali concessione, qui sacris Ordinibus initiati non sunt, calices consecratos & applicatos ad usum, nequeunt contrectare: ut habetur canone *in sancta*, de consecrat. dist. 1. *In sancta sede apostolica à nobis statutum est, ut sacra vasa non ab aliis, quàm à sacratis hominibus contrectari valeant*; ubi per sacratos homines intelliguntur sacris Ordinibus initiati; unde in Concilio 2. Romano sub Sylvestro actione 1. can. 9. habetur, quòd nullus Lector, vel Ostiarius, vasa sacra contingat.

Primis temporibus, nimirum in Concilio Laodiceno can. 21. sacrorum tactus videtur prohibitus Subdiaconis per hæc verba, *Non oportet subdiaconos locum habere in diaconio, & vasa contingere dominica*: sed hoc intelligitur de illis, in quibus actu divina mysteria sunt imposita; non verò de vacuis, quæ possunt contrectare, ut patet in ordinatione illorum, in qua Episcopus tradit illis calicem vacuum cum patena superposita, quem successivè manu dextrâ singuli tangunt; quod præcipitur sic fieri ex can. 5. Concilii 4. Carthaginensis. Quantùm ad fœminas Deo consecratas; constat, quòd diaconissæ, quæ primis temporibus existebant in Ecclesia, ut vicem diaconorum supplerent ex honestate circa mulieres, sibi arrogaverint eadem fere munera, quæ Diaconis competebant, ut ingredi ad altare, ministrare Sacerdoti in sacrificio, contingere vasa dominica, ipsamque Eucharistiam nudâ manu accipere, & ministrare, ut patet ex epistola Gelasii 1. ad Episcopos Lucaniæ, ex Concilio Altissiodorensi can 36. & 37. & Parisiensi 3. lib. 1. cap. 45. Ex quo tamen abrogatæ sunt publico Ecclesiæ judicio, propter tales agendi usurpationes, in Concilio Arausicano 1. cap. 26. Epaonensi can. 21. Turonensi 2. cap. 21. nullæ mulieres, etiam sanctimoniales, attentare visæ sunt ad sanctorum vasorum contrectationem: unde, si depingatur communiter sancta Clara cum Eucharistia, quam gerit in vasculo, solari specie radians, ex hoc non debet inferri, quòd revera pertulerit propria manu vasculum illud, sed ante se portari fecit à Sacerdote, ut tali aspectu corporis dominici Sarraceni monasterium devastare parati coercerentur. Sic enim habetur in Breviario Cardinalis Quigonii quod Paulo III. dicatum fuit, *Clara, licèt ægrotans, ad portam se jubet deportari in hostium conspectu, cum capsula, quâ sacramentum Eucharistiæ continebatur.* Ex quo patet, ipsam fuisse portatam aliorum manibus, & Eucharistiam delatam fuisse ante ipsam; & quia solo præsidio Eucharistiæ nitebatur, ideo depingitur communiter cum vasculo Eucharistiam continente. Porrò, calix amittit suam consecrationem, quando ita frangitur, ut ad usum sacrificii nequeat deservire. Si separetur pes à cuppa, & calix non sit tornatilis, sed fixus, consecratus posteà non censetur; secus, si sit tornatilis, quia cùm nulla interveniat fractio, semper censetur idem. Si de novo inauretur calix, probabile est, ipsum non amittere suam consecrationem; quia moraliter idem calix remanet, qui antea erat consecratus. Deinde, deauratio est tantùm pars accessoria calicis, & minùs principalis, Tandemque, nullus dixerit, quòd Ecclesia, quæ de novo dealbatur, amittat suam consecrationem.

An ciborium & vas solare debeant benedici; censent omnes, quòd nulla sit necessaria consecratio in illis, sicut nec in corporalibus; alii tamen exigunt benedictionem, quia in Missali reformato parte 2. §. 1. debent particulæ consecratæ collocari in corporali, vel calice consecrato, vel vase mundo benedicto; alii verò negant, quia rubrica non præcipit tantùm ea quæ sunt de jure, sed etiam ea quæ sunt de congruentia. Quòd si inter benedictiones reperiatur peculiaris pro pixide, hoc nihil facit; quia in pontificali variæ habentur benedictiones, quæ non sunt præceptæ.

Quæris, an Missæ privatæ celebrari valeant? quia hæretici Calvinistæ & Lutherani rejiciunt peculiariter Missas privatas. Ut hæc controversia clariùs explicetur, sciendum est, quòd pluribus modis Missa possit dici privata. Primò videlicet, ratione loci; quando in aliquo oratorio, & non in templo publico celebratur. Secundò, ratione temporis; itaut illa Missa dicatur publica, quæ festis diebus celebratur, & illa privata, quæ ferialibus. Tertiò, ratione finis; quando pro particulari homine, vel negotio speciali celebratur. Quartò, dicitur aliquando privata, à paucitate assistentium; sicque opponitur Missæ publicæ, quæ fit coram populo, qualis est Missa parochialis. Quintò, omnis Missa, quæ præter parochialem dicitur eodem die in eodem templo, dicitur privata, licèt multos habeat assistentes. Sextò, illa propriè dicitur Missa privata, in qua solus sacerdos communicat; & hanc præsertim abominantur novatores. *Respondeo primò*, hæreticos immeritò clamitare contra Missas privatas, quæ extra templum publicum in aliquo sacello celebrantur, quas vocant per calumniam Missas angulares; nam Dominus primam Missam celebravit in privata domo: Apostoli primis temporibus frangebant panem in locis privatis, 2. Actorum: pontifices, persecutionis tempore, in domibus privatis, criptis, & foraminibus terræ, sacra faciebant: imò Nicephorus narrat lib. 8. hist. cap. 31. S. Lucianum sacrificasse in carcere; & cùm esset in illo jacens onustus catenis, nec se valens erigere, suo pectore proprio pro altari fuisse usum. *Respondeo secundò*, Missam privatam, à tempore sic dictam, quæ diebus ferialibus celebrari solet, repudiare injustum est; nedum enim, ideo Missa juge sacrificium appellatur, quòd debeat celebrari quotidie: sed etiam Augustinus epist. 23. dicit, Christum semel in Cruce immolatum; omni die in sacramento populis immolari. Idem asseverant Chrysostomus homil. 3. in epistolam ad Ephes. Hieronymus in caput 1. ad Titum; ac alii Patres, quos longè præcessit Andræas Apostolus, in cujus vita narratur, ipsum singulis diebus agnum immaculatum sacrificasse. *Respondeo tertiò*, quod Missæ, quæ à fine privatæ dicuntur, quatenus celebrantur, vel pro uno vivo, vel pro uno defuncto, vel pro illa, aut ista necessitate, licitè celebrari possint. Non quòd illarum applicatio pro uno debeat excludere alios; nam, cùm sacerdos sit minister publicus, qui debet intercedere pro tota Ecclesia, in terris, in cælis, & in purgatorio existente, horum omnium debet fieri mentio in qualibet Missa; sed ideo talis Missa dicitur privata, quia præter communem applicationem applicatur specialiter illi aut isti pro quo intendit celebrare sacerdos. Tales Missas esse licitas apparet ex veteri Testamento, in quo plurima sacrificia fiebant pro particularibus, ut patet ex libro Job cap. 1. sacrificantis pro filiis, & ex 2. Machab. cap. 3. ubi sacrificium factum est pro Heliodoro. Idem habetur de sacrificio novi A Testamenti, nempe Missâ, apud Patres; nam apud Bedam lib. 4. hist. cap. 44. Petrus & Paulus apparentes cuidam, jusserunt Missas celebrari in memoriam S. Osuvaldi in die hujus Sancti festo. Augustinus etiam lib. 9. Confess. cap. 12. refert, oblatum fuisse sacrificium pro matre sua, & lib. 22. de civit. Dei cap. 8. misit unum ex presbyteris suis celebraturum pro liberanda domo à dæmonum vexatione.

Respondeò quartò, dici posse privatas Missas, præter publicas & parochiales, etiamsi pauci assistant, quas Philippus Melanchthon improbat in apologia Confessionis Augustanæ, volens non nisi unam Missam esse celebrandam, cui intersit populus. B Nam sanctus Gregorius lib. 4. epist. 43. ad Castorium prohibet fieri Missas publicas in Monasterio, nè in secessibus servorum Dei fiant conventus populares. Deinde, D. Damascenus in historia de Barlaam & Josaphat scribit, B. Barlaam presbyterum solitum fuisse offerre Missæ sacrificium in sua cellula, solo Josaphat præsente. *Respondeo quintò*, præter Missam publicam & parochialem, quæ solemniter celebrari solet in summo altari, alias etiam dici posse eodem die in minoribus altaribus ejusdem templi. Hoc probat multitudo altarium in eodem templo, de qua loquens D. Gregorius lib. 50. ad Palladium scribit, in una Ecclesia tredecim altaria fuisse, quæ sanè altaria non debuissent esse in una C Ecclesia, si tantùm semel in die offerri posset sacrificium in eodem templo. *Respondeo ultimò*, privatas Missas posse admitti, in quibus solus sacerdos communicet. Licèt enim optare videatur Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 6. & can. 8. ut in qualibet Missa aliqui saltem astantium communicent; attamen eodem loco sine tali communione ritè peragi sacrificium definivit sacro-sancta synodus. Ratio nostra est, quia ad sacrificium nihil refert, si aliqui, vel nulli intersint, qui communicent, quandoquidem sacrificium offertur Deo pro populo, ad quod nil refert, si populus non adsit, nec communicet. Deinde, quando in Testamento veteri offerebatur sacrificium pro peccato, nihil de ipso manducabat is pro quo offerebatur, ut patet ex Le- D vitici 6. & 7. Tandem, sacrificium Missæ est præstantissimum & efficacissimum genus orationis, oratio verò prodesse potest illi pro quo fit, etiam in ejus absentia. Quòd si nullum expressè legamus oblatum fuisse sacrificium à veteribus sine communione; hoc tamen conjici potest ex pluribus, maximè ex Concilio Nannetensi cap. 30. 3. parte decreti cap. 70. ubi jubetur, quòd presbyteri soli non celebrent, nisi habeant saltem unum secum qui respondeat. Quòd si etiam objiciant hæretici, sacrificium debere esse publicum, nec proinde privatum esse admittendum; ad hoc respondet Concilium Tridentinum præcitatum, quòd licèt Missa, de qua loquimur, dici possit privata ratione communicantium, non minùs tamen E dici valeat publica in se; quia offertur à ministro publico, & pro cunctis populis, & pro universali Ecclesia.

Quæris, quo genere linguæ celebrari debeat Missa? Contendunt adversarii, ipsam recitari debere linguâ vulgari, ut tradit inter alios Kemnitius 2. part. examinis pag. 883. Catholici verò volunt, quòd licèt in quacunque linguâ possit sacrum fieri, attamen justis de causis declaraverit Ecclesia, non debere celebrari vulgari idiomate; sed in illis linguis, quæ communiter doctrinales vocantur, quales sunt Latina usitata in occidente, & Græca, quæ orientalibus familiaris est. In qualibet illarum ad-

mittuntur aliqua verba Hebraica, quia tres illæ linguæ appositæ fuerunt in titulo crucis. Ratio præcipua talis usûs linguæ non vulgaris, quam tradit Concilium Tridentinum sess. 22. can. 9. desumitur ex hoc, quòd si vulgari idiomate Missa celebraretur, tolleretur Ecclesiarum communicatio, paucique sacerdotes possent celebrare in alienis regionibus. Deinde, cùm vulgaris lingua sæpissime mutetur, frequentissima fieret variatio in Missæ celebratione. Tandem, majestas sacrificii linguam gravem & venerandam exigit, & sacra mysteria vilescerent, si populari idiomate celebrarentur. Quòd si Paulus V. concesserit Sinensibus, ut patria linguâ uterentur: hoc illi obtinuerunt ex speciali authoritate Pontificis; sicut & Moravi, quibus, ex Ænea Sylvio, concessum est, ut divinum officium facerent linguâ Sclavonicâ: cessante tamen necessitate, in qua erant initio suæ conversionis, quo sacerdotes linguæ Latinæ peritos non valebant invenire, usum Romanæ Ecclesiæ sunt amplexati. Porrò, idem canon ultimus sessionis 22. Concilii Tridentini, quod prohibet, nè linguâ vulgari celebretur Missa, approbat similiter usum Romanæ Ecclesiæ, quæ aliquas partes officii divini & Missæ submissâ voce profert; quia ad reverentiam mysteriorum conducit, quod altâ voce non omnia dicantur, juxta D. Basilium lib. de Spiritu sancto cap. 27. docentem dignitatem mysteriorum conservari, si non assuescant homines ad omnium auditionem; cùm hoc non debeat censeri mysterium, quod omnium aures attingit. Talis usus nedum approbatur in ecclesia Latina, ut patet ex epistola 1. Innocentii ad Episcopum Eugubinum cap. 1. & ex diversis liturgiis in illa existentibus; sed etiam in Græca, ut ipsius similiter liturgiæ testantur; præsertim Basilii & Chrysostomi, ubi legitur, quòd sacerdos oret secretò. Verum quidem est, quòd Græci verba consecrationis elatâ voce proferant; sed multa proferunt etiam submissè. Nec mirum videri debet, si illi altè consecrent, nos verò submissè; quia, cum illæ Ecclesiæ sint diversæ, diversos modos celebrandi observare possint. Occasionem talis ritûs Latinorum dedit miraculum illud, quod refertur à Sophronio in Prato spirituali cap. 196. & ab Alcuino lib. de divinis Officiis, quo scilicet habetur, quòd aliàs parvuli quidam pastores, qui verba consecrationis ex auditione acceperant, ipsis abutentes super panem & vinum, non revera consecraverint, sed igne desursum demisso lapidem, cui hæc apposita erant, absumente, ipsi pastores sic obstupefacti fuerint, ut non nisi ad longum tempus voce potuerint uti. Quòd si dicatur, Christum verba consecrationis altâ voce pronunciasse; non ideo præcipitur nobis, ut similiter pronunciemus: nedum enim verba pronunciavit, ut consecrare; sed etiam, ut Apostolos doceret consecrandi ritum: unde taliter debuit pronunciare verba consecrationis, ut omnes Apostoli ipsum audirent.

Quæres, utrùm debeat applicari sacrificium Missæ? Respondeo, applicari reverà debere iis pro quibus offertur; quia fructus sacrificii hujus non applicatur à Christo pro personis in particulari, sicque debet applicari à sacerdote, qui Christi vices gerit. Doctor noster Quodlib. 20. fructus seu effectus Missæ in tres portiones distinguit, juxta tres applicationes, quæ fieri solent in illa; quarum una est generalissima, secunda specialissima, & tertia dicitur media; quem modum loquendi canonici Doctores communiter approbant. Applicatio generalissima ea est, quæ ex intentione Ecclesiæ fit pro Papa, prælatis, regibus, & omnibus Ecclesiæ membris. Portio specialissima est illa, quæ reservatur ipsi celebranti, quam sibi conservat, etiamsi accepto stipendio decreverit celebrare pro aliis. Portio denique media, quæ specialis etiam dici potest, non verò specialissima, illa est, quæ applicatur specialiter illis pro quibus sacrificium offertur. Quantùm ad eos qui sacrificio sunt præsentes, qui sacerdoti celebranti inserviunt, vel qui vinum aut panem aut cereos subministrant; tales pertinent ad portionem generalissimam; in quantùm intendit Ecclesia, quòd sacrificium offeratur, nedum pro omnibus fidelibus in genere, sed etiam peculiariter pro circumstantibus, offerentibus, & aliis ad sacrificium concurrentibus; & hoc juxta quantitatem fructûs, quem decernit Christus illis tribuere. Si sacerdos nemini applicaret sacrificium, nemini etiam prodesset, sed fructus ejus maneret in thesauro Ecclesiæ; Secus si accidat non applicatio ex solâ inadvertentiâ; tunc enim tacitè intenderet sibi applicare, & illis quibus esset obligatus. Qui teneretur ex voto, obedientiâ, vel charitate, aut justitiâ applicare Missam aliquibus, & aliis applicaret, valida esset applicatio sacerdotis, licèt illicita; tale enim jus applicandi sacrum est annexum ex institutione Christi sacerdotio: unde voluntas superioris non posset talem applicationem irritare, sicut nec intentionem conficiendi aut non conficiendi Sacramenta. Cùm necessaria sit applicatio sacrificii facta à sacerdote, ut quis de fructu ejus participet; cùm ipse acceperit in ordinatione sua potestatem offerendi pro vivis & defunctis, & proinde applicandi potentiam, quæ in priori fundatur; talis applicatio debet fieri antequam sacrificium sit perfectum; & sic ad minus ante consecrationem calicis; quia sacrificii essentiam in consecratione sitam esse probavimus. Plures tamen existimant, effectus Missæ non conferri ante sumptionem hostiæ, quam sacrificii partem essentialem vocant; sed contrarium in nostra mente longe probabilius censetur, cùm nulla appareat ratio, cur suspendatur ille effectus usque ad consumptionem hostiæ. Ex hac nostra opinione sequitur, celebrantis applicationem debere consecrationem præcedere; unde memoria, quam facit pro defunctis post calicis consecrationem, solius orationis locum tenet, quæ non habet effectum, nisi ex opere operantis. Porro, licèt sacrificium sit infinitum, fructus tamen illius est finitus; unde, si pluribus applicetur, minor est, quàm si applicaretur uni tantùm; ut volunt communiter doctores cum Scoto, Quodlib. 20. num. 2. Aliàs non permitteret Ecclesia, sacrificium offerri pro paucioribus, si tantùm prodesset omnibus, ac uni. Talis limitatio non desumitur à re oblatâ, quæ infinita est; nec à principali offerenti, qui est Christus; sed ex offerente immediato, nimirum sacerdote, cui non voluit conferre Christus, nisi potestatem limitatam applicandi, ut patet ex usu Ecclesiæ, quæ aliàs prohibuisset, nè privatis hominibus applicaretur sacrificium. Ob hanc veritatem non est inferendum, quòd plures eandem Missam audientes minùs participent de fructu illius, quàm si essent soli; quia fructus talis sequitur concursum quem præstant, unde juxta illum participant de effectu Missæ.

Quæres, quid dicendum sit de stipendio sacerdotis pro Missarum celebratione? Respondeo licet absque simonia non possit sacerdos accipere stipendium per modum pretii pro Missa celebranda, hoc tamen potest per modum eleemosynæ ad sui sustentationem, juxta Mathæum cap. 10. asserentem cum D. Paulo I. ad Corint. 9. quòd qui altari inservit

de altari vivere debeat. Quòd verum intelligitur etiam de divitibus sacerdotibus, qui aliunde vivere valent, ut pote habentibus jus commune cum aliis, sese sustentandi ex altaris ministerio. Imò, omnes indifferenter possunt ante celebrationem pacisci de retributione accipienda, & post celebrationem illam juridicè repetere valent. Hoc possunt similiter beneficiati, qui ex titulo obligati ad celebrationem Missæ, ut parochiani illam audiant, non vero ad applicationem illius, possunt stipendium accipere à particularibus, ut illis applicent sacrificii fructum. Ob hoc, qui Missam conventualem, aut solemnem tenentur præcise tantum celebrare, stipendiari possunt à privatis personis pro applicatione ejusdem, nisi fundatione, vel legato, aut alio titulo, fundatoribus aut benefactoribus illam applicare teneantur.

Qui plura stipendia accepit pro celebratione Missæ non satisfacit celebrando tantùm unicam, si illa simul sumpta excedant quantitatem, quæ necessaria judicatur ad sustentationem sacerdotis pro uno die; quia defraudatur intentio offerentium, qui si scirent totum valorem Missæ non sibi applicari, talem eleemosynam non darent illi, qui jam aliunde oneratus est sacrificium applicare pro alio. Nec allegandum est, quòd sacrificium sit infiniti valoris; quia valor respondens oblationi sacerdotis, quem applicat uni, non est infinitæ efficaciæ. Quòd si tenuius, quàm par est, acceperit sacerdos stipendium pro una Missâ, vel pro pluribus, aliqui putant, ipsum posse minuere numerum Missarum, vel adjungere stipendium alterius, donec attingatur eleemosyna taxata à superiori; sed probabilius est contrarium, quando testatus est sacerdos, se esse modico stipendio contentum, & promisit unam vel plures Missas celebrare; quia promissis stare debet, secus si tantum promiserit, se esse rogaturum.

Licet sint plures fructus diversi sacrificii Missæ, ut potè satisfactorius & impetratorius, attamen sacerdos accipiens stipendium Missæ celebrandæ pro uno defuncto, non potest aliud recipere pro eodem sacrificio offerendo ad impetrationem alicujus beneficii; quia dum aliquis postulat Missam à sacerdote, & pro illa eleemosynam præbet, censetur postulare utrumque fructum, tum satisfactorium tum impetratorium. Si tamen Missam postulantes testentur, unum esse contentum de fructu satisfactorio, & alium de impetratorio, duplex stipendium accipi poterit. Licet aliqui existiment, sacerdotem posse applicare alteri fructum medium Missæ, qui sibi debetur, & sic exigere duplex stipendium, oppositum tamen ferè ab omnibus tenetur; quia essentiale est offerenti, ut participet de fructu sacrificii à se oblati. Nec dicendum est, quòd, sicut sacerdos potest valorem medium alteri applicabilem sibi appropriare, sic possit suum fructum conferre alteri; quia valor ille medius potest applicari à sacerdote cuicunque voluerit, & proinde sibi; non tamen potest cedere suum fructum alteri, quia talis effectus ex opere operato procedens ex sacrificio Missæ, est proprius & personalis, & proinde incessibilis.

Controvertuntur doctores, an sacerdos, cui hodie non offertur stipendium in celebrationem Missæ, possit eam applicare illi, qui primo daturus est stipendium; hoc enim fieri posse contendunt Navarrus, Arragonius, & aliqui alii; quia scilicet omnia sunt præsentia Deo, qui applicat fructum secundùm intentionem sacerdotis: negant verò cæteri majori cum probabilitate, quia sacrificium Missæ

A est actio transiens, cujus fructus non applicatus actualiter personæ speciali, reponitur intra Ecclesiæ thesaurum, in quem jus non habent singuli sacerdotes, sed solus Papa. Adde quòd, etiamsi hæc ratio debilior videretur, attamen constat, quòd fideles non intendant dare stipendium pro Missa jam dicta, sed pro dicenda. Quando aliquis sacerdos stipendium accipit pro pluribus Missis celebrandis, & unam tantùm dicit, tenetur ad aliarum eleemosynarum restitutionem; quia restituendi obligatio repetitur ex violatione justitiæ cum damno alterius, & sic prætermissas celebrare tenetur, vel curare ut celebrentur per alios, aut denique restituere stipendia, & admonere illos, qui ipsa dederant, Missas B non fuisse celebratas, nè præjudicium vivis aut defunctis inferatur. An autem retinere tale stipendium sit peccatum mortale, maxime quando talis retentio non attingit notabilem furti materiam; tenent plurimi cum Bonacina, quia, licet damnum temporale, nimirum pecunia, non sit grave; attamen damnum spirituale notabile censetur, ob privationem multorum fructuum, qui ex oblatione sacrificii consurgere solent. Non desunt tamen multi, qui sentiant contrarium, ob parvitatem materiæ pecuniariæ.

An illi, qui plura habent stipendia pro Missis celebrandis, possint tali obligationi satisfacere per alios sacerdotes, retentâ sibi aliquâ parte talium C eleemosynarum. Ad hoc plura responderi solent. Primo, hoc esse licitum, si talem circumstantiam agnoverint illi, qui dederunt stipendia; vel illi sacerdotes, qui consentiunt ad talem celebrationem pro talibus stipendiis, etiam diminutis; quia volenti & consentienti non fit injuria. Secundo, alii dicunt, hoc non esse justum, nec consulendum in praxi, cum redoleat aliquam negotiationis speciem; ex quo inferunt ibi saltem intervenire veniale peccatum, nisi justa causa talem usum cohonestet, maximè post decretum Urbani VIII. Tertio tandem, communis Doctorum turma apud Bonacinam regulariter asserit, hoc esse licitum, modò tanta recipiatur eleemosyna, quanta taxata est ab D Episcopis, consuetudine, vel prudentibus viris; quia scilicet non fit injuria sacerdotibus ex pretio diminuto celebrantibus Missas, quoniam stipendium taxatum accipiunt; nec etiam illi, qui largiorem tradidit eleemosynam, cui applicantur tot Missæ, quot expostulaverat: ergo hoc videtur licitum, maximè, quia sacerdos, qui immediate pecuniam accepit, ut tot Missas celebraret, factus est dominus pecuniæ, & obligatur tantum ad Missarum celebrationem, sive per se, sive per alios: Unde tales, ad morem capellanorum trecentos aureos pro trecentis Missis habentium, de quibus minorem partem alteris sacerdotibus conferunt, retinere valent excessum pinguioris eleemosynæ, & E taxatum solummodò stipendium conferre aliis. Quod si decretum Urbani VIII. hunc usum prohibeat, non quidem beneficiatis, sed simplicibus sacerdotibus, juxta declarationem Cardinalium: Respondendum est, illud nec publicatum fuisse, nec usu receptum. Non est par ratio de sacrista stipes colligente, ut per alios Missæ celebrentur; quia talis pecuniæ non censetur dominus, sed tantùm dispensator.

Canonistæ regulariter affirmant, illos peccare mortaliter, qui per notabile tempus differunt celebrationem Missarum, pro quibus stipendium acceperе; quia talis mora communiter cedit in damnum illorum, quibus applicari debet sacrificium, quando videlicet v. g. eleemosyna traditur pro ob-

tinenda sanitate infirmi, qui interim mortuus est; vel pro sublevanda anima alicujus defuncti, cujus solatium differtur; vel denique, quando celebrari debet Missa pro lite aliqua, quæ citò decidi debet. Quodnam autem censeri debet illud notabile tempus, repetendum est ex consilio prudentis cujusdam viri. Ille, cui incumbit munus celebrandi quotidie ex fundatione v. g. alicujus capellaniæ, debet quotidie celebrare, aliàs defraudaret intentionem fundatoris, nisi aliquando hoc omittat ob infirmitatem, vel gravia negotia, vel causa honestatis; ratione cujus, qui quotidie tenetur celebrare potest semel in hebdomada abstinere à sacrificio; quia tale onus intelligitur, salvâ honestate & decentiâ: unde tali die non tenetur supplere Missam per alium. Sic determinatum fuit in Conciliis Provincialibus tertio & quarto Mediolani habitis. Tali autem die, quo ex decentia vel negotio abstinere potest, pro alio nequit celebrare; tunc enim duplex censeretur accipere stipendium. Qui titulo capellæ aliquoties celebrare tenetur, per alium supplere potest; modò non præscripserit fundator, ut Missæ celebrentur à titulari; tunc enim non satisfit à capellano, qui, cum non sit sacerdos, celebrare facit per alium.

Capellanus, cui onus quotidie celebrandi incumbit, infirmitate detentus, ob quam celebrare non valet, per alium celebrare tenetur, si prolixior fuerit morbus; secus vero, si fuerit brevior, v. g. quindecim dierum: non est enim verisimile, voluisse fundatorem tam strictè obligare capellanum, qui non est deterioris conditionis famulo infirmo, cui non denegaretur solarium ob infirmitatem octo dierum, vel quindecim. Si tamen in fundatione exprimatur, quod, adveniente morbo, debeat curare infirmus, ut per alium celebretur, tunc institutoris observanda est intentio. Qui tenetur pluries in hebdomada celebrare causa negotii, potest talem celebrationem differre in hebdomadam futuram. Imò & anticipare in præsenti negotia quæ prævidet. Cùm enim sequatur mentem fundatoris substantialiter, talis mutatio temporanea non existimatur contra rationabilem intentionem ipsius, nisi aliter exprimatur. Si aliquis à tribus personis stipendium acceperit, ut pro singulis celebraret unam Missam, suo oneri satisfacit tres Missas celebrando, quarum tertiam partem singulis applicat. Si aliquis ex promissione vel fundatione debeat celebrare Missas de Spiritu sancto, de B. Virgine, de Requiem, vel similes, ad hoc tenetur reverà ex fidelitate, nisi occurrat ratio, ex qua aliam Missam debeat celebrare, ut pote, quando advenit Festum alicujus Sancti; quia Panormitanus censet, illum esse reprehensibilem, qui ad instantiam laicorum non observat ritum Ecclesiæ ob devotiones peculiares: maximè quia, si Missa consideretur ut sacrificium est, prodest æqualiter; si vero spectetur juxta preces, quæ in illa funduntur, illæ compensantur per alias.

Quando aliquis ex intentione testatoris tenetur in aliqua Ecclesia, vel oratorio particulari, celebrare Missam, non potest sine justa causa alibi sacrum facere; quia defraudat intentionem institutoris, nec præstat id ad quod fuit electus; unde hoc prohibitum fuit in Concilio 4. Mediolanensi. Nec ad talem mutationem sufficit consensus hæredum, qui fundatoris menti derogare nequeunt; secus dicendum est, si ad hoc interveniat rationabile impedimentum, quo durante, non debet sacerdos abstinere à sacro, sed alibi celebrare debet; quia interpretativè censetur testator sibi majorem utilitatem procurare. Episcopus ex legitimo motivo potest A dispensare de Ecclesia, aut de altari designatis. Licèt autem mortale sit peccatum capellano, qui per talem mutationem derogat menti fundatoris, non tamen ad restitutionem tenetur, contra nonnullos; quia ipsum non privat sacrificii fructu. Qui Missam tenetur singulis diebus applicare, ad ter non tenetur in Nativitate Domini; nec ullam tenetur dicere in triduo mortis Christi, immo in die commemorationis defunctorum non tenetur pro particulari celebrare, nisi hoc specialiter promiserit.

Quantum denique ad Missarum reductionem; hanc facultatem concessit Concilium Tridentinum B sess. 25. cap. 4. de reformatione, Episcopis in Synodo diœcesana, & Abbatibus, ac Generalibus Ordinum in suis Capitulis; quando scilicet rationabilis causa hoc exigit; ut pote, quando numerus illatum est tantus, & eleemosyna ita tenuis, ut illis satisfieri non possit; sine enim tali justa causa voluntas testatoris violari non debet. Inter vivos tamen, si celebrans plures Missas pro exiguo stipendio promiserit, & nihil advenerit imprævisum, non crederem, talem numerum reduci posse; quia exigit fidelitas, ut quilibet stet promissionibus suis. Talis potestas circa reductionem Missarum per Episcopos, non est de jure novo introducta à Synodo Tridentina; sed per supradicta verba declarat Concilium id quod ordinariè competit Episcopis, qui id censentur valere, etiam extra Synodum; quod idem vult Diana dici non posse de Generalibus Or- C dinum, existimans tale jus fuisse introductum à Concilio, ubi præscribitur distinctè, quòd talis reductio non fiat ab illis extra capitula, à quo dissentiunt aliqui, qui putant, ea competere Generalibus Ordinum quæ de jure communi spectant ad Episcopos. Quòd si Urbanus VIII. prohibuerit per decretum, nè Episcopi aut Generales ullo modo reducant Missarum numerum, sed ad hoc recurratur ad Apostolicam sedem; tale decretum obligare tantùm pro Italia asserit Marchantius.

Quæres denique, quid statuendum sit de auditione Missæ, quæ consistere censetur in actione religiosa, qua quis se præsentem facit humano modo, id est, corporaliter & mentaliter, sacrificio Missæ. Respondeo primò, fideles teneri ex præcepto Ec- D clesiastico ad auditionem Missæ diebus festivis, juxta communem mentem Doctorum, consuetudinem Ecclesiæ, & tenorem juris canonici, capite *Missas*, & capite *omnes fideles*. de consecrat. dist. 1. Dixi primò, omnes fideles; & sic, qui nondum baptisati sunt, quamvis sint catechumeni, ad hoc non tenentur; quia scilicet non subduntur Ecclesiæ. Quòd idem judicium ferendum est de pueris & amentibus, qui sunt incapaces præcepti, nec humano modo Missæ assistere valent. Dixi secundò, ex præcepto Ecclesiastico; quia, licèt auditio sacri sit consentanea juri naturæ, quo suadetur, ut Deum principaliter colamus certis quibusdam temporibus; & juri divino, quo per tertium præceptum Decalogi te- E nemur sanctificare sabbatum; attamen solo jure Ecclesiastico tenemur ad audiendam Missam; unde summus Pontifex, qui in jure humano dispensare potest, hoc idem valet in auditione sacri. Dixi tertiò, diebus festivis; quia hoc solùm præcipiunt jura Ecclesiastica, & in talibus diebus sufficit, si audiatur una Missa, sive de Sancto, sive de mortuis, sive privata, sive solemnis, sive in Ecclesia parochiali, sive apud Regulares, aut in oratorio; quia Ecclesia præcipit tantum, ut Missa simpliciter audiatur: Unde, qui in die Nativitatis Domini audiret tantùm unam Missam, præceptum Ecclesiæ adimple-

ret. Idem sufficit, à quocunque Sacerdote audiatur Missa, modo non sit excommunicatus, suspensus, aut interdictus vitandus: nam, sicut talis Sacerdos prohibetur ab Ecclesia celebrare, sic etiam prohibetur, nè fideles illius adsint celebrationi. Licet autem dicamus, Missam in quocunque loco posse audiri, quia Ecclesia præcipiens Missæ auditionem non præcipit locum; fieri tamen potest, ut quis peccet, non audiendo Missam in propria Parochia, quando scilicet hoc fit ex contemptu parrochorum, vel ex negligentia audiendi præcepta Ecclesiæ, aut monitoria quæ intra Missam parochialem publicantur. Imò Sixtus IV. de treuga & pace concordiam inire volens inter Mendicantes & Parochos præcipit illis, nè prædicent, populum non teneri audire Missam in propriis Parochiis festivis diebus; cùm jure cautum sit, illis diebus parochianos teneri audire Missam in Ecclesia parochiali, nisi fortè ob honestam causam ab illa Ecclesia se absentarent; unde libenter consulerem, ut fideles quàm frequentiùs adessent parochialibus Missis, ubi fit plurium orationum communicatio, ubi oves cum Pastore in ovile conveniunt ad audiendam vocem ejus, & ubi prædicatur verbum Dei, aspergitur aqua benedicta, festa & jejunia indicantur, ac annuntiantur agonisantes, & similes necessitates Ecclesiæ, ob quas rationes Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 4. præcipit, ut Episcopus moneat populum diligenter, teneri unumquemque suæ Parochiæ interesse, ubi id commodè fieri potest, ad audiendum verbum Dei.

Respondeo secundò, ut adimpleatur præceptum audiendi Missam requiri præsentiam moralem, quæ in hoc consistit, ut aliquis sit præsens tum corpore, tum mente ad ipsius celebrationem. Ratione primi, non censetur quis audire Missam, qui procul distat à loco, ubi illa celebratur, licet mente revolvat ea quæ fiunt inter celebrationem. Si quis tamen è fenestra domûs suæ videret & audiret Missam, via quadam vel flumine interjectis, crederem facilè, præceptum adimplere; maximè, si aliqua interveniat impotentia, vel ab hæreticis liber impediretur accessus ad ingressum templi. Idem dicendum est de illis, qui Missæ inservientes, & in deferendis necessariis occupati ab aliqua parte Missæ abessent; quia actioni assistere censentur qui ipsi inserviunt. Qui staret in extremis partibus templi, etiam post columnam illius, imò & extra januas in vicinio, ubi præ nimia assistentium multitudine nec videret nec audiret Sacerdotem, non minùs diceretur Missam audire; quia moraliter censetur pertinere ad illam multitudinem populi, quæ sacrificantem videret: secus de illo, qui in vacua majori Ecclesia in extremitate staret, quasi non pertinens ad numerum audientium. Licèt surdus & cæcus non videret, nec audiret Sacerdotem, non minùs tamen censeretur assistere sacro; quia moraliter censetur præsens corpore. Ratione secundi requiritur attentio religiosa ad Missam, vel considerando ea quæ facit Sacerdos, vel attendendo ad Deum orandum & honorandum. Ex quo plura sequuntur, nimirum illos reputari Missam audire, qui persolvunt officium quod debetur etiam ex obligatione, aut pœnitentia; quia tales attendunt ad res divinas, & una attentione satisfieri potest præcepto Missæ & præcepto divini Officii. Quando vero quis intra Missam confitetur peccata sua per notabilem Missæ partem, talis non censetur assistere moraliter sacrificio; quia nec ad illud attendit, nec confessio aut prædicatio (de qua idem dicendum est) se habent per modum orationis. A fortiori, qui per notabilem Missæ partem dormiunt, etiam involuntariè, aut confabulantur, confabulatione ita occupante animum, ut non attendatur ad ea quæ fiunt à sacerdote, sicut & illi, qui seria negotia voluntariè revolvunt in mente, quibus à sacro & actione religiosa distrahitur animus, non censendi sunt observare hoc præceptum. Qui existeret in Ecclesia ad expectandum aliquem, dum Missa celebratur, cui non intendit interesse, revera illi assistere moraliter non dicitur. Si tamen ex metu ductus, vel ex pravo fine, v. g. ad turpes aspectus, Missam audiat, censetur illam audire, modo hoc intendat, etiamsi non habeat animum satisfaciendi præcepto, sed tantum Missam simpliciter audiendi, ut pote ignorans esse diem festum. Qui intra Missam colligunt eleemosynas per notabilem illius partem, vel distribuunt panem benedictum, censentur communiter Missam audire, ex epykia scilicet, prælatis Ecclesiæ permittentibus hoc fieri ob utilitatem Ecclesiæ. Hoc alii concedunt universaliter, alii veró tantùm in minoribus templis, ubi à talibus potest haberi confusa attentio ad Missam. Audiens Missam illo die, quem nescit esse festum, hoc postea cognoscendo, non tenetur ad auditionem alterius. Imò, nec ille, qui audiens Missam ex devotione, expresfè noluit satisfacere præcepto; quia, ut ait Bonacina, jam censetur adimplevisse præceptum, cum præsens interfuerit, tum corporaliter, tum mentaliter, nec Ecclesia præscribat intentionem satisfaciendi præcepto; non desunt tamen qui contrarium existiment, sed pauci.

Respondeo tertiò: Totam Missam sub pœna peccati mortalis esse audiendam sentit communiter Canonistarum & Summistarum turma, contra aliquos, qui existimant, illum non peccare mortaliter, qui talem auditionem raró tantùm omittit. Ex hoc sequitur, peccari mortaliter, quando sine inadvertentia, aut ignorantia inculpabili, aut aliâ ratione excusante, pars notabiliter omittitur. Qualis autem censeri debeat pars notabilis, hoc judicare debet vir prudens. Omnes consentiunt, requiri assistentiam ad tres principales partes Missæ, quæ sunt oblatio, consecratio, & consumptio; sed ulterius dicunt communiter, quòd si dimidia aut tertia pars omittatur, non impleatur præceptum. Probabiliùs tenetur, illum peccare mortaliter, qui omittit usque ad epistolam exclusivè; licèt aliqui ad hoc requirant, quod omittatur Evangelium. Qui non potest audire Missam integram, partem restantem tenetur audire. si sit alicujus momenti, v. g. si consecratio non sit peracta. Qui audiret mediam Missam unius Sacerdotis, juxta communiorem partem Doctorum censeretur observare præceptum Ecclesiæ, audiens aliam partem alterius Sacerdotis; quia duæ medietates constituunt unam Missam, sicut dicitur unum sacrificium, quando mortuo Sacerdote, qui consecravit panem, substituitur alius, qui sacrificium perficit; sive servetur ordo partium, sive non servetur, idest, sive primo audiatur prior pars, sive posterior. Non desunt tamen qui oppositum affirment; sed longè plures nolunt illum censeri audire Missam, qui simul & semel audit duas partes Missæ: unam scilicet à Sacerdote in uno altari existente, & aliam ab alio, quidquid opinetur Diana, cui astipulari videtur Bonacina, saltem in casu necessitatis. Quando enim Ecclesia præcipit auditionem Missæ, vult ut certo temporis intervallo fideles intersint actionibus integræ Missæ, sive à pluribus Sacerdotibus, ut salvetur præcedens assertio, sive ab uno. In opinione autem Dianæ, qui audiret simul duas partes duarum Missarum, posset

possit audire decem, & sic paucarum minutarum spatio audiretur Missa, sicque defraudaretur intentio Ecclesiæ, quæ devotionem fidelium protendere desiderat per spatium unius Missæ, quæ successivè dici debet. Ad rationem quam allegat Diana; illum satisfacere suo confessario, qui præceperat tres Missas audiri, si illis adsit eodem tempore; dicendum est, quòd hoc pendeat ex intentione confessarii, qui debet intelligi secundum legem communem, quâ verisimile est, quòd volendo plectere peccatum, intendat etiam multiplicare Missarum auditionem, & sic probabile est, quòd qui ex voto vel pœnitentia Sacramentali teneretur audire tres Missas, deberet illis adesse successivè.

Respondeo quartò, præter ignorantiam invincibilem, sub qua comprehenditur oblivio & inadvertentia rationalis quæ dispensat ab auditione Missæ in die festo, tres allegari insuper rationes, quæ faciunt fidelem non esse ad assistentiam sacri obligatum; & hæ sunt impotentia corporalis, spiritualis, & moralis; deinde censura, ac denique consuetudo, sive universalis Ecclesiæ, sive alicujus regionis. Ratio autem generalis, cur dispensari potest ab hoc præcepto est, quod sit humanum, latum scilicet ab Ecclesia, quæ non censetur velle obligare suos filios actionibus impossibilibus, nec difficillimis; quoniam jugum ipsius suavissimum est. Quantùm ad primum, ratione impotentiæ corporalis illi dispensantur ab auditione Missæ, qui hoc non possunt absque damno gravi corporali, sive proprio, sive alieno; quales sunt infirmi, qui sine gravi incommodo nequeunt surgere, aut domo exire, aut timent periculum reincidentiæ, vel convalescentiæ retardationis. Sic etiam, ratione incommodi alieni, qui gravi infirmitate laborantibus inserviunt, quando unica datur Missa, cui non possunt interesse, nisi relinquendo infirmum cum incommodo, quod tale est, ut prudenter judicitur infirmum non esse relinquendum, dispensantur à sacro. Quod idem dici debet de aliis operibus misericordiæ corporalis aut spiritualis. A fortiori incarcerati, quibus non dicitur Missa, ab eodem præcepto dispensantur, sicut & proles, quas parentes velut in carcere inclusas detinent ob justam correctionem. Ratione impotentiæ spiritualis, ille non tenetur ad Missam, qui ipsam audire non potest absque gravi detrimento animæ, proprio vel alieno. Sicque dispensatur mater, quæ domi remanere cogitur ad custodiendam filiam, quam rationabiliter timet detrimentum aliquod esse passuram, si eam domi solam manere sinat, aut ducat secum. An autem puella credens se ab adolescente lascivo & fragili concupiscendam fore, si domo exeat, debeat adire sacrum; affirmant Navarrus, & alii; quia hoc damnum sequitur per accidens, de quo non est curandum: Sotus tali consulit, ut Missam relinquat; alii verò existimant, posse quidem relinquere Missam; quia præceptum hoc non obligat, quoties illius omissione impeditur damnum notabile proximi; ad hoc tamen non teneri, quia semper uti potest jure suo. Ratione impotentiæ moralis à Missa dispensantur illi, qui timent detrimentum notabile animæ, corporis, honoris, aut aliud simile. Sic, qui rationabiliter timeret invasionem hostium, infectionem aëris pestilentis aut deprædationem latronum, dispensatur à Missa; sicut & pastores, qui non possunt sine periculo gregis Missam audire, quia sunt soli, vel est tantùm unica Missa; ac illi, qui remanere coguntur domi ad custodiam, aut ciborum præparationem. Fœmina similiter honesta convenientem suo statui non habens vestem aut pedisequam, si magno pudore suffunderetur, dispensaretur à sacro. Uxor mariti zelotipi timens rationabiliter rixas, etiam dispensatur. Sicut & illa, quæ, cùm credatur honesta, nihilominus gravida est, & talis appareret. Excusantur etiam nutrices, quæ lactentes parvulos domi relinquere nequeunt, neque ad Ecclesiam deferre, ubi ejulatibus debitam aliorum impedirent attentionem. Famulus, qui prohibetur à domino, nè domo exeat, dum Missa celebratur, non tenetur ad illam, si gravis immineat reprehensio; secus, si levis tantùm. Si tamen id frequenter domini facerent sine justa causa, famulatum servi deberent relinquere. Qui ruri existentes, ex nive, vento, aut pluvia, multùm incommodarentur adeundo Ecclesiam, non tenentur ad hoc; sicut nec milites custodientes castra, aut vineas. Cursores, aut laborantes in officinis fusoriis, qui sine gravi jactura aut incommodo non habent tempus audiendi Missam, non facilè condemnantur. Puellæ sese abstinentes ab auditione Missæ, in quibus banna matrimonii debent proclamari, non censentur peccare; tunc enim undequaque circumspici solent cum risu immoderato quo magna illis affertur verecundia.

Quantùm ad secundum, fideles censurâ innodati excusari dicuntur ab audienda Missa; cùm nemo teneatur præstare aliquid, quod facere non potest sine peccato; sicque interdictus & excommunicatus non toleratus; existentes in loco interdicto, qui non possunt alium adire; & illi, qui alium sacerdotem, quàm excommunicatum non habent, excusantur ab auditione sacri. Existentes in territorio interdicto non tenentur procurare privilegium audiendi Missam, quia hoc non præcipit Ecclesia; habens tamen privilegium ad hoc, assistere tenetur; quia nullum superest impedimentum, quominus Missam audire valeat: contra nonnullos, qui asserunt, talem posse uti vel non uti tali privilegio. Excommunicatus, qui facilè absolvi potest ab excommunicatione, non peccat, quando non audit Missam, quam posset de facili audire, si vellet ab excommunicatione absolvi. Non peccat, inquam, contra præceptum audiendi Missam, quia ut excommunicatus illam audire non potest; nec ob præceptum Missæ tenetur recurrere ad censuræ absolutionem: sicut nec incarceratus tenetur quærere suam liberationem, ut Missam audiat. Verum quidem est, quòd ille, qui tenetur ad aliquem finem, ad media procuranda teneatur; sed, stante excommunicatione, non tenetur fidelis audire Missam: ergo licet dicatur, excommunicatum peccare, non quærendo absolutionem, ut confiteatur in paschate, non ex eo inferendum est, ipsum similiter teneri ad hoc ut Missam audiat; quia præceptum confessionis per se obligat ad mundandam animam, quod non est verum de auditione sacri.

Quantùm denique ad tertium; ex consuetudine universalis Ecclesiæ mulieres tempore purificationis suæ aliquot septimanis licitè abstinere possunt ab audienda Missa, etiamsi nullâ infirmitate, aut debilitate graventur. Non idem dicendum est de temporibus, in quibus menstrua patiuntur fœminæ, nisi cum aliqua debilitate conjungantur. Ex consuetudine usitata, apud Gallos maximè, mulieres quarum mariti recèns vita functi fuere, excusantur per certum tempus ab observatione hujus præcepti; sed cavendum est, nè tale tempus præter præceptam consuetudinem protrahatur. Quòd si reperiantur in aliquibus regionibus quidam alii usus similes, approbati inter timoratos, credendum est, illos justè dispensare. An autem qui non possunt audire

Missam ob aliquod horum impedimentorum teneatur diebus festivis alias preces fundere ad Deum, negant communiter Doctores, tales preces esse fundendas ex vi præcepti Ecclesiastici; quia nulla lex habetur, quæ præcipiat compensate piis quibuscumque actionibus defectum Missæ, licèt ex alia ratione ad hoc teneantur fideles, præsertim in mente illorum, qui tenent, actus amoris Dei esse eliciendos diebus dominicis, ut insinuare videtur Scotus in 3. dist. 9. quæst. 1. num. 5.

CAPUT QUINTUM.

De Pœnitentiâ.

POENITENTIA, quæ secundùm vim nominis, nihil aliud est, quàm pœnæ tenentia, in quantùm peccator debet in se tenere pœnam pro peccato commisso expiando, potest spectari, vel ut est virtus, vel ut est Sacramentum. Antequàm autem agamus de pœnitentiâ, ut Sacramentum est, quædam prælibanda sunt de eâ, ut est virtus; & tria præcipuè, nimirum quid sit pœnitentia virtus? in quibus conveniat cum Pœnitentiâ Sacramento? & tandem in quibus discrepet?

Quoad definitionem Pœnitentiæ, ut virtus est, sic traditur: Est virtus supernaturalis inclinans hominem ad detestationem peccati, in quantùm est offensa Dei, cum voluntate satisfaciendi Deo. Primò, dicitur *virtus*; detestari enim peccatum est actus honestatis & laudabilis, à pœnitentia procedens, tanquam ab habitu laudabili & honesto, maximè quando talis detestatio habetur propter Deum offensum. Ideò etiam dicitur *supernaturalis*, quia actus pœnitentiæ disponunt ad gratiam: ergo sunt supernaturales; ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. Potest tamen dari aliqua pœnitentia naturalis procedens à lumine naturæ, quod dictat Deum authorem naturæ non esse offendendum: sed illa pœnitentia non conducit ad gloriam. Quando postea additur, quod Pœnitentia sit virtus supernaturalis *inclinans ad detestationem peccati*; ex hoc patet, quòd peccatum est objectum materiale ejus; & quando subjungitur, *ut est offensa Dei*; illa formalitas est objectum formale pœnitentiæ: quia aliæ virtutes detestantur vitium sibi oppositum, ut sibi oppositum est; pœnitentia verò detestatur peccatum, ut est Dei offensivum; & sic Pœnitentia est virtus ab aliis distincta, quæ est pars potentialis justitiæ; quoniam per pœnitentiam aliquomodò compensamus Deum pro peccato commisso. Cùm denique apponitur, quòd talis detestatio debeat fieri *cum efficaci voluntate Deo satisfaciendi*; hoc ideò adjungitur, quia talis voluntas requiritur ad remissionem peccati; Unde sciendum est, quòd Pœnitentia virtus necessaria sit absolutè, sivè implicitè, sivè explicitè, ut recipiamus effectum Sacramenti Pœnitentiæ.

Quantùm ad convenientias Pœnitentiæ ut est virtus, & ut est Sacramentum, hæ sunt. Utraque est utilis medicina ad delendum peccatum actuale; immò, si peccatum mortale sit, utraque est necessaria. Utraque versatur circa peccatum actuale. Utraque habet pro subjecto hominem adultum; ut Sacramentum tamen est, respicit hominem baptisatum, & ut virtus, ad non baptisatum etiam pertinet. Utraque potest iterari, etiam circa idem peccatum, pluries illud detestando aut confitendo.

Quantùm autem ad differentias utriusque; dicendum est, quòd disconveniant in his: quia scilicet Pœnitentia virtus est sub genere habitûs, aut actûs; Sacramentum verò sub genere signi. Deinde, Pœnitentia virtus, est actus internus; licet enim aliquando ad actum externum transeat, potest tamen salvari in actu interno, quo quis in corde detestatur peccatum; ut est autem Sacramentum, præter internum dolorem addit adhuc actum externum, nempe confessionem & absolutionem. Tertiò, Pœnitentia virtus, est quædam pars essentialis Pœnitentiæ Sacramenti, quæ confunditur cum Contritione; Pœnitentia verò Sacramentum, est ipsum totum Sacramentum quod involvit Confessionem, Dolorem, Satisfactionem, & Absolutionem. Tandem, Pœnitentia virtus est de jure naturali divino; dictat enim ratio naturalis detestandum esse peccatum commissum contra Deum; Pœnitentia verò, ut Sacramentum, est de jure divino positivo, scilicet de institutione Christi; antequam enim Christus instituisset Sacramenta novæ legis, Pœnitentia erat tantùm virtus, non Sacramentum.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Pœnitentia Sacramentum, quando fuerit instituta, & an necessaria fuerit?

POENITENTIA potest sumi pro retractatione voluntatis, etiamsi mala non sit; & sic illum pœnitere dicitur, qui vellet aliquid non fecisse: sumitur aliquando pro dolore de rebus malefactis; & tunc si procedat ex motivo supernaturali, dicitur pœnitentia virtus: sumitur etiam pro absolutione à censuris, & tunc non est præcisè Sacramentum; per talem enim absolutionem non remittuntur peccata, sed tantùm relaxatur vinculum & pœna imposita ab Ecclesiâ: sumitur quartò pro satisfactione impositâ à ministro absolutionis, & pro tunc non est nisi pars materialis hujus Sacramenti: tandem sumitur pro pœnitentiâ Sacramento, & de eâ sic sumptâ nobis dicendum est.

CONCLUSIO PRIMA.

POENITENTIA est novæ legis Sacramentum, consistens in actibus pœnitentis & absolventis, quod institutum fuit à Christo per modum judicii emendativi ad remissionem peccatorum. Dicitur *novæ legis Sacramentum*; quia ante Christum Pœnitentia non erat Sacramentum, ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. unde, quando in veteri testamento mentio fit de Pœnitentia cui Deus promittit remissionem peccatorum, hoc intelligendum est de Pœnitentiâ virtute, seu de contritione. Dicitur secundò, *consistens in actibus pœnitentis & absolventis*; quia actus utriusque sunt materia proxima Pœnitentiæ. Dicitur quòd sit *à Christo institutum*, ut mox videbitur. Additur, *per modum judicii emendativi*; per Pœnitentiam enim, seu per absolutionem non condemnatur, sed emendatur homo. Subjungitur denique, *ad remissionem peccatorum*, ut pateat quòd peccata mortalia sint materia circa quam versatur Pœnitentia. Quòd nostra definitio sit legitima, patet ex hoc, quòd habeat suum genus & suam differentiam; & quòd in illa reperiantur omnia genera causarum. Habet, inquam, suum genus, nempe *Sacramentum*, in quo convenit cum aliis Sacramentis; & suam differentiam, quæ continetur in illis verbis, *consistens in actibus pœnitentis & absolventis, &c.* Quòd etiam comprehendat omnia genera causarum, constat in hoc, quòd pro

causa materiali habeat actus pœnitentis; pro formali, formam absolutionis; pro efficiente ministeriali, Sacerdotem, sicut Deum pro principali, cùm ministerialiter Sacerdos, & principaliter Deus absolvat; pro finali denique, habeat remissionem peccatorum, ad quam institutum fuit Pœnitentiæ Sacramentum.

Objicies. Eadem est pœnitentia in novo Testamento, ac in veteri, ut patet ex Actor. 10. ubi S. Petrus ait, se illam docere pœnitentiam, quæ à Prophetis testimonium habet; & D. Paulus cap. 26. recensens id quod prædicavit de pœnitentia, asserit, se ea solùm prædicasse, quæ Prophetæ locuti sunt; sed in veteri testamento pœnitentia non erat Sacramentum, ut patet ex Concilio Tridenr. sess. 14. can. 1. ubi anathematisatur quicumque non dixerit, pœnitentiam esse Sacramentum à Christo Domino institutum: ergo Pœnitentia nostra non est Sacramentum: nec per ipsam reconciliamur Deo, benè autem per Baptismum, non reipsâ, sed apprehensione & memoria repetitum, juxta mentem hæreticorum, qui pœnitentiam Sacramentum non vocant; vel si patiantur ipsum taliter nuncupari, dicunt, hoc Sacramentum esse indistinctum à baptismo; unde negant, pœnitentiam vocandam esse secundam tabulam post naufragium. Respondeo, pœnitentiam veteris testamenti esse eamdem cum pœnitentia novi; si spectetur ut virtus; non verò si spectetur ut Sacramentum, in quantum ipsa pœnitentia, quæ in veteri testamento erat tantùm virtus, acquisierit rationem Sacramenti in novo, per institutionem Christi. Et sic pœnitentia, quam docuerunt Petrus & Paulus, & quæ prædicata est ante Resurrectionem à Christo, & à Joanne Baptista, erat eadem ac illa, quam prædicaverunt Prophetæ in veteri testamento; quia Prophetæ & Apostoli tunc loquebantur tantùm de pœnitentia virtute, quam postea Apostoli post institutionem Christi prædicaverunt ut Sacramentum. Quod quidem Sacramentum est verè & realiter distinctum à Sacramento baptismi; & secunda tabula post naufragium appellari debet, juxta determinationem Concilii Tridentini sess. 14. can. 2. Appellatur autem Sacramentum hoc secunda tabula à Magistro & multis Scholasticis in 4. dist. 14. in quantum hæc vita est mare quoddam inquietum ob varios tentationum fluctus. In hoc mari fuit navis integra & benè compacta, quâ facillimè ad portum æternæ beatitudinis potuissemus vehi, nempe status innocentiæ. Cùm autem hæc navis fracta fuerit per peccatum Adami, duæ superfuerunt tabulæ, quibus innixi possumus evadere naufragium; & hæ sunt Baptismus, qui est prima tabula, & pœnitentia, quæ est secunda. Quod etiam per baptismum repetitum apprehensione non remittantur peccata, patet ex hoc, quòd inde sequeretur, lapsos post baptismum faciliùs renovari, quàm ante baptismum lapsos; cùm facilius sit cogitare de baptismo, quàm reipsâ eum suscipere, quod est contra Patres, vocantes pœnitentiam Baptismum laboris & lachrymarum, ut habetur sess. 14. Concil. Trident. cap. 2. in fine.

Conclusio præcedens, quâ statuimus, Pœnitentiam habere rationem Sacramenti, est contra Novatianos, sic dictos à Novato Episcopo Africano, qui corrupit Novatianum presbyterum Romanum. Licet ii absolutè non negaverint, peccata remitti, noluerunt tamen, illam remissionem fieri per ministros Ecclesiæ, sed à solo Deo; unde Sacramentum istud abstulerunt ab Ecclesia. Sic fecerunt etiam passim Calvinistæ, Lutherani, & alii recentiores hæretici, qui nedum à Sacramentorum numero repudiant Pœnitentiam; sed etiam in hoc contradicunt Catholicis, quòd nos velimus, Pœnitentiam, sive in ratione virtutis, sive in ratione Sacramenti, esse dolorem efficacem de peccato; ubi illi excludunt à Pœnitentia (quam tantùm agnoscunt ut virtutem) dolorem de peccato & offensa Dei, sicut & satisfaciendi propositum; dicendo, Pœnitentiam importare tantùm mutationem malæ voluntatis pristinæ, & vitæ præcedentis emendationem. Ob hoc Laurentius Valla Lutheri præcursor ait, vocem Græcam, *μετάνοιαν*, elegantiorem esse voce Latinâ, pœnitentiâ, quòd ista significet tristitiam commissi, & illa mutationem & emendationem vitæ. Sic Erasmus in cap. 3. Matth. dicit, prædictum vocabulum Græcum potiùs importare resipiscentiam, quàm pœnitentiam; & pœnitere nil aliud esse, quàm resipiscere, & resipiscere idem esse, ac factum præteritum agnoscere. Lutherus epist. ad vicarium ordinis sui, quæ est in 1. tomo operum ejus excussorum Vvittembergæ, ait, Pœnitentiam non significare dolorem, aut odium præteritæ vitæ, sed amorem justitiæ, novæque vitæ; & sic Pœnitentiæ nomen nihil habere amarum, aut acerbum. Idem sentit Calvinus lib. 3. Institut. cap. 3. ubi docet, nomen pœnitentiæ significare conversionem vitæ, seu mutationem mentis. Refelluntur hi omnes ex sacra Scriptura, quæ per Pœnitentiam intelligit mutationem vitæ, dolorem voluntarium de peccatis admissis, ac propositum satisfaciendi Deo. Mathæus enim cap. 11. & Lucas cap. 10. testantur, quòd si Tyrii & Sydonii vidissent miracula, quæ Christus patraverat apud Bethsaidam, Corosain, & Caphatnaum, egissent pœnitentiam in cinere & cilicio; sed cinis & cilicium non arguunt tantùm resipiscentiam & mutationem sententiæ, aut vitæ novæ institutionem, sed & displicentiam involvunt, & mœrorem de peccatis admissis. Christus etiam Lucæ 11. ait Ninivitas egisse pœnitentiam ad prædicationem Jonæ; quæ facta est in dolore, lachrymis, & afflictione corporis, ut docet ipse Jonas cap. 3. quòd scilicet Ninivitæ saccos induerint, & suum caput asperserint cinere, ut scilicet dolorem suum de peccatis vitæ prioris ostenderent, & pœnalibus exercitiis suas in Deum offensas aliqualiter ulciscerentur. Ex quibus patet, pœnitentiam non esse tantùm mutationem consilii, seu resipiscentiam, sed pœnarum acceptionem, quæ resipiscentiam supponit. Ob hoc Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. asserit, Pœnitentiam esse baptismum laboriosum; Augustinus 3. de Trinitate cap. 4. ait, quòd Pœnitentia sit crucifixio hominis interioris: Et Libro de vera & falsa pœnitentia cap. 19. inquit, *Pænitere est pœnam tenere, ut semper aliquis in se puniat ulciscendo quod commisit peccando*: Et Isidorus lib. 6. Originum, Pœnitentiam vocat punientiam. Ex quibus omnibus rectè colligunt Catholici contra hæreticos, Pœnitentiæ nomen significare perfectam præcedentis vitæ correctionem, quæ tria involvit, videlicet erroris agnitionem quæ causa doloris est, deinde displicentiam seu dolorem internum ejus, quod actum aut omissum fuerit; ac denique castigationem spontaneam, quæ est effectus illius interni doloris & displicentiæ vitæ prioris.

Conclusio Secunda.

Institutum fuit Sacramentum Pœnitentiæ à Christo sicut & alia, ex Concilio Tridentino sess. 7. can. 10. Quantùm ad tempus, institutum fuit,

quando post resurrectionem dixit Apostolis Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sic Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 1. Quando ergo Christus Matthæi 18. dixit Apostolis, *Quæcumque alligaveritis, &c.* erat tantùm promissio facta illis de potestate absolvendi, sicut quando dixit Petro Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Et talis potestatis habuit possessionem Petrus, cùm dixit illi Jesus Joann. ult. *Pasce oves meas*, protunc enim illum constituit summum Pastorem, cum supremâ potestate. Quando etiam Christus dixit Apostolis, *Pœnitentia magite*, loquebatur de Pœnitentiâ virtute. Non audiendi sunt consequenter illi qui asserunt, Pœnitentiam fuisse institutam antequam Apostoli communicarent; quia non requiritur Pœnitentia Sacramentum, nisi post institutionem Christi; & sic, ut Apostoli debitè sumerent Corpus Christi, sufficiebat Contritio, seu Pœnitentia virtus pro illis qui erant conscii peccati mortalis, ut Judas; hoc tamen non impedit, quin inchoata fuerit Pœnitentia nocte cœnæ, quando Christus ordinavit Apostolos, deditque illis per Ordinem caracterem Sacerdotalem, qui est fundamentum potestatis absolvendi; quod autem fuit protunc inchoatum, perfectum fuit tempore supradicto, juxta Concilium. Quòd si Christus ante resurrectionem remiserit peccata Magdalenæ & aliis, hoc non faciebat vi Sacramenti, sed propriâ virtute. Quod si etiam quis dicat, potestatem absolvendi dari cum ordine sacerdotali, & sic Christum ordinando Apostolos instituisse Pœnitentiam, hoc negandum est: recipitur enim primò actualis potestas consecrandi, cùm Episcopus dicit, *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesiâ*; & posteà recipitur potestas absolvendi, cùm dicit Episcopus. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.* Quia tamen per prima verba confertur caracter Ordinis, qui non confertur novus per alia verba, sed tantùm augetur, ideò potest dici, quòd potestas radicalis absolvendi tradatur per prima, & compleatur per secunda.

Objicies ex D. Thoma in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. quæstiunculâ 3. Pœnitentiam, juxta diversas sui rationes, institutam fuisse diversis temporibus: Quoad utilitatem nimirum, Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Quoad necessitatem ejus, Lucæ 13. *Si Pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.* Quoad potestatem & efficaciam, Joann. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quoad promulgationem, Jacobi 5. *Confitemini peccata alterutrum.* Ergo non est dicendum simpliciter, quòd Pœnitentia instituta fuerit Joan. 20. Respondeo, quòd licèt concederetur antecedens, neganda tamen esset consequentia: Quia pro eo tantùm tempore res dicitur institui quo illi advenit ultima ratio perficiens essentialiter ipsius naturam; & sic instituta debet dici Pœnitentia pro illo, quo datur ei vis & efficacia sanctificandi, seu producendi gratiam, quod factum est Joan. 20. quando Christus post Resurrectionem insufflavit in discipulos dicens, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Dices.* Ante resurrectionem alia sacramenta instituit Christus; ergo & Pœnitentiam. Negatur; nam licet alia discriminis hujusce non possit afferri ratio, quàm ipsa Christi voluntas; hoc tamen congruebat, quod resurrectio Christi esset typus & exemplar perfectæ justificationis, quâ per Pœnitentiam homo resurgit à morte peccati, juxta verba Apostoli ad Rom. 4. *Traditus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*; idest, ut perfectum se exhiberet humanæ justificationis exemplar. Sicut enim Christus citò, verè, & perfectè resurrexit, non iterum moriturus; ita peccator per pœnitentiam debet à peccatis citò resurgere, verâ & sincerâ conversione redire ad Deum, ac denique revocatus ad vitam beneficio Pœnitentiæ non amplius mori per mortem peccati, ut sit conformis Christo, qui ad Rom. 6. *Resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Cùm ergo exemplar exemplatum præcedere debeat, ideo, licèt alia sacramenta instituta fuerint ante resurrectionem, convenientissimum tamen erat, ut post eam, Pœnitentiam præcipuè institueret Christus, juxta Concil. Trident. sess. 14. cap. docens, Christum Dominum tunc præcipuè instituisse Pœnitentiæ sacramentum, cùm à mortuis excitatus, insufflando in discipulos, dixit, *Quorum remiseritis peccata.* Ubi Concilium addens hanc particulam, *præcipuè*, denotare intendit, illud sacramentum fuisse promissum Apostolis, cùm illis dixit Matth. 16. & 18. *Quorum remiseritis peccata, &c.*

Conclusio Tertia.

Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium illis qui mortaliter peccaverunt post baptismum, tùm necessitate medii; quia est medium sine quo peccatum mortale actuale remitti non potest: tùm necessitate præcepti, ut habetur in Concilio Tridentino sessione 14. cap. 1. & 2. Hujus ratio est, quia quæcumque sunt necessaria necessitate medii, sunt etiam necessaria necessitate præcepti, saltem si sint in nostrâ potestate; & hoc ideò additur, quia prima gratia est necessaria necessitate medii, non vero præcepti; quia autem Pœnitentia est necessaria necessitate præcepti, ideò ille qui jam est contritus, debet adhuc confiteri peccata & absolvi ab illis; unde in Contritione virtualiter includitur Pœnitentia. Porrò, quando diximus, Pœnitentiam esse necessariam; hoc est vel in re, vel in voto; immò potest aliquando fieri, quòd virtualis Pœnitentia sufficiat; aliquis enim potest per actum amoris divini perfectam obtinere remissionem sui peccati: sed quia nullus potest perfectè Deum diligere, nisi doleat saltem virtualiter de offensis in Deum commissis, ideò talis actus amoris divini dicitur involvere votum Pœnitentiæ, saltem implicitè.

Hæc quæstio supponit id, quod pluries alibi diximus, aliquid esse necessarium ad salutem dupliciter; scilicet necessitate præcepti, & necessitate medii. Primum est illud, quod ita præceptum est ab habente potestatem, ut omitti sine peccato nequeat, ut Eucharistiam sumere. Secundum autem est illud, quod est ratio unica consequendi salutem. Quod similiter dicitur necessarium ex se, seu ratione sui, seu necessitate finis; quia sine tali medio finis obtineri non potest. Sic diximus, Baptismum esse necessarium ad tollendum peccatum originale, & Pœnitentiam ad remissionem peccati actualis. Aliquid potest esse necessarium necessitate præcepti tantùm, ut Eucharistia, Confirmatio, & Extrema-unctio. Aliquid esse potest necessarium necessitate medii tantùm, ut actualis gratia Dei præveniens adultos; est enim medium sine quo salus haberi non potest, quod tamen non est in præcepto, quandoquidem non est in nostra potestate; sed à sola bonitate Dei dependet. Aliquid denique est necessarium necessitate medii & præcepti simul, ut Baptismus & Pœnitentia, quæ sunt media instituta à Deo, sine quibus, vel in re vel in voto, nullus salutem

potest consequi; & insuper sunt necessaria necessitate præcepti; Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum.* Et Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.* A

Objicies: Pœnitentia non est necessaria nisi ad tollendum id quod remansit in peccatore, transeunte actu peccaminoso; sed nihil remansit: ergo non requiritur Pœnitentia. Resp. Distinguo minorem; nihil remansit quoad substantiam actus, concedo: nihil remansit quoad reatum peccaminosi actûs, nego. Vel, nihil remansit physicum, concedo: morale, nego; remansit enim reatus & obligatio ad pœnam; seu remansit culpa, qua homo est ingratus Deo, & obligatio ad pœnam æternam pro B peccato mortali, quæ commutatur in temporalem per Pœnitentiam; & illud morale, quod remanet post actum peccati, non est quid reale; sed est tantùm respectus rationis; ut quando quis propter injuriam factam principi, est illi inimicus & ad pœnam deputatur, nihil reale & positivum in eo reperitur.

Dices. Licèt Pœnitentia, ut virtus est, cadat sub necessitate, Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*; non videtur tamen necessaria, ut est sacramentum. Respondeo negando consequentiam; quia, etiamsi quis esset justificatus per contritionem, non minùs tamen teneretur accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ, quod debet semper includi, saltem virtualiter, in contritione; & proin- C de taliter justificatus deberet adhuc confiteri sua peccata, & absolvi à Sacerdote, ut habetur ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 2. *Hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium est, ut nondum regeneratis ipsum baptismus*; sed Baptismi sacramentum necessarium est, saltem in voto, iis qui non sunt baptisati, quamvis per contritionem obtinuerint remissionem peccatorum: ergo etiam Pœnitentia necessaria est lapsis post baptismum, licèt per contritionem justificatis. Unde D. Augustinus lib quinquaginta homiliarum homil. 49. *Agite Pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia; nemo dicat sibi, Occultè age: apud Deum ago, novit Deus, qui mihi ignoscit, quia* D *in corde ago. Ergo sine causa claves Ecclesiæ Dei datæ sunt; frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi; sed Pœnitentia, qualis agitur in Ecclesia, est sacramentum Pœnitentiæ:* Ergo Pœnitentia, nedum ut est virtus, sed etiam ut sacramentum, est necessaria necessitate medii & præcepti. *Instabis*, Ergo contritio legis novæ, cui necessarium est Pœnitentiæ votum, est minoris efficaciæ contritione legis antiquæ, quæ independenter à confessione justificabat; & sic difficilior est salus in novo, quam in veteri testamento. Respondeo negando consequentiam; quia in lege nova contritio justificat, sicut in veteri. Quòd si nostra dicat respectum ad E confessionem, hoc non procedit ex minori efficacitate; sed hoc exigit Deus ad majorem securitatem & facilitatem: quia in lege veteri semper requirebatur perfecta contritio, quæ difficilima est, & maxime dubia; in nostra verò contritio imperfecta, seu attritio, existimatur sufficiens cum sacramento Pœnitentiæ, sicut postea sumus dicturi.

Ut concipiatur, quale votum sacramenti Pœnitentiæ necessarium sit ad remissionem peccati, notandum est, duplex esse votum illius; videlicet explicitum seu formale, quo quis expressè & formaliter vult hoc sacramentum recipere, confiteri peccata Sacerdoti, & absolutionem recipere ab illo; & implicitum seu virtuale, quo scilicet aliquis dolet de peccatis suis propter Deum offensum, quem perfectè diligit, & propterea vult observare omnia mandata ejus, & consequenter recurrere ad Pœnitentiæ sacramentum, quod à Deo præceptum est. Hoc posito, dicendum est, quòd votum sacramenti Pœnitentiæ implicitum & virtuale sufficiat ad salutem; neque necessarium sit formale & explicitum. Votum, inquam, implicitum est sufficiens, ut patet ex Baptismo, cujus votum implicitum sufficit ad peccatorum remissionem, ut patet ex Marci ultimo, *Qui crediderit & baptisatus fuerit salvus erit; qui non crediderit condemnabitur.* Ubi non dicit Evangelista: *Qui non baptisatus fuerit condemnabitur*, ut demonstret, solam fidem sufficere cum implicito baptismi voto. Idem colligitur ex Cornelio Centurione, qui Actorum 10. remissionem peccatorum acceperat, quandoquidem denominabatur vir justus & timens Deum, cujus eleemosinæ jam in Dei memoriam ascenderant; attamen nondum didicerat ea quæ spectant ad fidem, nec baptisatus erat: ergo justificatus fuit per votum implicitum baptismi; quia votum explicitum non habuerat, cùm nihil audivisset de baptismo Christi: & sic ad salutem sufficiens est votum implicitum Pœnitentiæ. Quod confirmatur ex hoc, quòd si quis ad martyrium repentè duceretur, nihil de confessione, absolutione, & sacramento Pœnitentiæ cogitans, non desineret obtinere salutem. Porrò, votum implicitum pœnitentiæ reperitur in contritione, & in perfecta Dei dilectione, ac proinde in martyrio, quod primus gradus charitatis reputatur. *Dices*: Si, ut pœnitentia dicatur necessaria necessitate medii, sufficiat, quòd necessarium sit votum illius implicitum, consistens in voluntate implicita observandi omnia mandata Dei, sumptio Eucharistiæ erit etiam pari necessitate necessaria; quia, quando aliquis proponit observare mandata Dei, proponit virtualiter sumere Eucharistiam; hoc tamen falsum est: ergo votum implicitum de Pœnitentia facienda non sufficit. *Resp.* negando consequentiam; quia enim Pœnitentia præcisè instituta est ad remissionem peccati actualis post baptismum commissum, non verò Eucharistia; ideò contritio v. g. vel summa Dei dilectio, vel martyrium, principaliùs includunt votum implicitum suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ, utpote institutum ad remissionem peccati, quàm sumendi Eucharistiam, quæ ad alium finem instituta est, videlicet ad augendum fervorem charitatis; unde Eucharistia non est necessaria necessitate medii, benè autem pœnitentia. *Instabis*: Habemus tamen ex Script. necessitatem Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ expressam similibus verbis, *Nisi quis renatus fuerit, nisi pœnitentiam egeritis, nisi manducaveritis.* Respondimus anteà ad hoc, agendo de necessitate Eucharistiæ; quòd scilicet necessitas sacramentorum non pendeat tantum ex modo loquendi Scripturæ, sed etiam ex natura & institutione ipsorum.

Quæstio II.

Quænam sit Materia Pœnitentiæ?

Materia Pœnitentiæ, vel est remota, vel proxima; vel est etiam sufficiens, vel necessaria. Materia sufficiens est ea, quæ sufficit ut conferatur absolutio; sic peccatum veniale & mortale jam confessum & remissum, sunt materia sufficiens Pœnitentiæ; peccata vero mortalia nondum confessa, sunt materia necessaria, quia necessariò debent explicari,

ut gratia conferatur. Quando autem dicimus, quòd peccata sunt materia pœnitentiæ; hoc intelligitur de materia circa quam destruendam; ad destructionem enim peccati tendit Pœnitentia.

Conclusio Prima.

MATERIA remota Pœnitentiæ sunt peccata actualia commissa post Baptismum: quia materia remota est ea circa quam versatur materia proxima; sed actus pœnitentis; qui sunt materia proxima, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio, versantur circa peccata quæ confitemur, & de quibus dolemus: ergo peccata sunt materia remota. Dixi, commissa post Baptismum; ea enim quæ committuntur ante Baptismum, & non sunt expiata per illum, propter obicem & fictionem, non sunt materia Pœnitentiæ; quia sunt commissa ab illis qui sunt extra Ecclesiam; quia verò pœnitentia est judicium, & non potest fieri judicium, nisi in ea quæ subduntur Ecclesiæ; dicendum est, quòd illa peccata quæ sunt commissa ante Baptismū fictè receptum; remittuntur per ipsummet baptismum præcedentem, quando scilicet removetur obex: fictio verò quæ est peccatum concomitans & subsequens Baptismum, est materia Pœnitentiæ; & sic licet baptisatus non teneatur confiteri peccata ante Baptismum fictè receptum commissa, tenetur tamen confiteri fictionem & alia peccata quæ sequuntur. Quia diximus peccata esse materiam Pœnitentiæ, nedum mortalia, sed etiam venialia ipsi subsunt; cum hoc discrimine, quòd mortalia sint materia necessaria Pœnitentiæ, venialia autem sunt tantùm materia sufficiens; Unde quis potest confiteri tantùm unum aut duo peccata venialia & alia reticere. Quoad peccata verò dubia, non sunt materia necessaria, neque sufficiens Pœnitentiæ; Unde Sacerdos non debet impendere absolutionem, quando pœnitens est dubius si peccaverit: quòd si tamen sint quædam circunstantiæ non quidem convincentes, sed quæ magis inclinent in partem peccati, potest dari absolutio sub conditione.

Quando diximus, peccata destruenda esse materiam remotam Pœnitentiæ; hoc intelligitur, tùm quoad culpam, tum quoad pœnam; cum hoc tamen discrimine, quòd per se primò ordinetur Pœnitentia ad destructionem culpæ, & secundariò tantùm ad relaxationem pœnæ, saltem æternæ. Ratio hujus est, quia peccatum eo modo est materia Pœnitentiæ, quo per Pœnitentiæ formam destruitur; sed per formam pœnitentiæ, seu per absolutionem Sacerdotis, aufertur primariò macula peccati, seu peccati culpa, & secundariò tantùm relaxatur pœna peccati: ergo peccata quoad culpam destruendam primariò & per se, & quoad pœnam secundariò & ex consequenti, sunt materia Pœnitentiæ. Quando etiam diximus, peccata actualia commissa post baptismum esse materiam pœnitentiæ, per hoc, à tali materia non excluduntur tantùm peccata actualia commissa ante baptismum, ut probavimus in conclusione; sed etiam ipsummet originale peccatum; quia propriè non pœnitet nos, nisi eorum, quæ nostrâ voluntate commisimus: unde, cùm peccatum originale non sit nobis voluntarium, ideo contra illud non instituit Deus Pœnitentiam, sed Baptismum. Si tamen Pœnitentia sumatur latè, pro detestatione cujuscunque peccati, quatenus Deum offendit, sive à seipso fuerit commissum, sive ab alio, protunc peccatum originale, quatenus in Adamo actuale fuit, potest esse materia pœnitentiæ. Sic aliquando Theologi dicunt, Pœnitentiam latè sumptam fuisse in Christo; quatenus dolebat de

A peccatis, non suis, sed aliorum, qui Deum offenderant. Quando denique asseruimus, peccata venialia esse materiam pœnitentiæ, jure merito diximus, non esse materiam necessariam, sed tantùm sufficientem; quia sacramentum Pœnitentiæ, quatenus necessarium, est secunda post naufragium tabula; sed peccata venialia non inducunt naufragium, quoniam non præcipitant homines in odium Dei: ergo non sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ. Unde Concilium Tridentinum asserit, peccata venialia omitti posse in confessione absque peccato. Nec obstat, quòd Cap. *omnis utriusque sexûs*, præcipiatur confessio omnium peccatorum; quia hoc intelligitur de omnibus mortalibus, ut ex-
B plicant Doctores communiter; non verò de venialibus. Licèt autem Ecclesia non præcipiat confessionem peccatorum venialium, illam tamen præcipere potest, ex D. Thoma in 4. dist. 5. art. 2. quæst. 5. & aliis apud Bonacinam. Non quòd possit illa omnia confitenda præcipere, quia hoc impossibile est; sed aliqua saltem. Cùm enim plura possit præcipere Ecclesia ad utilitatem fidelium, cur non posset confessionem venialium peccatorum exigere à fidelibus, cùm viderit hoc esse utile, & conveniens ad finem aliquem bonum obtinendum, v. g. ad placandum Deum in aliqua necessitate, ad majorem gratiam recipiendam, vel ad perfectiorem observationem disciplinæ Ecclesiasticæ?

C OBJICIES. Peccata destruenda non sunt materia Pœnitentiæ, si per Pœnitentiam non possint destrui & auferri; sed peccata post baptismum commissa non possunt remitti; ut patet ex D. Paulo ad Heb. 6. *Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Respondeo, per hoc Apostolum ostendere solummodò, post acceptum baptisma, non esse remedium in Ecclesia, remissionis peccatorum tam perfectæ, sicut reperitur in baptismo, quæ sit quoad culpam & quoad pœnam. Sic dicendum est ad alia verba Apostoli cap. 10. *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro*
D *peccatis hostia.* Vel respondendum est, quòd per verba utriusque loci probare velit Apostolus, eos qui peccant post susceptam fidem & baptismum, non posse iterum renovari per baptismum, ut falsò putabant Hebræi, qui ob hoc domum reversi se lavabant. *Dices*, 1. Regum cap. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Deum peccaverit vir, quis pro eo orabit?* Per hoc colligitur tantùm, peccata in Deum difficiliùs expiari, quàm peccatum in homines, rarosque esse viros sanctos, qui pro aliis Deum placare possint. Si dicatur, peccata in Spiritum sanctum non remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro, Matth. 12. hoc non debet intelligi absolutè, sed innuit tantùm, quòd peccata in Spiritum sanctum, qualis est resistentia veritati
E fidei, quam inspiravit & miraculis confirmavit Spiritus sanctus, difficillimè sint remissibilia; Ratione scilicet pravæ dispositionis peccantium, potiùs quàm gravitatis peccatorum, aut defectûs potestatis in Ecclesia existentis. Quòd si primis Ecclesiæ temporibus, aliquibus quandoque negabatur indulgentia, venia, & pax ab Ecclesiæ Sacerdotibus, etiamsi illi pœnitentiam egissent; hoc non procedebat ex defectu potestatis, sed ex severitate disciplinæ Ecclesiasticæ, hoc postulante ratione temporis, ob atrocitatem criminum; unde illa Indulgentia, seu remissio peccatorum, non negabatur in articulo mortis, benè autem porrectio Eucharistiæ, quæ ad salutem non censetur absolutè necessaria. Quòd si Tertullianus lib. de Pudicitia, cap. 21. dicat, verba

quæ dixit Christus Petro & aliis Apostolis, per quæ illis tradidit potestatem remittendi peccata, fuisse personalia, solasque Petri & aliorum Apostolorum personas respexisse; sicut dicitur de potestate suscitandi mortuos, sanandi infirmos, & alia patrandi miracula; proindeque permanentem non superesse in Ecclesia potestatem absolvendi à peccatis: Ad hoc respondendum est, nil mirum esse, si hoc docuerit Tertullianus in illo loco, quia pro illo tempore, quo scripsit librum de pudicitia, Montanistarum errore infectus erat. Contrarium autem ostendit Scorpiaci 10. dum adhuc esset catholicus, dicens, *Si adhuc clausum putes cælum, memento claves ejus Dominum Petro, & per eum Ecclesiæ, reliquisse*. Et certè mirum esset, Tertullianum non agnovisse potestatem remittendi peccata in Apostolis, & in eorum successoribus, quam in Montano & sequacibus illius agnoscit. Porro, si dicatur, majorem honorem deferri Deo, dum illi soli attribuitur potestas remittendi peccata; hoc negat Ambrosius, qui lib. de Pœnitentia cap. 2. de Novatianis ita scribit. *Ajunt, se Domino deferre honorem, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imò, nulli majorem injuriam ei faciunt, quàm qui volunt ejus mandata rescindere. Cùm in Evangelio Dominus ipse dixerit, Quorum remiseritis peccata remittuntur eis ..... quis est, qui magis honorat? utrùm qui mandatis obtemperat, an qui resistit?*

CONCLUSIO SECUNDA.

MATERIA proxima Pœnitentiæ, sunt actus pœnitentis, nimirum Contritio, Confessio & Satisfactio; Absolutio enim cadit immediatè super illos actus; & mediatè super peccata, & hi tres actus congruè requiruntur, ut corde, ore & opere compensemus injuriam Deo factam per peccatum. Hi autem actus requiruntur, tùm pro peccatis mortalibus, tùm pro venialibus; ita quòd tamen Contritio, Confessio, & Satisfactio, cadentes supra peccata venialia & supra mortalia jam confessa, sint materia proxima sufficiens Pœnitentiæ, cadentes verò supra mortalia non confessa, sint materia necessaria. Conclusio nostra ex hoc confirmatur, quòd illud debeat esse materia proxima sacramenti Pœnitentiæ, quod est materia proxima judicii emendativi, quia pœnitentia est sacramentum institutum à Christo, ut emendetur peccator; sed in judicio emendativo reperiuntur accusatio, dolor, & satisfactio; quandoquidem reus debet dolere de suo peccato, declarare crimina quæ patravit, & paratus esse ad satisfaciendum parti læsæ, & compensandam offensam, quam illi intulit: ergo Pœnitentiæ materia proxima est consistit in contritione, confessione, & satisfactione. *Quòd si dicatur*, dolorem internum, qui non est sensibilis, non posse dici materiam proximam sacramenti, quod est sensibile: Responderi debet, contritionis dolorem esse sensibilem, si non ratione sui, saltem ratione confessionis, cui moraliter conjungitur, & signorum sensibilium, quibus exprimitur communiter.

Si dicatur, materiam debere præsupponi ad formam, proindeque Satisfactionem, quæ ordinarie sequitur absolutionem, non esse materiam Pœnitentiæ: negandum est in moralibus antecedens, quod verum est in physicis; in sacramento enim baptismi, aliquando proferuntur verba ante infusionem aquæ, nemo tamen est, qui talem baptismum invalidum existimet. Quod si plura ex antiquioribus Conciliis mentionem non faciant doloris interni, quem requirimus sub nomine contritionis; illum ideò tacuerunt, quòd ipsum comprehenderent sub confessione: dicendo enim, ad Pœnitentiam requiri confessionem, & accusationem sui, per hoc necessarium judicarunt internum dolorem; quandoquidem confessio sine dolore esset potiùs simplex narratio, aut gloriatio de peccatis, quàm sui ipsius accusatio. Deinde, hoc expressè habetur in ultimis Conciliis, quæ antiquiora clariùs explicant; ut potè in Florentino in decreto unionis, & Tridentino sess. 14. cap. 3. Quòd si hoc ultimum dicat tantùm loco citato, præfatos actus esse quasi materiam; hæc particula non diminuit veritatem rei, sicut nec D. Joannes cap. 1. appellans Christum quasi unigenitum, præsumit ab eo tollere rationem unigeniti; sed ideò vocat illos tres actus quasi materiam, quia, licet sint verè materia hujus sacramenti, non sunt tamen materia extrinsecùs apposita, & sensibilis per se, quales sunt materiæ baptismi, Eucharistiæ, & aliorum, in quibus materia extrinseca & sensibilis apponitur, ut potè aqua, panis, chrisma, &c. Ob eamdem rationem Scotus & alii aliquo modo negaverunt, tres præfatos actus esse materiam sacramenti Pœnitentiæ; sed, ut benè notat Canellus noster in scholio ad dist. 16. q. 1. n. 7. controvertuntur tantùm de nomine: nam quoad rem, omnes in confesso habent, sacramenti valorem non subsistere sine contritione & confessione, quæ ob hoc vocantur partes ejus essentiales & intrinsecæ; quia tamen tales actus non sunt substantiæ sensibiles, & extrinsecùs adductæ, ut in aliis sacramentis, ideo negant ipsos esse materiam hujus sacramenti; sed ad summum volunt, esse tantùm quasi materiam. *Porrò, si aliquis instet*, dicendo, essentiam hujus sacramenti consistere in sola absolutione, unde sacerdos dicitur conficere hoc sacramentum, & pœnitens illud recipere; proindeque actus istius non concurrere essentialiter ad hoc sacramentum: Respondendum est, sacramenti hujus intensivè sumpti solam absolutionem esse essentiam; & hoc casu solus sacerdos ipsum conficit: si sumatur verò extensivè, confessio & contritio ad illius essentiam spectant, & tunc pœnitens & sacerdos ipsum conficiunt; sed principaliter sacerdos, qui ultimum apponit complementum.

OBJICIES contra id quod diximus, peccata mortalia jam confessa & remissa, esse materiam sufficientem Pœnitentiæ, quòd scilicet forma non possit bis cadere supra eamdem materiam: ergo nec absolutio duplex supra idem peccatum. Respondeo, nostram assertionem veram esse; Benedictus enim Undecimus in extravaganti primâ de Privilegiis, dicit esse salubrem talem confessionem, cujus ratio peti debet ex institutione Christi, qui ad majorem utilitatem animarum, non limitavit hoc sacramentum ad unum actum remissionis; unde, ut respondeatur ad objectionem, dico; Quòd forma non possit quidem cadere bis supra eamdem materiam proximam; unde sacrilegium esset proferre duplicem absolutionem supra unam confessionem, forma tamen potest cadere bis super eamdem materiam remotam; ex eâdem enim aquâ potest fieri multiplex baptismus; & sic absolutio poterit cadere supra duplicem confessionem quam aliquis faciet de eodem peccato. Dices: Si peccatum jam remissum denuò absolvatur; Forma absolutionis qua Sacerdos dicit, *Ego te absolvo*, non erit vera; quia non absolvit à peccato nec peccatum remittit, quoniam jam remissum est. Respondeo, quòd Sacer-

dos non absolvit in tali occasione absolutè, quasi remittat peccatum antea non remissum; quia prima absolutio semper manet rata, absolvit tamen proportionatè, juxta dispositionem suscipientis, augendo scilicet ipsius gratiam per beneficium absolutionis: absolutio ergo habet suum effectum, qui consistit in collatione gratiæ, qua peccatum deletur, si sit in animâ; vel qua anima magis gratificetur, si non habet peccatum; & sic forma est semper vera suo modo.

Quæstio III.

Quænam est Forma Pœnitentiæ?

SCOTUS ait, Pœnitentiæ essentiam consistere in verbis formæ, quamvis requirantur necessariò actus pœnitentis ad validam ejus receptionem. D. Thomas verò & alii, asserunt essentiam Pœnitentiæ constare ex actibus pœnitentis & absolutione tamquam materiâ & formâ: sed facile conciliantur; quia Scotus per essentiam intelligit id quod præcisè confert gratiam, quod attribuendum est verbis; sicut enim sola verba significant gratiam, proinde illam conferunt. Hoc non impedit autem, quominus actus pœnitentis requirantur ad faciendam essentiam completam hujus sacramenti. Quærimus autem hîc, quænam sint verba quæ pertinent præcisè ad formam hujus sacramenti.

Conclusio.

FORMA Pœnitentiæ consistit præcisè in his duobus verbis, *Absolvo te*; pronomen enim, ego, continetur sub verbo contra Durandum, existimantem requiri, *in nomine Patris, &c.* & Gabrielem, qui putat requiri, ab omnibus peccatis tuis; & Paludanum, qui vult saltem dici, *à peccatis tuis.* Ratio nostra est, quia forma cujuslibet sacramenti, consistit in illis verbis quæ significant proprium effectum ejus; sed illa duo verba significant remissionem peccati quæ est ejus effectus: ergo forma illius præcisè consistit in ipsis. Eumdem tamen effectum possent producere verba æquipollentia, & sic validè absolveret quisquis, dicendo, *Remitto tibi peccata, Impertior tibi sacramentum absolutionis. Libero te à peccatis tuis. Absolvo tuam dominationem. Absolveris à me. Absolvatur servus Christi,* ut Græci dicunt. Potest etiam cadere absolutio super plures in necessitate, ut in periculo naufragii, vel pugnæ imminentis. Ex hac conclusione plura colligi possunt scitu dignissima.

Primò, verba quæ præcedunt aut sequuntur, non esse de necessitate sacramenti: congruè tamen præmittitur ista deprecatio, *Misereatur tui*, ad impetrandum à Deo ne sit impedimentum ex parte recipientis. Non est necessarium addere, *à peccatis tuis*; quia factâ confessione peccatorum, satis patet sententiam absolutionis applicari ad peccata confessa; jure tamen dicitur ad majorem expressionem. Frustra dicitur *ab omnibus*, quia non potest unum absolvi sine alio. Non est tandem necessarium dicere, *in nomine Patris & Filii, Spiritus Sancti*; unde Doctores sentiunt pœnitentem esse absolutum eo instanti, quo hæc verba proferuntur, *absolvo te.*

Secundò, quòd per hæc verba, *absolvo te*, sacerdos non tantùm declaret pœnitentem esse absolutum à Deo, ut vult Magister sententiarum; sed reipsâ Sacerdos absolvit, tùm à culpâ, tùm à pœnâ æternâ quam commutat per absolutionem in temporalem; si enim Sacerdos tantùm declararet pœnitentem esse absolutum à Deo, debuisset Christus dicere, Quæcumque soluta sunt in cælis, solvetis in terrâ; contrarium tamen dixit, scilicet, *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Concil. Constant. determinavit hanc veritatem, sicut Trident. sess. 14. cap. 16. unde Martinus V. declaravit hæreticum contrarium asserentem. Quòd si Deus dicat Esaiæ 43. *Ego ipse deleo peccata*; hoc est, principaliter, & Sacerdos ministerialiter.

Tertiò sciendum, Absolutionem sub conditione futurâ esse invalidam, validam verò sub conditione de præsenti; unde non potest Sacerdos dicere, *ego te absolvo*, si cras restituas; potest tamen dicere, *ego te absolvo* si doles, vel si intendas restituere. Ratio autem quare absolutio sub conditione futurâ non valet, est; quia Sacerdos non potest suspendere effectum sacramenti; sacramentum enim vel est validum statim atque prolata est forma, vel est validum adveniente conditione; non autem est validum dum profertur forma, quia Sacerdos non habet intentionem ipsum absolvendi, nisi positâ conditione; non est etiam validum cum ponitur conditio, quia protunc non est ampliùs materia, nec forma: ergo sub tali conditione futurâ invalida est absolutio: sic omnes Doctores.

Quartò notandum, absolutionem non posse dari absenti; unde Clemens Octavus in decreto super hoc edicto statuit absolutionem absenti collatam esse invalidam, & illos affici excommunicatione Summo Pontifici reservatâ, qui absolvunt absentem, vel dicunt, aliquem posse per litteras, vel per nuntium peccata confiteri absenti, & ab eodem absolutionem obtinere. Ratio est, quia forma debet proferri voce humanâ, & ad personam præsentem dirigi, ut patet ex particulâ, *absolvo te*, quæ denotat personam præsentem. Nec Absolutio debet dari in scriptis, nec Confessio fieri; utraque enim debet esse verbalis, & maximè Absolutio; licet enim Confessio defectu linguæ possit fieri signis & nutibus, non tamen sic Absolutio dari potest; unde differt Pœnitentia à Matrimonio, quod potest confici nutu, signo, & inter absentes: quia Christus instituit Matrimonium ut contractum, cui addidit rationem sacramenti; sic autem potest fieri contractus. Quòd si quis dicat, Absolutionem posse dari in scriptis, hoc verum est de Absolutione censurarum, & de relaxatione reservationis casuum; non verò de Absolutione sacramentali, quæ tollat peccatum reservatum, vel delictum cui annexa est censura. Ratio disparitatis est, quia modum infligendi censuras & absolvendi ab illis, reliquit Christus Ecclesiæ & Apostolis, sicut precandi formam; non sic autem de sacramentorum forma. *Dices*: Ea tantùm sunt essentialia Pœnitentiæ, quæ pertinent essentialiter ad judicium externum; quia Christus instituit tribunal Pœnitentiæ per analogiam ad tribunal externum; sed in isto non est necessarium, quòd judex vocalem sententiam proferat: ergo nec in isto. Resp. se tenere paritatem, quantùm ad essentialia communia, ut potè, quòd in utroque requiratur accusatio & sententia judicis: non verò quantùm ad ea, quæ sunt ex voluntate instituentium. Quando autem principes temporales instituerunt judicia externa, voluerunt, illa scripto lata esse valida; ubi Christus voluit suum in Pœnitentia judicium esse vocale, juxta praxim & traditionem Ecclesiæ, ut magis exprimeretur authoritas judiciaria. Instabis: Ergo non sufficienter

ter providit Christus de remedio peccati, si exigatur in absolutione vox Sacerdotis absolventis; quia fieri potest, ut Sacerdos tantùm mutus assistat moribundo. Resp. quòd in tali casu contritio sufficiat; nec in omni occasione teneatur providentia D. applicare remedia, quæ instituit ad salutem, sicut patet in puero baptisando, cui adesset tantùm mutus: tunc enim nemo dixerit, per scripta posse suppleri formam baptismi.

Quintò, notandum est, quòd Sacerdotis absolutio sit actus judicialis, ex Conc. Trident. adversus hæreticos ultimi sæculi; ubi sess. 14. can. 9. habetur: *Si quis dixerit absolutionem Sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantùm credat se esse absolutum, aut Sacerdos, non seriò, sed joco absolvat, anathema sit.* Ratio hujus est, quia Sacerdotes habent potestatem remittendi & retinendi peccata, sicut provinciarum præfecti potestatem incarcerandi & liberandi à vinculis; sed hæc est judiciaria: ergo talis esse debet ea, quam habent Sacerdotes in absolvendo, quibus tanquam successoribus Apostolorum dixit Christus; *Sicut me misit vivens Pater, & ego mitto vos*; sed Christus habuit à Patre potestatem judicandi animas hominum, etiam ante diem ultimum judicii, ut constat ex illis verbis, *Pater neminem judicat, sed omne judicium dedit Filio*: ergo talem potestatem habent Episcopi & Sacerdotes, qui Apostolorum vices gerunt. Quòd si D. Augustinus lib. 50. homiliarum homil. 23. cap. 5. certos quosdam hæreticos arguat, quòd dicerent, Ego peccata dimitto, ego justifico, ego sano quemcunque baptiso; quod arguere non debuisset, si Sacerdotis absolutio esset judicialis, dum ait, Ego te absolvo: Dicendum est, Augustinum non arguere tales hæreticos, quòd hoc dicerent in persona Christi, tanquam ejus vicarii; sed quòd crederent, se ex propriis meritis habere vim sanctificandi, quam suæ sanctitati propriæ, & suis personalibus meritis innixam credebant; ut patet ex capite sequenti, ubi fatetur S. Doctor Apostolos à Christo potestatem accepisse remittendi peccata. Sic debet explicari Cyprianus, qui lib. de Lapsis ait, illum solum veniam peccatis impertiri posse, qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, & quem Deus tradidit pro peccatis nostris; additque, hominem peccata remittere non posse indulgentiâ suâ. Deinde, Cyprianus hoc loco loquitur solùm de absolutione ab excommunicatione contracta ob idololatriam, & de remissione pœnitentiarum illis injunctarum, antequam sufficienter pro tali delicto satisfecissent, propter Martyrum adhuc in vivis superstitum preces & intercessionem. Ait enim inferiùs. Credimus quidem, apud judicem plurimùm posse Martyrum merita. Et paulò post, Si quis tamen præproperans festinatione temerarius emissionem peccatorum dare se cunctis posse putat, vel audet præcepta Domini rescindere, non tantùm nihil prodest, sed obest lapsis. Non loquitur ergo Cyprianus de absolutione sacramentali à peccatis.

Sextò, ex hoc sequitur, quòd absolutio sacramenti Pœnitentiæ prolata deprecatorio modo non sit valida, quidquid dicat Doctor ille, qui tempore S. Thomæ proclamabat, absolutionem deprecatoriè prolatam, nedum esse validam, sed & necessariam; ita quòd non possit Sacerdos judicativè dicere, Ego te absolvo. Talem opinionem refutat nomine tacito Doctor Angelicus Opusculo 22. ubi hanc sententiam, tanquam temerariam & præsumptuosam, multis argumentis refellit; addens quòd parum absit, quin illam appellet erroneam; cùm negari non possit, quin repugnet Evangelicis

A dictis. Nam quando Matth. 16. Christus dixit Petro: *Tibi dabo claves regni cælorum*, exponens illi clavium istarum vim & usum, ait, *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Ex quo sequitur, Sacerdotes habere potentiam absolvendi; & sic judicialiter, & non deprecatoriè, absolvere. Deinde, ex hoc quòd Matth. 25. Christus dixerit Apostolis, *Docete omnes gentes, baptisantes eos*, colligitur ipsos habere potestatem juridicam baptisandi; sic etiam debet colligi quòd habeant potestatem juridicam remittendi peccata; ex verbis Matthæi, *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis.* Tandem, hoc confirmat traditio Ecclesiæ, quæ in absolvendo utitur verbis judicialibus; non verò deprecativis. Qui ritus tanti momenti esse debet, ut
B contra illum ridiculum sit præferri temerariam opinionem præsumptuosi illius Doctoris, contra quem agit D. Thomas. Quòd si quis dicat: Christus Joan. 20. ita dat Apostolis potestatem remittendi peccata, sicut Matth. 10. dat illis potestatem sanandi infirmos, & ejiciendi dæmones; sed non sanabant Apostoli infirmos authoritativè, dicendo, Ego te sano, sed deprecatoriè, dicendo: Sanet te Dominus: Ergo, &c. Hoc negat D. Thomas, dicendo non datam fuisse Apostolis potestatem, ut ipsi infirmos sanarent, sed ut ad eorum orationem infirmi sanarentur; & sic impetratoriè tantùm dabant sanitatem, non verò formaliter & potestativè. Dum etiam Jacobi 5. post hæc verba, *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*; subjicitur immediatè, *Con-*
C *fitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*; quod multi explicant de confessione sacramentali; ex hoc non est inferendum, quòd in illa oratione consistat forma absolutionis. Nam licèt ille locus à plerisque intelligatur de confessione sacramentali; tamen ab aliis diversimodè interpretatur, & præsertim de illo præcepto generali, quo fideles jubentur agnoscere culpas, & postulare veniam ab iis, quos affecerunt injuriâ. Unde, quia multorum injuriæ sunt mutuæ, ideo jubet Apostolus, ut Christiani mutuò confiteantur, & sibi condonent offensas. Deinde, licèt ea verba, *Confitemini alterutrum peccata*, intelligantur de confessione sacramentali, non ideo tamen oratio mu-
D tua, de qua illic loquitur Apostolus, erit forma pœnitentiæ; nam ibi loquitur de assidua justi deprecatione, quod non potest de absolutione intelligi, quandoquidem collata ab injusto & à pravo Sacerdote non minùs est valida.

Si quis dicat in favorem deprecatoriæ absolutionis, eam esse usitatam à Græcis, quos nunquam reprehenderunt Latini: negari hoc debet. Licèt enim, ut observat Cardinalis Bessarion Græcorum doctissimus in Bibliotheca Patrum, lib. de sacramento Eucharistiæ, plerique Sacerdotes Græci, ob temporum calamitatem & crassam eorum negligentiam, ac maximè propter odium, quo prose-
E quebantur ritus Romanorum, tandem ignoraverint sacramentorum formas, proindeque non habeant consuetam Ecclesiæ formam in absolvendo, sed tantùm orationes & preces adhibeant; attamen multi in rebus Ecclesiasticis peritiores, enuntiativâ, vel æquivalente formâ, passim utuntur in sacramento Pœnitentiæ ministrando, ut patet ex eorum Euchologio, quod Dominicanus quidam Jacobus *Goar*, in Oriente fidei propagandæ causâ diu commoratus, nuper edidit. In illo quidem multa verba deprecatoria præmittuntur: ut pote, Dominus noster Jesus Christus & Deus, qui mandatum ligandi & solvendi peccata discipulis tradidit, prætereat omnia peccata tua; sed huic orationi subjiciun-

tur hæc verba: Ego verò indignus ejus servus absolvo te à peccatis tuis. Hoc confirmat Archudius, rituum Ecclesiæ Græcæ peritissimus, natione Græcus, & in Ecclesiæ Latinæ Græcæque concordiâ conciliandâ diu versatus. Hic lib. 4. de Sacramentis c. 3. disputans ex professo de forma Græcorum in sacramento Pœnitentiæ, docet, illius formam esse enunciativam, authenticam, & judicialem; nec inter multas absolvendi formas, quas ibi commemorat, ullam recenset, in qua non sit aliqua propositio, quæ sententiæ judicialis authoritatem præ se ferat; etsi post & ante formam absolutionis aliquæ sint orationes deprecatoriæ. Inter illas omnes communior est ista, quâ dicunt Sacerdotes Græci, Habeo te absolutum; vel, habeo te veniâ donatum; quod idem est, ac si dicerent; Ego te absolvo, ego te dono veniâ; sicut in epistola Joannis Antiocheni ad Cyrillum, quando volebat aliquem deponere, dicebat, habeo te depositum, habeo te segregatum. Quod si Nicolaus Cabasilas Thessalonicensium Episcopus in expositione Liturgiæ cap. 29. quæ refertur in Bibliotheca Patrum, dicat peccatorum remissionem dari pœnitentibus per orationem Sacerdotum, hoc mirari desinet qui attenderit, ipsum Cabasilam fuisse schismaticum, multùm Romanæ Ecclesiæ infensum, qui etiam dicere ausus est, Eucharistiam confici verbis deprecatoriis, quod ipse Bessarion libro de sacramento Eucharistiæ refellit tom. 6. Bibliothecæ Patrum.

Si quis instet, quòd etiam libri Rituales Ecclesiæ Romanæ antiquissimi testentur, absolvendi & reconciliandi formam fieri verbis deprecatoriis; ut patet ex Ordine Romano, cujus antiquitas patet ex hoc quòd citatur ab Amalario & ab Alcuino Caroli magni præceptore. Ibi, inquam, in Officio Feriæ 5 in Cœna Domi refertur reconciliatio pœnitentium, & absolutio facta per orationem Sacerdotum. Archidiaconus enim pœnitentem egressum è privato loco, ubi pœnitentiam egit, in atrium Ecclesiæ præ foribus ejus sistit antistiti, dicens, Redintegra in eo apostolice Pontifex quidquid, diabolo suadente, corruptum est: & orationum tuarum patrocinantibus meritis per divinæ reconciliationis gratiam fac hominem proximum Deo: quibus verbis Archidiaconus non postulat ab Episcopo sententiam absolutionis pro pœnitente, sed intercessionem, & orationum patrocinia: Postea verò multas preces recitat Episcopus super pœnitentem, ac denique Deum orat, dicens, Adesto Domine supplicationibus nostris, & me, qui misericordiâ tuâ primus indigeo, clementer exaudi; & quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ, constituisti hujus operis ministrum, da fiduciam tui muneris exequendi; & ipse in nostro ministerio quod tuæ pietatis est operare, ex quibus patet, primis temporibus nullum actum judicialem, sed solummodo deprecatorium admissum fuisse in administrando Pœnitentiæ sacramento: Respondeo, negandam esse consequentiam; quia, cùm præcipuus Pontificalium & Ritualium antiquorum scopus fuerit tantùm Missarum orationes, & præfationes, ac similia, quæ adhibentur per totum anni circulum, & variantur pro diversa dispositione Ecclesiæ in celebratione Sacramentorum recensere; nil mirum est, si tales libri veteres non accuratè expresserint formas Sacramentorum, quas nitebantur occultare infidelibus antiqui Patres; nè illis essent scandalo: unde Innocentius I. epist. 1. cap. 3. de forma Confirmationis ita scribit, frontem oleo signare solis debetur Episcopis, cùm tradunt Spiritum sanctum; verbis dicere non possum, nè magis prodere videar,

A quàm ad consultationem respondere. Ob hoc vivâ voce, vel occultioribus scriptis Sacramentorum formas tradebant, nec illas inserebant in Pontificalibus & Ritualibus publicis; quod tamen non impedit, quin formam v. g. Pœnitentiæ juridicis verbis conjungerent cum Orationibus præcedentibus & subsequentibus.

Quòd si anonymus ille, quem, ut diximus anteà, impugnat D. Thomas Opusculo 22. dicat, nec Magistrum sententiarum, nec ullum ex antiquis Patribus attulisse pro forma pœnitentiæ hæc verba, Absolvo te; proindeque, talem formam judicativam non esse antiquam: Respondet aptè Doctor angelicus, quòd nec ipse Magister aliam formam attu- B lerit, nec ullus Patrum rejecerit istam; unde sufficit, quòd institutor Sacramenti Christus dixerit, *Quæcunque solveritis super terram*, quæ verba sunt invictissimæ authoritatis. Quòd si Radulphus Ardens, qui florebat in Aquitania circa annum 117. homil. de majori Litania habeat; Non dicimus, Ego dimitto peccata tua; sed dicimus orando, Misereatur tui omnipotens Deus, &c. ipse non loquebatur de confessione sacramentali, sed de confessione illa, quæ fiebat generaliter cuicunque fideli, humilitatis causâ; in qua non dicebat audiens talem confessionem, Ego tibi dimitto peccata, sed Misereatur tui omnipotens Deus. De tali enim confessione, de qua dicit Jacobus cap. 5. Confitemini al- C terutrum peccata vestra, loquens Radulphus, quærit, cui debeat fieri confessio; & respondet, confessionem criminalium debere fieri soli Sacerdoti, qui solus habet potestatem ligandi; confessionem verò venialium alterutrùm, & cuilibet posse fieri; non ut est sacramentalis, sed ut generalis. Quòd si, ex eodem anonymo, Guillielmus Parisiensis dicat, Confessarium more judicum forensium non absolvere, sed magis orationem facere super eum, ut Deus absolutionem tribuat: Ad hoc respondet D. Thomas laudatus, non constare, quòd ita pro forma deprecatoria senserint Guillielmus Parisiensis, nec Guillielmus Autissiodorensis, nec Hugo Cardinalis, quos citat Anonymus. Deinde, docet, quòd si D hoc putaverint, eorum opinio non debeat præjudicare verbis Domini, dicentis Petro, *Quodcunque solveris*. Tandem, adjungit S. Thomas, Quòd si viverent citati Doctores subjicerent suam opinionem Parisiensibus, qui docent communiter, absolutionem non debere fieri per solam Orationem deprecativam.

Tandem, si has rationes pro sua opinione tuenda adducat idem præsumptuosus, qui se supra universalem ritum Ecclesiæ præferre ausus est; primò, quòd pœnitens initio suæ confessionis postulet à Sacerdote, non quòd absolvat authoritativè, sed quòd oret, dicendo, Precor & te Pater orare pro me ad Dominum Deum nostrum: secundò, quòd E non tot adhiberentur preces in pœnitentia, potiùs quàm in baptismo, si deprecatio non esset forma: tertiò, quòd si Sacerdos posset dicere, Absolvat te Deus, imperaret Deo: quartò, quòd modus deprecativus tantùm conveniat ministris, & imperativus illi, qui ex se potestatem habet: quintò, quòd absolutio pœnitentium ab excommunicatione fieri possit deprecatoriè: sexto, quòd in Extrema-unctione Sacerdos deprecatoriè agat, juxta id quod habetur Jacobi 5. *Si quis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, ut orent super eum*: septimò, quòd non possit scire Sacerdos, an pœnitens sit benè dispositus, & sic non possit remittere peccata authoritativè; sed tantùm deprecatoriè: quòd denique Apostoli habuerint à Christo potestatem

faciendi miracula, attamen ea fecerint deprecatoriè.

Respondeo ad primum, quòd in confessione generali præcedente confessionem particularem pœnitens non petat, ut sacerdos sibi remittat peccata per deprecationem, sed ut impetret à Deo gratiarum auxilia, quibus ad absolutionem disponatur. *Resp. ad* 2. nil mirum esse, si admittantur preces in pœnitentia, & non in baptismo; quia materia baptismi non est actus ejus qui suscipit baptismum, sed est aqua, vel ablutio per aquam; materia verò Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, qui debent esse supernaturales; & sic, ut obtineantur, tales preces funduntur ad Deum. *Resp. ad* 3. quòd sacerdos dicendo, Absolvat te Deus, non præsumat imperare Deo; sed idem fit ac si diceret, Ego volo ut absolvatis à Deo, qui se constituit debitorem gratiæ conferendæ ad positionem hujus sacramenti cum suis circumstantiis. *Resp. ad* 4. ritum imperativum competere etiam judicibus subalternis, qui habent ministerialem tantùm potestatem; videmus enim communiter, eos imperativè absolutionis aut condemnationis proferre sententiam, & non tantùm deprecatoriè; quia modus deprecatorius in judicio arguit solùm moralem potestatem intercedendi apud judicem. *Resp. ad* 5. verba deprecatoria solvere aliquando vinculum excommunicationis, si actus aliquis potestativus virtualiter contineatur in illis; non verò per se, præcisè, & formaliter: nam preces, amplexus, aut alii nutus externi, quibus aliquando pontifices absolvunt ab excommunicatione, virtualiter includunt potestativam sententiam. *Resp. ad* 6. non esse parem rationem de Extrema unctione, & de Pœnitentia; quia in illo sacramento sacerdos agit ut medicus, & oratio conjuncta cum oleo est medicina; in isto verò, nedum agit ut medicus, sed ut judex, qui authoritatem & verba imperativa debet adhibere. *Resp. ad* 7. quòd sufficiat, si diligentiam adhibuerit sacerdos, ut cognoscat, an pœnitens sit benè dispositus. *Resp. ad ultimum*, quòd Apostoli, sicut & Christus, nedum orando, sed etiam imperando, miracula patraverint; ut patet de Petro, qui Act. 3. ait claudo, *In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula*: & de Paulo, qui Act. 14. alteri claudo dixit, *Surge super pedes tuos rectus, & ambulavit.* Deinde, non est par ratio curationis infirmorum, & absolutionis; quia potestas faciendi miracula non erat habitus jurisdictionis, benè autem absolutio; & sic, licèt potuerint Apostoli edere miracula deprecatoriè, attamen non potuerunt remittere peccata, nisi per verba quæ authoritatem redolerent.

Quæres, quis sit sensus hujus formæ, *Ego te absolvo.* Respondeo, quòd Magistro sententiarum idem sit, ac, ego te solutum declaro ab omni culpa & pœna æterna: Hugoni à S. Victore idem, ac ego te solvo ab obligatione damnationis æternæ: Aliis idem, ac eximo te debito subjiciendi peccata tua clavibus Ecclesiæ: Aliis idem, ac ego te libero à reatu pœnæ temporalis: Aliis, ego te revoco ab exilio patriæ cælestis, & aperio tibi januam regni cælorum. D. Thomas censet, quòd dicendo, ego te absolvo, idem sit, ac impendo tibi sacramentum absolutionis. Sed hæ omnes interpretationes videntur pugnare contra proprietatem verborum; unde meliùs dicendum est, quòd per hæc verba intendat sacerdos dicere, Ego, quantum est ex me, tibi remitto peccata tua; sic enim sonant verba absolutionis, & qui intelligit linguam latinam, confestim eruet hunc sensum, qui optimè concordat cum sensu verborum Christi, dicentis Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Si quis dicat, talia verba aliquando veritatem non continere, si hoc sensu essent accipienda; quia fieri potest, quòd per illa non remitterentur peccata, si v. g. essent antecedenter remissa per contritionem: nam ille non verè diceret, Ego solvo te à vinculis corporeis, si alter esset anteà solutus: Respondeo, peccata dici verè remissa per verba absolutionis; quia verè remittuntur, quantùm est ex parte ministri, & ex parte formæ, quæ ex se nata est remittere peccata, si antecedenter remissa non fuerint. Nec ex eo sequitur, quòd possit proinde dari eadem absolutio, si nulla fuerint peccata; hoc enim falsum est, quia absolutio, quæ est forma, requirit peccata, tanquam materiam; sive fuerint remissa, sive non. Quando peccata jam sunt remissa in antecedenti confessione, potest iterum dici cum reiteratur confessio, ego te absolvo; quia datur nova gratia peccatorum deletiva: sicut donatio aliqua sæpiùs fieri potest, quando per illam semper aliquid novi obtinetur, quo res donata possideatur perfectiùs.

Quæres, an absolutio possit conferri absenti. Hoc videtur quasi solutum ex hoc, quòd diximus anteà, absolutionem non posse dari in scriptis, nec proinde mitti ad absentes: quia tamen posset intelligi, quòd quis absolveret absentem, quem sciret in tali hora absolutionem expetere, & elicere dolorem de peccatis suis; ideo quæritur impræsentiarum; An hoc posset fieri respectu absentis illius. Resp. negativè cum D. Thoma, Scoto, & omnibus communiter, post decretum Clementis VIII. qui hanc propositionem damnavit ad minùs ut falsam, temerariam, ac scandalosam, scilicet licere per litteras seu per internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente obtinere absolutionem; prohibuitque sub pœna excommunicationis Apostolicæ sedi reservatæ, nè talis propositio aliquo unquam casu, tanquam probabilis defendatur, aut quovis modo deducatur ad praxim. Ex quibus ultimis verbis colligitur, pontificem talem praxim prohibuisse, non tantùm ut illicitam, sed etiam ut invalidam; aliàs non prohibuisset ipsam pro casu ut extremæ necessitatis, quod attamen fecit, dum prohibuit in suo decreto, nè unquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim deducatur quovis modo. Ratio hujus est, quia forma absolutionis, quæ exprimitur per nomen demonstrativum *te*, præsentiam pœnitentis exigit. Quòd si illa absolutio censeatur valida, dum sacerdos dicit, Absolvo Petrum, vel, Absolvatur servus Christi; attamen talis non est, nisi saltem implicitè & ratione circonstantiarum dirigatur ad præsentem personam, quam alloquitur sacerdos. Hoc confirmari potest exemplo aliorum sacramentorum, quæ non ministrantur absentibus, si excipiatur matrimonium, quod est contractus, qui fieri potest inter absentes, ut liquet. Quanta autem debeat esse illa præsentia; tanta exigitur moraliter, quanta inter homines requiritur approximatio, ut sese invicem alloquantur.

Quæres, an necessariò adjungi debeat in absolvendo impositio manuum. Doctor ille, qui tenebat, formam Pœnitentiæ debere esse deprecatoriam, existimabat etiam, impositionem manuum esse de necessitate sacramenti, ut testatur D. Thomas opusculo 22. cap. 4. Wiclefsus è contra hanc cæremoniam Ecclesiæ irridet, & lib. 4. trialogi cap. 24. luciferinam impudentiam vocat, & recens hominum inventum, quod hunc vel illum, per im-

positionem manuum super caput à peccato simpliciter absolvant Romani. Ecclesia verò catholica medio tramite incedens tenet, talem manûs impositionem non esse necessariam essentialiter, attamen esse cæremoniam quamdam accidentariam, quæ convenienter debet adhiberi, ita quòd sacerdos absolvens manus imponat aliquo modo super capita pœnitentium; non quidem illa tangendo immediatè, ut vitetur periculum tangendæ mulieris; sed saltem elevando manum dexteram super cunctos pœnitentes.

Probatur primum; quia, neque ex Scriptura, neque ex traditione colligitur, talem impositionem manuum esse de necessitate sacramenti; quandoquidem Christus tradens potestatem absolvendi Math. 18. dixit quidem Apostolis, *Quæcunque solveritis*; & Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*; non vero dixit, quibus imposueritis manus. Deinde, sine tali impositione manuum reconciliabantur aliquando pœnitentes, ut patet ex Concilio Arausicano 1. cap. 3. & Carthagin. 4. can. 79. In primo enim habetur: *Qui recedunt de corpore, placuit, sine reconciliatoria manûs impositione eos communicare, quòd morientis sufficit reconciliationi: si verò supervixerint, stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis Pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manûs impositione recipiant.* Secundum verò dicit: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum receperint, non se credant absolutos sine manûs impositione, si supervixerint.* Ex quibus patet, quòd tales sine impositione manuum fuerint absoluti: aliàs non accepissent Eucharistiam. Ratio confirmativa hujus veritatis est, quòd impositio manuum necessaria essentialiter adhibeatur tantùm in sacramentis Ecclesiæ, ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum in illis, quibus imponuntur manus; quare essentialis est in sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritûs Sancti: Actuum 8. *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum:* & in sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia potestatis in divinis mysteriis peragendis 2. ad Timoth. 1. *Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Cum ergo sacramentum Pœnitentiæ non ordinetur ad assequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad peccatorum remissionem, & ad conferendam gratiam simpliciter, ideo impositio manuum non est necessaria absolutè in isto sacramento. Quòd si Marci ultimo habeatur, *Super ægros manus imponent, & benè habebunt:* hoc non intelligitur ad litteram de ægris infirmitate spirituali, sed corporeâ. Deinde, ibi non fit mentio de manuum impositione sacramentali, sed de ea tantùm, quæ ordinabatur ad miracula perficienda per contactum manûs, aut alterius partis corporis. Quòd si sacramentum Pœnitentiæ appelletur à patribus impositio manûs, ut patet ex D. Clemente lib. 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 41. talis denominatio oritur à circumstantia, non essentiali, sed accidentaria tantùm; sicut Eucharistia à Tertulliano lib. de pudicitia vocatur sacramentum benedictionis, & à Græcis εὐλογία, seu benedictio; quia benedicendo conficitur, exemplo Christi; licèt benedictio non sit illi essentialis, aut absolutè necessaria ad ejus confectionem.

Probatur secundum, impositionem manuum congruenter adhiberi in administratione hujus sacramenti. Hæc enim cæremonia habet originem ab antiqua lege, ab exemplo Christi & Apostolorum, & confirmatur continuâ Ecclesiæ praxi à pri-

A mis temporibus. Primò ex antiqua lege, Levitici 16. Aaron summus sacerdos jubetur utramque manum ponere super hirci emissarii caput, & imprecans capiti ejus, illum emittere in desertum; sed hircus ille figura fuit peccatoris: ergo, ut peccata illius remittantur, debet recipere impositionem manuum sacerdotis. 2. Habemus exemplum Christi, Math. 9. ubi synagogæ princeps accessit ad Christum dicens, *Domine, filia mea modò defuncta est, sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet.* 3. ipsimet Apostoli Actor. 8. per impositionem manuum dabant Spiritum Sanctum; unde Simon magus obtulit Apostolis pecuniam ad obtinendam ejusmodi potestatem, ut cuicunque
B manus imposuisset, acciperet Spiritum Sanctum. 4. quòd per illam cæremoniam solita semper fuerit Ecclesia reconciliare peccatores per manuum impositionem, habetur ex Cypriano lib. de lapsis, ex Optato Milevitano lib. 2. ex Concilio Agathensi can. 11. ex Coloniensi parte 7. cap. 39. & aliis, ac præsertim ex Mediolanensi 5. cap. de iis quæ pertinent ad Pœnitentiæ sacramentum; ubi S. Carolus Borromæus districtè præcipit, ut omnia quæ pertinent ad Pœnitentiæ sacramentum, quod in Ecclesia antiqui instituti, veterisque consuetudinis est, rectè omnino servet sacerdos; ut, dum absolutionis formulam & preces adjunctas profert, supra caput pœnitentis manum dexteram elevet.
C Idem præcipiunt Ritualia Pauli 5. & alia passim. Ratio hujus cæremoniæ sumitur ex pluribus significationibus, quas importat talis cæremonia, & ex tribus præsertim; denotando nimirum, manum Dei adesse in hoc sacramento, seu divinam virtutem, & operationem Spiritus Sancti justificantis peccatores: Deinde, ministerialem sacerdotis authoritatem & jurisdictionem: Ac denique subjectionem pœnitentis. Quod si quis dicat, talem ritum non superesse in Ecclesia; quandoquidem Concil. Florentinum nihil de ea loquitur; consequentia negari debet, quia per tale silentium contendit tantùm designare, non esse cæremoniam necessariam essentialiter, licèt sit conveniens & congrua.

D

Quæstio IV.

Utrùm per Pœnitentiam omnia peccata remittantur?

Cum locuti fuerimus anteà de naturâ Pœnitentiæ, ipsius Materiâ & Formâ, nunc dicendum est de ipsius Effectu, qui est quadruplex; quorum Primus versatur circa remissionem peccatorum mortalium: Secundus circa remissionem venialium: Alter circa relaxationem reatûs seu pœnæ debitæ peccato: Ultimus tandem de reviviscentiâ meritorum & recuperatione virtutum.
E De his deinceps quæremus primò, an per Pœnitentiam quodlibet peccatum mortale remittatur.

Conclusio.

Omnia peccata mortalia per pœnitentiam ita remitti possunt, ut nec gravitas, nec multitudo ipsorum hanc remissionem impediat. Hoc est contra Novatianos dicentes aliqua peccata, præsertim Apostasiam à fide, & Negationem Christi in tormentis, non posse remitti. Quòd multitudo peccatorum non impediat Pœnitentiam, patet ex responsione Christi ad Petrum, *Non dico tibi usque septies,*

sed septuagies septies, quod omnes intelligunt de infinitis vicibus. Quòd gravitas peccatorum non obstet efficacitati Pœnitentiæ, testatur Esayas cap. 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Quoad opinionem Novatianorum, contradicit Scripturæ; quoniam Petrus qui Christum negavit egit pœnitentiam, & Paulus 2. ad Timotheum 2. docet eos qui à fide defecerunt, admonendos esse, si fortè per Pœnitentiam resipiscant. Quoad rationes utriusque partis confirmativas, petuntur ex hoc quòd infinitus sit thesaurus bonitatis divinæ; quòd etiam Deus velit neminem perire, quòd insuper damnatus fuerit Caïnus, dicens, *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear*; quod denique homo in hac vitâ existens est semper viator, & proinde potest semper accedere ad beatitudinem, & per consequens potest semper obtinere remissionem suorum peccatorum per Pœnitentiam. Non est ergo credendum, esse quemdam numerum peccatorum ad quem perveniens peccator, non possit amplius veniam obtinere: Unde, si Scriptura aliquando dicere videatur, quòd mensura peccatorum est impleta; hoc intelligitur respectu punitionis temporalis, non verò æternæ; ita quod sensus sit, quòd Deus decreverit permittere certum numerum peccatorum, & postea punitionem temporalem infligere de illis.

Confirmatur nostra conclusio; quia, si aliquod peccatum esset irremissibile per pœnitentiam, hoc ideo foret, quòd peccator de peccato illo non posset pœnitere; vel quòd pœnitentia, licèt haberetur, non posset delere illud; sed utrumque falsum est: ergo. Primò dici non potest, quòd peccatorem de peccato aliquo non possit pœnitere; quia hoc tolleret libertatem arbitrii, quæ semper remanet in homine viatore, respectu cujuscumque actionis; vel denegaretur gratia ad hoc sufficiens, cujus contrarium multoties ostendimus, probantes semper gratiam sufficientem præsto esse, quotiescumque exigitur ad bonum faciendum, aut malum vitandum, vel retractandum. Licèt ergo peccata dæmonum & hominum damnatorum non possint deleri per Pœnitentiam, quia scilicet eorum affectus in malo sic confirmatus est, ut non possit iis displicere peccatum, quatenus est malum culpæ, sed solummodò, ut est malum pœnæ; quâ ratione illorum pœnitentia, de qua habetur Sap. 5. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritûs gementes*, est infructuosa; cùm non habeat spem veniæ, imò potiùs desperationem; attamen nullum peccatum esse potest in homine viatore, quod remitti non possit, quandoquidem liberum ejus arbitrium, quoad vixerit, semper flexibile remanet ad bonum & malum, & nunquam illi deest gratia, quâ possit obtinere remissionem cujuscumque peccati. Secundò, dici etiam nequit, quòd Pœnitentia non possit delere certum aliquod peccatum; quia hoc repugnat divinæ misericordiæ, de qua, sicut de Christo, dicitur Joelis 2. quòd *Benignus & misericors est, & patiens, & multa misericordia, & præstabilis super malitia*; Deus enim aliquo modo vinceretur ab homine, si vellet homo peccatum deleri, quod Deus deleri nollet per Pœnitentiam. Deinde, si per pœnitentiam aliquod peccatum non posset remitti, hoc derogaret virtuti passionis Christi, per quam Pœnitentia operatur; unde, quia talis passio est infiniti meriti, ideò non potest reperiri peccatum, quod remitti nequeat per Pœnitentiam, quæ est infinitæ efficacitatis.

Objicies ex ad Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel illuminati sunt, & reciderunt, rursus ad Pœnitentiam renovari.* Resp. hoc intelligi de renovatione per alium baptismum, qui vocatur Pœnitentia, ad differentiam multiplicis lavacri quod erat in veteri lege; vel si sit sermo de Pœnitentia, ibi *impossibile* sumitur pro difficili. Quòd si ad Hebr. cap. 10. dicat Paulus, *voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis non relinqui hostiam pro peccato*; hoc est, non debere expectari quòd Christus iterum pro illis moriatur. Quòd si peccata in Spiritum sanctum dicantur irremissibilia: Respondendum, quòd aliqui per peccata in Spiritum sanctum intelligant Præsumptionem de divinâ Misericordiâ, Desperationem de illâ, Contemptum gratiæ, Invidentiam fraternæ gratiæ, & Impugnationem agnitæ veritatis; quæ omnia peccata lædunt Bonitatem divinam, quæ appropriatur Spiritui sancto; & pro tunc illa peccata dicuntur irremissibilia, in quantum scilicet difficile est, ut remittantur: Scotus verò per peccatum in Spiritum sanctum intelligit Impœnitentiam finalem, quæ certè irremissibilis est, quia supponitur quòd homo in illâ decedat. Sic etiam intelligendus est Joannes dicens, *Esse peccatum ad mortem*: loquitur enim de peccato, cum quo aliquis moritur, & pro tali non est orandũ. Cùm 1. Regum 2. habetur, *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem peccaverit in Dominum vir, quis orabit pro eo?* per hæc verba Scriptura vult tantùm discrimen peccatorum exponere, & ostendere, ea quæ directè lædunt Deum, esse graviora illis quæ offendunt proximum; ita ut possit de facili reperiri aliquis, qui veniam à Deo possit impetrare pro peccatis in proximum; difficillimè verò reperiri vir aliquis tantæ sanctitatis, ut veniam possit obtinere de illis, quæ fiunt in Deum. Unde Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 8. ait, Novatianos ex eo loco perperam sumere argumentum contra nostram conclusionem, quòd scilicet particula *quis*, interrogativè posita, non significet ibi idem ac nullus; sed quæri tantùm, & non excludi, quis esset ille, qui posset impetrare talem veniam.

Quæris, utrùm pœnitentia debeat esse continua, ut per illam remittatur peccatum? Resp. quòd Pœnitentia interior, quâ quis dolere paratus est in animo, quòd peccata commiserit, debeat esse continua; Pœnitentia verò exterior, quâ quis exteriora dat signa doloris interni, non debeat esse continua. Ratio primæ partis sumi debet ex hoc, quòd homini semper displicere debeat, quòd peccaverit; nam, si placeret ei peccasse, peccatum committeret eo ipso, & fructum perderet pœnitentiæ anterioris; sed displicentia dolorem efficit in his, qui ipsius susceptivi sunt: ergo Pœnitentia interior, quæ consistit in dolore de peccatis, debet esse continua. Dixi, quòd displicentia dolorem pariat in his, qui sunt capaces doloris; ut innotescat, Sanctis inesse quidem displicentiam peccati, non verò dolorem; sicque in illis non esse Pœnitentiam propriè sumptam. Pœnitentiam internam debere continuari probat Augustinus, lib de vera & falsa Pœnitentia cap. 13. dicens, *Quid restat nobis, nisi semper dolere in vita? Ubi enim dolor finitur, deficit Pœnitentia: si verò pœnitentia finitur, quid restat de venia?* Secundam partem probant canones Ecclesiæ, qui certa quædam definita tempora determinant, longiora vel breviora pro qualitate delicti; ex quo sequitur, quod pœnitentia exterior non debeat continuari usque ad extremum vitæ: aliàs timendum esset, nè, pœnarum assiduitate, & longioris pœnæ tædio, peccatores deterriti, disciplinæ severioris acerbitate pœnitentiam desererent. Quòd si contra primam

partem dicatur, Pœnitentiam ordinari ad remissionem peccati, sicque pœnitentiam, etiam internam, cessare debere, quando peccatum remissum est. Resp. Pœnitentiam posse sumi, ut est remissiva peccati præteriti, & ut præservativa futuri. Primo modo non debet esse continua, quoniam Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam vita vivet, & non morietur amplius*: secundo modo debet semper continuari, ut tali continuatione nova peccata vitentur. Si etiam dicatur, statum incipientium, ad quem spectat pœnitere, non debere semper durare, sed ad statum proficientium quemlibet debere progredi, & sic nec pœnitentiam: Respondendum est, quòd Pœnitentia externa conjuncta cum internâ spectet quidem ad solos incipientes; sed interna ad omnes, & proinde ista est semper continuanda.

Quæres, an possit iterari Pœnitentia? Hoc negarunt Novatiani, putantes, post primam pœnitentiam, quæ agitur in baptismo, non posse posteà peccatorem iterum restitui; hos refutavimus antea. Idem tenent hæretici, qui existimantes charitatem semel habitam non posse amitti, pœnitentiam iterandam negare coguntur; sed contrarium habetur ex hoc, quòd sit deambulatoria libertas hominis de peccato in gratiam, & de gratia in peccatum, ut experimur sæpissimè. *Respondeo ergo*, quòd Pœnitentiæ sacramentum possit iterari pluries, quandoquidem Christus Joan. 20. impertiens Apostolis potestatem remittendi peccata, non distinguit eos, qui semel aut sæpiùs peccaverunt. Imò ipsemet inquisitus à Petro, Matth. 18. quoties deberet parcere fratri suo, quando in ipsum peccasset, an septies? respondit, *Non dico tibi septies, sed septuagies septies*; idest, quotiescumque. Si ergo Deus, cujus misericordia maxima est, & omnes misericordias hominum longè superans, velit, ut parcamus fratribus nostris, quotiescumque peccaverint in nos; quantò magis ipse paratus est ignoscere hominibus quoties ipsi in suam majestatem peccaverint, & ab ipso per veram pœnitentiam expostulaverint veniam? Hoc sanè confirmat Hieronymus epist ad Rusticum; *Non solùm septies, sed septuagies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata donantur.* Ob hoc Nicæna Synodus prima Can. 8. exigit à Novatianis ad Ecclesiam redeuntibus, ut scripto fateantur, se communicaturos iis, qui persecutionis tempore lapsi sunt, quibus lapsis modus & tempus pœnitentiæ ascriptum est. Sic etiam Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2. habet, *Quos Christus lavacro baptismi, sui corporis membra semel effecit, hos, si se posteà crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptismo ablui, cùm id in Ecclesia Catholica nulla ratione liceat; sed ante hoc tribunal, tanquam reos, sisti voluit, ut per Sacerdotum sententiam, non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari.* Hoc repetit Can. 1. Ratio nostra est, quia pœnitentia est opus hominis & Dei, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Hominis, inquam, pœnitentis, & Dei concedentis veniam: sed potest iterari pœnitentia ex parte hominis, cujus voluntas est ambulatoria, ex se in malum, & ex gratia in bonum: ac etiam ex parte Dei, qui non minus inclinatur ad veniam concedendam in nova lege, quàm in antiqua, ubi Ezechielis 33. ait; *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat*, quod tamen falsum esset, si nollet parcere relapsis pœnitentibus, quorum proinde vellet mortem: ergo pœnitentia potest iterari.

Quæstio V.

An peccata possint remitti sine Pœnitentia?

Constat primò, sine Pœnitentiâ Sacramento posse remitti peccatum cum Pœnitentiâ virtute; quando scilicet deest locus Sacramento Pœnitentiæ, secundùm Chrysostomum Homil. 23. in Matthæum, *Non est aliquod omninò peccatum quod non cedat pœnitentiæ virtuti.* Constat 2. quòd ubi adest copia Pœnitentiæ Sacramenti, peccatum non remittatur sine illâ communi lege. Constat 3. quòd virtualis Pœnitentia, quæ consistit in dilectione Dei super omnia, possit remittere peccatum; qui enim nullo modo de peccatis cogitat, potest elicere actum dilectionis Dei, quo convertitur ad Deum, & per quem paratus est compensare injuriam Deo factam, & observare illius mandata: sed dubitatur, utrùm sine Pœnitentiâ virtute & sine Pœnitentiâ Sacramento formali aut virtuali, possint remitti peccata per absolutam Dei potentiam.

Conclusio.

De potentiâ Dei absolutâ potest remitti peccatum sine Pœnitentiâ, modò homo non actualiter inclinetur ad illud; habere enim talem affectum actualem est peccare de novo. Conclusio hæc est Scoti in quartum distinct. 14. quæst. 1. parag. *Ex his.* Cujus ratio est, quia actus peccatoris, v. g. Attritio, non requiritur ad remissionem peccati, tanquam forma per se expellens peccatum, sed tanquam dispositio; atqui non repugnat Deum conferre effectum formalem absque dispositione: ergo Deus potest conferre gratiam, quâ peccatum remittatur sine pœnitentiâ & sine ullo actu pœnitentis. Non dependet enim infusio gratiæ ita absolutè à Pœnitentia hominis, ut implicet contradictionem illam dari absque ullo actu ejus. Deinde, per potentiam absolutam Deus potest ita diligere hominem in peccato, ut illum elevet ad sui visionem: ergo poterit elevare ad gratiam. Tandem, non est quid minus dare suum filium peccatoribus, quàm gratiam; sed Deus dedit nobis suum filium cùm adhuc essemus in peccato: ergo poterit dare gratiam peccatori, dummodo non adhæreat actu suo peccato.

Objicies, Tandiu peccator in peccato manet, quandiu illud non retractavit: ergo non potest peccatum remitti sine actu peccatoris. Resp. antecedens esse verum de lege communi, in qua Pœnitentia necessaria est; falsum tamen de lege extraordinariâ, ubi Deus altiori modo remitteret peccatum per formam contrariam ipsum expellentem, nempe per gratiam, quæ daretur sine illâ Pœnitentiâ. *Dices*, Ut tollatur peccatum, debet tolli conversio ad creaturam; sed illa conversio non potest tolli nisi per actum peccatoris: ergo sine actu peccatoris, idest, sine Pœnitentiâ, peccatum non potest remitti. Resp. talem conversionem posse tolli per confusionem gratiæ, quæ habet vim convertendi hominem ad Deum, & proinde tollit conversionem ad creaturam.

Ex propositione nostræ quæstionis, quâ inquirimus, an sine Pœnitentia possint peccata remitti, supponitur, ipsam pœnitentiam ordinariè remittere peccata, per verba scilicet sacerdotis, qui non solùm pœnitentem declarat absolutum, verum etiam à peccatis reverà absolvit, contra Magi-

strum sententiarum, qui in 4. dist. 16. ait, sacerdotem non absolvere à peccatis, nec remittere peccata, sed declarare tantummodò, illa esse remissa à Deo, & pœnam æternam ipsum relaxare; unde non falsò dicit, Ego te absolvo, quia à tali pœna absolvit reverà, & Deus à peccato, juxta id quod habetur Luc. 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* hanc assertionem esse erroneam patet ex Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; & ex Matth. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis*: quæ verba utriusque debent sumi in proprio sensu, cùm nullum habeant inconveniens. Deinde, Concilium Florentinum dicit, absolutionem à peccato esse effectum hujus sacramenti; & Tridentinum sess. 14. cap. 3. asserit, Pœnitentiæ effectum esse reconciliationem cum Deo; reconciliatio autem fit per remissionem peccati, & collationem gratiæ. Tandem, sacramentalis absolutio est usus clavium; sed usus clavis est aperire januam, non apertam ostendere: ergo sacerdos, nedum declarat peccata remissa, sed & ipsa remittit. Et ob hoc, si solus Deus dicatur peccata remittere; idest, principaliter, non verò exclusivè; quia ministerialiter sacerdos etiam remittit peccata, & confert gratiam, quæ est omnium sacramentorum effectus. Quòd si dicatur, Lazarum, qui fuit excitatus à Christo clamante, & traditus Apostolis, ut solveretur, fuisse typum peccatoris, qui proinde à morte spirituali, quæ est peccatum, revocatur à Christo, & traditur sacerdotibus, ut solvatur à pœna: Responderi debet, comparationem in hoc se tenere, quòd peccator fundamentaliter resuscitatur à Christo solo, qui solus dat gratias prævenientes, quæ ducunt ad vitam, spiritualem gratiæ; & posteà traditur solvendus formaliter à sacerdotibus, qui per absolutionem illi conferunt ministerialiter vitam formalem, quæ est gratia sanctificans. Quòd si etiam dicatur actionem Christi mundantis decem leprosos, quos misit sese ostensuros sacerdotibus, esse exemplar Pœnitentiæ, per quam Deus mundat lepram spiritualem peccatorum, quos posteà mittit sacerdotibus, ut postea solvantur à pœnâ æterna: Respondendum est, talem actionem, non tam esse figuram Pœnitentiæ sacramenti, quàm Pœnitentiæ virtutis, in qua remittuntur quidem peccata à Deo, mediante contritione, & tenetur insuper peccator accedere sacerdotem, illi confiteri peccata, & ab eo absolutionem recipere.

Quæstio VI.

Utrùm peccatum possit remitti sine infusione gratiæ?

Ex præcedenti quæstione, sine Pœnitentiâ & motu pœnitentis potest peccatum remitti per gratiam habitualem, quæ est forma incompossibilis cum peccato, & proinde peccatum tollit: Hîc quærimus, an etiam sine ipsa gratia & sine actibus pœnitentis possit peccatum remitti de potentia Dei absoluta.

Conclusio.

Sine ullâ mutatione pœnitentis, neque extrinsecâ, quæ fiat per actus ipsius; neque intrinsecâ, quæ fiat per infusionem gratiæ, potest peccatum remitti per condonationem; modò, ut diximus, voluntas peccatoris nullo modo actualiter adhæreat peccato; quia si actu inhæreret, esset novum peccatum, & implicat peccatum remitti pro eo instanti quo committitur; quia peccatum sic esset, & non esset. Ratio est, quia Deus potest facere sine causa secunda, quod facit cum ea; atqui per gratiam Deus remittit peccatum: ergo sine illa potest illud remittere, simpliciter condonando ipsum. Deinde, macula & offensa quæ incurritur per peccatum, non est physica, sed moralis: ergo ut tollatur, non requiritur mutatio physica quæ fiat per gratiam, sed sufficit mutatio moralis per condonationem: illa tamen remissio peccati non erit propriè justificatio, quia non infundetur gratia justificans: Unde ille cui peccatum remitteretur sine gratia, non esset propriè amicus Dei, quia non haberet gratiam; nec esset inimicus, quia non haberet peccatum; sed amor ille, quem Deus haberet pro illo homine, esset purè naturalis, quia per eum diligeretur homo in puris naturalibus existens.

Objicies: Peccatum habituale consistit in privatione gratiæ: ergo non potest tolli sine infusione illius. Resp. negando antecedens, aliàs Angelus in puris naturalibus existens esset peccator; sed consistit peccatum in aversione à Deo, quæ involvit privationem gratiæ: & aversio à Deo duplex adhuc est; negativa scilicet, quâ homo non est conversus ad Deum, & hæc non habet rationem peccati; & positiva, quâ homo positivè est aversus à Deo & illi contrarius; si sine gratia peccatum remitteretur, homo remaneret aversus à Deo, idest non conversus ad illum, neque per gratiam, neque per pœnitentiam; non esset verò aversus à Deo positivè, neque contrarius, quia non haberet peccatum. Dices: Peccatum remanet quamdiu remanet macula; sed macula non potest tolli nisi per gratiam: ergo nec peccatum. Negatur minor, illa enim macula non est forma realis & physica, quæ debeat deleri per formam realem & physicam; sed est tantùm moralis, quæ consistit in inimicitiâ Dei, quam Deus potest condonare gratis; & pro tunc esset signum & effectus amicitiæ Dei, non quidem positivæ, quâ Deus conferret bonum seu gratiam; sed negativæ, quâ Deus auferret malum.

Objicies, Causa formalis justificationis est gratia, ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. ergo sine illa peccator non potest justificari: ergo nec peccata ejus sine eâ remitti possunt. Resp. concedendo primam consequentiam: quia nullus reverà justificari potest sine gratiâ justificante, potest tamen remitti peccatum ejus sine justificatione, per condonationem scilicet; & sic negatur ultima consequentia. Dices: Ergo pro tunc peccata remitterentur per non imputationem, quod est Calvinisticum. Negatur consequentia, quia quando peccata non imputantur, non tolluntur reverà; si verò condonarentur, tollerentur absolutè, licèt non tollerentur per justificationem, ut fit de lege communi & per Pœnitentiam ordinariam, ubi Deus perfectiori modo remittit peccatum, tollendo scilicet peccata & peccatorem justificando.

Quæstio VII.

An unum peccatum mortale possit remitti sine alio?

De lege communi hoc non fit: quia enim Deus remittit peccatum mortale per gratiam, non potest remitti unum peccatum mortale per infusionem gratiæ, si remaneat aliud; protunc enim ho-

mo esset simul amicus Dei, per gratiam scilicet; & inimicus ejus, nempe per peccatum quod remaneret: quando ergo justificatio hominis fit per infusionem gratiæ, omnia mortalia tolluntur. Quæstio ergo nostra est de lege Dei absolutâ; & affirmativa erit

CONCLUSIO.

DE potentiâ Dei absolutâ, unum peccatum mortale sine alio remitti potest; si enim, ut diximus in præcedenti conclusione, Deus absolutè possit remittere peccata per condonationem, poterit remittere unum sine alio; quia potest condonare unum, non condonando aliud. Deinde, Deus potest statuere per quemcumque actum Contritionis peccatum condonare, & non infundere gratiam; sed potest quis atteri de uno peccato, agnoscens illius fœditatem, & non atteri de alio: ergo potest unum sine alio remittere. Tandem, positâ contritione de pluribus peccatis, potest Deus acceptare Contritionem pro uno & non pro altero; licet enim Contritio sit actus contrarius peccato, non expellit tamen formaliter peccatum, sed tantùm dispositivè; & non obstante tali dispositione, Deus potest absolutè negare remissionem peccati.

Hæc conclusio non est ità universalis, quin contrarium sentiant plures, qui docent, nequidem per potentiam absolutam Dei unum peccatum posse remitti sine alio; sed talis controversia solvetur de facili, si attendatur, quòd duplex possit intelligi remissio peccati, quarum vna sit positiva, & altera negativa. Per remissionem peccati positivam intelligitur ea, quæ fit ordinariè, & quâ communiter remittitur peccatum per positionem alicujus qualitatis realis, nimirum gratiæ, quæ eo ipso quo animæ infunditur, remittit peccatum, propter formalem incompatibilitatē utriusque in eodem subjecto. Per remissionem verò negativam, intelligitur ea, quâ Deus ignosceret peccatum, ipsum condonando, ac decernendo, se nullam illi esse inflicturum punitionem, quasi numquam fuisset commissum; ita quòd tamen nihil reale & positivum influat in animam peccatoris. Qui dicunt, non posse remitti vnum peccatum sine alio, loquuntur de remissione positiva; quia scilicet peccator non potest accipere positivam remissionem vnius peccati mortalis, nisi infundatur illi positivè gratia; quæ, cùm habeat incompossibilitatem generalem cum omnibus & singulis peccatis, proinde non potest remitti unum peccatum sine alio. Nos verò, qui asserimus hoc posse fieri, non de potentia ordinaria, quia Deus non solet condonare simpliciter peccatum; benè autem de absoluta; hoc intelligimus de remissione negativa, per quam condonat peccatum; ita quòd Deus non amplius imputet peccatori, v. g. luxuriam, nec pœnam illi pro tali peccato infligere decernat; benè autem velit adhuc imputare & punire blasphemiam. Aliqui insuper dicunt, Deum posse remittere positive unum peccatum sine alio, in quantum de potentia absoluta potest producere & infundere animæ aliquam qualitatem incompossibilem cum vno peccato, & non cum alio; sed melius alii mihi videntur negare, talem qualitatem esse incompossibilem cum vno, quin sit incompossibilis cum alio quocumque: cùm enim peccatum dicat privationem sanctitatis animæ, non potest illa qualitas restituere aliquam animæ sanctitatem, nisi omnimodam illi restituat; alias protunc illa anima esset sancta & Deo grata per illam qualitatem sanctificantem; & non sancta, ac ingrata Deo, per alia peccata quæ remanerent. Probabilius ergo erit, si dicatur, unum peccatum remitti quidem posse sine alio; sed tantum negativè, per simplicem condonationem, seu non imputationem; non verò positivè, per infusionem alicujus qualitatis incompossibilis cum uno peccato, & non cum alio.

QUÆRES, an remissio peccati sit purè gratuita? Negant aliqui, asserentes contritionem esse quidem gratuitam, quia pendet à gratia actuali, quæ purè gratuita est; positâ tamen contritione, volunt remissionem peccati esse ex justitia; quia scilicet contritio est actio supernaturalis, non minùs potens ad convertendum hominem quàm peccatum ad ipsum avertendum; unde, positâ contritione, dicunt hominem de condigno Deo satisfacere; proindeque tunc remissionem peccati esse ex justitiâ. Suares ex opposito tom. 1. disp. 4. sect. 8. cum multis aliis docet, remissionem peccati mortalis esse beneficium distinctum à contritione, quod purè gratuitum est, ita quòd homo, etiam contritus, non possit Deo satisfacere de condigno pro peccato mortali, juxta id quod habetur ad Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* At hæc controversia dilui potest de facili, si dicatur quòd macula peccati possit spectari dupliciter; vel quatenus consistit in aversione à Deo, vel quatenus consistit in privatione gratiæ justificantis. Si sumatur remissio peccati pro aversione à Deo, dici potest, quòd contritioni debeatur, & proinde sit ex justitia; quia sicut albedo expellit formaliter & necessario nigredinem, tanquam formam sibi oppositam; sic contritio, quæ est conversio ad Deum, expellit aversionem formaliter; aliàs peccator esset simul aversus & conversus: unde dicendum est, quòd contritio non sit dispositio ad remissionem sumptam pro aversione, nec quòd illam mereatur ex condigno; quia nihil potest esse simul dispositio & forma, nec forma potest mereri suum effectum formalem; sed dici debet, quòd ipsamet contritio formaliter & præcisè remittat peccatum, quatenus sumitur pro aversione à Deo. Si verò remissio peccati spectetur pro justificatione peccatoris per gratiam, quam Deus confert homini contrito, asserendum venit, quòd talis remissio peccati sit gratuita, & quòd Deus illam non debeat peccatori, etiam contrito; quia, licèt contritio sit ultima dispositio ad gratiam, illa tamen Deum non necessitat ex naturâ suâ, sed ipsum relinquit liberum, ut gratiam conferat, vel non conferat absolute loquendo; estò ad hoc teneatur ex decreto, quo statuit dare gratiam contritis. Non obstante hac distinctione, quam adhibuimus ad conciliandos authores inter se, simpliciter loquendo, dicendum est, quòd remissio peccati sit purè gratuita; quia peccatum mortale includit privationem gratiæ, & remissio peccati restitutionem ejus; ideo, quia gratia datur gratis, proinde dicendum est absolutè, remissionem peccati esse gratuitam.

QUÆSTIO VIII.

Vtrùm peccatum tollatur per solam non imputationem?

HÆRETICORUM aliqui voluerunt remissionem peccatorum, prout fit ordinariè, fieri tantùm per non imputationem, non verò per destructionem illorum; itaut peccata remaneant in homine justo, licèt Deus illa non imputet peccatori, sed ita se gerat

rat circa illum, ac si peccatum non esset in eo. Alii autem putaverunt peccatum remitti quidem per condonationem, non infundi verò gratiam, quæ formaliter inhæreat animæ, sed peccata tantùm condonari per justitiam Christi, quæ nobis imputatur: utrosque refutabit

CONCLUSIO.

PECCATA non remittuntur per solam non imputationem, nec per solam condonationem; sed per infusionem gratiæ & justitiæ habitualis, quæ nobis formaliter inhæret. Ratio primi est, quia peccatum non imputari, est non remitti, sed tantùm non puniri; atqui peccata hominum remittuntur & tolluntur reverà: ergo non remittuntur per solam non imputationem. Minor habetur Joann. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Act. 3. *Convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Ezechielis 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini.* Secundum habetur primò ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 4. *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitia Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, qua in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat. Anathema sit.* Ratio est, quia Christus per Pœnitentiam nobis restituit id quod amiseramus in Adamo; sed in ipso amisimus, non justitiam imputativam, sed justitiam inhærentem: ergo justitia inhærens in Pœnitentiâ recuperatur. Deinde, si peccatum remaneret in homine, licet non imputaretur, non possemus propriè vocari justi: quando enim sunt duæ formæ contrariæ, una inhærens, alia extrinseca, denominatio sumitur ab inhærente; Æthiops enim semper dicetur niger, quamvis indutus candidâ veste: ergo à pari, si justitia quâ remittitur peccatum, esset tantùm forma extrinseca quæ nobis imputaretur, non deberemus ab illâ vocari justi, sed potiùs injusti, si peccatum non destrueretur.

OBJICIES ex Psalmo 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Psalmo eodem 3. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Denique 2. ad Corinth. 5. *Deus dicitur in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis peccata ipsorum.* Respondeo, quòd reverà peccata hominum non imputentur illis post Pœnitentiam; sed ideo non imputantur, quia destruuntur per gratiam habitualem; unde diximus in conclusione, illa non remitti per solam non imputationem; sed dicuntur non imputari & tegi, non quòd remaneant; sed quia tolluntur. Quòd si 2. ad Corinth. 5. *Christus dicitur peccatum fecisse; immò & peccatum factum fuisse, ut nos efficiamur justitia Dei in illo:* ex hoc non concludendum est, quòd non habeamus aliam justitiam præter justitiam Christi; sed ideò hoc dicitur, quia justitia Christi meruit nostram.

QUÆSTIO IX.

An per Pœnitentiam remittantur peccata venialia?

EFFECTUM nobiliorem Pœnitentiæ, qui est peccati mortalis remissio, sequitur alter, qui est remissio venialis. De hoc quærimus, utrùm possit remitti per Pœnitentiam; & ulteriùs, utrùm possit remitti extra illam? An autem sine Pœnitentiâ sacramento aut virtute possit remitti peccatum veniale, per opus quodcumque bonum ab homine justo elicitum, sive ex charitate procedens, sive ex alia virtute; non defuerunt, qui hoc crederent, cum ista restrictione, quòd tale opus bonum in tantum placeat Deo, in quantum culpa venialis illi displicuit: imò, hoc videtur sentire Scotus in 4. dist. 21. q. 1. §. *sic patet.* Attamen, tutius est dicere, quòd sine Pœnitentia non remittatur peccatum veniale, saltem in hac vita; sive illa pœnitentia sit formalis, qualis est illa, quâ aliquis dolet de peccato commisso, ut est levis offensa Dei; sive sit virtualis, quæ consistit in summa Dei dilectione, vel in martyrio. Ratio hujus est, quia remissio culpæ fit per reversionem hominis ad Deum, à quo culpa nos separat totaliter, si sit mortalis; vel imperfectè, si sit venialis; in quantum retardat hominem, nè promptè & cum fervore charitatis ad Deum feratur; & sic pœnitentia requiritur, seu detestatio peccati, ut homo ad Deum revertatur. Quando autem Scotus ait loco citato, quòd pœnitentia, quam vocat pœnam interiorem vel exteriorem, non sit necessaria ad peccatum veniale delendum, sed aliquem actum Deo magis acceptum quàm veniale displiceat, hoc posse facere; hoc non dicit absolutè, sed requirit ulteriùs, quòd tale opus sit relatum ab ipso operante ad remittendum veniale, & tunc æquipollet pœnitentiæ virtuali; vel quod ad hunc finem referatur saltem à Deo. Quod cùm incertum sit, incertum etiam remanet, an sine pœnitentia remittatur peccatum veniale; & propterea asseruimus requiri pœnitentiam ad hunc effectum, tanquam quid probabilius & tutius

CONCLUSIO.

PECCATA venialia delentur per sacramentum Pœnitentiæ; possunt tamen remitti extra illud, per contritionem scilicet, & per dilectionem Dei, non verò per attritionem, nisi jungatur cum Pœnitentiâ, vel aliis Sacramentis, quæ habent vim faciendi de attrito contritum. Primum patet ex hoc quòd Pœnitentia possit remittere peccata mortalia; ergo & venialia, cùm sit minor offensa in istis. Eadem currit ratio pro secundo & pro tertio: quia si contritio & dilectio Dei extra Sacramentum possunt remittere mortalia, à fortiori venialia. Ut tollat autem contritio extra Sacramentum, seu pœnitentia virtus peccata mortalia, debet dolere peccator de peccatis venialibus, vel in communi, vel sigillatim; non tantùm quatenus sunt offensa Dei; sed ut levis offensa Dei; dolor enim de peccatis venialibus, ut sunt gravis offensa Dei, non sufficeret ad deletionem venialium: unde actus doloris qui requisitus est ad delenda mortalia, est minor illo qui requiritur ad delenda venialia; quia ad delendum peccatum mortale sufficit voluntas non displicendi Deo in gravibus, & ad tollendum veniale requiritur voluntas non displicendi Deo in minimis; & sic iste amor & ista voluntas involvit priorem, quoniam non potest quis dolere de levi offensâ Dei, quin doleat de gravi; potest tamen dolere de gravi, non de minima. Ut etiam dilectio Dei possit remittere venialia, debet ita perfecta esse, ut per eam velit homo placere Deo, nedum in gravibus actionibus, sed etiam in minimis. Quoad quartum, Attritio extra Sacramentum non remittit peccata venialia: quia vel remitteret homini injusto; vel homini justo; non remittere autem potest homini injusto, quia conjunguntur cum peccato mortali, quod non potest remitti per Attritionem; ergo

nec veniale: Nec etiam remittit homini justo, quia sequeretur nunquam peccata venialia remitti per Absolutionem, quoniam Absolutio præsupponit Attritionem; & sic, si Attritio deleret peccatum veniale, nihil faceret absolutio, contra mentem Doctorum, qui dicunt peccata venialia esse materiam sufficientem absolutionis.

Quæstio X.

Utrùm Sacramentalia possint peccata venialia remittere?

Per Sacramentalia intelliguntur res, aut actiones sacræ institutæ ab Ecclesiâ, ut per earum usum peccatorum venialium obtineatur remissio. Hæ autem actiones hoc versu continentur, Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens. Per *orans*, intelligitur oratio Dominica, vel ea quæ fit in Ecclesia consecratâ; aut tunsio pectoris, ut habetur in jure Canonico. Per *tinctum*, intelligitur aqua Benedicta, & unctio ceremonialis in Regem & similes; Per *edens*, intelligitur manducatio panis Benedicti; Per *confessionem*, intelligitur confessio generalis, quæ, v. g. fit publicè ante Missam; Per *dans*, intelligitur Eleemosina, vel alia opera misericordiæ, tàm corporalia quàm spiritualia. Tandem per *benedicens*, intelligitur benedictio Episcopi vel Abbatis consecrati.

Conclusio.

Sacramentalia delent peccata venialia; ad hoc enim instituuntur ab Ecclesiâ, ut habet traditio communis. Illorum effectus non est infallibilis; non est enim fundatus in speciali promissione Christi; sed in impetratione Ecclesiæ, quæ ob sui sanctitatem meretur exaudiri à Deo, licet aliquando non exaudiatur; oratio enim non semper habet suum effectum, maximè quando pro aliis funditur: si ergo aliquando Sacramentalia peccata venialia non deleant, hoc est ex defectu suscipientis, qui cùm multoties sit in peccato dum illa accipit, peccatum ejus impedit, quin Ecclesia audiatur. Quòd si quæratur, quomodo Sacramentalia peccatum veniale remittant; Respondendum est, illa non remittere *ex opere operato*; ea enim instituit Ecclesia, quæ instituere non potest signa sensibilia quæ remittant peccata, vel gratiam conferant *ex opere operato*: superest ergo ut deleant peccata venialia *ex opere operantis*; quatenus si sumantur ut debent & cum debitâ reverentiâ, nata sunt impetrare à Deo per preces Ecclesiæ gratias actuales quæ in nobis excitent actum contritionis incompossibilem cum peccatis venialibus, & consequenter ea tollentem: quia tamen aliquando sumuntur irreverenter, talis gratia non datur; vel si detur, rejicitur aliquando, & sic non remittuntur peccata venialia.

Hîc quæri posset, an peccatum mortale possit remitti sine veniali; an veniale possit tolli sine mortali; an unum veniale possit remitti sine alio; an venialia remittantur sine infusione gratiæ; quomodo tandem peccata venialia remittantur quando quis cum ipsis moritur. Respondeo primò, peccatum mortale posse remitti sine veniali; ad remissionem enim mortalis sufficit displicentia peccati, ut est gravis offensa; & ad remissionem venialis requiritur displicentia ipsius, ut est levis offensa Dei; potest autem quis displicere de gravi offensâ, & non displicere de levi: ergo mortale potest tolli sine veniali. Respondeo secundò, de potentia ordinariâ non potest tolli veniale sine mortali; quia tolleretur vel per Attritionem junctam cum Sacramento, vel per Contritionem extra Sacramentum, vel tandem per Attritionem sine Sacramento. Si autem tolleretur peccatum veniale per Attritionem cum Sacramento, vel per Contritionem solam, infunderetur gratia habitualis quæ producitur per utramque, ac proinde remitteretur etiam peccatum mortale, quoniam est incompossibile cum gratiâ. Non potest etiam peccatum veniale remitti per Attritionem extra Sacramentum; quia Attritio sola non remittit, neque peccatum mortale, neque veniale, ut diximus in præcedenti quæstione. Hoc tamen non impedit, quin de potentiâ extraordinariâ aliquis possit elicere actum doloris incompossibilem cum peccato veniali, quo ipsum deleretur, & Deus denegare gratiam; & sic removeretur peccatum mortale deleto veniali. Respondeo tertiò, quòd unum veniale possit remitti sine alio veniali; homo enim potest elicere actum doloris de Intemperantiâ levi admissâ, & sic habere remissionem illius; non autem dolere de levi injustitiâ quam commisit; & sic remanebit unum peccatum veniale & remittetur aliud. Respondeo quartò, non remitti quidem veniale peccatum sine infusione gratiæ, aut ejus augmento; vel enim peccata venialia remittuntur cum peccato mortali, & tunc infunditur gratia, sine qua peccatum mortale non deletur, vel remittuntur sine mortali, respectu scilicet justi, qui habebit tantùm peccata venialia, & tunc peccatum veniale remittitur per actum Contritionis, qui cùm sit bonus & meritorius, auget proinde gratiam; & sic nunquam remittitur peccatum veniale sine gratiâ, vel ejus augmento. Ex naturâ tamen peccati venialis non requiritur gratia, ut remittatur; tùm quia gratia habitualis, quantumcumque intensa, non pugnat cum peccato veniali, quandoquidem reperiuntur homines justi, qui habent peccata venialia; tùm quia, si Deus homini justo, qui haberet actum Contritionis de peccato veniali, denegaret augmentum gratiæ, non minus illud peccatum veniale remitteret; quia est incompossibile cum actu contritionis circa illud elicito: ergo absolutè loquendo, & consideratâ naturâ gratiæ, & natura peccati venialis, posset remitti peccatum veniale sine infusione illius.

Quantum denique ad ultimam difficultatem, quomodo post mortem remittantur peccata venialia; aliqui, quorum meminit D. Thomas quæst. 7. de malo sustinuerunt nullum hominem decedere cum solo peccato veniali; quia vel moribundus facit omnia quæ facere potest ad deletionem venialium; vel non facit: si facit, ipsa delet; si non facit, mortaliter peccat; quia negligit suam beatitudinem, quam retardat, non removendo impedimentum, quo retardatur; sed talis negligentia in re tanti momenti debet censeri peccatum mortale: ergo nemo decedit cum peccato veniali solo; sicque non remittitur peccatum veniale post mortem. Sed falsitas hujus opinionis patet, tum quia, si hoc esset verum, peccatum veniale esset materia necessaria Pœnitentiæ, saltem in articulo mortis, contra omnes Theologos dicentes, illa peccata esse quidem materiam sufficientem, non verò necessariam: tùm quia potest reperiri homo aliquis justus, habens peccata venialia, qui subitò & repentè moritur, nec potest recordari omnium venialium quæ commisit; at dixerit nemo, quòd tunc illa venialia fiant mortalia; nec quòd, accedente morte, remissa fuerint: ergo

multa peccata venialia remanere possunt in mortuis. Alii, de quibus loquitur D. Bonaventura in 4. dist. 21. a. 2. alio fundamento innixi existimarunt etiam, neminem decedere cum solo peccato veniali, aliàs tales nunquam pervenirent ad beatitudinem, quæ non est compatibilis cum minimo peccato, juxta illud Scripturæ axioma, *nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum.* Cùm enim mortui essent cum veniali culpâ, quæ aliqualiter animam contaminat; nec post mortem sit locus merito, sicut nec demerito, juxta id quod habetur Joan. 6. *Veniet nox quando nemo potest operari*; ideo volebant, nullum posse decedere cum veniali peccato; aliàs esset in æternum privandus beatitudine; ob hocque dicebant, venialia pauló ante mortem deleri vi gratiæ præexistentis, quæ tunc omnes potentias animæ ita subjiciebat sibi, & ita rectificabat, ut omnes passionum actus inordinati cessarent, sicut & ipsa concupiscentia, quæ malorum omnium radix est & mater. Sed hanc opinionem etiam esse falsam ex hoc constat, quòd gratia præhabita nullam habeat oppositionem cum peccato veniali, ut diximus anteà: nec quidquam faciat, ut in articulo mortis concupiscentia aut passiones extinguantur, licet vi morbi & defectu virium tunc possint minui.

Dicendum ergo est, juxta D. Thomam, D. Bonaventuram, Alensem, Scotum præcitatum, & alios, multos sæpissimè mori cum solis venialibus, ut potè omnes illos justos, in quibus lethales culpæ remissæ sunt per pœnitentiam; qui tamen non attendentes ad veniales, vel illarum non recordantes, eas secum tulerunt in Purgatorio, ubi solent remitti. Hæc veritas habetur ex Script. Matth. 12. *Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum non remittetur ei, nec in hoc sæculo, nec in futuro*: ergo, ut ait Augustinus lib. 1. de civit. Dei cap. 24. *hoc non diceretur, nisi essent aliqua peccata, quæ, licèt non remittantur in hoc sæculo, tamen remittuntur in futuro*: & talia non sunt alia à venialibus. Idem confirmat D. Gregorius lib. 4. dialog. cap. 39. *In ea sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam in futuro remitti*, nimirum veniales. In eadem mente versatur D. Bernardus serm. 66. in Cantica: *Non credunt ignem purgatorium restare post mortem; sed statim animam corpore solutam ad requiem transire, vel damnationem; quærant ergo ab eo, qui dixit, quoddam peccatum esse, quod nec in hoc sæculo, nec in futuro remittitur; cur hoc dixerit, si nulla manet in futuro remissio peccati*; non quidem mortalis: ergo venialis. Porrò, si hoc non esset verum, erraret Ecclesia dicens in officio mortuorum, non solum, *ut à cunctis reatibus absolvantur*, quod est postulare relaxationem pœnæ; sed etiam, *ut à peccatis expediti indulgentiam pariter & requiem capiant sempiternam*; quod denotat remissionem culpæ. Quòd si Joan. 6. habeatur: *Veniet nox, quando nemo potest operari*; meritoriè scilicet: ergo post hanc vitam non erit tempus merendi. Resp. non erit tempus merendi præmium essentiale, aut remissionem peccati mortalis, concedo; imo, quantùm ad hoc, *ubi ceciderit arbor, ibi manebit*: quantum ad præmium accidentale, ad quod pertinet remissio peccati venialis, ut vult D. Thomas, nego: habemus enim ex eâdem Scriptura, quòd accipiant beati augmentum gloriæ accidentalis ex pœnitentia peccatorum: *Amen dico vobis, gaudium erit Angelis Dei, super uno peccatore pænitentiam agente.* Eodem modo intelligendus est D. Damascenus, qui dicit, idem esse mortem hominibus, ac casum Angelis, qui non sunt capaces remissionis culpæ illius; quòd scilicet hoc debeat intelligi, quantùm ad remissionem peccati mortalis in homine. Si dicatur, nullum peccatum posse remitti sine Pœnitentia, quæ non reperitur in alio sæculo; hoc verum est de Pœnitentia, quæ fit mutatio voluntatis è malo statu in bonum; non verò de illa, quæ fit tantùm displicentia præteritorum, & dispositio contraria peccato veniali, reducens hominem ad Dei familiaritatem; talis enim est in Purgatorio, aliàs cuncta quæ allegavimus ex Scriptura, ex Patribus Ecclesiæ, & ex ipso ritu ejusdem, essent falsa. Si quis instet dicens, facilius esse labi in peccatum, quàm resurgere ab illo: ergo nullum posse resurgere à veniali in Purgatorio, ubi non potest illud committere: verum est antecedens in hoc mundo, & falsum in altero.

Posito ergo, quòd multi homines moriantur in peccatis venialibus, quorum remissionem accipiunt in Purgatorio; videndum restat, quomodò hoc possit fieri. Alensis part. 4. q. 15. memb. 3. art. 3. dicit, quòd peccatum veniale remittatur quoad culpam, in primo instanti separationis animæ; & quoad pœnam, toto tempore, quo existit anima in Purgatorio; quæ assertio secundum substantiam vera est, licet sit falsa in modo quo eam intelligit. Nam putat ille, quòd eo ipso, quo anima exuta est corpore, gratia ejus ità augeatur, ut sine ullo actu contritionis de novo adveniente, gratia sic aucta vim habeat delendi omnia peccata venialia, quæ in anima remanserant. Hoc autem esse falsum patet ex hoc quòd, etiam si gratia augeretur in eo instanti, attamen non mutaret suam naturam; unde, cùm in hoc mundo non habeat vim delendi peccata venialia, cum quibus nullam habet repugnantiam; sic nec in alio hoc poterit facere. Scotus noster non pronuntiat positivè super hanc difficultatem; imò *in 4. dist. 1. quæst. 1.* dicit quidem, §. *In ista quæstione*, quòd pœna debita peccato veniali possit solvi post hanc vitam; sed quantùm ad culpam, de ea non loquitur, nisi opinativè, dum ait in fine hujus Paragr. quòd possit dici dupliciter, uno modo, quòd nil aliud sit remissio peccati venialis, quàm solutio pœnæ temporalis illi debitæ; quia post actum transeuntem, culpa, quæ manet, nihil aliud est, quam solutio pœnæ, quæ illi debetur; unde opinatur, quòd peccatum veniale remittatur per pœnam Purgatorii. Posteà tamen initio Paragraphi sequentis ait, quòd si modus ille non placeat, quia videntur sancti Patres distinguere inter remissionem culpæ & solutionem pœnæ, possit dici alio modo, quòd remittatur culpa peccatorum venialium per opera meritoria, elicita ante mortem, quæ remanserunt in acceptatione D. & relata sunt à Deo ad hunc finem, in instanti proximè sequenti ad transmigrationem animæ. Ut agnoscatur autem, quòd Scotus in hoc duplici modo remittendi peccatum veniale loquatur opinativè, attendendum est ad id quod habet §. *si neuter*, ubi ait, *Si neuter istorum modorum placeat, quæratur alius, quem invenire difficile est.*

Cùm ergo Doctor noster nihil necessitatis nobis imponat hâc sententiâ, in sequenda sua opinione, cùm assertivè super hanc quæstionem non pronuntiet; nobis dicendum est, quòd ipse existimando, peccatum veniale remitti per solutionem pœnæ debitæ in Purgatorio, subintelligat debere illi solutioni adjungi actum charitatis, quo anima acceptat liberè pœnas ad punitionem peccati venialis inflictas, quatenus eas ut tales considerat; & sic ille actus charitatis & conformitatis voluntatis propriæ

ad divinam, potiùs remittit peccatum quoad culpam, quàm ipsa pœna Purgatorii, quandoquidem est incompossibilis cum peccato veniali, & mixtus aliquo dolore; cùm non possit aliquis voluntariè pati pœnam pro peccato commisso, & non dolere virtualiter, quòd illud commiserit; maximè, quando agnoscit, per talem displicentiam, tale peccatum deleri quoad culpam. Sic sumpta & explicata opinio Scoti nullam habet oppositionem cum opinione D. Thomæ & recentiorum, qui asserunt, peccatum veniale remitti per actum charitatis, quem de facili anima sejuncta à corpore producit in primo momento transmigrationis suæ. Protunc enim anima perfectè agnoscit suum statum, recordatur omnium donorum gratiæ acceptorum à Deo, & longè meliùs quàm hîc apprehendit divinam bonitatem, & inde movetur ad exercendum talem actum amoris, in quo fit virtualis detestatio omnium peccatorum, etiam minutissimorum, quæ in mundo existens commiserat; maximè, cùm videat sua peccata venialia non posse quoad culpam remitti, nisi per talem detestationem actualem, vel virtualem. Quando autem dicitur, nullum esse meritum in alia vita; hoc verum est, inquit D. Thomas, circa præmium essentiale, ut diximus, & quando anima est in termino possessionis gloriæ. Quando dicitur etiam, quòd qui meretur satisfaciat pro peccato; & sic per tales actus, semel vel pluries repetitos, posset anima in Purgatorio pro se satisfacere; & abbreviare suas pœnas: respondendum est, antecedens verum esse in hac vita, non verò in alia, ubi anima non meretur augmentum gratiæ, aut gloriæ, nec satisfacit, nisi patiendo pœnas, quas illis infligit Deus.

QUÆRES, quo tempore animæ separatæ remittantur peccata venialia. Respondet D. Bonaventura in 4. dist. 21. art. 2. q. 1. ad 4. remitti toto tempore, quo durat pœna Purgatorii, existimans illa remitti per conformitatem voluntatis illius, qui patitur; sed hoc non esse probabile constat. Quia, vel pœna remitteret peccatum, ut tolerata simpliciter, vel ut patienter tolerata. Non primum, quia pœna tolerata non tollit peccatum, nisi excitet in voluntate aliquem actum charitatis aut dilectionis, per quem expellatur: nec etiam secundum, quia actus patientiæ, si præcisè spectetur, non habet oppositionem cum veniali: ergo per talem pœnam toto tempore Purgatorii toleratam non remittitur peccatum. Unde dicendum est, quòd illud remittatur pro eo immediato instanti, quo anima exit à corpore, in quo scilicet, impedimento carnis liberata, bonitatem Dei agnoscens, & sua peccata venialia Deo displicere, elicit illum actum charitatis, de quo anteà, per quem peccata illa remittuntur, etiam antequam sint animæ in Purgatorio. Purgatorium enim non dicitur à purgandis culpis, sed ex eo quòd animæ in illo loco pœnas luentes purgentur à reatu pœnæ, qui ratione causæ, nimirum peccati præcedentis, animam censetur inficere. Hoc tamen non repugnat iis, quæ diximus anteà, peccata venialia remitti in Purgatorio: quia Purgatorium dupliciter sumitur: vel pro loco speciali subterraneo, in quo purgantur animæ; vel pro illo loco, ubi animæ exeuntes à corpore censentur esse, antequam relegentur in locum Purgatorii, & in quo judicantur, qualiscumque sit. Quando ergo diximus, peccata remitti in Purgatorio; si sermo sit de remissione pœnæ, hoc intelligitur de loco Purgatorii; si sermo sit de remissione culpæ, hoc debet intelligi de illo loco, ubi est anima, postquam desiit informare corpus. Hic autem status potest dici Purgatorium analogicè, quia in illo animæ per actum contritionis, quem eliciunt, purgantur à macula peccati venialis; & torquentur insuper apprehensione ignis, ac puniuntur pœnâ damni, quæ omnia reperiuntur in Purgatorio.

A

QUÆRES, an peccatum veniale possit remitti in inferno? Qui sequeretur opinionem, quæ videtur probabilis Scoto in 4. dist. 21. ubi existimat, remissionem culpæ venialis, nihil esse, quàm solutionem pœnæ temporalis quæ illi debetur; haberet respondere, peccata venialia posse remitti in inferno. Quia, cùm mereantur tantùm pœnam temporalem, talis pœna, quæ in inferno responderet peccatis venialibus, posset finiri; & sic pœna, quam paterentur damnati, in quibus sunt peccata mortalia & venialia simul, esset intensior primis temporibus damnationis, quàm posterioribus; quia in istis cessaret gradus pœnæ debitæ peccatis venialibus, & remanerent tantùm gradus illi doloris, qui mortalibus deberentur. Nec tamen, inquit Scotus, in inferno est redemptio; quia ibi non est redemptio, ubi non est relaxatio omnis pœnæ; unde, cùm, remissis venialibus, remaneat adhuc pœna luenda pro mortalibus, quæ longè est crudelior, ideo non esset redemptio. Nec etiam dicendum est, ut prosequitur idem Doctor, quòd peccato veniali debeatur pœna æterna per accidens, quando conjungitur mortali; quia, ut ille respondet, Deus punit semper citra condignum; imò, etiam si puniret usque ad condignum, & secundum omnem rigorem justitiæ, omnino injustum esset, pœnam æternam infligere pro illo peccato, cui secundum se debetur pœna temporalis. Verum quidem est, quòd hæc omnia verosimillima essent, si concederetur, remissionem peccati venialis nihil esse, quàm solutionem pœnæ illi debitæ, ut primo modo explicat Scotus, & judicat probabile; si tamen admittatur secunda explicatio, à qua ipsemet non dissentit, quà dicit, quòd juxta sanctos Patres aliud sit culpa venialis peccati, & aliud sit pœna illi debita; tunc dici debet, quòd in inferno non remittatur peccatum veniale; nec secundùm culpam, cùm culpa non remittatur, nisi dolore & mutatione voluntatis, quæ in inferno non reperiuntur; nec secundum pœnam, cùm pœna relaxari non possit, nisi tollatur culpa. Quando autem dicitur, quòd peccato veniali non debeatur pœna æterna; hoc verum est, sed statui damnatorum debetur æternitas pœnæ. Cùm enim peccato, qualecumque sit, debeatur pœna pro illo toto tempore, quo residet in anima; proinde veniali, quod numquam delebitur in inferno, debetur pœna æterna; non ratione sui, nec per accidens, quia ut optimè notat Scotus, peccatum veniale est tale, ut secundùm se mereatur tantùm pœnam temporalem; sed benè ratione statûs, qui incapax est remissionis culpæ, & proinde lalaxationis pœnæ. Stando in hac opinione non recedimus à mente Scoti, qui, ut diximus, ff. antecedenti nostro, *Posito ergo*, in hac difficultate loquitur, non tam assertivè, quàm opinativè, ut apud ipsum videre est in 4. dist. 21. q. 1. ff. *Sic patet.*

B

C

D

E

QUÆRES, quænam sit differentia inter Sacramenta & Sacramentalia, quantum ad venialium remissionem. Resp. tum Sacramenta, quæ instituit Christus, tum Sacramentalia, quæ instituit Ecclesia, remittere venialia peccata, cum hac distinctione, quòd Sacramenta deleant ex opere operato, & Sacramentalia ex opere operantis. Sacramenta, inquam, peccata venialia remittunt ex opere operato; quia, ut multoties diximus, Sacramenta sunt signa quædam practica seu efficacia, quæ ex

institutione Christi infallibiliter omnes suos effectus habent, modò non ponatur obex ex parte recipientium. Cùm ergo omnia Sacramenta habeant virtutem justificandi, & remittendi cuncta peccata, ideò non remittunt tantùm peccata mortalia ex opere operato, sed etiam venialia. Quantùm autem ad Sacramentalia; jam anteà probavimus, quòd deleant venialia tantùm ex opere operantis; contra Sotum in 4. dist. 2. art. 3. & alios plures Thomistas, qui contra mentem Doctoris Angelici tenent, illa remittere venialia ex opere operato, vi clavium Ecclesiæ. Hoc est, inquam, contra Doctorem Angelicum, qui quæst. 87. in corpore dicit, Sacramenta valent ad remissionem peccatorum, quatenus sunt, aut cum motu detestationis peccatorum, aut cum motu reverentiæ in Deum & res divinas. Ratio quæ præcedentibus debet adjungi, ista est, quòd non sit plus virtutis & efficaciæ in Sacramentalibus, quàm in precibus Ecclesiæ, à quibus suam efficacitatem habent; sed preces Ecclesiæ non remittunt peccata, nisi ex opere operantis: ergo nec Sacramentalia. *Dices*: Si hoc modo tantùm operentur, idem possunt facere concio, aut lectio Scripturæ, aut imago Christi, quæ omnia possunt excitare dolorem de peccatis, etiam minimis. Negatur consequentia; quia ista hoc faciunt tantùm objectivè, & illa impetrativè, mediantibus Ecclesiæ precibus. *Dices*: Comparatur aqua benedicta sanguini vitulæ, quo qui aspergebantur in antiqua lege, purgabantur ex opere operato. Resp. Comparationem se tenere ex parte effectûs, quia scilicet per utrumque confertur munditia, sive spiritualis, sive legalis; non verò se tenet ex parte modi, qui erat ex opere operato in sanguine, & est ex opere operantis in aqua lustrali. *Dices*: Sacramenta Evangelica non auferunt immediatè venialia, sed tantùm impetratoriè mediantibus actibus charitatis quos excitant: ergo remittunt illa solùm ex opere operantis. Resp. negando consequentiam; quia tales motus excitantur infallibiliter per Sacramenta, quæ habent suum effectum necessario ex institutione Christi, qui tales gratias actuales alligare potest Sacramentis; Ecclesia autem eas non sic alligat Sacramentalibus, quia hoc non est in ejus potestate: sed tantùm orat Deum, ut concedat illos pios motus iis, v. g. qui se aspergunt aqua benedicta, vel eleemosinas largiuntur, aut confessionem generalem emittunt; & sic Sacramentalia tantummodò peccata venialia remittunt ex opere operantis.

Quæstio XI.

An remissâ culpâ tollatur Reatus ad pœnam?

Per culpam duo contrahit homo: Maculam scilicet & Reatum pœnæ, seu obligationem ad pœnam; remissâ culpâ per Pœnitentiam tollitur quidem Macula peccati, & aufertur Reatus pœnæ æternæ; an autem remaneat Reatus seu obligatio ad pœnam temporalem; negant hæretici, affirmant Catholici, dicentes, pœnam æternam mutari in temporalem, quia scilicet Deus taxavit diversas pœnas diversis peccatis: ità quòd peccato manenti in æternum assignaverit pœnam æternam; & peccato per pœnitentiam revocato assignaverit pœnam temporalem proportionatam malitiæ peccati, vel contritioni, aut attritioni; itaut si contritio fuerit major, minùs remaneat de pœnâ subeundâ; si fuerit minor, magis supererit. Lutherus initio suæ A rebellionis negavit, ullam à Deo pœnam infligi post culpam peccatori remissam: posteà tamen admisit, aliquam temporalem esse luendam, sed tantùm in hac vita. Calvinus verò lib. 3. instit. cap. 4. ff. 25. & sequentibus, vult Deum nullas exigere pœnas à justis in præteriti peccati vindictam, licèt aliquas imponat illis ad evitanda futura. Sectatores utriusque hanc eandem tuentur perversam opinionem, ut avellant indulgentias, purgatorium, Missas pro defunctis, & omnia Ecclesiæ suffragia.

Conclusio.

B Remissa culpâ non semper tollitur omnis Reatus ad pœnam, sed sæpissimè remanet pœna temporalis luenda; non tamen semper, quia actus Contritionis aliquando est ita fervens, ut culpam & pœnam tollat. Hæc conclusio habetur expresse 2. Reg. 12. ubi David, ob Adulterium & Homicidium, remissâ culpâ punitur morte filii in pœnam sui peccati; unde dixit illi Nathan Propheta, *Transtulit à te Deus peccatum tuum*, (en remissio culpæ) *veruntamen quia blasphemare fecisti inimicos Dei vivi, filius qui natus est tibi, morte morietur*, en pœna remanens. Deinde, licet remissum sit peccatum originale per Baptismum, remanent tamen mors, morbi, fomes peccati & aliæ pœnalitates: ergo sic dicendum est de actuali. Tandem, requirit communiter Pœnitentia in illis qui convertuntur, luctum, jejunium & eleemosinam, secundùm hæc C dicta, *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio & fletu & planctu*: Ioël 2. Et illud: *Eleemosinis redime peccata*: hoc autem denotat, pœnam temporalem luendam remanere post remissionem culpæ. Nulla tamen datur ratio hujus, nisi sola voluntas divina; sicut enim culpam & pœnam æternam gratis remittit, sic & temporalem, quod tamen non facit; jure enim tales pœnas exigere potest Deus, nè detur nimia peccandi licentia.

Non desunt multi alii Scripturæ contextus, ex quibus confirmatur nostra veritas; ut potè Num. 14. ubi Moyses videns Deum ad castigationem populi murmurantis paratum, dixit ad eum: *Dimitte, obsecro, peccatum populi hujus secundum magnitudinem misericordiæ tuæ*: & illicò dixit Dominus, *Dimisi* D *juxta verbum tuum, attamen omnes homines, qui viderunt faciem meam, & signa quæ feci, & tentaverunt me, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua juravi patribus eorum*. Idem habetur Deuteronomii 32. ubi dixit Dominus Moysi, *Ascende in montem istum, & morere, sicut mortuus est Aaron frater tuus, quia prævaricati estis contra me in medio filiorum Israël*. Tandem 2. Reg. c. 24. peccat David numerando populum, & statim compunctione motus propter superbiam, veniam humiliter postulat à Deo, quam precibus obtinet; attamen mittit Deus ad illum Gad Prophetam, ut in vindictam peccati illi proponat eligere bellum, famem, aut pestem. D. Augustino tract. 124. in E Joan. dicenti; *Parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna*, accedunt Concilia, quæ doctrinam Catholicam confirmant: præsertim Florentinum & Tridentinum. Illud Eugenii decreto ait, *Tertia pars Pœnitentiæ est satisfactio pro peccatis, secundùm Sacerdotis arbitrium, quæ propriè fit per orationes, jejunia, & eleemosinas*; quod supponit, aliquam pœnam temporalem superesse post remissam culpam. Istud idem prorsus sentit, dum sess. 6. cap. 14. ait: *Satisfactio fit per jejunia, eleemosinas, orationes, & alia pia spiritualis vitæ exercitia; non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacra-*

menti voto, remittitur cum culpa, sed pro pœnâ temporali, quæ, ut sacræ litteræ docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei quam acceperint ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, & templum Dei violare non sunt veriti.

Objicies: Ezech. 18. *In quacumque die impius se averterit ab impietate, impietas ejus non ampliùs ei nocebit.* Resp. hoc intelligi de pœnâ æternâ, quæ post remissionem peccati non ampliùs nocebit homini; & de culpâ, quàm Deus reverà obliviscitur post Pœnitentiam. Quòd si Deus multis remiserit peccata, & pœnitentiam non injunxerit; hoc factum fuit per gratiam specialem, quam Deus non omnibus impendit; & ideò taliter usus est Christus circa illos, quia excitaverat in eis tantam Contritionem, quòd per eam omnis pœna relaxari debuerit. Nec dicant adversarii, Deum infinitè satisfecisse pro nobis: ergo nos non indigere ulteriori satisfactione: quia licet infinitè satisfecerit quoad oblationem pretii, debemus tamen nobis hanc satisfactionem applicare; quod fit reverà per pœnas quas subimus post remissionem culpæ. Si dicant, ablatâ causâ, aufertur effectus; ergo, ablato peccato, tollitur pœna: hoc verum est tantùm, ubi effectus dependet continuò à causâ suâ; aliàs, sublato patre, non remaneret filius; Reatus autem illius pœnæ non dependet à perseverantiâ peccati, sed à solo peccato, etiamsi parum duret. *Dices*, Contritio aufert culpam & pœnam æternam: ergo à fortiori temporalem, quæ est facilior. Resp. Contritionem neutrum tollere, sed est Deus qui tollit utrumque ex purâ misericordiâ, statuens dare Contritioni remissionem culpæ, & relaxationem pœnæ æternæ, non verò pœnæ temporalis.

Quæres, utrùm per potentiam Dei absolutam possit remitti culpa, & remanere reatus pœnæ æternæ? Ex ante dictis patet, quòd, remissâ culpâ, maneat adhuc reatus pœnæ temporalis, ut probavimus in conclusione præcedenti. Patet etiam ex Concilio Trident. in secunda probatione allegato, quòd de facto, remissâ culpâ, remittatur etiam pœna æterna. Patet denique, quòd de potentia Dei ordinaria necessarium sit remitti reatum pœnæ æternæ post peccatum mortale remissum; quia remittitur tantùm per infusionem gratiæ sanctificantis, quâ homo de inimico Dei fit amicus, & ex injusto justus, ac hæres vitæ æternæ. Ad Rom 8. *Si filii, & hæredes Dei.* Cùm ergo impossibile sit, aliquem esse filium Dei, hæredem vitæ æternæ, & dignum gloriâ, ac simul esse dignum damnatione, proinde fieri non potest quòd de potentia Dei ordinariâ aliquis, remissâ culpâ, habeat adhuc reatum pœnæ æternæ. An autem hoc possit fieri de potentia Dei absoluta; quòd scilicet aliquis obtinuerit à Deo remissionem peccati mortalis, & simul reatum pœnæ æternæ retinuerit: Respondeo cum distinctione; quòd si peccatum remissum fuerit per condonationem & solam non imputationem, (quod fieri posse de potentia Dei extraordinaria, probavimus in quæstione illa, ubi diximus, unum peccatum remitti posse sine alio,) tunc per eandem potentiam possit remitti macula peccati mortalis, & remanere reatus pœnæ æternæ: Si verò peccatum remissum fuerit per infusionem gratiæ sanctificantis, ut fit ordinariè, non possit de potentia Dei absoluta remitti culpa, & remanere reatus pœnæ æternæ.

Probatur primum; quia, quando aliquis commisit peccatum mortale, habet duo in anima, nimirum culpam, seu maculam peccati, & reatum pœnæ æternæ; sed Deus potest condonare primum, & A non condonare secundum, maximè si in peccatore non accesserit actus contritionis: ergo potest, condonatâ culpâ, remanere reatus pœnæ æternæ de potentia Dei absoluta. Sicut enim, non remissâ culpâ, posset Deus condonare pœnam æternam, quæ non infligitur, nisi ex Divina voluntate; sic etiam, condonatâ culpâ, potest absolutè retinere pœnam æternam; maximè, quando peccator, nullam emittens contritionem, meretur quòd retineat Deus tum pœnam, tùm culpam, quam ultimam gratis vult condonare, & retinere primam.

Probatur secundum, quòd si remittatur peccatum per infusionem gratiæ sanctificantis, protunc, de potentia Dei absoluta, non possit remanere pœ- B næ æternæ reatus. Quia, ut diximus in suppositione tertia, gratia sanctificans reddit hominem filium Dei adoptivum, hæredem Dei, cohæredem Christi, proindeque dignum gloriâ æternâ; sed impossibile est, ut quis sit simul dignus vitâ æternâ & æternâ pœnâ: ergo post remissionem peccati per infusionem gratiæ sanctificantis non potest remanere reatus pœnæ æternæ. *Dices*: Deus habet summum dominium, nedum super peccatores, sed etiam super justos: ergo ratione talis dominii potest illos addicere pœnis æternis: ergo, etiam remissâ culpâ per infusionem gratiæ, quâ peccatores justificantur, remanere potest reatus pœnæ æternæ; quādoquidem D. Augustinus lib. de Prædest. & Gratia ait, Quòd C etiam si genus humanum non nasceretur cum debito mortis, nec cum originis peccato, attamen si Creator omnipotens nonnullos ex iis vellet damnare in interitum, nullus posset illi dicere, Quare sic fecisti? Responderi potest primò, quòd etiamsi ratione summi dominii, Deus posset infligere pœnas æternas creaturis suis innocentibus, vel justificatis per recuperationem gratiæ, attamen tales pœnæ non essent reatus; quia hæc est differentia inter pœnam æternam & reatum pœnæ æternæ, quòd pœna sit quid absolutum sine merito vel demerito, & reatus pœnæ sit dignitas pœnæ, & proinde quid relativum ad culpam præsentem. Unde, licèt Deus posset ex suo summo dominio infligere pœnas D æternas creaturis innocentibus, vel justificatis, talis pœna non haberet rationem reatûs; quia innocentes non sunt digni illâ pœnâ, cùm nullum habuerint unquam peccatum: nec etiam justificati, qui licet habuerint peccatum præteritum; attamen non habent præsens. Respondeo secundò, quòd, si spectetur præcisa ratio summi dominii in Deo, seu Deus, ut omnipotens, possit reverà damnare omnes homines, etiam innocentissimos, & hoc modo loquitur Augustinus eo loco, ut Dei omnipotentiam exaltet: Si verò attendatur ad Dei justitiam, hoc non potest fieri sine impugnatione hujusce perfectionis, ut ipsemet sanctus Doctor ait lib. 3. contra Julianum E cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Imò sine aliquali injustitia non posset Deus suâ solâ voluntate hominem in statu puræ naturæ constitutum æternaliter punire; quia in eo statu ratione liberi arbitrii, habet jus perveniendi ad naturalem beatitudinem, quo non potest privari sine injustitia.

QUÆSTIO ULTIMA.

Utrùm merita mortificata redeant per Pœnitentiam?

HIc est tandem quartus effectus Pœnitentiæ; de quo locuturi, prænotamus, opera nostra vel esse Mortifera, quæ mortem animæ afferunt, ut peccata; vel Mortua, quæ fiunt ab homine existente in peccato mortali, ut Eleemosina facta extra gratiam, quæ dicitur mortua, quia caret principio vitæ, nempe ipsâ gratiâ: vel Mortificata, quæ facta sunt ab homine dùm est in gratiâ, dicuntur tamen mortificari per peccatum adveniens, in quantùm stante peccato non habent jus ad gloriam: vel sunt Vivificantia, quæ vitam gratiæ animæ afferunt, ut Contritio & Attritio cum Sacramento: vel sunt tandem Viva, quia fiunt ab homine in gratiâ existente. Hoc posito, certum est, quòd opera Mortua non reviviscant, quia non anteà vixerunt, & reviviscere supponit anteà vixisse; sed quæstio nostra est de operibus Mortificatis quæ facta fuerunt in gratiâ, & per peccatum mortificantur; quæriturque de illis, an remoto peccato per Pœnitentiam, reviviscere incipiant.

CONCLUSIO.

OPERA Mortificata redeunt per Pœnitentiam. Sic Concilium Tridentinum sess. 16. cap. 6. sic & Hieronymus in hæc verba Pauli ad Galatas 3. *Tanta passi estis sine causâ, non tamen sine causâ*; super quod dicit: *Qui ob Christi fidem laboraverit & posteà lapsus fuerit in peccatum, non perdet merita sua, si ad pristinam fidem & studium revertatur.* Ratio est, quia merita nostra non extinguntur per peccatum, sed semper manent in acceptatione divinâ, & solùm impeditur ipsorum efficacia propter peccatum; & sic ablato peccato reviviscunt, idest dant jus homini ad præmium æternum; tota enim ratio quare mortificantur, erat peccatum: ergo sublato peccato vivificantur.

OBJICIES: Peccata remissa non redeunt quando quis denuò cadit in peccatum: ergo nec merita redeunt per Pœnitentiam. Resp. negando consequentiam; ut enim inquit Scotus, Deus pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum; unde vult, quòd merita præterita redeant, non vult tamen quòd revocentur peccata. Deinde, ideò peccata non redeunt, quia destructa sunt penitùs per Pœnitentiam; merita verò redeunt, quia remanserunt in acceptatione divinâ. Quomodò autem reviviscant, an ex Misericordia vel ex Justitiâ? Alii tenent primum cum Scoto, alii secundum; Utrumque tamen dici potest: Primum quidem, quia merita reviviscunt per ablationem peccati, peccatum autem tollitur ex divinâ Misericordiâ; justificatio enim est gratuita. Secundum etiam dici potest, quia Deus promisit dare præmium meritis, etiam mortificatis, modò reviviscant per gratiam: Joëlis enim 2. Dominus pœnitentibus ait, *Reddam vobis annos, quos locusta, bruchus & rubigo comedit,* quod Hieronymus intelligit de reditu bonorum operum quæ impediebantur per peccata quæ vocantur Locusta & Rubigo; & sic redeunt ex justitia fundata in promissione Dei.

OBJICIES 2. Opera bona facta in charitate non possunt mortificari: ergo dici non debet, quòd opera bona mortificata per peccatum adveniens,

A reviviscant per pœnitentiam. Probat antecedens; author ille, de quo dicit Soto in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 4. quòd existimaverit, ex justitia Dei, nullum meritum patiente sine præmio, sicut nec ullum demeritum sine supplicio, colligi debere, quòd sicut nemo qui peccavit in cælum evolat, quin purgetur igne Purgatorii: sic & nullus, qui bonum egit, è vitis discedens, in infernum debeat relegari, quin anteà in aliquo loco boni operis receperit præmium; quod probare est, bona opera non mortificari, quandoquidem semper remunerationem suam accipiunt. Respondeo, negando antecedens, quia reverà opus bonum mortificari sufficienter probatur ex Ezechielis 15. *Si averterit se justus à justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerit, non recordabuntur.* Et hujus ratio est, quòd
B impediri ab effectu & ab operatione sua, sit mortificari, ut patet ex analogia, quâ homo dicitur habere partem aliquam sui corporis mortificatam, quæ impeditur ab actione sensitiva; sed opera bona, per peccatum adveniens, impediuntur ab effectu & operatione sua peculiari, quæ est ducere ad vitam æternam: ergo bona opera mortificantur. Ad rationem ergo allegatam ab anonymo, dicendum est, illam habere locum inter creaturas, ubi præmium & punitio oriuntur ex justitia & debito; non verò inter creaturam & Deum, qui nihil debet creaturæ ex justitiâ, sed tantùm ex amicitia:
C ergo, peccato mortali adveniente & tollente amicitiam Dei, nihil ampliùs debetur creaturæ pro suo bono opere, quamdiu manebit in peccato; sed eo ipso, quo recedit peccatum per pœnitentiam, renovatur amicitia Dei; & tunc bona opera vivificantur, & recuperant suum effectum, qui est ducere ad vitam æternam. Dices: Sine injustitia non potest Deus substrahere mercedem merito. Resp. si quis non se reddat indignum ea mercede, concedo. Instabis. Charitas est fortior omnibus peccatis, quoniam illa omnia operit; sed fortius non potest à debiliori mortificari: ergo nec opera charitatis à peccato. Resp. opera charitatis non opprimi per vim peccatorum, sed per actum voluntatis, quæ
D potest conservare vitam actibus suis bonis, vel ab illis tollere, perseverando in gratia, vel deficiendo ab illa.

QUÆRES primò, an dignitas, quàm homo peccando amisit, recuperetur per pœnitentiam. Respondeo primò, hominem per peccatum duplicem amittere dignitatem, scilicet apud Deum, & apud Ecclesiam. Apud Deum duplicem adhuc amittit, nimirum primariam, quâ per gratiam computatus erat inter filios Dei; & à quâ dejicitur per quodcumque peccatum: & secundariam, qua computabatur inter innocentes; & à quo statu defecit per primum peccatum, quod commisit voluntariè. Dignitas Ecclesiastica ea est, in qua constituuntur
E clerici, & alii qui ad aliquam evecti sunt prælaturam. Respondeo 2. dignitatem primariam, ex quâ decidit peccator quando peccatum committit, filiationem adoptivam amittens, reparari per Pœnitentiam; quoniam recuperando gratiam sanctificantem, quæ est adoptionis fundamentum, recuperat etiam talem filiationem. Quantùm verò ad dignitatem secundariam apud Deum, quæ est innocentia; ipsa nunquam restituitur. Quia eadem est ratio innocentiæ, ac virginitatis; sed virginitas reparari non potest ex cap. 5. Amos, *Cecidit & non adjiciet, ut resurgat virgo Israël:* ergo nec innocentia. Unde Hieronymus super hunc locum ait, Qui de numero virginum est, ob leve quoque peccatum, non potest suscitari: non quòd non susci-

tetur; sed nequaquam suscitabitur virgo Israël. Non est enim eadem gloria ejus, qui semper secutus est Dominum, & ejus qui aberravit à grege, & posteà boni Pastoris humeris reportatus est. Respondeo 3. quòd si peccatorem pœniteat, si diligenter agat pœnitentiam, si ob irregularitatem non sit amotus ab officio, aut si grave aliquod & scandalosum peccatum non commiserit, tunc ad pristinam dignitatem restaurari debet; secus verò, non. Nostra responsio patet ex Gregorio IX. extra *de tempore ordinationum* cap. *finali*, ubi habetur: *Quæsitum est de sacerdotibus, vel aliis clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii bonum conscientiæ rectæ perdiderunt: & respondemus, si prædicta crimina ordine judiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, præter reos homicidii, post pœnitentiam, in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus, impediri non possunt.* Hoc habetur etiam ex Concilio Agathensi can. 10. relato dist. 50. cap. *sanctitas*, ubi habetur: *Contumaces clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur; ita ut, cùm eos pœnitentia correxerit, gradum suum dignitatemque recipiant.* Hoc probat Gratianus exemplis dist. 50. can. *Si post*, ubi notat, Aaron post conflatum vitulum in summum sacerdotem consecratum fuisse, David post adulterium & homicidium Prophetiæ spiritum recepisse, Petrum post negationem Christi principem Apostolorum constitutum fuisse, Paulum post lapidationem Stephani Apostolum Christi fuisse electum, plurésque Episcopos ab hæresi vel à schismate redeuntes, ad priores Episcopatus fuisse restitutos, ut ex Conciliis & annalibus Ecclesiasticis habetur communiter. Quòd si ex Ilerdensi conc. relato dist. 50. habeatur, Hi qui sancto altari deserviunt, si subito in flenda carnis fragilitate corruerint, & Domino respiciente dignè pœnituerint, officiorum loca sic recipiant, nè possint ad altiora officia ulteriùs promoveri: ergo pœnitens saltem non potest promoveri ad altiora officia; hoc intelligitur de his, qui luctuosam & publicam egerint pœnitentiam, qui primis Ecclesiæ temporibus non poterant etiam aliquando restitui ad pristinos honores, nec ad majores promoveri; non desperatione indulgentiæ, inquit Augustinus epist. 50. ad Bonifacium, sed ex rigore disciplinæ Ecclesiasticæ; aliàs disputaretur contra claves Ecclesiæ, de quibus dicitur, *Quæcumque solveritis.*

Quæres secundò, an ille qui resurgit à peccato per Pœnitentiam, resurgat ad majorem gratiam? Dissentiunt Doctores: omnes quidem dicunt, quod resurgat ad majora merita, quia ad antiqua merita mortificata quæ redeunt per Pœnitentiam, additur meritum Pœnitentiæ seu actûs Contritionis quem elicit: omnes etiam fatentur, quòd resurgat ad majorem gloriam, quia gloria datur juxta intensionem meritorum: cùm ergo resurgat ad majora merita, resurgit etiam ad majorem gloriam. An autem resurgat ad majorem gratiam; alii respondent negativè, quia prima gratia, inquiunt, extincta est per peccatum, & merita remanent in acceptatione divinâ; & sic licet resurgat ad majora merita, non tamen resurgit ad majorem gratiam, nisi actus Contritionis sit ita intensus, ut per illum mereatur majorem gratiam illâ quam perdidit: Alii verò & verisimiliùs affirmant, & hoc juxta Concil. Trident. sess. 6. can. 16. & 33. ubi habetur, quòd recuperetur gratia per Pœnitentiam; quòd si recuperetur gratia, & addatur nova correspondens actui Pœnitentiæ, sequitur quòd per Pœnitentiam ille qui resurgit à peccato, resurgat etiam ad majorem gratiam, sicut ad majorem gloriam & ad majora merita; & sic dicendum est, quòd gratia maneat etiam in acceptatione divinâ, quia merita non sunt merita, nisi quatenus informantur gratiâ; unde si merita maneant in acceptatione divina, manet etiam gratia. Nec est dicendum, quòd peccator recipiat utilitatem à peccato, si resurgat ad majorem gratiam & gloriam; hoc enim non provenit ex peccato, sed ex pœnitentiâ & meritis præcedentibus. Nec est etiam dicendum, quòd minori Contritioni dabitur gratia major; licet enim gratia correspondens Contritioni sit major vel minor juxta intensionem Contritionis, attamen gratia correspondens meritis præcedentibus potest esse major, si major fuerit ante peccatum.

Confirmatur nostra opinio ex Scripturâ, Patribus, & ratione: quòd scilicet ille qui resurgit per pœnitentiam, resurgat ad majora merita, ad majorem gratiam, & ad majorem gloriam, quàm ante peccatum; quia resurgit ad eamdem gratiam quam habebat, & aliquem insuper gradum gratiæ acquirit, correspondentem actui pœnitentiæ, qui est meritorius. Probatur, inquam, primò ex Scriptura. Ezech. 33. *Si pœnitentiam agat impius, impietas non nocebit illi*; atqui noceret illi, si peccatum superveniens, remissum tamen per pœnitentiam, impediret nè gradus præcedentes gratiæ redirent secundum suam totam intensionem. Deinde, Luc. 15. pater jubet restitui filio prodigo stolam primam; quod denotat pœnitentem restitui ad integritatem gratiæ, quam ante peccatum habebat. Probatur 2. ex Patribus, præsertim Chrysostomo & Augustino. Ille Homil. 6. in Genesim ait: *Non ut in rebus sensibilibus, hic in usu venit; illic enim, qui redactus fuerit ex divitiis in extremam inopiam, eas brevi reparare nequit; hîc autem per misericordiam Dei, si nostra condonarit facta, poterimus statim ad pristinam abundantiam redire.* Iste autem epist. 54. ad Macedonium inquit: *In tantùm hominum iniquitas progreditur, ut etiam post actam pœnitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia, vel graviora committant; attamen Deus facit super illos oriri solem suum: nec minus tribuit, quam anteà tribuebat.* At, si omnes gradus pristini gratiæ præhabitæ non redirent, minus tribueret, quàm anteà: ergo illos restituit Deus. Probatur 3. ratione, ex hoc quòd, remoto obice vel impedimento, emanare debeat idem effectus, qui erat ante illud impedimentum, quandoquidem causa prohibens nihil aufert de virtute & efficacitate rei quam impedit, ut patet de columna impediente, nè lapis cadat, quæ nihil tollit de gravitate lapidis; sed peccatum mortale, quo merita mortificantur, est impedimentum obstans, nè pristina vivant merita: ergo, remoto peccato per pœnitentiam, merita, gratia, & jus ad gloriam redeunt ad eumdem gradum, quem anteà habebant; ex Scoto in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 1. Dixi, quantùm etiam ad gloriam; contra aliquos Thomistas, qui volunt, merita revivíscentia per pœnitentiam, valere quidem ad aliquod præmium accidentale; nempe ad aliquod gaudium, quod quis sit habiturus in gloria, quòd merita sua, per peccatum mortificata, per pœnitentiam revixerint; non verò ad præmium essentiale, in quantùm ex tali reviviscentiâ nullam recepturi sint gloriam, sed tantùm illam sint habituri, quam merentur per suam pœnitentiam. Quantùm autem hæc opinio sit absurda, ex eo patet, quòd inde sequeretur, hominem perfectissimæ vitæ, qui labitur in vnum peccatum mortale, à quo recedit per pœnitentiam, si moriatur, non habere plus

plus essentialis beatitudinis, quàm sceleratissimus, qui simili contritione convertitur in hora mortis.

Quæres tertiò, utrùm opera mortua per sequentem pœnitentiam reviviscant. Respondeo negativè, tum de operibus effectivè mortuis, seu mortiferis, quæ causant mortem animæ, qualia sunt peccata mortalia; quia talia censentur tantum per pœnitentiam aboleri; tum de operibus privativè mortuis, quæ, licèt non sint mortifera, imò possint esse bona moraliter, attamen dicuntur mortua, quia fiunt ab homine existente in peccato mortali. Quòd autem talia opera privativè mortua non reviviscant, patet ex eo quòd reviviscere sit remoto impedimento resumere vitam & valorem pristinum; sed opera mortua, quando facta sunt à peccatore, non meruerunt vitam æternam, quandoquidem ex Matth. 7. *Non potest arbor mala fructos bonos facere*: ergo ad illam reviviscere non possunt. Quod confirmari potest ex D. Paulo 1. ad Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*; atqui hæc omnia extra charitatem facta prodessent, si per pœnitentiam reviviscerent: ergo non reviviscunt. Si quis dicat, rem mortificatam difficiliùs reviviscere mortuâ, ut patet ex eo quòd è putredine possit mus generari, non verò è mortuo mure procreari vivus: sed opera mortificata reviviscunt: ergo & mortua. Negatur major; tàm enim mortua, quàm mortificata in naturalibus carent principio vitæ; in moralibus verò opera mortificata, dum facta sunt, habebant principium vitæ, quod remanet in acceptatione D. unde, si sint mortificata, hoc non procedit ex parte principii; sed ex parte impedimenti. *Dices:* Remotâ causâ, removetur effectus: ergo, remoto peccato, valent illa bona opera. Verum esset antecedens, si effectus ille aliquando adfuisset; sed quia nusquam fuit valor in operibus mortuis; ideo nec per pœnitentiam recuperari potest. *Dices*: Ergo desistendum est à bonis operibus, quando adest peccatum mortale. Negatur consequentia; quia, licet bona opera facta in peccato non sint meritoria vitæ æternæ, sunt tamen utilia ad bona temporalia, pariter & spiritualia; cùm enim Deus non sit injustus, ut non remuneret bona opera; cùm hoc non possit facere æternaliter, hoc facit temporaliter, bona temporalia conferendo. Unde ex Augustino 5. de Civit. cap. 15. Romani consecuti sunt orbis principatum, & imperii dignitatem, ob virtutes morales, & multa opera bona moraliter. Deinde, possunt prodesse ad obtinendas à Deo, saltem de congruo, gratias actuales, ad illustrandam hominis mentem, ut agnoscat perversitatem sui statûs; & emolliendam voluntatem, ut detestetur suum peccatum, nè unum suo pondere in aliud trahat. Tandem, prosunt ad vitanda majora tormenta in inferno; si enim peccator non eliciat ea opera, quæ sunt præcepta, majorum suppliciorum reus erit. Tres istæ utilitates operis boni facti in peccato continentur duplici versu relato cap. *quandoquidem*. de pœnitentiis & remissionibus,

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terra,
Cor faciunt humile, & minuunt tormenta gehennæ.

Quæres quartò, an sicut merita redeunt per Pœnitentiam, sic etiam redeant per novum peccatum peccata, quæ antea remissa fuerant per Pœnitentiam? Jam respondimus negative; quia tamen hoc majori explicatione indiget: Resp. primò, ipsa non redire quoad culpam; destructa sunt enim per Pœnitentiam; & sic si redirent, Deus illa reproduceret, quoniam homo ea non reproducit; hoc

A autem dicere est blasphemum. Resp. secundò, non redire peccata quoad pœnam sensûs, quia non redit pœna, si culpa non redeat. Resp. tertiò, peccata redire quoad privationem gratiæ, & quoad pœnam damni; quotiescumque enim aliquis in peccatum relabitur, privatur gratiâ & debitum incurrit carendi visione divinâ. Resp. quartò; peccatum posse redire tùm quoad culpam, tùm quoad pœnam, de potentiâ Dei absoluta; potuit enim Deus remittere tùm culpam tùm pœnam peccati, cum hac conditione, quòd si committeretur denuò peccatum, prima non censerentur ampliùs remissa, sed redirent tùm quoad culpam, tùm quoad pœnam; quia tamen remittuntur peccata absolutè & independenter ab eventu futuro, illa non redeunt. Resp.
B quintò, licet peccata non redeant formaliter, redeunt tamen virtualiter, in quantum aggravatur peccatum subsequens propter ingratitudinem in Deum, à quo peccator accepit summum beneficium, nempe remissionem peccatorum præcedentium, & quò peccata graviora sunt remissa, eò ingratitudo est gravior. Porrò, licèt illa ingratitudo sit circcunstantia notabiliter aggravans novum peccatum, non continet tamen omnem malitiam, quam continebant peccata remissa, nec constituit speciale peccatum. Quòd si in parabolâ Matth. 18. dicatur revocatum fuisse primò omne debitum servi, attamen regem posteà repetiisse illud debitum à servo, quia non misertus erat conservi sui; ex hoc non est concludendum quòd Deus sic faciat ad commis-
C sionem novi peccati; ex parabolâ enim nihil convincens inferri potest, sed tantùm attendi debet finis ipsius; unde cùm hæc parabola tantùm ostendere prætendat, faciendam esse eleemosinam; propterea non est concludendum, quòd peccata redeant, nisi virtualiter.

CAPUT SEXTUM.

De partibus Pœnitentiæ.

Partes essentiales Pœnitentiæ sunt tantùm duæ, scilicet Materia & Forma; per Formam autem
D intelligitur absolutio Sacerdotis debitè applicata; & per Materiam intelliguntur actus pœnitentis, præsertim Contritio & Confessio; nam Satisfactio est quidem pars integrans illius, non tamen essentialis, quia sine illâ potest remitti peccatum; ut patet de illis qui moriuntur antequam eam impleverint; est tamen pars integrans, quia ad integritatem judicii pertinet punitio delicti, seu satisfactio pro illo: sicut ergo omnia membra sunt partes integrantes hominis, corpus verò & anima partes essentiales illius, sic in pœnitentiâ Materia & Forma sunt partes essentiales, Satisfactio verò cum Contritione & Confessione est pars integrans. Volen-
E tibus ergo de omnibus agere, incipiendum est à Contritione.

Quæstio Prima.

Quid sit Contritio propriè sumpta?

Contritio est nomen metaphoricum sumptum à rebus naturalibus; sicut enim aliquid dicitur conteri, quod, cùm anteà durum fuerit, in minutissimas partes posteà comminuitur, ut destruatur; sic voluntas hominis dicitur conteri, quia cùm anteà veluti indurata fuerit in peccato, posteà

per gratiam emollitur & aboletur in eâ, tum peccatum, tum effectus peccati. Secundum rem, Contritio est internus animi dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi deinceps; & hæc dividitur in perfectam & imperfectam, juxta Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. Prima, de quâ nunc loquimur, vocatur Contritio simpliciter; secunda Attritio, & de illâ posteà dicemus.

CONCLUSIO.

CONTRITIO est dolor seu detestatio de peccato; ut est offensa Dei, super omnia detestabilia, propter Deum summè dilectum, cum spe veniæ & proposito non peccandi de cætero, & servandi mandata Dei, præsertim illud quod est de Confessione Sacramentali & de Satisfactione suo tempore faciendis. Dicitur primò, *dolor*; non quidem appetitûs sensitivi, sed voluntatis sibi displicentis & tristitiam habentis de peccato commisso; & in hoc Attritio convenit cum Contritione. Quòd si non habeatur tristitia de his quæ voluntariè accidunt, non minus tamen habetur de peccato; licèt enim velimus illud cùm committimus ipsum, tamen illud nolumus dum conterimur. Dicitur secundò, *peccati ut est offensa Dei*; quia peccatum est objectum contritionis, ut est offensa Dei; detestari enim peccatum ut est contra rationem, vel ut sanitatem minuit, non est habere veram contritionem. Dicitur tertiò, *super omnia detestabilia*; detestamur enim malum culpæ, & malum pœnæ; & ad veram Contritionem exigitur, ut plus detestemur malum culpæ, quàm quodcumque malum pœnæ: qui tamen conteritur non debet in particulari comparare singula mala, v. g. mortem temporalem, aut pœnam æternam, cum peccato, nec illam comparationem debent proponere confessarii, ut contritionem excitent in pœnitentibus; immò hoc periculosum est, ut notat D. Thomas hîc q. 3. art. 5. ad quartum; sed sufficit in confuso detestari peccatum super omnia mala detestabilia, & illa potiùs eligere, quàm peccatum. Dicitur quartò, *propter Deum summè dilectum*; *Veram* enim *pœnitentiam non facit, nisi amor Dei & odium peccati*, inquit August. serm. 7. de tempore: qui ergo detestaretur peccatum super omnia detestabilia, quia adducit reatum pœnæ æternæ, non contereretur; sed illa detestatio debet procedere ex amore Dei super omnia; non quidem intensivè, potest enim mater habere dolorem intensiorem de morte filii, quàm de peccato; sed appretiativè, ita quòd debeat præferre mortem filii ad peccatum. Dicitur quintò, *cum spe veniæ*; qui enim desperaret de misericordiâ consequendâ, committeret peccatum. Dicitur sextò, *cum proposito non peccandi deinceps*; si tamen hoc propositum fuerit tantùm implicitum, sufficit; illud autem includitur semper in Contritione; qui enim conteritur de peccato, diligit Deum super omnia, & non vellet illi displicere neque in præsenti, neque in futuro. Dicitur septimò, *cum proposito servandi mandata Dei*; qui enim non haberet talem voluntatem, censeretur habere affectum saltem virtualem ad peccatum. Additur tandem, *præsertim mandata de confessione & de Satisfactione*: quia licèt contritio tollat peccatum, hoc facit semper in ordine ad confessionem & satisfactionem, quarum votum includitur saltem virtualiter in Contritione.

QUÆRES, utrùm Contritio cum tali voto remittat peccata ante Absolutionem? Omnes respondent quod sic, quando Contritio elicitur extra Sa-

A cramentum, ita quòd homo eliciens actum Contritionis cum voto confitendi peccata, datâ occasione, illicò gratiam recipiat; unde si posteà confiteatur peccata, hoc est ut suum votum impleat & recipiat augmentum gratiæ virtute Sacramenti, & relaxationem pœnæ debitæ peccatis, & ut securior sit de remissione peccatorum; quia si habuisset tantùm Attritionem loco Contritionis, peccata quæ non fuissent remissa per talem Attritionem, remitterentur per Absolutionem sequentem, modò perseveraret Attritio. An verò per Contritionem remittantur peccata in Sacramento ante Absolutionem; aliqui respondent negativè, asserentes illam

B Contritionem præcedentem Absolutionem manere in acceptatione divinâ, donec adveniat Absolutio, cui præcisè spectat gratam conferre & remittere peccatum: alii tamen meliùs asserunt, ipsam Contritionem conferre gratiam pro eo instanti quo elicitur, etiamsi nondum advenerit Absolutio; quod videtur conforme Concilio Trident. sess. 14. cap. 4. Quòd si dicatur, Ergo frustra recipitur Absolutio: Ergo etiam falsa est forma Sacramenti, quâ Sacerdos dicit, *Ego te absolvo*: respondebitur, Utramque consequentiam esse falsam: Primò enim Absolutio non est frustra; auget enim gratiam quam confert *ex opere operato*, pœnam temporalem remittit, & hominem reddit securiorem; cum enim nullus sciat se esse contritum, debet absolvi, ut vi Sacramenti & Absolutionis ex attrito fiat contritus. Secundò, forma Absolutionis non est falsa; Sacerdos enim di-

C cens, *Ego te absolvo*, non intendit absolvere absolutè, sed secundùm exigentiam pœnitentis, in quantum scilicet Sacerdos potest, & pœnitens indiget; ita quòd si pœnitens habet tantùm Attritionem de peccatis, reverà absolvat de illis; si verò peccata sint remissa per antecedentem Contritionem, pro tunc non remittit quidem peccata, sed gratiam auget, pœnam peccatorum minuit, & vulnus peccati tollit; quæ omnia sunt beneficia absolutionis; & sic verba Sacerdotis dicentis, *Ego te absolvo*, non sunt falsa.

QUÆSTIO II.

D *Quid sit Attritio, & quomodo à Contritione differat?*

ANTEA loquuti fuimus de Contritione, quam aliqui dicunt esse actum Charitatis, quia procedit ex amore Dei super omnia; licèt meo sensu potiùs dici debeat actus pœnitentiæ virtutis: licèt enim Contritio includat actum amoris Dei, elicitur tamen à Pœnitentiâ, quæ est virtus inclinans hominem ad compensandam offensam Deo factam; unde est quædam species justitiæ commutativæ, quæ habet quatuor actus; quorum primus est dolor interior de peccato commisso, secundus est propositum non ampliùs peccandi; tertius est confessio

E peccatorum; quartus tandem est satisfactio pro pœnâ debitâ peccato; nunc ergo dicendum est de Attritione.

CONCLUSIO.

ATTRITIO ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. est dolor imperfectus de peccato commisso, quatenus oritur, non precisè ex dilectione Dei super omnia, sed ex aliis motivis, v. g. ex metu gehennæ, & ex metu amissionis gloriæ, vel ob turpitudinem peccati, cum spe veniæ & intentione non

peccandi denuò. In hoc ergo differunt præcisè Contritio & Attritio, quòd Contritio fiat ex motivo amoris Dei super omnia, non sic verò Attritio: unde, si alii dicant, eas differre intensione vel duratione, aut quia una semper acceptetur à Deo, non semper altera; aut quia illa semper informatur gratiâ, non ista; aut tandem quia prima sufficit per se ad justificationem, non ultima; hæ omnes differentiæ non sunt essentiales; priùs enim naturâ est Contritio, quàm intendatur, quàm longius duret, quàm acceptetur, quàm sufficiat ad tollendum peccatum, & quàm informetur gratiâ, licèt eodem tempore Contritio sit Contritio & gratiam conferat. A fortiori adhuc rejiciendi sunt Dominicus Soto in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. & Gregorius de Valentia puncto 2. qui admittunt Contritionem & Attritionem distingui in hoc, quòd Contritio sit omnino supernaturalis, nec haberi possit sine gratiæ adjutorio; Attritio autem sit naturalis, nec tale auxilium requirat ut eliciatur. Hoc enim est absolute falsum, & Concilii Tridentini verbis omnino repugnans: nam sess. 14. cap. 4. determinatur, quòd Attritio, seu *Contritio imperfecta non solùm non faciat hominem hypocritam, sed magis sit donum Dei, & impulsus Spiritûs sancti, non adhuc inhabitantis, sed tantùm moventis*; & cæt.

Prolixiùs explicans contendens Gamachæus differentiam Attritionis à Contritione, ait cap. 3. de Pœnitentia, quòd inter se differant quatuor modis. Primò, ratione objecti formalis; quia Contritio est de peccato mortali, quatenus reputatur super omnia detestabile; ubi Attritio, licèt oderit ac detestetur etiam peccatum; non tamen ipsum detestatur super omnia mala quæ advenire aut cogitari possunt. Deinde, Contritio detestatur peccatum, quatenus Deum offendit illique displicet; Attritio autem odit peccatum, potiùs in ordine ad nos, quàm aliter; quatenus v. g. peccatum nobis nocet, lædendo famam nostram, vel malum pœnæ nobis afferendo. Secundò, differunt ex causa finali, seu ex motivo; quia essentialis actus Contritionis est propter summum Dei amorem ac dilectionem ejus super omnia, quamvis nullæ pœnæ peccatum sequerentur; Attritio verò, vel ex solo metu pœnarum, vel paradisi perdendi timore concipitur, nec concipitur ex aliquo vero & formali amore Dei. Tertiò, differunt ex objecto materiali extensivè sumpti, seu quoad universalitatem; quia omnis vera Contritio, saltem virtualiter, extenditur ad omnia peccata mortalia ante commissa; ut ea plenè & ex animo detestetur. Cùm enim detestetur peccatum, ut est offensa Dei, omnia detestari debet, quoniam Deus per singula offenditur: non sic autem semper Attritio est generalis, quia, saltem in sua inceptione, potest esse particularis; cùm sæpè sæpiùs peccator incipiat detestari unum peccatum propter aliquam difformitatem, & posteà aliud propter aliam, quamquam illa Attritio non sit adhuc sufficiens ad effectum Sacramenti consequendum. Quartò, differunt ab effectu, quia Contritio ex seipsa, statim, & infallibiliter destruit & delet formaliter peccata; non autem Attritio, quæ conjungi debet cum Sacramento, ut hunc producat effectum.

Objicies. Perfectum & imperfectum non differunt specie, sed tantùm secundum magis & minus, ut patet de omnibus qualitatibus, quæ perfectæ censentur si habeant omnes gradus qui possunt illis competere; & imperfectæ vocantur si aliqui ipsis deficiant; sed ex Concilio Trident. Contritio est dolor perfectus, & Attritio est dolor imperfectus, seu Contritio imperfecta: ergo non differunt spe-

A cie. Resp. disting. majorem; Perfectum & imperfectum differunt tantùm secundùm magis & minus, quando perfectio & imperfectio respiciunt eandem qualitatem, ut patet in qualitatibus simplicibus, quæ desumunt tantùm suam perfectionem vel imperfectionem ex sola intensione vel remissione graduum; concedo: quando perfectio vel imperfectio respiciunt totum aliquod compositum, cujus perfectiones sunt diversæ, nego: Tunc enim illud totum dicitur perfectius, quod habet plures perfectiones diversas; & illud imperfectius, quod illas non habet; & ob hanc diversitatem perfectionum illa composita censentur diversa specie. In proposito autem nostro, perfectio & imperfectio Contritio-

B nis & Attritionis non attenduntur penes intensionem aut remissionem ejusdem qualitatis, quòd scilicet Contritio sit dolor major & Attritio minor; sed respiciunt diversitatem qualitatum, moraliter saltem distinctarum, quòd scilicet dolor Contritionis sit caussatus ex motivo Dei summè dilecti, & Attritionis dolor sit productus ex alio motivo, scilicet ex metu pœnarum, vel ex desiderio beatitudinis acquirendæ. *Dices*: Si Contritio & Attritio differrent specie, Attritio non posset fieri Contritio; quandoquidem impossibile est unam speciem mutari in alteram, sed ex attritione fit contritio, quia ex attrito quis fit contritus, juxta commune axioma Ca-

C nonistarum: ergo Contritio & Attritio non differunt specie. Resp. Quòd Attritio non possit fieri Contritio, etiamsi Attritioni addantur innumeri gradus; sed ex attrito potest quis fieri contritus; non quidem formaliter, sed æquivalenter; in quantum, accedente Sacramento, attritus recipit peccatorum remissionem, ac si esset contritus.

Quæres, quotuplex sit Attritio supernaturalis & sufficiens ad recipiendam gratiam Sacramenti Pœnitentiæ? Hic loquimur tantum de supernaturali attritione, & non de aliis speciebus, quæ enumerantur in sequentis quæstionis prænotatione; & ad hoc Respondeo, duplicem esse; unam quæ concipitur ex metu gehennæ, & aliam quæ oritur ex fœditate & turpitudine peccati; conformiter

D Concilio Tridentino, quod hanc Attritionis divisionem insinuat cap. 4. sess. 14. Ratio hujus est, quia totuplex est Attritio, seu Contritio imperfecta, ut cum Concilio loquamur, quotuplex est malum, quod Attritionem excitat; sed istud duplex est, nempe malum pœnæ, & malum culpæ: ergo & duplex Attritio, quorum una oritur ex metu supplicii æterni, & alia ex consideratione turpitudinis peccati. Si quis dicat alias adhuc reperiri attritiones: v. g. quando quis dolet de peccato ex motivo justitiæ, religionis, aut virtutis alterius, quæ læditur per peccatum; vel quando quis dolet ex amore beatitudinis æternæ. Resp. illas reduci ad alteram illatum. Nam, quando aliquis detestatur

E peccatum ex amore virtutis; hic dolor reducitur ad attritionem conceptam ex fœditate peccati, quandoquidem nemo potest detestari fœditatem peccati, nisi amet pulchritudinem virtutis oppositæ. Quando etiam quis detestatur peccatum ex amore beatitudinis æternæ, hoc reducitur ad metum pœnarum; quoniam ejusdem est, odisse peccatum ex amore boni, quo privat; & ex timore mali contrarii, quod inducit: uterque enim actus spectat ad virtutem spei, quæ inclinat ad expectandum fœlicitatem, & timendum malum ipsi oppositum.

Quæres, an Attritio ex metu pœnarum concepta sit utilis? Hoc negant Lutherani & Calvinistæ, dicentes dolorem metu pœnarum conceptum non tantum non esse bonum & utilem, sed esse

peccatum. Kemnitius tamen coactus est suffragari Concilio Trid. Unde nititur excusare Lutherum, quòd voluerit tantùm, attritionem solam naturalem esse peccatum; sed immeritò suum magistrum excusare nititur, quandoquidem Leo X. in bulla contra Lutherum, inter alios articulos damnat istum: *Contritio, quæ paratur per discussionem & detestationem suorum peccatorum, qua quis recogitans annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando gravitatem, multitudinem, & fœditatem peccatorum, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis incursum; hæc contritio facit hominem hypocritam, immò magis peccatorem.* Respondendum est ergo, cum Concilio Trid. expressè loquente de Attritione, seu contritione imperfecta, hunc dolorem esse bonum & utilem. Nam sess. 14. cap. 4. sic habet: *Illa verò contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudine peccati, vel ex gehenna pœnarumque metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat sancta synodus, non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem: verùm etiam, esse Dei donum, Spiritûs sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis; quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; & quamvis, sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Hoc confirmat Scriptura multis in locis, sed præsertim Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* Matth. 3. *Genimina viperarum, quis demonstravit vobis fugere à ventura ira?* Et Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam.* Et Scripturæ adstipulatur Augustinus in Psal. 127. dicens, *Gehennæ timor, ex quo nascitur attritio, bonus est ac utilis.* Ratio nostra est, quia tria in Attritione peccatorum ex metu gehennæ reperiuntur, nimirum voluntas fugiendi pœnam æternam, deinde medium illam fugiendi, scilicet detestatio peccati, ac denique ordinatio hujus medii ad finem; sed unumquodque horum trium bonum & honestum est; scilicet velle fugere pœnam, quæ cum verè mala sit, timenda est homini; deinde, bonum est detestari peccatum, ac honestum inhonesta detestari; ac denique nil honestius est, quàm adhibere medium honestum & bonum ad fugiendum aliquid malum & inhonestum: ergo nihil mali esse potest in eo, qui volens fugere peccatum interponit metum gehennæ, ut illud fugiat, in quo stat tota ratio contritionis. Objectiones contra hanc propositionem adduci solitæ solvuntur in quæst. sequenti. Lutherani nedum errant in hoc, quòd credant Attritionem esse malam; sed etiam in hoc, quòd existiment illam non esse liberam, nec ad Evangelium, sed ad legem pertinere. Lutherani, inquam, sentiunt contritionem non esse liberam, sed coactam & extortam; immo, non esse, actionem, sed meram passionem; non enim, inquiunt, homo se ipse conterit, sed Deus est, qui eum conterit malleo legis & minarum; unde in articulis Smalchaldicis tit. de pœnitentia comparat Lutherus legem fulmini percutienti ex Hierom. 23. *Verba mea sunt quasi malleus conterens petras.* Sed quantum illi hæretici in hoc erraverint, patet ex Joel. 2. *Scindite corda vestra:* ex Matth. 3. *Pœnitentiam agite:* & ex Act. 27. *Nunc annuntiat hominibus, ut omnes ubique pœniteatiam agant.* At ridiculum esset excitare ad aliquid coactum, & non potius ad quid liberum. Quando etiam dicunt, duas esse pœnitentiæ partes, nimirum fidem, quam dicunt esse fiduciam quamdam certam remissionis peccatorum ex Evangelii promissione conceptam; & contritionem, quâ intelligunt terrores conscientiæ ex minis legis incussos, hoc ultimum esse falsissimum convincitur, tum ex hoc, quòd terrores illi, & non pœnitentia, sint in dæmonibus, *qui credunt & contremiscunt*; tum quia multi pœnitentiam agunt ex solo amore, & non ex timore pœnæ, ut patet ex Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa, quoniam dilexit multùm. Quòd etiam fides non sit pars pœnitentiæ, licet ad pœnitentiam præquiratur, patet ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 6. ubi fides primo loco ponitur inter dispositiones ad justificationem, & pœnitentia quintum locum obtinet.

Quæstio III.

An Attritio sufficiat ad remissionem peccati?

Hic non loquimur de illo dolore, quo quis dolet de peccato ob pravum finem; v. g. de gulâ, quia non potest adimplere actum venereum, iste enim est malus: nec de illo qui elicitur ob finem naturalem; ut quando quis dolet de peccato, quia est contra rationem, vel contra Deum authorem naturæ; ille enim est naturalis, & sic non potest obtinere gratiam quæ supernaturalis est: Nec de illo qui est sine proposito, saltem virtuali, non peccandi in posterum; esset enim ille dolor compatibilis cum voluntate peccandi: sed loquimur de illo dolore & de Attritione illâ, quæ secundùm Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. elicitur impulsu Spiritûs sancti moventis hominem ad illum actum doloris super omnia sua peccata, sivè in communi, sivè in particulari; quæ quidem Attritio procedere potest vel ex fœditate peccati, vel ex metu gehennæ, vel ex amore gloriæ. Quantùm ad ethimologiam Contritionis & Attritionis; dicendum est, quòd Contritio dicatur, quasi multorum simul tritio, seu comminutio; attritio verò idem sit, ac fractio rei in grossiores & majores partes; ita quòd, attributio differat à contritione, sicut fractio à comminutione. Quocirca dicitur aliquis attritus spiritu, quando jam incæpit in eo minui affectus voluntatis ad peccatum; contritus verò, quando affectus peccati planè desiit. Per mortale peccatum, cui pertinaciter aliquis adhæret, cor ejus ad instar lapidis ità obduratur, ut non cedat, imò resistat inspirationibus divinis; unde dicitur Ezechielis 36. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Cùm ergo peccator excitatus per gratiam incipit detestari peccatum ex fœditate illius, vel ex metu pœnarum, dicitur habere attritionem; quia cor ejus emollitur: quando verò perfectè detestatur peccatum, ex motivo perfecto, nempe charitatis; tunc habere censetur contritionem. Fatentur omnes, hunc dolorem de peccato ad justificationem sufficere; sed utrùm satis sit habere secundum, hoc est, quod quærimus.

Conclusio.

Ad remissionem peccati sufficit Attritio cum sacramento, unde homo solùm attritus potest recipere fructuosè absolutionem à peccatis. Sic Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. determinans,

quòd attritio, quam vocat contritionem imperfectam, *non solùm non faciat hominem hypocritam & magis peccatorem, sed esse donum Dei & impulsum Spiritûs sancti, non adhuc inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sine sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem peccatorem perducere nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Catechismus Romanus idem affirmat cap. 5. secundæ partis: Augustinus similiter; lib. enim de Catechisandorum rudimentis, cap. 17. dicit: *Qui volunt fieri Christiani, tenentur habere aliquam dispositionem, non omninò perfectam, sed sufficientem, ut baptismum recipiant & per illum justificentur*: loquitur autem Augustinus de Attritione quæ habetur ex metu damnationis, & dicit illam esse sufficientem, ut quis per baptismum gratiam recipiat. Accedit determinatio Facultatis Parisinæ, quæ anno 1638. declaravit contrariam opinionem esse temerariam, erroneam, & virtutis sacramenti Pœnitentiæ imminutivam. Ante Concilium Tridentinum non erat quidem hæc opinio communis, sed postquam determinavit, contritionem hanc imperfectam reddere hominem ritè dispositum ad recipiendam gratiam in sacramento Pœnitentiæ, paucissimi ab eâ discesserunt. Loco enim citato loquitur de dispositione proximâ, ut patet ex verbis Concilii. Quando enim dicit: *Quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat peccatorem; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*: per hoc discrimen apponit inter Attritionem in sacramento & extra sacramentum; quòd scilicet extra sacramentum non sit dispositio proxima, benè autem in sacramento; aliàs sequeretur, quòd attritio extra sacramentum, nequidem remotè disponeret ad gratiam, quod tamen falsum est. In hoc ergo differunt Contritio & Attritio, juxta mentem Concilii, quòd illa per se & proximè, etiam sine sacramento actualiter recepto, disponat ad gratiam recipiendam; & ista tantùm cum sacramento proximè ad justificationem præparet.

Confirmatur conclusio rationibus. Primò, quia Pœnitentia dicitur sacramentum mortuorum, in quantùm per absolutionem dat vitam gratiæ peccatoribus; sed si ad absolutionem requireretur Contritio, absolutio nunquam remitteret peccata, quia contritio præcedens sacramentum Pœnitentiæ seu absolutionem, illa remittit & gratiam confert, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4. ergo Attritio sufficit ad remissionem peccati mediante absolutione. Secundò, quia Christus dedisset frustra potestatem clavium sacerdotibus, si contritio prævia ad absolutionem requireretur; nunquam enim sacerdotes peccata solverent, quandoquidem jam essent soluta per contritionem; & sic sacramentum Pœnitentiæ careret suo effectu, qui est peccati remissio, & sacerdotes suâ jurisdictione: ergo dicendum est, quòd attritio sufficiat, quâ positâ, absolutio habet suum effectum, & sacerdos utitur suâ authoritate. Tertiò, quia in lege Mosaïcâ per solam contritionem peccata remittebantur sine confessione: ergo nostra esset durior, si cum confessione requireretur Contritio: ergo, ut sit dulcior, debet dici quòd sufficiat sola Attritio cum confessione & absolutione. Nec dicat Sotus, has rationes admitti tantùm pro attritione existimata, quæ putatur quidem esse contritio, licèt non sit nisi sola attritio; ita quòd verum sit dicere, dolorem, qui à pœnitente existimatur attritio, non posse cum sacramento peccatum remittere; secùs autem, si ille dolor existimetur contritio, cùm tamen sit in se solùm attritio. Hoc inquam à Soto perperam & sine fundamento allegatur, imò & contra mentem Concilii. Cùm enim dogmaticè loquendo dicat simpliciter, attritionem in sacramento disponere ad gratiam; hoc intelligendum est de quacumque attritione, & non tantùm de illa, quæ existimetur contritio; maximè, cùm ridiculum sit dicere, simplicem existimationem hominis facere, aut non facere partem essentialem sacramenti Pœnitentiæ. Porro, ex hac opinione sequitur, peccatorem, qui scit se tantummodò esse attritum, posse petere absolutionem, & confessarium posse talem absolvere; quia hæc sententia est nunc ita certa in praxi, ut nec pœnitens, nec sacerdos sint in periculo prophanandi sacramentum: consulerem tamen utrique, ut in extremis curarent de contritione excitanda.

Objicies primò, Attritio ex timore concepta non est meritoria: ergo non est sufficiens ad remissionem peccati. Resp. quòd timor potest concipi, vel ut excludit Deum, & est conjunctus cum affectu peccandi, ut quando quis esset paratus perseverare in peccatis, si pœna non esset illi imposita; & ille timor, qui vocatur serviliter servilis, malus est, quia includit affectionem ad peccatum; alius est timor qui est servilis simpliciter, & qui non admittit talem affectum ad peccatum, nec Deum excludit, quo videlicet peccator Deum punientem ita timet, ut ad illam pœnam evitandam doleat de peccatis, & iste timor bonus est; Deus enim illum excitat in nobis, dicens Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus; sed timete eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam*; & ille timor sufficit ad justificationem cum absolutione. Si quis dicat, dolorem illum, qui non habet Deum pro motivo, non posse hominem justificare, quandoquidem justificatio est conversio peccatoris ad Deum, à quo peccando discesserat. Resp. dist. antecedens; si dolor ille nullo modo habeat Deum pro motivo, concedo; si habeat Deum pro motivo, saltem concomitanter, nempe per aliam virtutem sibi conjunctam, nego. Licèt autem attritio non habeat Deum pro motivo formali sui doloris, qui causatur tantùm ex difformitate peccati, aut ex metu pœnæ; attamen illa conversio, seu ille dolor respicit Deum, saltem concomitanter, per virtutem spei, necessariò conjungendam cum dolore attritionis, ut per illum quis possit obtinere remissionem peccati. Ad hoc enim, ut quis ad justificationem disponatur per attritionem in sacramento Pœnitentiæ, Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. exigit, ut voluntatem peccandi excludat, & sit cum spe veniæ. Cùm ergo spes, quæ est virtus Theologica, habeat Deum pro objecto & pro motivo, proinde attritio respicit aliqualiter Deum, & est ad Deum conversio; nisi formaliter, saltem concomitanter.

Objicies secundò. Ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. non justificantur adulti, nisi Deum diligere incipiant: ergo non sufficit Attritio orta ex timore sine amore Dei. Resp. in Attritione involvi actum divini amoris, saltem virtualiter & remotè, qui enim timet infernum, desiderat virtualiter possessionem gloriæ, quoniam inter utrumque non est medium; qui autem cupit gloriam, vult etiam virtualiter amare Deum, in quo stat beatitudo. Dices: Qui culpam odit propter pœnam, malè agit; quia culpa, quæ est malum gratiæ, est odibilior pœna, quæ est malum naturæ. Resp. odisse culpam

Contritio habent aliquid de actu prudentiæ, quæ ex Bern. Serm. 49. in Cantica dicitur moderatrix & auriga virtutum, ponens ordinem omni virtuti, motum directrix & ordinatrix affectuum; sine quâ virtus ipsa vitium erit. Cùm ergo motus prudentiæ feratur in futurum, proinde Contritio, quæ habet aliquid de prudentia, secundariò potest respicere peccata futura, ut cavenda & fugienda; imò, potest illa detestari per anticipationem, supposito, quòd aliquando futura sint.

Quæres. An dolor requisitus ad Contritionem debeat ita absolutè esse supernaturalis, ut sine illo, nec Sacramentum possit consistere; nec illius effectus, qui est gratia, obtineri? Omnes quidem fatentur, dolorem supernaturalem requiri, ut quis per Sacramentum Pœnitentiæ gratiam recipere valeat, ut probavimus in antepenultima quæstiuncula præcedenti; sed aliqui existimarunt, cum dolore naturali posse subsistere hoc Sacramentum, licèt pro tunc maneret informe. Ratio eorum est, quòd Christus pro materia sacramentorum instituerit rem naturalem, nempe aquam in Baptismo, balsamum in Confirmatione, panem & vinum in Eucharistia, & oleum in Extrema-unctione: ergo, inquiunt, cum dolore naturali stare potest hoc Sacramentum; nec pro tunc illi deest aliqua pars essentialis, cùm possit habere Satisfactionem, Confessionem, & Contritionem, quam non determinavit Christus debere esse supernaturalem. Sic Bonacina cum multis ab illo citatis Disput. 5. de Pœnitentiæ Sacramento quæst. 3. punct. 2. ʃ. *ad secundum dubium*. Contra illos tamen *Resp.* dolorem supernaturalem requiri ad validitatem hujus Sacramenti, ita quòd sine illo, nec possit existere, nec conferre gratiam; nec proinde, sicut aliqua alia Sacramenta, esse validum & informe. Hoc videtur determinatum in Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. ubi agens de Contritione imperfecta, quæ est pars essentialis hujus sacramenti, ipsam vocat *donum Dei, & impulsum Spiritus sancti*; quod denotat eam debere esse supernaturalem, ut validum sit Sacramentum. Non est enim verisimile, quòd Christus instituerit pro parte hujus Sacramenti aliquam rem, quæ scienter non posset admitti sine sacrilegio, quod committeretur, tùm à pœnitente, qui solo dolore naturali tactus peteret absolutionem; tùm à Sacerdote, qui absolveret pœnitentem cum solo dolore naturali. Nec est eadem ratio de aliis Sacramentis, in quibus dispositio ad gratiam non est pars materialis, sicut in isto: unde, licèt in illis res naturalis sit materia, in isto tamen materia, nempe Attritio aut Contritio, debet esse supernaturalis. Quia, cùm Christus instituerit hoc Sacramentum in remissionem peccati, & voluerit, dolorem esse partem ejus materialem; congruentius erat, ut assumeretur ille dolor, qui ad remissionem peccatorum disponeret, & talis esse debet supernaturalis, ut dispositio sit proportionata formæ introducendæ, nimirum gratiæ. In prima opinione, confessus cum dolore naturali, quem credit supernaturalem, agnito hoc defectu, non teneretur iterum confiteri peccata; sed, adhibito dolore supernaturali, cujus præcedens defectus, erat obex ad gratiam recipiendam, incipit reviviscere Sacramentum, & gratiam conferre. Contrarium verò sequitur ex opposita sententia, quam tuemur. Prima opinio est longè favorabilior pœnitentibus & Confessariis; sed nostra est multò tutior.

Quæstio IV.

An Contritio sit necessaria?

Calvinus docens totam justificationem esse fructum fidei justificantis, ut habetur ex lib. 3. Instit. cap. 3. ʃʃ. 1. proinde vult, nullam pœnitentiæ partem, nec consequenter contritionem, esse necessariam. Lutherus, qui videtur aliquando negasse necessitatem contritionis, dum in assertione articulorum suorum dicit art. 11. *Si Sacerdotis obtinueris absolutionem, crede fortiter te absolutum, & absolutus eris, quidquid sit de Contritione*; attamen illam expresse admittit, dicens art. 12. *Si per impossibile confessus non esset contritus, aut Sacerdos non seriò, sed joco absolvisset, si credat se esse absolutum, verissimè est absolutus*, ubi supponit, impossibile esse quòd quis sit absolutus sine Contritione; quia, ut ipsemet subjungit, impossibilis est fides sine Contritione. *Dixi, per impossibile, quia satis supra dictum est, fidem sine Contritione esse non posse: cùm gratia non infundatur, nisi cum magna concussione animæ.* Non erravit ergo Lutherus in neganda necessitate Contritionis, sed in hoc, quòd voluerit, non illi, sed fidei simpliciter attribui justificationem, volens hanc solummodò justificare. Opinio autem Catholica istis Hæreticis absolutè est opposita; cùm sustineat contra Calvinum, Contritionem esse prorsùs necessariam ad remissionem peccatorum; & contra utrumque ipsi attribuendam esse justificationem, tanquam ultimæ dispositioni ad eam requisitæ; non verò fidei, nisi præsuppositivè, in quantum fides præsupponitur quidem, sed non justificat. Hoc tamen ita intelligi debet, quòd si Contritio sumatur in genere, pro perfecta & imperfecta, tunc semper necessaria sit, tum in Sacramento, ubi saltem Attritio requiritur; tùm etiam extra Sacramentum, ubi Contritio perfecta necessaria est. Hoc posito, declarandum venit, quâ necessitate necessaria sit Contritio extra Sacramentum.

Conclusio.

Contritiò extra Sacramentum necessaria est; tùm necessitate medii, tum necessitate præcepti, naturalis, & divini. Hic loquimur de Contritione perfecta, quia sine Sacramento sola Attritio non justificat, ut habetur in Conc Trid. sess. 14. cap. 4. Probatur prima pars, ex eo quod illud sit necessarium necessitate medii, sine quo necesse est homines perire; sed talis est Contritio, quæ necessariò adjungitur pœnitentiæ, Lucæ 31. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*: ergo. Deinde, illud est medium necessarium peccatoribus, quo deleantur peccata; sed illud est pœnitentia, ut habetur Act. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*: ergo. Tandem, hoc ipsimet agnoverunt hæretici, quoniam Martinus Kemnitius Lutheri discipulus in 2. parte examinis pag. 301. ait: *Est & hoc extra controversiam apud nos, neminem posse Deo reconciliari, & remissionem peccatorum consequi, nisi agat pœnitentiam.* Quantùm ad secundam partem, quòd Contritio sit necessaria necessitate præcepti naturalis; habetur ex Concilio Trident. sess. 14. c. 4. ubi habetur, quòd Contritio necessaria fuerit omni tempore: ergo ante legem scriptam fuit necessaria; sed tunc non fuit necessaria jure positivo,

quod nondum erat: ergo erat necessaria ex lege naturæ. Hoc probat D. Thomas quæst. 84. art. 7. ad 1. & ratio est, quia sive contritio sit actus charitatis, ut aliqui volunt, sive actus justitiæ, ut existimant alii; ex utrâque parte dici debet, quòd contritio sit ex præcepto naturali. Nam ex prima parte, naturale est homini, ut Deum diligat; & proinde doleat quòd ipsum offenderit. Ex aliâ verò, quid conformius principiis naturæ, quàm reddere unicuique quod suum est; & reparare injuriam illatam proximo? Cùm ergo, contra omne jus, summam peccator injuriam irrogaverit Deo, quem ex infinitis motivis colere & diligere tenetur, nonnè postulat natura, ut injuriam quam peccando inflixit, pœnitendo reparet? Quantùm denique ad tertiam partem; nil frequentiùs insinuat Scriptura, quàm pœnitendi præceptum, ut patet ex locis proximè allegatis; & insuper ex Joel. 2. *Convertimini ad me, & scindite corda vestra.* ex Ezech. 18. *Projicite à vobis pravitates, & facite vobis cor novum.* & ex Apoc. 2. *Age pœnitentiam.* Ob hoc Kemnitius loco citato circa paginam 957. ait: *Ordo divinus est, quòd vult quidem evangelisare, sed pauperibus; vult sanare, sed contritos.*

Objicies: Si extra sacramentum necessaria sit contritio, quo fundamento dici potest, quòd non sit necessaria in sacramento, cùm protunc non cesset præceptum naturale, aut divinum? Respondeo, hoc præceptum de elicienda contritione esse quidem generale ex Luc 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; attamen videtur cessare, vel saltem modificari in lege nova; ubi, cùm abundantior sit gratia, faciliora evaserunt præcepta divina per sacramentorum efficacitatem. Licèt ergo in veteri lege necessaria esset absolutè contritio, imò & in nova, extra sacramentum; attamen Christus instituens sacramentum Pœnitentiæ, dedit potestatem clavium, & jus remittendi peccata Apostolis, quam reverà non haberent, si contritio necessaria esset in sacramento. Si enim ad absolutionem recipiendam à sacerdote prærequireretur contritio, tunc absolutio numquam remitteret peccata; quandoquidem jam essent remissa per contritionem, quæ de se habet vim justificandi. Dicendum est ergo, quòd licèt lex divina exigat contritionem extra sacramentum, ut probavimus; attamen attritio sola sufficiat in sacramento, tum propter rationes allegatas in antecedenti quæstione; tùm propterea quòd sacerdotes non haberent potestatem clavium quibus peccata remitterent; tum propter definitionem Concilii Tridentini, docentis hominem in sacramento per contritionem imperfectam esse dispositum ad gratiam; tum denique, quia lex nova esset rigorosior antiquâ, si cum confessione exigeret adhuc contritionem perfectam. Unde dicendum est, quòd contritio in se, & abstrahendo à sacramento, sit necessaria necessitate medii & præcepti, naturalis & divini; in sacramento autem sufficiat attritio ad justificationem peccatoris, qui ex attrito fit contritus. Non quòd attritio fiat contritio, quia una species non evadit altera; nec quòd attritus fiat contritus formaliter; attritus enim semper remanet talis formaliter; sed attritus formaliter, mediante sacramento, fit contritus æquivalenter; in quantum attritio juncta sacramento habet vim justificandi, quam habet contritio ex se ipsa.

Quæres, ex quo præcepto decalogi oriatur necessitas eliciendi contritionem? Aliqui dicunt, non esse necessarium, quòd ad aliquod eorum reducatur; cùm sufficiat ad præceptum naturale, si

A lumine naturali cognoscatur, ipsum resultare ex aliquo, quod de isto verificari potest; ipsum scilicet reduci ad primum, quod nobis Deum diligendum præcipit. Noster Andræas Vega lib. 13. in Conc. Trident. can. 20. ipsum reducit ad quintum præceptum, *Non occides*, quo prohibetur, nè quis alium occidat, vel se ipsum, neque corporaliter, neque spiritualiter; quod ultimum tamen facit ille qui conteri renuit. Sed hoc propriè concedi non potest; quia in proprio sensu verborum decalogi, prohibet tantùm Deus læsionem corporis, non animæ. Melchior Canus reducit contritionis præceptum partim ad hæc generalia verba, *Diliges Dominum Deum tuum*, & partim ad ista, *Diliges te ipsum*; in quantùm, vi prioris, tenemur Deo re-

B conciliari per pœnitentiam; & vi posterioris debemus propriæ saluti consulere. Melius tamen est, si præcisè respondeamus, præceptum contritionis reduci ad speciale præceptum decalogi, videlicet ad primum; quia, si unquam præceptum charitatis aliquem obliget, maximè peccatorem, quando est actu in odio Dei, cui reconciliari tenetur per contritionem extra sacramentum, aut per attritionem in sacramento. Si quis dicat, præceptum charitatis comprehendi in omnibus præceptis decalogi, cujus obligatio est servare legem Dei ex amore ipsius: Respondendum est, quòd præter generale præceptum servandi omnia præcepta legis, datur aliud speciale, quòd in particulari obligat ad actus charitatis; sive illi actus sint dilectio Dei, sive de-

C testatio peccati, ut est offensa Dei. Si quis instet, quòd impœnitentia esset speciale peccatum, si esset contra speciale præceptum; quod negatur à Theologis, dicentibus, esse tantùm circumstantiam peccati: Respondendum est, impœnitentiam, esse etiam peccatum speciale, quando urget pœnitendi præceptum, v. g. in articulo mortis, in periculo vitæ, quando confiteri tenemur, & cæt. extra autem tales occasiones, & similes, impœnitentia est tantùm peccati circumstantia; qua homo eo magis sibi ad gratiam difficiliorem facit aditum, quo plus remanet in peccato.

D

Quæstio V.

Quo tempore necessarium est habere Contritionem?

Necessariam esse Contritionem ita probatum est in præcedenti quæstione, ut nequidem dici queat, baptismum aut charitatem posse justificare adultos, nisi præcesserit aliqua species contritionis, saltem imperfectæ, in displicentia peccati consistentis, quâ à peccatore tollatur obex impediens effectum baptismi. Licèt enim baptis-

E mus ex opere operato justificet homines, hoc tamen non facit sine aliqua detestatione peccati in adultis, juxta id quod habetur Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisque vestrum.* Quod confirmat Concilium Trid. sess. 6. cap. 6. Hujus ratio est, quòd ille qui propriâ actione voluntatis aversus est à Deo per peccatum, debeat per contrariam actionem ad Deum se convertere. Licèt etiam charitas videatur sufficere ad justificationem, ut patet ex Proverb. 10. *Universa delicta operit charitas*; non tamen hoc facit, nisi quia sibi adjunctam habet pœnitentiam; cùm nullus possit verè Deum diligere, nisi peccatum saltem virtualiter detestetur, per quod decidit à gratia Dei. Quòd si dicatur, aliquos ita repentè ad amorem Dei converti,

verti, ut non cogitent de peccatis suis; martyres v. g. peccatores ità velociter rapi ad martyrium, ut eliciant quidem actum dilectionis, non veró de peccatis cogitent, præ timore mortis, quo conturbantur; aliquos etiam ita oblitos esse peccatorum, ut non possint recordari, se illa commisisse. Resp. duo prima non esse probabilia; cùm illi, qui conscientiam habent peccati mortalis, volentes converti ad Deum, nil priùs cogitent, quàm de peccatis, quæ sibi odium Dei attraxerunt. Deinde, in his occasionibus, sicut & in tertia, dicendum est, sufficere contritionem virtualem, in duobus maximè casibus. Primò, cùm aliquis non habet tempus discutiendi suam conscientiam, & elicit actum amoris, ut in martyribus: secundò, cùm aliquis post accuratam discussionem conscientiæ suæ, non potest peccata sua revocare in memoriam; aliàs non diceret David Ps. 18. *Ab occultis meis munda me.* Ex his ergo patet, contritionem, sicut & pœnitentiam, necessariam esse omnibus & singulis viatoribus, qui peccatum mortale actualiter commiserunt. Ratione primi non convenit pœninitentia beatis, quia licet possint detestari peccata, quæ in vita sua commiserunt, non habent tamen propriam pœnitentiam aut contritionem; quia illa debet esse cum pœnalitate aliqua, cum dolore interno, & conducere ad remissionem peccati, quæ omnia non possunt competere beatis, qui sunt doloris incapaces, & quibus nullum peccatum absolvendum remanet. Non potest etiam convenire damnatis, qui, cùm obstinati & indurati sint in malo, non possunt ampliùs resipiscere. Nec denique potest competere animabus in Purgatorio existentibus; quia, licèt non sint obstinatæ in malo, licèt dolores patiantur, & detestentur peccata prætetita, non tamen habent actum Pœnitentiæ aut contritionis; quia, nec dolent, nec patiuntur ad remissionem culpæ. Ratione secundi, nec innocentes, ut B. Virgo; nec qui contraxerunt, solum peccatum originale; nec qui commiserunt tantùm peccata venialia, tenentur ad contritionem, aut pœnitentiam; quia, licet requiratur dolor in illis, qui peccata venialia volunt tradere sacramento Pœnitentiæ; attamen, cùm talia peccata non sint materia necessaria hujus sacramenti, ideò non tenentur absolutè de illis habere contritionem, aut pœnitentiam, cùm in Purgatorio remitti valeant. Superest tantùm, ut explicemus, quo tempore elici debeat contritio, quam diximus esse absolutè necessariam ad remissionem peccati.

Conclusio Prima.

LICET optimum esset, & in praxi christiana consulendum, ut qui peccavit, quàm primum eliciat actum contritionis; hoc tamen à communi Doctorum turma non censetur necessarium: quidquid dicat Guillelmus Parisiensis tractat. de Pœnit. cum aliquibus ex antiquis. Probatur primò, ex distinctione communi, quam adhibent omnes Doctores inter præcepta affirmativa & negativa, quòd illa obligent certis tantùm temporibus, ista veró semper & pro semper; sed præceptum contritionis & Pœnitentiæ est affirmativum, ut patet ex Scriptura, quæ semper commendat Pœnitentiam verbis affirmativis, Joel. 2. *Convertimini ad me.* Ezech. 18. *Projicite à vobis pravitates vestras.* Luc 13. *Nisi pœnitentiam egeritis.* Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*: ergo non obligat pro eodem instanti præceptum contritionis, quo commissum est peccatum. Secundò, si ad hoc obligaret præceptum contritionis, ille qui non contereretur in instanti proximo ad commissionem peccati, peccaret de novo; si in isto adhuc non contereretur, rursùs peccaret; & sic in posterum tot committeret peccata, quot relinqueret minima intervalla temporis, in quibus non eliceret contritionem; quod tamen falsum censetur in praxi Ecclesiæ: quandoquidem fideles non existimant se esse reos novi peccati, cùm non statim elicuerunt actum contritionis; nec de hoc sese accusant in confessione, tamquam de novo peccato, licèt hoc aliquando confiteantur, ut circumstantiam peccaminosam. Tertiò, non minus est necessaria confessio ad remissionem peccati in sacramento Pœnitentiæ, quàm contritio extra sacramentum, quoniam utraque est de præcepto D. ut dicemus posteà; sed non præcipit Ecclesia, ut fideles confiteantur quam primùm peccaverint, imò exigit tantùm confessionem annuam: ergo nec etiam contritionem extra sacramentum. Cùm enim ità sit difficile elicere contritionem, ut fortè plurimi extiterint, qui nequidem in tota vita ipsam habuerint; quare Ecclesia non præciperet confessionem, quæ loco contritionis cum attritione sufficere potest, si necessarium judicaret, ut quicumque fidelis recurreret ad contritionem, pro eo instanti quo peccavit?

OBJICIES: Ergo, si quis non tenetur pro eo instanti conteri, potest velle non pœnitere. Resp. non posse velle non pœnitere absolutè, benè autem pro aliquo instanti, ubi non videt periculum, & in quo contritio non est præcepta. Dices præceptum de agenda pœnitentia esse negativum; quia continet ista præcepta, nè maneamus in peccato, nè à Deo aversi simus, & similia. Resp. Licèt his verbis negativis possit explicari præceptum Pœnitentiæ; formaliter tamen est affirmativum. Dices: Quando lapsi sumus in morbum, tenemur recurrere ad medicum: ergo à fortiori, quando sumus in peccato. Negatur antecedens, quando medicina differri potest sine probabili periculo; & sic dicendum est de peccato: unde si immineret periculum moriendi, non deberet differri Contritio. Dices: Debemus corripere fratrem eo instanti quo lapsus est in peccatum: ergo debemus resurgere à peccato illicò ac in illud lapsi sumus. Resp. non teneri statim, nisi quando volitio peccati perseverat in fratre, vel quando timetur novum peccatum; & in his duabus conditionibus tenetur etiam conteri, vel saltem non continuare in volitione peccandi. Dices: Tenemur restituere statim ac furati sumus: ergo & reddere Deo honorem, eo instanti quo hunc illi abstulimus per peccatum. Negatur paritas, qui enim non restituit, transgreditur de novo præceptum non furandi, quo prohibetur subreptio & detentio rei alienæ; unde qui detinet, & non restituit quando potest, peccat: qui veró non conteritur, non it contra præceptum, quia non præcipitur Contritio pro omni tempore: deinde ille qui intulit injuriam cum damno, debet illicò illam reparare, non tamen quando est sine damno, ut quando Deum offendimus. Dices: Nullo momento licet esse in peccato: ergo omni momento debemus conteri. Distinguo antecedens, non licet esse in peccato positivè, idest non licet patrare peccatum, concedo: negativè, nego: possumus enim non conteri, quia contritio est præceptum positivum: quando ergo Scriptura dicit, *Non tardes converti ad Deum*; ibi est consilium, non præceptum.

CONCLUSIO SECUNDA.

LIcet Alensis noster 4. p. q. 17. memb. 2. art 2. §. 2. cum Richardo, Gabriele, Paludano, Sylvestro, & quibusdam aliis, existimet quemlibet teneri ad Contritionem, quoties prateritorum recordatur peccatorum, quibus offendit, quod non est verisimile; quia hoc casu sufficit, quòd in illis non habeat complacentiam. Licèt etiam Scotus in 3. dist. 28. q. 1. cum Soto putet, præceptum Contritionis obligare diebus dominicis, quos Deus instituit, ut ipsum colamus particulariter, amemus, & detestemur peccata, quæ nos in odio & aversione ipsius retinent; quod sanè probabilissimum est: quia tamen de hoc nullum habetur præceptum in Ecclesia, nec plusquam oportet onerandæ sunt conscientiæ, affirmare talem necessitatem non attentavero, licèt hoc facere congruentissimum mihi videatur; cùm opposita sententia sit longè communior apud Doctores. Respondeo ergo, præceptum Contritionis urgere duobus modis, nimirum per se, & per accidens. Urget per se in extrema necessitate, v. g. in articulo mortis, etiam existimatæ, & in periculo amentiæ perpetuæ; tunc enim urget, quando est necessitas se convertendi ad Deum, & talis adest in his casibus, vel nunquam adest; quia posteà nullum tempus superest ad Deum recurrendi. An autem necessaria sit Contritio per se extra hos casus; probabilius est, contra Navarrum, Vasquem, & aliquos. Quia; sicut præceptum charitatis exigit, juxta probabiliorem sententiam, ut nedum in articulo mortis, sed etiam pluries in vita Deum diligamus; sic etiam pœnitentia obligat, non solum in morte, fideles exire à peccato, sed etiam aliquoties in vita; cùm maximè rationi dissonum videatur, quòd liceat Christiano totam vitam terere in peccatis. Quoties autem ad hoc teneatur, dissentiunt Doctores, & determinare difficillimum videtur; ac libenter subscriberem Doctori nostro, qui Contritionem exigit diebus dominicis, sicut & actum amoris divini. Porrò, nè in hoc dubio Christiani nimiùm anxii maneant, satis providit Ecclesia per præceptum annuæ confessionis, quæ si debitè emittatur, non est periculum deficiendi in obligatione, quam fideles habent se convertendi ad Deum: protunc enim, si cum confessione & absolutione habeatur Attritio, non ampliùs urgere præceptum Contritionis contendunt plurimi; licèt contrarium sentiant alii, fundati in hoc, quòd non sit de fide, Attritionem justificare cum Sacramento; unde non improbabiliter volunt, ad majorem securitatem salutis animæ, quemlibet teneri curare, ut Contritionem habeat.

Urget per accidens & ex circunstantiis sequentibus præceptum Contritionis: Quando administranda sunt vel recipienda Sacramenta; nè videlicet in utroque casu committatur sacrilegium: Quando quis est in periculo aliud committendi peccatum, ad quod traheretur per peccatum præcedens, juxta illud Gregorii, *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit*: Quando quis rationabiliter dubitat de oblivione peccatorum: Quando graves urgent tentationes, quæ putantur non posse vinci sine speciali gratia excitante, quæ obtineri non solet, nisi quis per detestationem peccatorum conetur illam obtinere à Deo: Quando urget generalis calamitas Ecclesiæ, pro qua fit publica oratio, utpotè, cùm bellum, pestilentia, fames, & grandes terræ motus grassantur. Plures tamen existimant, in his casibus, tale consilium esse saluberrimum, non tamen urgere præceptum; nisi præsens instet periculum mortis, quod non habetur in datis casibus, nisi in illis v. g. qui adeunt conflictum. Omnes fatentur quidem, quando adest occasio recipiendi aut administrandi Sacramentum, necessariam esse Contritionem; sed in hoc differunt, quòd aliqui credant, illam esse necessariam ex se, alii verò tantùm per accidens, ratione sacrilegii vitandi. Si enim protunc esset necessaria per se, qui administraret aut reciperet Sacramentum sine contritione, duo peccata committeret; unum commissionis contra præceptum religionis, quæ præcipit, ut dignè tractentur Sacramenta; & aliud omissionis, contra præceptum Contritionis; quod tamen non est verisimile, neque pro omnibus Sacramentis, ut volunt plures; neque pro Sacramento Eucharistiæ in particulari, contra Sotum & Canum, volentes, propter Eucharistiæ dignitatem, peccari peccato etiam omissionis, dum quis illam sumere prætendens, omittit conteri. Porrò, quidquid diximus de necessitate Contritionis in præcedentibus; verisimilius est cum pluribus contra paucos, quòd si quis justificationem obtinuerit per pœnitentiam virtualem, nimirum per dilectionem Dei, non ampliùs teneatur ad actum Contritionis eliciendum; quia Contritio solùm requiritur in ordine ad recipiendam veniam peccatorum, quæ censentur esse remissa per pœnitentiam virtualem.

OBJICIES: Ex Levitici 23. censetur necessaria Contritio diebus Festis, quia ibi habetur, *Sabbatum requietionis est, affligetisque animas vestras*. Resp. hoc præceptum esse ceremoniale & Mosaïcum, quod in lege gratiæ absolutum est; neque ibi agitur de quolibet die festo, sed de unico tantum, nempe de festo Expiationis, quod mense septimo agebatur. Unde ex hoc non est concludendum, diebus festis eliciendam esse necessariò Contritionem; quandoquidem nullum ad hoc obligatorium affertur præceptum. *Dices*: Finis præcepti cadit sub præcepto; sed ideo Deus præcepit sanctificationem sabbati, ut fideles tali die gratum illi præberent obsequium, quod nullum est in peccato: ergo tunc debet emitti detestatio peccati. Resp. Majorem esse contra Theologos, qui dicunt, Finem præcepti non esse de præcepto, nisi ille finis sit etiam materia legis. Licèt ergo Deus præcipiens observationem sabbati, intendat Deum coli & honorari à fidelibus; quia tamen expressè non præcepit, ut homines curarent de statu in quo possent Deum honorare debito modo, propterea non tenentur absolutè ad Contritionem illis diebus: Imò sufficit, si abstineant ab omni opere servili, quòd interesse satagant divinis Officiis, ac perficiant secundùm substantiam omnia quæ sunt ad hoc necessaria; licèt illa non peragant quoad modum, requirentes gratiam per actum Contritionis, quod tamen debet omnibus consuli, & saluberrimum esset fieri à cunctis, ut dignè, saltem diebus dominicis, recolamus divina beneficia, quæ in illis nobis concessa sunt.

QUÆSTIO ULTIMA.

Qualis debeat esse Contritio?

CONTRITIO spectari potest, quantùm ad intensionem, quantùm ad durationem, & quantùm ad extensionem. Quantùm ad intensionem, dolor Contritionis debet esse summus; nascitur enim ex amore Dei quem debemus diligere ex toto corde, non tamen requiritur ut sit summus intensivè, quasi

non possit dari intensior; sed debet esse summus appretiativè, itaut quodcumque malum præferamus peccato. Quantùm ad durationem, non requiritur quòd longiùs duret; eo enim ipso quo elicitur actus Contritionis, est sufficiens dispositio ad gratiam; sicut enim eo instanti quo homo peccat, gratiam amittit, sic eodem quo conteritur, gratiam recuperat. An autem possit elici Contritio in instanti: si spectetur ut involvit omnia quæ necessaria sunt ex parte intellectûs & voluntatis, non potest fieri in instanti; est enim actus humanus ad quem requiritur consideratio peccati, judicium practicum intellectûs dictantis dolendum esse de peccato, & tandem consensus voluntatis, quæ omnia non possunt fieri in instanti: si autem sumatur pro solo actu voluntatis hæc omnia præsupponentis, potest fieri in B instanti. Quantùm ad extensionem denique voluntatis circa peccata, respondebit

Conclusio.

Contritio debet quidem esse de omnibus peccatis, quia nullum est peccatum quod remittatur, nisi retractetur per Contritionem; de quolibet tamen peccato non requiritur specialis Contritio; essent enim plures Contritiones partiales ex quibus componeretur Contritio totalis quæ justificat, quod falsum est; Contritio enim est simplex animi motus omnia peccata saltem in communi detestans. Quia autem nullus potest dolere de peccatis, nisi de illis recogitet; dicendum est; si Contritio fiat extra C Sacramentum, non requiri distinctam peccatorum recogitationem, sed sufficere confusam; si verò Contritio fiat in Sacramento, in ordine ad confessionem, tunc necessaria est explicita recogitatio singulorum peccatorum; sed hoc non requirit Contritio ut sic, sed potius confessio. Meritò diximus, non requiri tot actus Contritionis numericè distinctos, quot sunt peccata; sed unum simplicem sufficere: Tum ob orationem allatam: Tùm quia in uno actu est sufficiens motivum ad omnia mortalia detestanda, quoniam tendit in peccatum, quatenus est offensa Dei, quæ ratio reperitur in singulis peccatis: Tùm quia ex hoc sequeretur, eum qui primum Contritionis actum elicuisset, non posse salvari, nisi superesset tempus ad alios eliciendos, quod falsum est, & contra Ezech. cap. 18. dicentem: *In quacumque hora ingemuerit peccator...... omnium peccatorum ejus non recordabor ampliùs:* Tùm quia, sicut unica aspersione & unica absolutione possunt plures baptisari & absolvi; sic unica attritione plura peccata remitti poterunt. Tùm denique, quia ad hoc nullum extat præceptum, divinum aut naturale. Nec est eadem ratio de Contritione, ac de Confessione; quia Confessio fit per modum judicii, in quo debent explicari singula crimina Sacerdoti, cui fit Confessio, & qui non posset cognoscere distinctè statum pœnitentis, nisi singula peccata aperirentur; unde integritas confessionis est de jure divino: non sic autem de Contritione, quæ potiùs coram Deo fit, quàm Sacerdoti; & quæ nullum habet de hoc tale præceptum. Ex quo sequitur sufficere, quòd quis se præparando ad confessionem, ante examen, vel in examine, vel post illud, vel ante confessionem, vel intra illam, vel paulò post, uno actu detestetur peccata sua. Non desunt tamen, qui singulas Contritiones exigant pro singulis peccatis, ut Coninchus, Sylvester, Angelus, Paludanus, & alii.

Quantùm ad alias qualitates Contritionis; illas explicavimus in prima quæstione hujus capitis, ubi diffinientes Contritionem, diximus illam esse do-

A lorem de peccato, ut est offensa Dei, super omnia detestabilia, propter Deum summè dilectum, cum spe veniæ, & proposito observandi mandata Dei, & non ampliùs peccandi in posterum. Super illam particulam, quâ dicitur, quòd detestari debeamus peccatum super omnia detestabilia, duo notanda sunt. Primò, quòd non sit necessarium facere comparationem ad alia mala in particulari considerata, ut v. g. potiùs eligere jacturam bonorum, amissionem vitæ, aut dolores inferni; sed sufficiat, si peccator in genere detestetur malum culpæ super omnia alia mala. Imò Doctores primum non expedire censent; quia sicut delectabilia in particulari fortiùs movent potentias, quàm in communi: sic cavendum est nè pœnitens descendens ad particularia mala, magis illa timeat quàm peccatum. Secundò, quòd licèt implicitè major debeat esse dolor de gravioribus criminibus, quàm de levioribus; quandoquidem, qui verè dolet de peccatis suis, magis detestatur ea, quæ plus detestanda sunt, quàm quæ minus; non est tamen necessarium facere explicitam comparationem peccatorum suorum, cùm non sit necesse gravitatem illorum ponderare, nec ea sigillatim revocare in memoriam, nec de singulis particulares elicere Contritiones. Qui tamen hoc facere vellet, magis deberet dolere de suis gravioribus criminibus, quàm de levioribus; & contrarium faciens, plus dolendo de veniali, quàm de mortali, peccatum mortale committeret; quia præ veniali approbaret mortale, & esset aliqualiter paratus committere istud præ illo. Si autem comparatio fieret inter mortalia, inter quæ esset notabilis excessus, censeretur adhuc in hoc fore peccatum mortale; secùs, si non esset notabilis. Si tamen comparatio fiat inter peccata propria & aliena; propria, etiam si sint venialia, magis sunt detestabilia alienis mortalibus: cùm nullus possit eligere, se peccare venialiter, ut vitentur quæcumque alia peccata. Hoc autem procedit ex charitate Dei, quæ vult, ut magis vitemus quod nobis minus malum est, quàm quod est magis malum ipsi Deo.

D

CAPUT SEPTIMUM.

De Confessione.

Quæstio Prima.

Quo jure necessaria sit Confessio?

Confessio aliquando sumitur pro laudatione; Psalm. 32. *Confitemini Domino in cytharâ:* aliquando pro publicâ protestatione fidei, Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem:* propriè sumitur pro accusatione sui ipsius; unde describitur, *Legitima accusatio de peccatis propriis, facta Sacerdoti jurisdictionem habenti, ad* E *veniam obtinendam virtute clavium.* Montanistæ & Novatiani potestatem absolvendi rejicientes, primi fuerunt qui confessionis necessitatem negarent, cùm non debeat exigi confessio, si nulla absolutio sequatur. Audiani & Messaliani, tempore Valentiniani senioris, confessionem peccatorum sine mulcta & pœnitentia exigebant, & sic potiùs joco, quàm seriò. Wiclefus ex Thoma Waldensi tom. 2. de Sacram. cap. 135. apertè confessionem sacramentalem negare cœpit; asserens, ex sola papali institutione esse inductam. Erasmus in Annotationibus ad epistolas Hieronymi, vult confessionem necesse de jure D. nec fuisse in antiquo usu Ecclesiæ. Lutherus

lib. de captivit. babil. cap. de pœnitentia scribit, confessionem secretam sicuti nunc fit, sibi placere multùm; illam tamen non posse probari ex Scriptura, nec esse necessarium confiteri omnia peccata sacerdotibus, ac denique damnandos esse illos, qui volunt circumstantias peccatorum esse aperiendas. Ob secundam clausulam omnes Lutherani negant integritatem confessionis; nec volunt singula peccata esse aperienda. Calvinus denique lib. 3. instit. cap. 4. ſſ. 7. miratur, quâ fronte ausi simus contendere, confessionem esse juris divini, cujus quidem fatetur usum esse vetustissimum, cùm tamen facile sit evincere, ipsum semper fuisse liberum.

Conclusio.

Confessio est de jure divino; Christus enim illam instituit, non tanquam liberam, quasi homo possit illâ uti, vel non; sed ut necessariam pro illis qui habent peccata mortalia. Sic Concil. Trident. sess. 14. can. 14. *Si quis negaverit confessionem sacramentalem esse jure divino institutam, vel jure divino ad salutem necessariam, si quis etiam dixerit modum secretè confitendi soli Sacerdoti, esse ab institutione & mandato Christi alienum, aut esse inventum humanum, Anathema sit.* Quoad locum Scripturæ ubi Christus eam instituit, habetur Joan. 20. ubi Christus dicens Apostolis: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos,* & mox subjungens, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, &c.* commisit Apostolis & eorum successoribus potestatem judicialem remittendi aut retinendi peccata, quod non possent facere juridicè, si pœnitentes sua peccata non aperirent per confessionem; & sic est de jure divino: unde Ecclesia in Concilio Lateranensi præcipiens confessionem annuam, non facit præceptum de confessione, sed modificat præceptum Christi (quod erat indeterminatum) ad singulos annos: sic Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. unde Papa non potest abrogare præceptum confessionis, nisi ex eâ parte quâ est Ecclesiasticum, non jubendo illam fieri annuatim.

Confirmari potest insuper hæc catholica veritas ex figuris præcedentibus, ex aliis textibus novi Testamenti, ex Conciliorum testimonio, & ex mente universali Doctorum. Confirmatur inquam per figuras; quarum *prima* habetur in interrogatione quam fecit Deus Adamo, Evæ, & Caïno, quos ideo interrogavit post peccatum, dicendo, Adam ubi es? Caïn ubi est frater tuus? *ut nobis potiùs ostenderentur exempla confitendorum peccatorum, quàm negandorum; ut jam tunc initiaretur Evangelica doctrina, Ex ore tuo justificaberis, & ex ore tuo damnaberis.* Sic Tertullianus lib. 2. adversus Marcionem. Ambrosius lib. de Paradiso cap. 14. & lib. de Caïn & Abel cap. 9. S. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 53. D. Chrysostomus Homil. in Genesim. Qui omnes dicunt, tales interrogatos fuisse, ut *peccatum, quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent.* *Secunda* habetur Levitici 13. & 14. ubi Deus solis sacerdotibus committens judicium lepræ, & cogens leprosos sistere se sacerdotibus, & prodere suos morbos, ut discerneretur lepra à non leprâ, designare per hoc intendit futuritionem confessionis in novo Testamento. Super quod Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio monet, officium sacerdotis apud Christianos longè excellentius esse, quàm olim fuerit apud Judæos; cùm illis cognitio tantùm lepræ competeret, & non cu-

A ratio; nobis verò cognitio & curatio conveniant. *Tertia* habetur Numer. 5. *Vir, sive mulier, cùm fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini; atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum.* Quòd intelligitur de confessione distincta, juxta quam offerebantur sacrificia specialia, destinata pro quolibet peccato in specie. Unde Vvaldensis tom. 2. de Sacramentis cap. 137. scribit, se ab ipsis Hebræis agnovisse consuetudinem, quam habebant, confitendi in specie sua peccata. Similiter S. Antoninus 3. *par. tit.* 14. *cap.* 6. ſſ. 1. ait, doctiores Judæos ante mortem solere confiteri omnia peccata Levitæ alicui, si aliquis fortè reperiretur. Galatinus etiam *lib.* 10. *cap.* 3. ex Rabinis
B docet, oportuisse intra confessionem detegere peccata in specie, & illorum circumstantias. Quod sanè nostram confessionem sacramentalem designat. *Quarta* denique inter alias petitur ex Matth. 3. & Marci 1. ubi accurrebant plurimi ad baptismum Joannis, confitentes peccata sua. Sicut ergo baptismus Joannis figurabat baptismum Christi, sic illa confessio figurabat nostram.

Confirmatur secundò, ex aliis testimoniis novi Testamenti, ultra præcitatum in conclusione. *Primò*, Act. 19. *Multi credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos.* Ibi agitur de fidelibus, qui dicebantur credentes. Deinde, confitebantur peccata sua in particulari, quæ Lucas
C vocat actus suos. Tandem, ea non confitebantur Deo soli, sed Paulo, ad quem veniebant confitentes. *Secundò*, 2. ad Cor. 5. dicit Paulus de se & aliis: *Dedit nobis ministerium reconciliationis, & posuit in nobis verbum reconciliationis: pro Christo ergo legatione fungimur*; quod de potestate clavium intelligit Calvinus *lib.* 4. *Instit. cap.* 1. ſſ. 22. sed legati, qui loco regis mittuntur, non possunt reconciliare inimicos, nisi criminis naturam agnoverint, & quam reparationem adhibere sint parati; ergo ab illis exigenda est confessio & accusatio criminum, cùm illis non liceat pro arbitrio suo inauditos absolvere. *Tertiò*, ex 1. Joan. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat*
D *nobis peccata nostra.* Quod debet intelligi de peccatis in particulari, aliàs diceret, quòd debeamus confiteri nos esse peccatores. Nec debet etiam interpretari de confessione soli Deo facienda, quia Deus ibi dicitur fidelis & justus, quæ verba referuntur ad promissionem Christi factam Apostolis Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata,* & cæt. ergo loquitur de confessione illis facta, à quibus obtinetur absolutio. *Quartò*, Jacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Quæ verba de confessione facienda sacerdotibus intelligunt Origenes *Homil.* 2. *in Levitic.* Chrysostomus *lib.* 3. *de Sacerdotio*, & Augustinus *Homil.* 12. *libri* 50. *Homil.*
E Non quòd possit fieri confessio omnibus indifferenter; sed quòd debeat fieri, prout exigit Scriptura, quæ cùm indicet, confessionem debere fieri illis, quibus dictum est Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, proinde, ut inquiunt Beda in commentario hujus loci, & Hugo à S. Victore *lib.* 2. *de Sacramentis part.* 14. *cap.* 1. Scriptura dicens, *Confitemini alterutrum*, idem est, ac si diceret, Vos, qui absolutione indigetis, confitemini illis, qui potestatem habent absolvendi.

Confirmatur tertiò, ex Conciliis, quæ reverà non probant formaliter & præcisè, confessionem sacramentalem, qualem faciunt Catholici, esse de jure divino; sed asserunt illam esse ita antiquam, ut aliter non possit fieri, quin sit de jure divino,

cùm nullibi reperiatur ipsius institutio. Imprimis Concilium Laodicenum circiter quartum sæculum can. 2. ait: *His, qui diversorum peccatorum lapsu incurrunt, & instant orationi, confessioni, & Pænitentiæ, pro qualitate peccati tempus Pænitentiæ tribuendum est.* Quæ Pœnitentia pro qualitate criminis non posset injungi, si ipsa peccata in particulari non accusarentur. In sexta etiam Synodo, cujus Patres Græci canones condiderunt, canone 102. habetur: *Oportet autem omnes, qui solvendi & ligandi potestatem à Deo accepere, qualitatem peccati considerare, & morbo ejus qui peccavit, convenientem afferre medicinam.* Hæc Synodus vocatur Quinisexta, seu Trullana. Quàm plurima hujus naturæ ob brevitatem omittimus Græcorum testimonia, cùm ista sufficiant ad confundendum illos, qui putant Græcos soli Deo confiteri peccata sua; per tales enim determinationes Conciliorum contrarium patet. Unde, si apud Gratianum *de Pænitentia dist.* 1. *can. quidam*, habeatur: *Quidam Deo solummodò confiteri debere peccata dicunt, ut Græci*; respondendum est, hanc particulam in margine fuisse appositam ab imperito quodam, qui ex facto Nectarii, de quo posteà, collegit sublatam omnino fuisse confessionem apud Græcos: & deinde talis clausula ex margine irrepsit in textum. Quòd autem falsa sit hæc additio, ex hoc patet, quòd in Concilio Florentino nulla esset controversia de confessione inter Græcos & Latinos; quòd Cabasilas Græcus in explicatione Liturgiæ cap. 29. apertè confessionem sacramentalem docuerit; quòdque Jeremias Patriarcha Constantinopolitanus in censura confessionis Augustanæ cap. 11. increpaverit Lutheranos dicentes, non esse necessarium, omnia peccata per singulas species confiteri. Quantùm ad occidentalia Concilia: In Carthaginensi 3. ante mille & centum annos can. 31. præcipitur Episcopis: *Ut pænitentibus, secundùm peccatorum differentiam pro arbitrio Pænitentiæ tempora determinent.* Concilium Cabilonense primum circa annum 800. can. 32. increpat eos qui non plenè confitentur omnia peccata sua sacerdotibus: & insuper præcipit, ut solerti indagatione omnia peccata ex fragilitate animæ & corporis commissa inquirantur. In Concilio Turonensi eodem tempore celebrato, debent Episcopi & sacerdotes diligenti cautelâ videre, qualiter delicta confitentibus tempus abstinendi præscribant. Præter Concilia Germaniæ; Moguntinum sub Rabano Archiepiscopo, & Wormacense, eodem sæculo congregata, habemus Concilia generalia, Lateranense sub Innocen. III. *cap.* 21. Constantiense *sess.* 8. Florentinum in instruct. Armenorum, & Tridentinum *sess.* 14. in quo confirmatur purissima fides antiquitatis.

Confirmari quartò posset eadem veritas ex Patribus Ecclesiæ, qui singulis sæculis floruerunt, ut facit Bellarminus; sed ob brevitatem sufficiat antiquiores recensere, qui apud hæreticos commendationem habent. D. Irenæus in primo sæculo post mortem Apostolorum lib. 1. cap. 9. loquens de fœminis quibusdam, quas circumvenerat Marcus hæreticus, asserit, ipsas post conversionem omne tempus consummasse in Exomologesi, quæ juxta Patres aliquando dicebat solam confessionem: sed sæpius confessionem, contritionem, & simul satisfactionem; numquam tamen erat sine confessione. Tertullianus in lib. de pœnitentia Exomologesim definiendo dicit, hunc actum, qui magis Græco vocabulo exprimitur & frequentatur, nil aliud esse, quàm actum, quo delictum nostrum Domino confitemur; per sacerdotem scilicet; aliàs non subjungeret, multos esse, qui præ verecundia ab illa abhorrere solent; non esset enim pudori locus, si soli Deo confessio fieret. Origenes initio secundi sæculi Homil. 2. in Leviticum ait, esse adhuc septimam, sed duram & laboriosam pœnitentiam; cùm lavat peccator in lachrymis stratum suum, & non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum. D. Cyprianus serm. 5. de lapsis dicit, eos fide majori, & meliori timore apud sacerdotes Dei dolenter & simpliciter confitentes, Exomologesim conscientiæ facere. Lactantius sæculo tertio in fine lib. 4. divinarum instit. inquit, quòd licèt singuli hæretici suam Ecclesiam esse catholicam dicant; attamen illa sola sit talis, in qua est confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera salubriter curat. Idem habent eodem sæculo SS. Athanasius in sermone quem fecit in hæc verba: *Profecti in pagum invenietis pullum alligatum.* Hilarius can. 18. in Matth. & Basilius in quæstionibus, sive regulis brevioribus regulâ 223. In quarto sæculo post Apostolos habemus SS. Patres Chrysostomum Homil. 33. in Joann. Hieronymum in comment. ad cap. 16. Matth. Augustinum, qui lib. 50. Homil. Hom. 12. docet, confessionem peccatorum à Deo esse præceptam, & Leonem magnum in Epist. ad Episcopos Campaniæ. Cùm ergo omnibus his temporibus existiment hæretici, Ecclesiam Romanam suam puritatem conservasse, nescio quâ fronte ausi fuerint rejicere confessionem, quam à prioribus temporibus luce meridianâ clariùs usitatam reperiunt. Porrò, his omnibus argumentis, duplex adjungi potest ratio, ut totaliter adversarii convincantur de institutione confessionis à Christo. Prima est, quòd ea quæ sunt ex jure Ecclesiastico, initium habuerint ex aliquo Concilio, aut ex summorum Pontificum decretis; sed ante omnia Concilia & decreta Pontificum usus confessionis erat in Ecclesia: ergo ortum habere non potuit, nisi à jure D. Secundò, tanti oneris & molestiæ est confessio, quæ principes & reges projicit ad pedes vilium sacerdotum, peccata sua, quamvis turpia & gravia, confessuros, ut incredibile sit, Ecclesiæ præsides rigorosam ferre hujuscemodi legem unquam fuisse ausuros. Ex quo concludendum est, solam divinam authoritatem potuisse populorum animos ad confessionem subjicere.

Objiciunt communiter adversarii, Christum remisisse peccata Magdalenæ & Paralytico sine Confessione: sed licet hoc fecerit Christus, qui habebat potestatem excellentiæ, non alligatam sacramentis, & qui intima cordium penetrabat; non propterea sic agere possunt ipsius ministri. Quòd si dicant, Petrum per lacrymas sine Confessione obtinuisse suæ negationis remissionem: nil mirum est, nondum enim Apostoli habebant potestatem ligandi & absolvendi, quæ tantùm data fuit post resurrectionem: Joann. 20. Quòd si Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus dicatur abrogasse confessionem; non abrogavit secretam, sed publicam, quæ fieri solebat; & hoc propter hanc occasionem. Mos inoleverat, ut in qualibet civitate deputaretur Sacerdos aliquis qui exciperet confessiones quorumdam peccatorum publicorum, quæ congruum aliquando judicabat publicare inter solemnia Missarum coram astantibus, tùm ut aliis incuteretur timor; tùm ut fieret aliqua satisfactio illis quibus scandalum datum fuerat; quâdam autem die mulier nobilis se accusando, accusavit diaconum cum quo peccaverat, de quâ re grandis tumultus factus est in Ecclesiâ, quem audiens Necta-

rius prohibuit; ne deinceps fierent confessiones publicæ.

Objiciunt insuper aliquos Patres, & præsertim Chrysost. Homil. 3. in Epist. ad Hebræos dicentem, *Non dico tibi, ut te prodas in publicum, neque apud alios te accuses.* Et in Psalmum 59. *Si confunderis alicui dicere quia peccasti, dicito quotidie in anima tua:* Homil. etiam 4. de Lazaro, *Cave, homini dixeris peccata, nè exprobret tibi; nec enim conservo tuo confiteris.* Resp. Chrysostomum per hoc non respuere confessionem secretam; illam enim astruit Homilia 85. in Joannem, & libro 3. de Sacerdotio; sed tantùm rejicit publicam, abrogatam per Nectarium antecessorem suum; fiebat enim pro tunc duplex confessio: una publica ante populum ad incutiendum timorem & scandalum de peccatis publicis reparandum; alia auricularis coram Sacerdote ad absolutionem recipiendam. Primam rejicit Chrysostomus, secundam retinet; ita quòd sensus illius sit, ut postquam pœnitens sua peccata confessus fuerit sacerdoti, non tanquam homini, nec tanquam conservo suo, sed tanquam Deo cujus vices tenet, posteà secretam pœnitentiam faciat de peccatis suis, non illa declarando iterum hominibus, ut fieri solebat, sed soli Deo inter privatos parietes.

Quæres utrùm confessio fuerit præcepta in lege Mosaïca? Resp. negativè; tunc enim Sacerdotes non habebant claves regni cœlorum, nec potestatem remittendi peccata, quæ tantùm data fuit Apostolis; unde si discernebant inter lepram & lepram, hoc intelligitur de leprâ corporali; judicabant enim qualis esset lepra, & an esset perfectè sanata, eam tamen sanare non poterant. Quòd si Numer. 5. habeatur, *Vir, sive mulier cum transgressi fuerint mandatum Domini, confitebuntur peccatum suum;* hoc intelligitur de peccatis exterioribus, non de internis, quæ nos ipsi tenemur confiteri; unde ea confessio erat tantùm figura nostræ: confitebantur autem illa peccata exteriora graviora per certa quædam sacrificia, quæ pro certis quibusdam peccatis destinabantur, & quæ tenebantur offerre, in quo consistebat illorum confessio.

Quæstio II.

Quos obliget præceptum Confessionis?

Apud omnes Catholicos in confesso est, præceptum confessionis esse à Christo Domino institutum, ut dictum est superiùs; aliqui tamen putaverunt confessionem non fuisse à Christo præceptam: sed quia hoc secundum æquè ac primum determinatum est in Concilio Tridentino sess. 14. can. 6. non est quòd immoremur in probandâ hac veritate, sed quærimus tantùm, qui sint obligati ad confessionem.

Conclusio.

Omnes fideles baptisati, postquam rationis usum attigerint, si habent peccata mortalia commissa post baptismum, aut in susceptione baptismi, tenentur confiteri. Quia diximus, *omnes*, ideo Summus Pontifex ad confessionem tenetur, nedum ex jure divino, sed Ecclesiastico; si non ex vi coactiva, saltem ex vi directivâ; decens enim est, ut observet legem, quam condidit. Quia diximus, *fideles baptisati*, ideò Infideles & Catechumeni non tenentur ad confessionem, neque jure Eccle-

A siastico, Ecclesia enim tantùm habet jus in baptisatos; neque jure divino, quia Christus neminem voluit ad confessionem teneri, nisi esset baptisatus; unde Baptismus dicitur janua Sacramentorum, & Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. dicit, *hoc Sacramentum esse necessarium lapsis post baptismum.* Quia diximus, *postquam rationis usum attigerint*; ideò sicut illi qui carent usu rationis, non tenentur huic præcepto; qui tamen rationis compotes, etiam ante pubertatem, ad confessionem tenentur, tùm de jure divino, tùm de Ecclesiastico; cùm sint enim capaces peccati, debent ad remedium currere; qui tamen in hac ætate non confiteretur quot annis, non incurreret pœnam excommunicationis aut privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, quæ statuitur contra non confitentes annuatim, ex capite *Omnis utriusque sexus*; Gregorius enim IX. dicit, *Pueros sæpè delinquere, non tamen in illis punienda esse delicta, sicut in majoribus*; si tamen percuterent clericum, excommunicationem incurrerent. Quia diximus, *si habent peccata mortalia*; ideò qui habet tàntùm venialia, non tenetur confiteri quot annis; hoc enim non præcipitur, neque jure divino, neque Ecclesiastico; tenetur tamen comparere coram parocho, testificaturus se non indigere confessione, & hoc jure naturali ad vitandum scandalum. Quia diximus, *post Baptismum & in Baptismo commissa*; peccata commissa ante Baptismum non sunt materia legitima confessionis, quia commissa sunt ab homine non submisso Ecclesiæ; fictio tamen cum quâ Baptismus recipitur, debet aperiri in confessione.

Quæstio III.

Quo tempore obliget præceptum Confessionis?

Nemo tenetur ad confessionem eo instanti quo peccatum commisit; est enim præceptum affirmativum, sicut contritio; & sic obligat tantùm pro certo aliquo tempore: pro quonam autem? aliud est, loqui de jure divino, aliud de jure Ecclesiastico; aliud est etiam loqui de necessitate confessionis per se, vel per accidens.

Conclusio.

Jure divino per se tenetur fidelis peccata confiteri in periculo mortis. Per periculum mortis intelligitur nedum gravis morbus, sed & navigatio periculosa, vel prælium, aut quæcunque alia occasio in quâ moraliter mors imminet. Ratione hujus præcepti Pius V. anno 1566. renovavit prohibitionem factam medicis, nè curarent infirmos, quin priùs eos monuerint de confessione faciendâ; cui legi dicuntur medici satisfacere, dum monent infirmos de confessione, vel parentes, ut ad confessionem excitent infirmos. Præcepto eodem mulier quæ primâ vice paritura est, aut quæ jam peperit cum periculo vitæ, tenetur ad confessionem, sicut & condemnatus ad mortem, & ægrotus qui in diuturno morbi periculo peccavit post confessionem factam: licèt enim non teneatur de novo Eucharistiam sumere, quam anteà sumpsit; (quia non est medium ad salutem absolutè necessarium) tenetur tamen confiteri iterum. An autem extra periculum mortis aliquis teneatur de jure divino confiteri peccata, negat D. Thomas in 4. dist. 17. art. 4. & Scotus in 4. dist. 17. art. 4. circa finem. Alii cum Bonacinâ, sentiunt quòd si Ecclesia non determinasset

præceptum confessionis ad singulos annos, non tamen deberet differri usque ad mortem; quia non est verisimile, quòd Christus instituerit tam æstimabile Sacramentum, ut semel tantùm reciperetur. Tempus quo sit emittenda confessio extra articulum mortis, determinari debet ex judicio prudentis viri, ita quòd, inquiunt aliqui, non debeat differri ultra quatuor vel quinque annos.

Quoad tempus quo fieri debet Confessio de jure divino per accidens; facienda est, cùm quis conscius peccati mortalis Eucharistiam sumere intendit; pro tunc enim, dum adest copia confessarii, non sufficit Contritio: sic Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 7. fundat autem Concilium hanc necessitatem Confessionis esse de jure divino in verbis B Apostoli 1. Corinth. 11. dicentis, *Probet autem seipsum homo.* Non est idem dicendum de receptione aliorum Sacramentorum, in quibus Contritio sufficit, cùm nullum sit præceptum divinum aut Ecclesiasticum de Confessione; unde Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. de reformatione Matrimonii, hortatur quidem conjuges, ut peccata confiteantur antequam contrahant, non tamen præcipit; melius tamen est, ut quodcunque Sacramentum recipiens confiteatur, nè loco Contritionis habeat tantùm Attritionem. Quòd si urgente necessitate, Sacerdos absque Confessione celebraverit cum Contritione solâ, tenetur post celebrationem quamprimùm C confiteri, idest, primâ datâ copiâ confessarii; hoc tamen præceptum non est divinum, sed Ecclesiasticum tantùm, latum in Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. Quantùm verò ad laïcos, qui accesserunt ad altare, sumpturi Eucharistiam, & recordantur alicujus peccati mortalis, quod ob scandalum non possunt confiteri ante Communionem, non tenentur post illam citiùs confiteri peccatum, quia Concilium obligat tantùm Sacerdotes, & leges rigorosæ extendi non debent.

CONCLUSIO SECUNDA.

QUANTUM ad præceptum Ecclesiasticum, tenentur fideles, cùm ad annos discretionis pervenerint, confiteri peccata mortalia semel in anno. Sic habetur ex capite *Omnis utriusque sexus*; non quòd per hoc confessio præcipiatur, est enim de jure divino: non quòd etiam determinet tempus quo de jure divino confessio necessaria sit, confessio enim annua esset de jure divino explicato per Ecclesiam, illud tamen præceptum est tantùm Ecclesiasticum; sed per hoc Ecclesia vult instituere præceptum Ecclesiasticum de tempore Confessionis. Super hoc præceptum multa sunt notanda. Primò, quòd præceptum illud non obliget pro certâ & determinatâ parte anni; unde si præcipiatur in Paschate, hoc est per accidens, ratione Eucharistiæ sumendæ, ad quam non sufficit Contritio ex Concil. Trident. sess. 13. c. 7. Licèt ergo melius sit computare annum ab uno Paschate ad aliud, vel ab unâ confessione ad aliam, ille tamen satisfaceret præcepto Ecclesiæ qui confessus fuisset mense Januario præterito, & differret aliam confessionem usque ad mensem Decembrem anni sequentis; quia licèt essent viginti tres menses inter illas confessiones, nullum tamen annum præteriret sine confessione. Sic Gamacheus de Sacramento Pœnitentiæ cap. 15. ff. *Quod attinet.* Ratio est, quia præceptum non est de confessione faciendâ intra annum, sed singulis annis; in dato autem exemplo confessio fieret in quolibet anno. Secundum quod notetur, est, quòd si confessio fiat invalidè, retinendo v. g. peccata,

A non satisfit præcepto Ecclesiæ, nisi invaliditas confessionis oriretur ex ministro sine culpâ pœnitentis, utpotè si confessarius non haberet jurisdictionem, quam crederet habere pœnitens; qui faceret tamen illam confessionem invalidam, non incurreret pœnas latas à Concilio Lateranensi, ut sunt expulsio ab Ecclesiâ & privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, si hoc sacrilegium sit verè occultum; Ecclesia enim in foro externo non judicat de occultis; si tamen est aliquomodo externum, ut si peccator illud revelaverit alteri, tunc incurritur pœna. Sic Gamacheus quæstione 15. ff. *Respondemus*, sic etiam Navarrus, & multi alii apud Bonacinam, qui contrarium tenet, incurri scilicet excommunicationem, etiamsi sacrilegium sit occultum. Notetur tertiò, quòd qui prævidet se non habiturum copiam confessarii quando confessionis urgebit præceptum, tenetur illam anticipare; sicut qui prævidet se non posse vesperi recitare vesperas ob impedimentum, tenetur illas manè recitare; licèt aliqui teneant, hoc non esse necessarium, quando impedimentum debet oriri ex febri. Quartò, qui non est confessus anno præterito, tenetur quamprimùm confiteri; quia non limitatur annus, ut per hoc finiat præceptum confessionis, sed ad illam sollicitandam: & sic toties peccat qui non confitetur, quoties est confitendi opportunitas. Quòd si quis dicat, præceptum jejunii, auditionis sacri, & communionis in Paschate non obligare post tempus elapsum; respondetur, aliquid esse præceptum vel ob venerationem temporis determinati, vel absolutè & in se, nè ampliùs differatur, hoc ultimo modo præcepta est confessio, & sic elapso tempore Paschatis debet fieri; jejunium verò, auditio sacri & communio Paschatis præcipiuntur ob venerationem temporis; & sic illo elapso non obligant: verisimilius est tamen, quòd præceptum Communionis etiam urgeat post Pascha, ut diximus initio hujus Tractatus. Quintò, qui non est confessus in periculo mortis, cessante periculo, non tenetur confiteri; cessat enim periculum imminens damnationis, propter quod imminente morte, præcipiebatur D confessio. Sextò, qui confessionem non emisit in aliquo anno, tenetur in sequenti duas emittere ad minus, unam pro anno præterito, & aliam pro præsenti, si habeat peccata mortalia intra illum; licèt enim unico actu satisfieri possit pluribus præceptis, ut quando quis jejunat tantùm semel pro die Vigiliæ & Quadragesimæ; quando tamen præcepta respiciunt plures actus per se faciendos, ut in Confessione, quæ duplex esse debet in duobus annis, una confessio non sufficit: alii contrarium tenent. Septimò, ad observationem præcepti hujus Confessio debet fieri Sacerdoti approbato; & sic non sufficit confiteri religioso non approbato; non est enim legitimus judex: sed si sit approbatus, valida est confessio. Nam si ex capite *Omnis utriusque sexus*, E confessio debeat fieri proprio Sacerdoti, hoc verum est excluso privilegio; immò in eodem capite subjungitur, *vel alteri de ejus licentia.* Cum ergo Papa sit proprius Sacerdos omnium fidelium, & Episcopus Diœcesanorum, Religiosus approbatus ab Episcopo, habens privilegium papale, censetur deputatus à Papa, qui est proprius parochus ordinis superioris; & sic potest audire confessionem annuam, quis enim dicet, quòd Pastor possit committere licentiam sacerdoti approbato audiendi suas oves, & non possit Papa, aut Episcopus idem facere? Octavò, qui post Communionem Paschalem meminit se oblitum fuisse aliquod mortale peccatum, non tenetur quamprimùm illud confiteri, sed potest differre ad annum sequentem. Si etiam aliquis ante elapsum

annum confessus est sua peccata mortalia, & postea relapsus est in aliud, probabile est non teneri ad confessionem illius, quia observavit præceptum Ecclesiæ. Si tamen confessus est tantùm peccata venialia, debet illud mortale confiteri intra annum, quia tenetur singulis annis ad confessionem mortalium, & nullum confessus est.

Quæres, in quibus casibus excusari aliquis possit à Confessione. Respondeo, quòd multi sint. Primò, qui non habet confessarium, nec potest illum adire, nisi cum gravi incommodo aut periculo; v. g. maris, aut hostium, nec enim Christus, aut Ecclesia præcipiunt aliquid cum gravi detrimento. Secundò, qui timet probabiliter revelationem enormis peccati ex quâ oriretur infamia, vel grave scandalum; non tamen dispensatur de confessione aliorum, quorum revelatio multum obesse non potest. Tertiò, qui non potest confiteri sub sigillo confessionis, ut quando confessarius est surdus, & pœnitens in navi existit, & non potest confiteri, nisi ab aliis audiatur. Quartò, qui non potest confiteri, nisi per interpretem, quia confessio præcipitur facienda soli sacerdoti; tunc autem non esset solus. Quintò, qui non potest aliter confiteri quàm per scripturam, ut si pœnitens careat linguâ, vel confessarius sit surdus, si per nutus non possit peccata explicare, non tenetur ad confessionem, si sit periculum infamiæ; aliàs tenetur. Sextò, qui habet lubricam memoriam non tenetur peccata confiteri ex instanti quo ea commisit, nec etiam tenetur peccata scribere, quando illa patravit; quando tamen procedit ad confessionem, & scit se coram Sacerdote multa peccata oblitūrum, tenetur ea scribere, modò in tali Scripturâ non sit periculum manifestandi confessionem: in talibus ergo circumstantiis, ad contritionem est recurrendum, quæ sufficit, cùm non urgeat pro tunc præceptum Confessionis.

Quæstio IV.

Quænam sint conditiones Confessionis?

Antequam assignentur à nobis conditiones illæ, quæ confessionem concomitari debent ad ejus validitatem, aut saltem perfectionem, notandum est, quòd semper examen conscientiæ, seu diligens inquisitio peccatorum, præmitti debeat, tanquam aliquid de jure divino necessarium. Cùm enim integritas confessionis sit de tali jure, juxta Concilium Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *& can.* 7. negari non potest, quin tale examen sit de eodem, quoniam ad idem præceptum spectant finis & media. Ad tale autem examen sufficit & requiritur tanta inquisitio, quanta à viro prudente requireretur in negotio gravis momenti. Qui tamen per leviorem inquisitionem facilè sua peccata revocaret in memoriam, ad majorem non teneretur; quia non maxima, sed mediocris requiritur tantùm; aliàs fideles perpetuis angerentur scrupulis, proindeque lex Christi non esset jugum leve. Ob hanc rationem non tenetur scribere peccata, qui videt se habere memoriam labilem, sed sufficit, quòd volens confiteri peccata, moralem diligentiam abhibeat, ut omnia confiteri possit. Quia diximus, necessarium esse prævium examen conscientiæ, proinde qui in confessione illud omisit, confessionem reiterare tenetur, etiamsi talem omissionem declarasset pœnitens in confessione; nisi Sacerdos diligenti examine talem supplevisset defectum: tunc enim

A accedens peccator cum aliquali perquisitione, paratus respondere ad interrogationes sacerdotis; quem scit sufficienter interrogaturum, supplet carentiam amplioris examinis. An autem confessarius teneatur examinare pœnitentem, cum distinctione dicendum est, quòd si prævideat, pœnitentem integrè confessum fuisse sua peccata, tunc ad hoc non teneri; si verò credat, ex hoc defectu aliquam culpam omisisse, tunc debere, vel ipsum remittere ad exactiorem perquisitionem conscientiæ; vel per interrogationum exactitudinem talem supplere defectum. Quod si pœnitens dicat, se præmisisse examen, quod reverà non præmisit, deneganda B est ei absolutio; quia non tenetur Sacerdos sequi dicta pœnitentis, quando contrarium sibi evidenter constat.

Conclusio.

Sexdecim communiter assignantur conditiones, versibus sequentibus explicatæ, quæ confessionis validitatem, aut perfectionem respiciunt

Sit simplex, humilis Confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrimabilis, accelerata;
Fortis & accusans, quæ sit parere parata.

Quia primò confessio debet esse *simplex*, ideò superflua debent prætermitti. Licèt enim pœnitens teneatur distinctè explicare sua peccata, numerum C eorum & ipsorum circumstantias, inutiles tamen prohibentur discursus.

Quia secundò debet esse *humilis*, ideò confessio quæ fit cum jactantia est invalida, tùm quia deest dolor; tùm quia novum peccatum committitur; si tamen fieret non flexis genibus, aut non detecto capite, etiam extra necessitatem, non esset invalida; non fieret enim gravis injuria sacramento.

Quia tertiò debet esse *pura*, quantùm ad intentionem, si fiat ob finem peccaminosum, v. g. ob hypocrisim, est invalida; si fiat tamen ut conservetur bona opinio apud confessarium, qui est vir gravis & pœnitenti notus, est valida. Imò, si fiat ob finem venialiter malum, putà ob levem vanitatem, non est invalida; quia motivum secundarium D leve non impedit primarium.

Quia quartò debet esse *fidelis*, ideò non licet mentiri circa peccatum mortale non anteà confessum; si tamen fuerit anteà confessum, potest dicere pœnitens se illud non commisisse, quia non est materia necessaria confessionis. Invalida etiam esset Confessio, si quis diceret majorem numerum peccatorum, quàm commiserit; quia hoc est decipere judicem in materiâ necessariâ, nisi hoc fiat bonâ fide, ut sæpiùs evenit in rudibus, qui credunt se plus peccasse, quàm peccaverint. Invalida etiam esset confessio, si peccata dubia pro certis exprimerentur, & certa pro dubiis: certa enim debent exprimi ut certa, & dubia ut dubia; & sic qui du-E bitat, an aliquod peccatum commiserit, debet non illud reticere, sed confiteri ut dubium; quia tutior pars est eligenda. Quòd si in dubio melior sit conditio possidentis, ut patet de illo qui dubitans, an votum emiserit, nec-ne, non tenetur illud implere; hoc est verum, quando non datur lex contraria. Cùm ergo secundùm Doctores sit lex de confitendo peccato dubio, illud non est reticendum. Porrò, Confessio non est invalida, si pœnitens mentiatur circa peccatum veniale, dicendo se non illud commisisse; quia non est materia necessaria, nec confessarius jus habet interrogandi de illo; hoc

hoc esset tamen peccatum veniale. Quòd si pœnitens confiteretur tantùm unum peccatum veniale circa quod mentiretur, dicendo se illud commisisse quod non commiserit, tunc peccaret mortaliter; quia faceret sacrilegium; esset enim causa, cur applicaretur forma sacramenti super materiam insufficientem.

Quia quintò debet esse *frequens*, hoc intelligitur de consilio, quia multæ utilitates procedunt ex frequenti confessione; hoc tamen non est de præcepto, nisi quando quis sæpiùs labitur in peccatum, quod vitare non potest, nisi auxilio confessionis; tunc enim illius frequentia est de jure divino.

Quia sextò deberet esse *nuda*, ideò excusationibus palliari non debet, nec obscura reddi; debet enim esse talis, ut Sacerdos, ad quem spectat judicare de peccatis, possit cognoscere an mortalia sint, vel venalia. Quòd si hoc non possit cognoscere, non debet intendere illa absolvere ut mortalia vel ut venialia; sed sufficit, si indeterminatè absolvantur peccata.

Quia septimò debet esse *discreta*, pœnitens debet uti verbis honestis & pudicis, dum peccata carnis explicat, non descendendo ad circumstantias inutiles; quam discretionem debet etiam adhibere confessarius: eàdem conditione caveat pœnitens, nè declaret suum complicem. Denique debet adire confessarium eruditum, unde si dubitans de usurâ accedat sacerdotem, quem scit ignarum, ut propter ipsius ignorantiam excusetur à restitutione, invalida est Confessio.

Quia octavò debet esse *libens*, requiritur voluntas & intentio confitendi peccata, aliàs esset invalida; si tamen quis confiteretur ad vitandam infamiam aut excommunicationem, modò adhibeat debitas circumstantias, esset valida; quia esset voluntaria intrinsecè, licèt admitteret involuntarium extrinsecum.

Quia nonò debet esse *verecunda*, ideò pœnitens debet confusionem aliquomodò recipere de commissione peccati; unde non debet confiteri sacerdoti cum quo commisit peccatum, quia non solet esse erubescentia, cùm declaratur peccatum illi cui jam notum est. Adde quod ex hoc posset dari occasio perseverandi in peccato; si tamen hoc fieret aliquando, pœnitens deberet confiteri etiam peccata illa quæ anteà nota essent confessario, debet enim illa cognoscere ut judex.

Quia decimò debet esse *integra*, & integritas est nedum de perfectione confessionis, sed etiam de ipsius validitate. Quæstio subsequens instituetur ex professo de integritate confessionis.

Quia undecimò debet esse *secreta*, ideo errant hæretici, qui dicunt initio fuisse publicam, & posteà secretam; secreta enim confessio semper fuit in usu Ecclesiæ, licet aliquando extiterit etiam publica justâ de causâ, ob humilitatem peccatoris & reparationem scandali; cum illa tamen fiebat adhuc secreta, & illa publica abrogata est.

Quia duodecimò debet esse *lachrymabilis*, non propterea pœnitens fundere debet lachrymas, aut emittere gemitus; sed per hoc requiritur dolor internus, sive sit Contritio, sive Attritio, ut diximus.

Quia tertiodecimò debet esse *accelerata*, non ideo peccator debet confiteri eo ipso quo peccavit, sed non debet illam longiùs differre ob periculum damnationis, & ideo hoc pertinet aliquo modo ad consilium.

Quia quartodecimò debet esse *fortis*, pœnitens debet vincere aversionem quam suggerit illi pudor; debet etiam fortiter deserere omne peccatum & omnem occasionem peccati, etiamsi sit detrimentum proprium passurus.

Quia quintodecimò debet esse *accusans*, peccata non debent proferri per solam narrationem; nec accusatio quæ fit de peccatis debet esse cum excusatione injustâ; licet excusatio justa possit afferri ad tuendam famam, ad quod omnes tenentur ex jure naturali.

Quia tandem debet esse *parere parata*, pœnitens debet obedire confessario injungenti fugam occasionis peccati, restitutionem rei, vel famæ ablatæ, reconciliationem cum proximo, & satisfactionem pro peccatis commissis.

QUÆSTIO V.

An Confessio debeat esse integra?

NON loquimur de integritate confessionis quantùm ad peccata venialia; non sunt enim materia necessaria Pœnitentiæ, sed tantùm sufficiens; unde unum potest exprimi, & aliud reticeri: sed loquimur de integritate confessionis quoad peccata mortalia. Sciendum tamen est, quòd si quis habeat tantùm peccata venialia, quæ velit submittere confessioni, debeat illa declarare, non tantùm in genere, dicendo, se commisisse unum aut duo peccata venialia; sed etiam in specie, dicendo, se admisisse tale & tale peccatum veniale. Quia, posito quòd quis velit illa confiteri, tenetur materiam certam & determinatam apponere. Non tamen tenetur omnia explicare.

CONCLUSIO.

DE necessitate confessionis est, quod sit integra, ita quod pœnitens exprimere debeat species peccatorum, numerum illorum, & ipsorum circumstantias, saltem speciem peccati mutantes; & hoc intelligitur post diligentem conscientiæ examinationem, ut diximus anteà, quæ tanta debet esse, quanta adhiberi solet in negotio arduo, spectatâ etiam conditione personæ, qualitate officii ejus, & temporis intervallo, quo confessio non est facta; unde qui confessus esset non prævio examine, confessio esset nulla, si sacerdotis interrogatio defectum examinis non suppleverit; & ideo si confessarius advertat pœnitentem non præmisisse examen, tenetur illum dimittere, vel interrogare; ex capite enim *Omnis utriusque sexûs*, confessarius debet diligenter inquirere de peccatoris & peccatorum circumstantiis.

Quantùm ad species peccatorum quæ debent explicari, ut confessio sit integra; hoc intelligitur de speciebus moralibus, ita quod pœnitens teneatur dicere se commisisse tale, vel tale peccatum, quod est contra tale vel tale præceptum: non autem necessarium, ut exprimantur species physicæ peccatorum; unde qui confecit venenum, vino miscuit, & propinavit inimico, satisfacit integritati confessionis, dicendo se veneno occidisse aliquem; aliquando tamen species physicæ explicandæ sunt. Primò quando alter ad peccaminosam actionem assumitur, v. g. si quis dedit venenum servo suo scienti, qui illud obtulit inimico; excitare enim aliquem ad peccatum, peccatum novum est, & ideo exprimendum. Secundò, quando inter plures actus physicos tanta intercedit mora, ut plura numero peccata fiant ratione plurium volitionum

quæ sunt interruptæ; & sic qui hodie venenum composuit, & cras illud propinavit, tenetur tales actus diversos exprimere, quia sunt diversa peccata numero. Tertiò, quando illi actus physici habent adjunctas circunstantias, quæ moraliter diversæ sunt; ut si quis iter suscipiens ad occidendum inimicum, conculcavit segetes.

Quando conclusio dicit, quod Confessio debeat esse integra quoad numerum peccatorum; hoc intelligitur etiam in eâdem specie, ita quod pœnitens teneatur dicere, se v. g. decies jurasse; non requiritur tamen, ut ille numerus sit certus mathematicè, hoc enim aliquando impossibile est; sed sufficit, quòd sit certus moraliter; unde si certus numerus non occurrat, debet exprimi verisimilis; qui si non possit haberi ob longam & frequentem peccati habitudinem, satis est si pœnitens indicet tempus à quo cœpit peccare, & consuetudinem quam habet peccandi ter vel quater quotidie. Ratione hujus veritatis sequitur primò, quod ille qui furatus est centum nummos centum vicibus, debeat specificare illos centum actus repetitos, quia quilibet est peccaminosus. Sequitur secundò, quod non sufficiat Sacerdoti dicere, se absolvisse vel communicasse aliquos dum erat in peccato, sed tenetur dicere quot absolverit; non est enim unica actio moralis, quia una absolutio non ordinatur ad alteram. Sequitur tertiò, quòd ille qui positivè dixit se blasphemasse decies, & factâ Confessione agnoscit se blasphemasse duodecies, tenetur in primâ Confessione explicare duplicem illam blasphemiam; non tenetur tamen, si dixerit se decies vel circiter blasphemasse. Sequitur quartò, quòd ille qui dicit se plura peccata commisisse quam commiserit, si hoc fecerit malâ fide, non tantùm tenetur hoc explicare in novâ confessione, sed primam confessionem tenetur repetere ut invalidam; voluit enim decipere judicem in materiâ gravi; si autem hoc fecerit bonâ fide, ad neutrum tenetur. Quòd si deceperit circa peccata venialia; etiam malâ fide, non tenetur repetere confessionem, nec hoc peccatum confiteri; est enim tantùm peccatum veniale, quod potest non subjici confessioni. Sequitur quintò, quod peccata venialia, quando sola subjiciuntur absolutioni, debent explicari, si non quoad numerum, saltem quoad speciem; unde non sufficit si quis dicat se commisisse duo peccata venialia, sed debet explicare qualia sint, vel saltem unum eorum; licèt enim de se non sint materia necessaria Pœnitentiæ, quando tamen aliquis vult recipere absolutionem de illis solis, sunt materia necessaria; & sic debent explicari quantùm ad speciem. Sequitur sextò, quod non sufficit dicere se substraxisse rem alienam, sed specificandum est se non restituisse per tale tempus quo potuit restituere; qui enim restituere potest, & non restituit, novum peccatum facit, quoniam furtum consistit & in usurpatione rei alienæ, & in detentione illius.

Quantum ad circunstantias peccatorum; aliæ mutant speciem peccati, quæ scilicet adversantur speciali præcepto, ut quando, v. g. quis furatur in loco sacro; hæc circunstantia addit malitiam sacrilegii supra malitiam furti; quando etiam quis fornicatur cum affine, additur supra simplicem fornicationem violatio honoris debiti parentibus. Aliæ sunt circunstantiæ aggravantes peccatum intra suam speciem, ut gravis vel minor percussio, furtum decem vel centum nummorum, &c. Circunstantiæ mutantes speciem peccati quæ addunt specialem malitiam, debent exprimi. Sic Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. deò qui concupivit mulierem, vel cum eâ pecca-

A vit, debet exprimere, an fuerit virgo, an corrupta, conjugata, voto ligata, affinis, vel consanguinea; Sacerdos tamen qui carnaliter cognovit pœnitentem, non tenetur hoc explicare; non est enim incestus, nec sacrilegium; modò illam non sollicitaverit in confessione, nec sit parochus, nec ipsi incumbat ex officio onus procurandæ salutis pœnitentis; sic Bonacina, folio 140. Quantùm ad circunstantias aggravantes, si non aggravent notabiliter peccatum, non sunt necessariò exprimendæ; si verò aggravent notabiliter, multi negant eas debere exprimi (in quorum sententiâ, qui esset furatus mille nummos, teneretur tantùm dicere, se furtum mortale commisisse, dummodò restituerit, vel paratus fuerit restituere.) Alii verò affirmant.

B Secundam hanc opinionem tenent Alensis, Major, Sotus, Suares, Sanchez, Coninchus, Victoria, & Henriques, qui aliam tenet probabilem, & istam probabiliorem. Horum ratio est, quòd furtum mille nummorum longè excedat furtum unius nummi: quòd incestus cum matre longè superet incestum cum cognata: quòd simplex vulneratio valde excedatur ab abscissione brachii: quod odium per mensem continuatum excedat illud quod duravit tantùm horam: sic de similibus. Primam verò longè plures tuentur, ut potè D. Thomas *in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 2.* D. Bonaventura, Vasques, Paludanus, Navarrus, Valentia, Bonacina, & multi alii, quos citat *Disp. 5. de Sacram. Pœnit. quæst. 5. sect. 2 punct. 2. §. 3. diffic. 3. propos. 2.* Fundamen-C tum hujus opinionis, quæ mihi probabilior videtur, & sufficiens in praxi, desumitur ex Conc. Trident. *sess. 14. cap. 5.* ubi docens accuratè ea, quæ sunt necessaria ad istud Sacramentum, tantummodò docet, quòd pœnitens declarare debeat speciem, numerum, & peccatorum circunstantias, quæ mutant speciem: unde dicendum est, vel quòd defecerit Concilium, non assignando circunstantiam necessariam ad valorem Sacramenti, quod est improbabile; vel quòd explicatio illa non sit necessaria, etiam si circunstantia notabiliter aggravans multùm conducat ad proportionandam satisfactionem peccato; cùm non absolutè requiratur proportio omnimoda in hoc judicio morali. Addi potest, quòd onerosior D sit illa obligatio aperiendi circunstantias non mutantes speciem, ut possit imponi fidelibus absque authoritate legislatoris, quæ nulla agnoscitur: unde prudenter Scotus ait, *dist. 17. quæst. unica*, tutum esse, ac utile hoc fieri, non tamen ita esse certum, quòd illas circunstantias confiteri oporteat. Non obstante hac opinione, aliqui dicunt, explicandam esse in Confessione notabilem quantitatem furti; vel quia notabile furtum æquipollet virtualiter pluribus; vel quia spectat ad substantiam actûs in individuo spectati; & talis usus est communis apud timoratos, licèt contrarium sentiat Vasques cum Bonacina, & aliis, qui nil in hoc E improbabile reperiunt. Probabilissimum est etiam, debere explicari gradus consanguinitatis, & rejiciendam esse opinionem Angeli, quòd satis sit illi, qui matrem cognovit, dicere, se commisisse incestum in primo gradu; tùm quia persona est quid pertinens ad substantiam actûs in individuo; tùm quia copula cum matre jure naturæ prohibetur. Qui plures occidit, aut diffamavit uno actu, hoc tenetur declarare; non quia est circunstantia aggravans, aut mutans speciem; sed quia ille actus continet plures numero malitias, ratione plurium objectorum, quæ læduntur. Idem dicitur communiter, si uno actu pluribus fiat unum & idem furtum; licèt enim tunc non sit multiplex peccatum, quia est tan-

tùm unicus voluntatis actus; attamen in eodem peccato est multiplex malitia aperienda in Confessione; juxta probabiliorem sententiam. Porrò, aliqui dicunt pœnitentem à Confessario interrogatum teneri ad explicationem circumstantiarum notabiliter aggravantium; alii verò non nisi consulunt, quia Sacerdos non habet jus ad interrogationem, ubi pœnitens ad explicationem non tenetur. Similiter pœnitens interrogatus de consuetudine peccandi non tenetur illam declarare absolutè, sed tantùm, ubi necessaria est ad hoc, ut Sacerdos cognoscat, pœnitentem esse ritè dispositum; non verò, ubi iste judicat, se dispositum esse, nec esse in occasione proxima recidivandi. *Dices*: Si circumstantia aggravans non deberet explicari, qui in Quadragesima violasset jejunium, & manducasset carnes in illo die, deberet tantùm dicere, se jejunium fregisse. Negatur consequentia, quia ibi duo præcepta sunt, unum affirmativum de unica comestione facienda, & negativum aliud de non manducandis carnibus. Circumstantiæ mutantes speciem peccati & aggravantes, hoc versiculo continentur.

Quis, Quid, Vbi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodò, Quando.

Quantum ad moribundos, à quibus non potest haberi Confessio; paucis exceptis, omnes fatentur, quòd si, adveniente Confessario, moribundus non possit ampliùs loqui, & anteà dederit aliquod signum doloris, tunc possit absolvi, etiam si coram Sacerdote nullum ampliùs dare valeat: Manuale enim Romanum à Paulo V. approbatum, tit. de Sacram. Pœnit. habet, *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægro deficiat, nutibus & signis conetur Sacerdos, quoad fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere; quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Ratio hujus est, quia tunc ægrotus præbet veram materiam pœnitentiæ, scilicet dolorosam sui accusationem, saltem virtualem, quando Sacerdoti, vel alteri, in ejus absentia, dedit aliquod signum doloris. Quòd si dubitetur, an illud doloris signum procedat ex interiori pœnitentia, aut ex angustia morbi, tunc debet dari absolutio sub conditione; secùs, si rationabiliter præsumatur talem dolorem esse de peccato; quia protunc simpliciter existimandum est, illum edi à pœnitente in ordine ad claves, seu ad absolutionem: Quia aliqui existimant talem confessionem æquipollere illi, quæ fieret Sacerdoti absenti, credunt istam ad absolutionem non sufficere; quia Clemens VIII. illam absolutè reprobavit in quocumque casu, etiam extremæ necessitatis. At per hoc Pontifex noluit comprehendere nostrum casum, ut ipsemet declaravit Bellarmino, ex Præposito q. 4. dub. 3. sed reprobare voluit illas absolutiones, quæ absentibus dabantur. Si enim Clemens VIII. nostram propositionem intendisset reprobare, Paulus V. in suo Rituali pontificio, quod toti Ecclesiæ observandum proposuit, non determinasset expressè, absolvendum esse moribundum, etiam si per alios desiderium confitendi ostenderit. Quia autem ob hanc causam aliqui voluerunt, Paulum V. errasse contra decretum Clementis VIII. congregatio S. Inquisitionis, coram summo Pontifice, declaravit an. 1621. 2. die Decemb. illius decretum esse observandum uti jacet, nec in aliquo adversari decreto Clementis. Hoc confirmant Concilia Carthaginensia 3. Can. 34. & 4. Can. 63. prout refertur cap. *is qui.* quæst. 6. Nec ad hoc requiritur multitudo testium, nec qualitas, sed sufficit unicus; etiam mediatus; quia non agitur de præjudicio tertii, sed de salute proximi.

Quòd si moribundus non petiit absolutionem, nec signa dedit doloris Sacerdoti præsenti, vel absenti; docetur communiter, non dandam esse absolutionem. Non desunt tamen plurimi, qui existiment illam debere ministrari sub conditione, saltem illis, qui catholicè vixerunt; quia per hoc satis indicatur Sacerdoti, quòd sicut talis moribundus voluit benè vivere, sic etiam velit vitam catholicè finire, & proinde desiderare confessionem & absolutionem; quam profectò libenter crederem, non esse in tali casu denegandam, saltem sub conditione; sicut nec denegaretur Extrema-unctio, quæ Sacramentum minùs necessarium est: & pro tunc in tali casu vita catholicè acta tenet locum confessionis. Hanc opinionem approbat noster Guilielmus Herincx, vir aliàs eruditissimus, qui pro ea adducit quamplurimos viros ex Belgio doctrinâ & sanctitate conspicuos, & præsertim Alexandrum Aloisium Bononiensem Archiepiscopum, qui posteà sub nomine Gregorii XV. ad summum Pontificatum evectus est. Hic in Memoriali Confessariorum suæ Diœcesis hanc praxim observari præcepit, & eam probat ex Sacerdotali Romano, in quo præscribitur, quòd infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si benè vivebat, quamvis non petierit Sacramenta, debeat præsupponi contritus, & Sacerdos illi facere absolutionem ab omni sententia & peccato. Quòd si Rituale Romanum prohibeat, absolvi eos, qui non dederunt signa doloris: hoc intelligit de sanis, & non de moribundis, qui sub conditione saltem possunt absolvi, nè exponatur periculo damnationis æternæ anima Christiana. Si dicatur, quòd catholicè vivens non direxerit suam vitam in ordine ad absolutionem; quod requiritur in confessione: Responderi debet, hoc fecisse, saltem tacitè, cupiendo, ut sua vita ipsum perducat ad gloriam per viam usitatam, quæ est via Sacramentorum. Nec denique dicatur, hanc praxim repugnare usui antiquo Ecclesiæ; quia si repugnet usui negativo, in quantum hoc non semper fuit usitatum in illa; non tamen repugnat usui positivo, quia hoc nusquam prohibitum est in Ecclesia universali: Nec mirum videri debet, quòd aliquid non anteà discussum, nec usitatum, discutiatur posteà & usitetur. His omnibus aliquid superaddit noster Poncius Disp. 46. num. 95. ubi postquàm probavit non debere dari absolutionem absolutam, nisi iis qui aliquod signum doloris dederint, paragrapho tamen *quantum ad me*, nedum sentit illam sub conditione posse ministrari iis qui bene, sed etiam illis, qui malè vixerint; cùm in hoc nihil mali reperiatur, nec sit evidens, aut certum ex fide, quòd talibus prodesse non possit. Quando autem sibi objicit, quòd accusatio debeat esse sensibilis; ad hoc respondet, sensibilem eam cognosci ex eo quòd soleant pœnitentes, cujuscumque sint conditionis, se pœnitere in articulo mortis, quantumvis fuerint perditæ vitæ.

Quæstio VI.

In quibus casibus possit non esse integra Confessio?

CIRCA integritatem confessionis erravit specialiter Lutherus serm. de Pœnitentia, ex quo multos articulos deprompsit & condemnavit Leo X. ut potè octavum, ubi negat, omnia peccata mortalia esse confitenda; & nonum, ubi scribit, dum volumus purè omnia confiteri, nos nil aliud facere, nisi, ut misericordiæ Domini nihil ignoscendum relinquamus. E contrà verò Concilium Trid. sess. 14. cap. 5. docet, necessariam esse integritatem confessionis, quoad omnia peccata mortalia, tam ex jure divino, quàm Ecclesiastico, dicens: quòd *Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cælos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquerit, tanquam judices & præsides, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint.* Et paulo post subjungit: *Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum, post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima sint.* Patet, inquam, ex hoc, quòd necessaria sit confessionis integritas eo modo, quo explicuimus in præcedenti conclusione. Quia tamen nulla datur lex ita generalis, quæ non patiatur exceptionem, ideò quærimus, quænam sint occasiones, in quibus non urgeat hoc præceptum.

Conclusio.

CONFESSIO multoties potest non esse integra. Primò ex ignorantiâ & oblivione, ut quando quis, dùm esset puer, ignorabat aliquod peccatum esse declarandum, posteà agnoscit illud debuisse subjici confessioni, non tenetur priores confessiones iterare, sed sufficit, si illud peccatum fateatur; si etiam quis inculpabiliter oblitus est peccatum mortale, debet tantùm illud declarare, non verò alia quæ jam confessus est, & quæ absoluta sunt, licet illorum confessio non fuerit integra. Ad observandum ergo præceptum Christi de integritate confessionis, sufficit quòd sit integra formaliter, & non requiritur semper quod sit integra materialiter: est autem integra formaliter, quando explicantur omnia peccata moralia, quæ mortaliter explicari possunt, ita ut nullum reticeatur sine justâ causâ; est verò materialiter integra, quando omnia peccata mortalia, nullo dempto, explicantur; Christus autem non præcipit integritatem materialem confessionis, aliquando enim est impossibilis, ut quando quis, facto diligenti examine, non meminit alicujus peccati; aliquando etiam non est facienda integra propter justas causas, de quibus illicò. Præceptum verò Christi est consentaneum rationi & onus ipsius leve est, unde non præcepit semper integritatem materialem confessionis.

Secundò, ab integritate materiali confessionis dispensatur pœnitens, qui incepit confiteri & præ morbi gravitate perficere non potest. Dispensatur etiam qui signis & nutibus explicat sua peccata in specie, licet non explicet quantùm ad externum sermonem, quia hoc non potest. Prætereà, dispensatur qui linguâ carens aliqua tantùm peccata exprimit in specie, & alia exprimere non potest, nisi in genere. Sic dicendum est de extraneo, cujus idioma non percipitur; cùm enim faciat quod in se est, debet absolvi, si non sit alius Sacerdos qui ipsum

A intelligat. Ægrotus qui dat & dare tantùm potest signa confessionis in genere, absolvi debet; immò, si non det actu talia signa, modò dederit anteà, potest absolvi, si illi qui moribundum audierunt, testimonium dederint, inquit Concil. Carthaginense quartum can. 76. nullum enim est periculum sacrilegii ex parte ministri, quia habet semper, & habere debet in mente suâ, vel in verbis intentionem conditionatam de absolvendo pœnitente secundùm ipsius dispositionem; unde in absolutione additur communiter *in quantùm possum, & indiges.* Si autem nullum detur testimonium, quod moribundus dederit signa Contritionis aut Attritionis, absolvi non potest, nec etiam sub conditione; ut enim applicetur forma sacramenti sub B conditione, materia debet esse probabiliter disposita. Idem dicendum est de amente, qui ante amentiam dedit signa Contritionis.

Tertiò, dispensatur ab integritate Confessionis; quando ex confessione alicujus peccati imminet aliquod grave damnum corporale aut spirituale, sivè pœnitenti, sivè confessario; præceptum enim Christi non obligat cum tanto incommodo, quia jugum ejus suave est; unde si pœnitens probabiliter timeat, quod Sacerdos revelet grave aliquod peccatum, debet alia confiteri & istud retinere, si non sit alius cui omnia possit explicare. Si etiam pœnitens occiderit patrem vel matrem confessarii, non tenetur illi aperire hoc peccatum, nè ipsi det locum vindictæ, quod est grave damnum confessa- C rio. Si fœmina confitens sacerdoti se esse fornicariam, probabiliter timeat, ne ipsam confessarius sollicitet, à confessione dispensatur. Si pœnitens morbo contagioso laboret, potest dare absolutionem confessarius post unius peccati mortalis confessionem, si sine periculo non possit à longè audire omnia. Si confessarius morbo corripiatur, potest ad confessionem primi peccati mortalis absolvere, si pœnitens sit in periculo, & non sit alius Sacerdos, ut reperitur tempore pestis. Si plures pœnitentes reperiantur simul ubi mors imminet, v. g. in prælio, in procellâ maris, in domo quæ D igne conflagratur, &c. possunt aliqui eorum aliqua peccata altâ voce proferre, & statim Sacerdos absolvere in plurali, dicendo, *Absolvo vos.* Si timet Sacerdos quin infirmus moriatur, debet, audito aliquo mortali peccato absolvere. Si denique confessarius non possit detegere peccatum suum, quin detegat peccatum alterius cognitum in confessione: tunc enim Sacerdos tenetur ad illud tacendum, quoniam ex Scoto dist. 21. q. 2. num. 21. ratio sigilli, quæ est de jure naturæ, magis obligat quam integritas.

Quartò, multi tenent, ut Cajetanus, Scotus, Valentia, Antoninus & Navarrus, quòd ille qui habet peccata reservata cum non reservatis, possit adire superiorem à quo absolvatur, qui si gravioriE bus negotiis occupetur, & tempus non habuerit audiendi integram confessionem, nec voluerit propter rationabiles causas alteri dare licentiam audiendi & absolvendi, poterit tantùm audire reservata, & absolvere illa cum onere explicandi non reservata alteri confessario; & tunc, inquiunt, illa confessio est sacramentalis & per absolutionem remittuntur peccata reservata directè, & non reservata indirectè; ita quòd debeant posteà subjici clavibus Ecclesiæ, ut remittantur directè, sicut peccata quæ oblita fuerunt in præcedentibus confessionibus indirectè remissa fuerunt, & directè posteà absolvi debent, idest impendi beneficium absolutionis, ut gratia augeatur & non committa-

tur peccatum novum, illa non confitendo: Nec tunc, aiunt, violabitur integritas confessionis, quia tanta sit quanta requiritur judicio superioris: Alii tamen & meliùs, sentiunt superiorem non posse sic confessionem dividere; & in hoc casu, si sit negotiis præpeditus, debere tantùm tollere reservationem illorum peccatorum, & absolvere de excommunicatione, si quæ sit contracta, & posteà remittere pœnitentem cuilibet confessario approbato, ut faciat illi confessionem sacramentalem de omnibus, & absolutionem recipiat.

Quintò, Navarrus, Valentia & alii, putant, quòd pœnitens dispensetur à confessione peccati, quando non potest illud exprimere, nisi manifestando complicem; quia, inquiunt, præceptum de non infamando proximo, quod est de jure divino B naturali, prævalet præcepto confessionis integræ, quod est tantùm de jure divino positivo. Contrarium tenent & probabiliùs D. Bonaventura, Sotus, Durandus, Sylvester & alii, pro quibus stat D. Bernardus opusculo *de honesta vita formulâ*, circa finem; dicens, *de nullo prorsùs loquaris sinistrè, nisi in confessione; & hoc ubi aliter manifestare non potes peccatum tuum*; unde dices ad rationem allatam, quòd occultum peccatum proximi manifestare, non sit illum infamare, quando hoc fit ex rationabili causâ & sine intentione infamandi, ut fit in confessione, ubi peccatum manifestaretur tantùm confessario qui tenetur servare sigillum.

QUÆSTIO VII.

An solus Sacerdos sit Minister Confessionis?

QUIA in mente hæreticorum sacramenta & ministri non aliter remittunt peccata, nisi fidem excitando in suscipientibus, ideo sentiunt, quemlibet laïcum sacramenta posse ministrare; imò Vvicleffus inquit, in remissione peccati Papam non excedere simplicem mulierculam. Catholici autem admittunt contrarium, dicentes, solos sacerdotes posse absolvere; nec in ullo casu hominem teneri ad confitendum sua peccata, nisi soli sacerdoti, quidquid dicat Magister in 4. dist. 17. art. 3. quia præceptum de confessione urget tantùm in ordine ad absolutionem quam nullus laïcus conferre valet: unde quando Augustinus lib. de vera & falsa Pœnit. cap. 10. ait, tantam esse vim confessionis, quòd, si desit Sacerdos, debeat fieri proximo; aliqui respondent, hunc librum non esse Augustini, quia ipsemet citatur cap. 17. alii dicunt, Augustinum intelligi de confessione humilitatis: omnes verò tenent, neminem posse absolvere, nisi habeat Ecclesiæ claves. Nomen autem clavis à corporalibus translatum est ad spiritualia significanda: ita quòd, sicut in corporalibus clavis est instrumentum certa obstacula removens; sic potestas absolvendi in sacerdotibus removet à peccatore obstaculum ingressûs ad regnum cæleste, unde per metaphoram denominatur clavis.

CONCLUSIO.

SOLUS Sacerdos potest esse minister hujus sacramenti. Sic Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. Ratio est, quia illi soli possunt absolvere, quibus potestas clavium, seu remittendi peccata concessa est; solis autem Apostolis, nedùm quatenus repræsentabant Episcopos, sed quatenus Sacerdotes A erant, dictum fuit: *Quæcumque ligaveritis super terram*. &c. *Quorum remiseritis*, &c. Hoc inquam, illis dictum fuit, ut erant Sacerdotes, sicut & hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*; Cujus ratio est, quia sacramentum hoc est omnibus necessarium; ergo & conferendum ab illis qui habent caracterem communem, nempe sacerdotalem; non potest ergo Ecclesia dispensare, ut aliquis non Sacerdos absolvat; hoc enim est de jure divino: Unde, si dicat Jacobus cap. 5. *Confitemini alterutrum peccata*; non loquitur de confessione sacramentali, ut inquit Scotus, sed de confessione publicâ, quæ fiebat humilitatis causâ, de quâ dicit Bernardus libro de verâ & falsâ pœnitentiâ, *Si desit Sacerdos, peccator confiteatur proximo*: non loquitur, inquam, Apostolus de confessione sacramentali ad absolutionem, si enim laicus illam præsumeret conferre, fieret irregularis ex jure Canonico. Quòd si loquatur de sacramentali; hoc est ad Sacerdotes, qui taliter sunt patres spirituales, ut sint etiam fratres. Quòd si ex jure Canonico cap. *fures*. de furtis. Communio danda est furibus Presbytero aut Diacono confessis; hoc intelligitur de confessione generali quæ fiebat cum privatâ, ut viderent omnes, an essent contriti & digni communione. Sic intelligendus est Cyprianus committens absolutionem lapsorum cuidam Diacono; loquebatur enim de absolutione illâ, quâ publici pœnitentes recipiebantur in communionem Ecclesiæ. C Vel per illam regulam juris intelligitur tantùm, quòd furibus in delicto vulneratis & ostendentibus signa Pœnitentiæ non sit deneganda communio, quam illis potest tradere Diaconus, absente Presbytero: & ob hoc ibi sit mentio Diaconi.

QUÆSTIO VIII.

An omnis Sacerdos sit Minister Confessionis?

QUIA dicemus, quod Sacerdos debeat habere potestatem clavium, ut absolvere possit; dicendum est, quod potestas clavium nihil aliud sit, D quàm potestas solvendi & ligandi, quâ Sacerdos ut judex Ecclesiasticus dignos admittere valet ad regnum cælorum, & indignos repellere; unde sunt duo actus hujus potestatis, quorum primus est solvere, & alius ligare. Primus est primariò intentus, & fit per actionem positivam, conferendo gratiam remissionis peccati; posterior verò fit per negationem actionis seu solutionis. In quolibet confessario duplex clavis requiritur, scilicet Ordinis & Jurisdictionis. Potestas seu clavis Ordinis nihil aliud est, quàm caracter sacerdotalis, quo ex institutione divina aliquis deputatur, ut possit esse judex in foro conscientiæ. Potestas seu clavis Jurisdictionis est authoritas quâ unus alteri est superior in foro pœnitentiali. Prima vocatur potestas tantùm habitualis, impedita defectu materiæ cui possit applicari; E Sacerdos enim ut Sacerdos, non habet subditos & consequenter non est Judex: secunda verò vocatur actualis, quia est expedita ad operandum, habetque debitam materiam cui applicetur, nempe subditos. Porrò, prima est indelebilis sicut caracter, secunda verò auferri potest per excommunicationem & hæresim.

CONCLUSIO.

OMNIS Sacerdos non est Minister hujus Sacramenti, & sic non sufficit sola clavis Ordinis,

quam habet ut Sacerdos; sed requiritur clavis Jurisdictionis, quâ subditos habeat quos absolvere possit. Sic Concilium Florentinum determinans tria esse necessaria essetialiter ad hoc Sacramentum, nempe materiam, formam; & ministrum habentem jurisdictionem: unde Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. dicit, nullius esse momenti eam absolutionem quam sacerdos profert in eum in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem. Ratio in promptu est, quia absolutio est actus judicialis, qui requirit jurisdictionem in subditos. Quando autem illa potestas jurisdictionis datur? Aliqui dicunt, eam tradi cùm datur potestas Ordinis, ita quod Sacerdos in ordinatione duplicem potestatem recipiat, unam super corpus Christi verum, quod potest consecrare; alteram super mysticum, nempe super fideles, ad quos absolvendos fit aptus, licèt suspendatur ab Ecclesiâ, donec habeat subditos. Sed hoc verum non censetur; sicut enim non potest suspendi potestas ordinis circa corpus Christi verum, non potest etiam suspendi circa mysticum. Alii dicunt, partim dari potestatem jurisdictionis in Ordine, & partim extra ordinationem, quando committuntur subditi; hoc tamen non placet, quia jurisdictio & subjectio sunt correlativa; unde quia in ordinatione Sacerdos non habet subditos, nullam habet etiam jurisdictionem. Dicendum ergo est, quòd potestas Ordinis & Jurisdictionis sint distinctæ; & quod hæc detur extra Sacramentum Ordinis, per externam concessionem, vel ex officio, quando aliquis destinatur ad curam animarum, ut Papa, Episcopi & Pastores; eo enim ipso quo ad talia munera recipiuntur, jurisdictionem habent in subditos.

Objicies: Sacerdotes in suâ ordinatione recipiunt potestatem offerendi sacrificium, præter quam nulla alia potestas requiritur, ut sacrificare valeant: ergo cùm accipiant pro tunc etiam potestatem remittendi peccata, nullâ aliâ indigent: ergo illam habent vi ordinationis, & sic omnis Sacerdos absolvere potest. Respondeo negando paritatem, quia potentia consecrandi non habet rationem clavis, non est enim judicium; unde non requirit jurisdictionem; benè autem potestas absolvendi exigit; quia fertur per modum judicii. *Dices*: In suâ ordinatione constituitur judex ad ferendam absolutionem, ut patet ex verbis Episcoporum; *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ergo non requiritur alia potestas jurisdictionis. Resp. ex vi ordinationis datur quidem potestas absolvendi, quæ est completa in ratione activi, sed non est completa in ratione passivi; quia non habentur subditi: si ergo in ordine constituantur judices, hoc verum est secundùm habitudinem, non secundùm actum. Ex quibus patet erroneam esse opinionem Armachani sentientis, jurisdictionem non esse separabilem à potestate Ordinis, quemlibetque Sacerdotem validè posse absolvere, licèt non licitè absolvat, citra peculiarem deputationem Ecclesiæ. In hanc opinionem, quam probabilem reputat Durandus dist. 19. quæst. 2. Almaïnus inclinat. Quòd si Urbanus II. cap. *placuit* de Pœnit. dist. 6. dicat, *Placuit, ut deinceps nulli Sacerdoti liceat non sibi commissum absolvere*; ibi non agit de absolutione Sacramentali, quæ dudum anteà dari non poterat à Sacerdotibus nisi illis, qui sibi commissi fuerant, juxta divisiones diœcesum & parochiarum; sed de pœnitentia publica & solemni: ita quòd per hunc amorem decernatur, quòd si quis commissus esset alicui Sacerdoti, ut ab illo pœnitentiam publicam reciperet, ipsâ factâ, non posset absolvi ab alio.

Quæstio IX.

An quilibet Sacerdos possit absolvere à venialibus peccatis?

Ex antecedenti quæstione quilibet Sacerdos non potest absolvere à peccatis mortalibus, quia requiritur jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata; quod intelligitur etiam de Sacerdotibus circa alios Sacerdotes, vt habetur ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 15. ubi statuitur, nullum, etiam regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nisi habeat parochiale beneficium aut approbationem ab Episcopo; unde; si contrarium fit in usu in multis locis, hoc fit validè & licitè, non ex vi alicujus consuetudinis; huic enim derogavit Concil. sed ex consensu tacito Episcoporum, qui cùm hoc sciant & non prohibeant, censentur approbare Sacerdotes ad hoc; si tamen hoc prohibeant, non ampliùs est licitum, & manendum est in determinatione Concilii hoc prohibentis; potest nihilominus oriri difficultas de peccatis venialibus, an simplex Sacerdos non approbatus ab illis absolvere possit.

Conclusio.

Simplex Sacerdos cum clavi solius Ordinis absolvere potest à venialibus. Sic Navarrus, Medina & alii. Ratio peti potest ex hoc quòd peccata venialia, licèt sint materia sufficiens absolutionis, non sunt tamen materia necessaria; liberum enim est pœnitenti ea subjicere clavibus Ecclesiæ, vel non: ergo liberum est etiam pœnitenti ea submittere cuicumque judici, modò habeat potestatem Ordinis. Quod confirmari potest ex cap. *Omnis utriusque sexus*, præcipiente, ut singuli confiteantur peccata mortalia proprio Sacerdoti; unde signum est venialia posse subjici alteri. Deinde, hoc habetur ex consuetudine Ecclesiæ, & tacito consensu Prælatorum. Quidquid sit de ratione allegata ad probandum, simplicem Sacerdotem posse absolvere à venialibus; semper recurrendum ad tacitum consensum Ecclesiæ quæ permittit à talibus absolvere. Non est enim verisimile quod dicunt aliqui, Sacerdotibus ex jure divino competere jurisdictionem super materiam liberam, ex ordinatione sua; nam talis jurisdictio, quæ confertur in ordinatione, se extendit indifferenter ad mortalia & ad venialia, ut patet ex forma ordinationis, & ex verbis Christi Joan. 20. unde, cùm illa sine jurisdictione non se extendat ad peccata mortalia, nec proinde se extendit ad venialia: sicque semper requiritur jurisdictio in Sacerdotibus, qui à venialibus absolvunt; non quidem expressa, ut patet ex communi usu Theologorum; sed tacita, quidquid recentiores aliqui negare præsumant. Idem dicendum est de peccatis mortalibus oblitis; quòd scilicet Sacerdos directè absolvens à peccatis venialibus, sine jurisdictione expressa, possit etiam absolvere indirectè à mortalibus oblitis, & ab illis quæ rationabiliter suppressa sunt in Confessione, aut quæ prudenter judicantur non esse mortalia: protunc enim sufficit jurisdictio tacita Ecclesiæ ad absolvendum directè à venialibus, ad quam sequitur tacita permissio absolvendi indirectè à mortalibus præfatis; quia utraque pertinent ad materiam liberam.

Quæstio X.

An quilibet Sacerdos possit absolvere in articulo mortis?

Aliqui hanc potestatem auferunt excommunicatis, suspensis & interdictis; quia, inquiunt, censura Ecclesiastica tollit jurisdictionem, quæ tamen est necessaria; sed ad hoc dicendum est, quod censura tollat jurisdictionem ad licitè absolvendum, non verò ad validè.

Conclusio.

Quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, in articulo mortis absolvere potest; ut enim Sacerdos possit absolvere, requiritur tantùm ut habeat potestatem Ordinis & clavem jurisdictionis; sed utrumque habet Sacerdos in articulo mortis: habet enim primò potestatem Ordinis, quia est Sacerdos; & clavem jurisdictionis, ex concessione Ecclesiæ, quâ Sacerdos habet quemlibet pro legitimâ materiâ in articulo mortis. Quod etiam non est denegandum Sacerdoti excommunicato, interdicto, suspenso, & hæretico; Concil. enim Trident. sess. 14. cap. 7. docet, Quòd omnes Sacerdotes absovere possint in articulo mortis. Quod dicitur de articulo mortis, dicitur etiam de quovis probabili vitæ periculo, ut in pugnâ, in periculosâ navigatione, & pro eo tempore, quo quis teneretur ex præcepto divino confiteri proprio Sacerdoti, si illum haberet. Hæc omnia intelligenda sunt quando deest Sacerdos approbatus non excommunicatus, qui velit absolvere, pro tunc etiam moribundus non est in necessitate confitendi simplici Sacerdoti; si autem esset tantùm Sacerdos excommunicatus præsens, vel degradatus, vel hæreticus; Sacerdos non approbatus potest & debet absolvere, non verò excommunicatus. Porrò, potestas quam habet simplex Sacerdos absolvendi in articulo mortis, est absoluta & directa, itaut absolutus non teneatur elapso periculo peccata iterùm alteri confiteri, etiamsi reservata fuerint: si tamen habeant censuram annexam, debet absolutus elapso periculo se præsentare superiori; non ut ab illâ absolvatur denuò, sed ut ostendat se esse absolutum, & ad quamlibet pœnitentiam recipiendam paratum; alias in easdem censuras reincideret ex jure canonico. Hìc sciendum, quemlibet Sacerdotem posse summum Pontificem absolvere; sicut enim potest assignare alios pro materiâ, sic & seipsum. Non sunt ergo audiendi illi, qui dicunt, Sacerdotem eligi reverà à Pontifice, tunc verò tali Sacerdoti jurisdictionem conferri à Deo, sicut ipsi Pontifici electo tribuitur: Nulla enim est causa uti hâc distinctione, & facilius respondetur, Pontificem se subdendo Sacerdoti, illi jurisdictionem tribuere. Licèt autem in tali casu posset dicere Sacerdos, Ego te absolvo authoritate mihi à summo Pontifice concessâ; hoc tamen non est dicere congruum, quia Pontifex concedens jurisdictionem videretur esse alia persona à pœnitente.

Quæstio XI.

Quis sit Minister ordinarius Confessionis?

Certum est, omnes fideles proprium habere Sacerdotem cui tenentur confiteri, vel alteri

A de ejus licentiâ, ita ut aliter Confessio sit nulla. Nomine autem proprii Sacerdotis intelligitur ille, cui ex officio animarum cura incumbit, & qui habet jurisdictionem ordinariam in foro conscientiæ; sivè talis jurisdictio sit proxima & immediata, qualem habent parochi; sivè sit universalis & quasi remota, ut est in Episcopis & in summo Pontifice.

Conclusio.

Triplex est Minister ordinarius confessionis; scilicet summus Pontifex, Episcopus Diœcesanus, & proprius Parochus. Ad summum Pontificem B reducuntur summus Pœnitentiarius, Legatus à latere, & similes: ad Episcopum reducuntur Episcoporum Vicarii, Abbates exempti, Generales Ordinum & Provinciales, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem super subditos; ad Parochum reducuntur Vicarii perpetui, & in religionibus immediati Prælati, ut sunt Priores, Rectores, Guardiani, &c. Eorum omnium jurisdictio non terminatur loco, sed personis; quare extra Diœcesim, vel Parochiam observare possunt; talis enim jurisdictio spectat ad personam, non ad locum; quia administratio ejus non requirit solemnitatem. Hi ergo omnes, tum Papa, tùm Episcopus, tùm Parochus, sunt proprius Sacerdos, prout proprius condistinguitur contra alienum; unde quilibet potest confiteri in Paschate sua peccata Episcopo, vel ejus Vicario, & in Ecclesiâ Cathedrali Eucharistiam recipere, quia est mater C Ecclesia omnium: Papa tamen & Episcopi non sunt proprii Sacerdotes, prout proprius condistinguitur à communi; solus enim est proprius Sacerdos qui proximam curam habet administrandi Sacramenta.

Quia ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 15. nullus extra articulum mortis potest à mortalibus absolvere, nisi approbatus fuerit ab Episcopo, aut parochiale habeat beneficium; inquiri potest, à quo Episcopo debeat approbari. Henriquez lib. 3. de Pœnit cap. 6. num. 7. tenet, sufficere approbationem cujuscumque; ita quòd approbatus ab uno Episcopo, qualiscumque sit, possit ubique absolvere. Pro hac opinione plurimos gravis notæ Theologos ac Jurisperitos citat, & inter alios, Archiepiscopos D Compostellanum Franciscum *Blanco*, & Granatensem, nomine *Guerreram*, qui Concilio Tridentino interfuerunt. Ipsorum omnium ratio est, quòd talis approbatio sufficiat ad salvandum Concilium, quod solum exigit approbationem Episcoporum: ubi, si Concilium loquatur de Episcopis in plurali, non propterea intelligendum est, quòd debeant Confessarii approbari à pluribus; sed hoc ita dicitur, quia multi sunt Episcopi, qui approbare valent: sicut Jacobi 5. de Extrema-unctione dicitur, quòd inducantur Presbyteri Ecclesiæ; ubi tamen unicus sufficit. Adde quòd, ideo requiritur approbatio Episcoporum, ut agnoscatur Confessarii idoneitas, quæ constare potest per quemcumque Episcopum. E His tamen non obstantibus, sequenda est decisio Cardinalium contradictoriè data & confirmata per breve apostolicum Innocentii X. ubi habetur, quòd Regulares in una Diœcesi ab Episcopo approbati nequaquam possint confessiones audire in alia, sine approbatione Episcopi Diœcesani. An autem Confessarius debeat approbari per suum proprium Episcopum, vel per Episcopum pœnitentis; primum exigit Suares, secundum sufficere dicunt alii; sed, ni fallor, dicendum est, quòd reverà debeat Confessarius approbari à suo Episcopo diœcesano, qui præcisè ordinarius dicitur;

Jurisdictionem verò recipere ab Ordinario pœnitentis: nunquam verò requiritur approbatio Episcopi illius loci, in quo auditur confessio; si nec Confessarius, nec pœnitens pertineant ad jurisdictionem Episcopi localis. Licèt autem in hac opinione, quòd approbatio Ordinarii, cui subditur pœnitẽs, requiratur, proindeque non possit Sacerdos absolvere, transeundo per Episcopatum alterius Episcopi; si tamen licentiam habeat à proprio Episcopo commorandi in aliena Diœcesi, ab Episcopo istius approbari potest. Ex dictis sequitur, Episcopum non posse approbare Sacerdotem non sibi subditum; quia actus jurisdictionis, qualis est approbatio, non potest exerceri, nisi in subditum, vel in illum, qui sibi subditus efficitur aliquâ ratione.

Quia etiam diximus, quòd Confessarius debeat approbari ab Episcopo, aut Parochiale habere beneficium; ideo qui tale habent, cui animarum annexa est cura, speciali approbatione non indigent, sed per collationem talis beneficii censentur sufficienter approbari. Quòd si beneficium amiserint, novam approbationem obtinere debent; quia, destructo principali, corruit accessorium. Idem dicendum est, si conservando suum beneficium incurrat excommunicationem, suspensionem, vel interdictum ab officio, aut jurisdictione; & insuper vitandus sit. Quòd si Pastorale beneficium retinens, per alias Diœceses transeat, à Pastoribus locorum rogatus sive delegatus potest absolvere; quia in tali beneficiato nulla requiritur approbatio præter beneficium parochiale. Licèt parochus non possit admittere aliquem non approbatum ab Episcopo ad audiendum suos subditos, quia talem approbationem exigit Concilium, nec suam jurisdictionem delegare potest parochus nisi approbatis ab Episcopo; si tamen nondum sit initiatus ordine sacerdotali, potest dare Sacerdoti approbato facultatem absolvendi suos subditos; nam licèt ipse non possit absolvere ex defectu potestatis Ordinis, quia tamen habet potestatem jurisdictionis annexam suo beneficio, ideo potest Sacerdoti approbato concedere licentiam absolvendi. Si duo parochi in solidum præsint alicui parochiæ, quilibet eorum potest committere Sacerdotem approbatum ad excipiendas confessiones, etiam invito altero; quia hoc posset per se-ipsum: ergo & per alterum. Tempore Jubilæi, ubi facultas conceditur eligendi Confessarium, non licèt juxta probabiliorem sententiam eligere Confessarium alterius Diœcesis; quia Bulla debet intelligi de Confessariis approbatis ab Ordinario diœcesis, intra quam existunt tales Indulgentiæ. Licèt verum sit, ad absolvendos Regulares non requiri approbationem Episcoporum, sed religiosum, qui facultatem habuit à suo superiore eligendi quemlibet, posse adire cujuslibet Ordinis religiosum, vel sæcularem non approbatum; quia Concilium sess. 23. c. 15. requirit tantùm approbationem ad absolvendos sæculares: non modica tamen extat difficultas pro tempore Jubilæi, quia præcipiunt Bullæ, ut accedatur Confessarius approbatus ab Ordinario. Suares disp. 28. sect. 6. num. 11. cum aliquibus putat, Religiosum non lucrari Jubilæum, nisi confessionem faciat Sacerdoti approbato ab Episcopo; probabiliùs tamen oppositum docent alii, quia non est verisimile, quòd summus Pontifex velit privare pœnitentem jure, quod habet confitendi cuilibet approbato à suo ordinario; sed potiùs favores ipsius pœnitentis accumulare & ampliare contendit. Nec in hoc contradicitur Bullæ, quia talis se confitetur Ordinario suo, seu illi, qui commissus est à suo superiore.

Quæstio XII.

Utrùm quis possit dare delegatam Jurisdictionem?

JURISDICTIO in foro conscientiæ potest delegari directè, vel indirectè. Delegatur directè, quando Episcopus committit alicui absolvendi potestatem; delegatur indirectè, quando datur pœnitenti facultas eligendi sibi Confessarium à quo absolvatur; hoc est enim indirectè dare potestatem absolvendi Confessario.

Conclusio.

OMNES qui habent potestatem ordinariam possunt eam delegare; delegatio enim est unus ex actibus jurisdictionis ordinariæ; unde Papa potest illam delegare pro quolibet loco & quibuslibet peccatis; Episcopi etiam delegare possunt in suâ Diœcesi, licèt verò Parochi possint delegare in suâ parochiâ jure communi, quia habent jurisdictionem ordinariam, jure tamen positivo non possunt delegare, nisi eos qui approbati sunt ab Episcopo; eorum enim potestas restricta est per Concil. Trident. Præter hos, nullus delegare potest apud sæculares Ecclesiasticos; alii enim sunt delegati, & delegatus delegare non potest, nisi ex commissione speciali; tamen apud Regulares, Generales & Provinciales delegare possunt, & Guardiani respectu eorum, qui approbati sunt à Provincialibus. Delegatio nullam habet formam specialem ad delegandum necessariam; sed sufficit quòd delegans explicet suam voluntatem, quoquo modò hoc fiat. Quoad tempus quo durat delegatio, dicendum est, posse revocari à delegante. Quòd si fiat ad præfixum tempus, durat tantùm pro illo: si verò delegatio facta fuerit indefinitè, tandiu durat, quandiu non revocatur: nec per mortem delegantis amittitur jurisdictio delegata, quia tenet legem gratiæ & favoris; favor autem non expirat morte concedentis: sic privilegia regularium durant mortuo Papâ aut Episcopo, modò non fuerint revocata à successore, vel à capitulo.

Si quæratur, an ratihabitio superioris sufficiat, ut quis habeat jurisdictionem delegatam; dicendum est, quòd si illa ratihabitio sit de præsenti, & exprimatur signo aliquo exteriori, tunc valida sit absolutio; secùs verò, si non sit expressa sensibiliter. Ratione primi ait Bonacina, quòd Episcopus videns familiarem audire confessionem, quem de facili impedire potest, & quem non impedit, censeatur per suum silentium ratam habere talem confessionem, & quasi jurisdictionem concedere; non quidem pro semper, sed pro illis vicibus, quas videt, & non impedit; quia talia concurrunt signa, ut tale silentium signo externo æquipolleat, & præsumatur liberalis cum familiari. Ratione verò secundi, qui universaliter videret Sacerdotem audientem confessiones & non contradiceret, non censeretur dare signum externum sui consensus, quia non consentire, nec dissentire videtur, nec tenetur impedire talem auditionem, cùm possit præsumere, se aliàs ipsum approbasse. Si verò ratihabitio sit de futuro, v.g. si quis absolvat, præsumens, quòd Episcopus posteà ratam habiturus sit absolutionem, tunc invalide absolvit: quia Sacerdos, pro tempore quo absolvit, non habet adhuc jurisdictionem; & pro illo quo illam accipit ab Episcopo, non ampliùs absolvit. Nec recurrendum est ad decimam regulam

lam juris in 6. ubi habetur, quòd retrotrahatur ratihabitio, & mandato comparetur; hoc enim potest esse tantùm in illis casibus, ubi voluntas actualis non est necessaria essentialiter, non autem in isto, ubi absolutio pendet essentialiter à jurisdictione actuali. Idem dici debet de præsumptione futura, quòd scilicet ille non validè absolvat, qui præsumit, superiorem esse consensurum, quia talis præsumptio non dat de facto actualem jurisdictionem. Si Parochus habens tantùm titulum coloratum absolveret, valida censeretur illius absolutio; quia licèt non habeat jurisdictionem virtute tituli, qui à parte rei nullus est; Ecclesia tamen censetur illi jurisdictionem conferre in illis actibus, ob gravissima incommoda, quæ aliter reparari non possent. Eodem modo dicendum est, quando aliquis habet tantùm probabilem jurisdictionem; quòd scilicet in hoc casu Pontifex tacitè censeatur illam concedere.

Quæstio XIII.

An habens potestatem audiendi Confessiones à Papâ vel Episcopo, possit illas audire sine licentiâ Episcopi, aut Parochi?

Papa, Episcopus, & Parochus sunt ministri ordinarii Confessionis, ad quos pertinet delegare; excepto tamen Parocho, cui per Concil. Trident. delegandi restricta est potestas ad Sacerdotes approbatos. Cùm ergo Papa possit delegare in totâ Ecclesiâ, quæritur, utrùm talis delegatio valeat sine licentiâ Episcoporum; cùm etiam Episcopus quilibet deputare possit in suâ Diœcesi, quæritur, utrùm sic delegatus ab Episcopo possit audire confessiones reluctantibus Parochis.

Conclusio.

Sufficit Jurisdictio delegata Papæ aut Episcopi, ut quis possit audire confessiones, reluctante Episcopo, aut Parocho, nisi hæc restrictio apponatur in delegatione. Sic omnes Summistæ, qui hoc colligunt ex Joanne XII. in extravaganti *vas electionis*, Benedicto XI. & Martino V. Ratio est, quia Papa & Episcopus possunt per se audire confessiones cujuscumque subditi sine licentiâ Pastorum inferiorum; habent enim jurisdictionem, nedum illis æqualem, sed & superiorem: ergo possunt illos ita delegare, ut operari possint sine Parochi licentiâ. Deinde, si privilegium à superiore concessum exigeret licentiam inferioris, esset inutile; quia ipsa licentia inferioris sufficeret; unde Honorius III. rogatus de quodam privilegio concesso Ordinibus Minorum & Prædicatorum de celebrando in altari portatili, respondit privilegium intelligendum esse sine licentiâ inferiorum prælatorum, quia aliàs nihil operaretur.

Objicies: Privilegium concessum alicui intelligendum esse sine præjudicio alterius ex communi axiomate juris; hoc autem cederet in præjudicium Parochi, qui privaretur jure suo. Resp. quòd non privaretur jure suo; habet enim tantùm Jurisdictionem subordinatam superiori; unde sicut superior potest illâ uti quando vult, sic illam delegare potest alteri. Deinde non habet Jurisdictionem propter suam utilitatem, sed ovium suarum. Tandem per hoc juvantur Parochi.

Objicies secundò: Ex cap. *Omnis utriusque sexus*, omnes Sacerdotes debent proprio Sacerdoti

A vel alteri ex ejus licentiâ confiteri; nomine autem proprii Sacerdotis intelligitur Parochus, unde Sixtus IV. agens de privilegiis Mendicantibus concessis dicit, per illa privilegia non esse derogatum, quominùs fideles semel in anno tempore Paschatis suo proprio Sacerdoti confiteri teneantur. Resp. nomine proprii Sacerdotis intelligi vel Papam, vel Episcopum, vel Parochum; unde ait D. Thomas cap. 4. opusculi 191. *Qui confessus est Episcopo suo, vel habenti vicem ejus, confessus est proprio Sacerdoti*; ex quibus patet, confessionem factam religioso satisfacere pro annuo præcepto, sicut expresè definivit Benedictus XI. extravag. prima *de privilegiis*, & Joannes XXI. extravaganti *vas electionis*, de Hæreticis, & Clemens VIII. qui hanc conclusionem definivit, dum quidam pastores hanc quæ-

B stionem moverent. Quòd si Sixtus IV. dicat, se non velle religiosos hoc prædicare; hoc est ad servandam pacem; additur enim in eâdem Bullâ, *Ipsi fratres Mendicantes non censentur exclusi, quominùs secundùm juris communis & privilegiorum eisdem concessorum dispositionem confessiones audire & pœnitentias injungere valeant.* Hoc confirmat Pius V. in Bullâ: *Etsi Mendicantes*, ubi sic habet: *A confessionibus audiendis, tam intra eorum Ecclesias & domos, quàm extra, minimè prohibeantur Mendicantes, super hoc litteras felicis recordationis Pauli Papæ IV. prædecessoris nostri, concedentes eisdem fratribus Mendicantibus regularis observantiæ*

C *posse confessiones sæcularium personarum etiam infirmarum, etiam extra domos & monasteria sua & ubilibet audire, approbando, & de novo concedendo.* Nec dicant, omnia privilegia (quæ vocant regularium, & quæ potiùs vocari deberent populorum privilegia, quoniam in favorem illorum & non regularium sunt) esse revocata; hoc enim dicere non sufficit, immò probandum remanet, nec ullo modò probari poterit: licet enim Pius IV. Pius V. & Gregorius XIII. ad terminos Concil. Trident. ea redoxerint; non tamen ullo modo illa revocârunt; immò Urbanus VIII. qui revocavit privilegia quibus certi quidam Religiosi audiebant confessiones sine approbatione Ordinarii, in Bullâ

D quæ incipit, *In plenitudinem potestatis*, confirmat omnia Regularium privilegia, dummodò sint in usu, sacrique Concilii decretis minimè adversentur; nusquam autem reperietur in Concilio, revocatum fuisse privilegium, quo in Paschate absolvere possunt Regulares etiam ad impletionem præcepti annuæ confessionis; imò Clemens VIII. renovavit illud, & Innocentius X. qui in brevi Apostolico dato anno 1649. post maturam discussionem determinavit, quòd Regulares confessiones recipere possent, etiam in Paschate.

Concil. Trident. etiam nullomodò revocavit privilegium, quo fideles audire possunt Missam in Ecclesiis Regularium, & non teneri ulteriùs ad Missam Parochialem; Leo enim XI. in Bullâ quæ in-

E cipit, *Intelleximus*, quæsitus an fideles satisfaciant præcepto Ecclesiæ de audiendâ Missâ diebus festis & dominicis, cùm illi adsunt in Ecclesiis regularium, respondet affirmativè, modò hoc fiat, non contempto proprio Sacerdote Parochiali; & ibi derogat decretis omnibus in contrarium emanatis: unde Concil. Trident. sess. 22. tantummodò præcipit, quòd moneantur populi, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedant; supra quod congregatio Cardinalium sacri Concilii interpretum notat, admonendos esse & non cogendos populos, ut frequentent Parochias suas ad audiendam Missam.

Pius V. hoc decretum Concilii explicavit in Bullâ *Etsi Mendicantium*, intentionem Ecclesiæ declarans, quòd satisfiat præcepto audiendi Missam diebus festis & dominicis in Ecclesiis regularium. Idem determinavit Clemens VIII. in Bullâ *Significatur*. Quòd si Sixtus IV. inhibeat fratribus Mendicantibus, nè hoc prædicent; hoc est ad pacem servandam. Quòd si idem Sixtus dicat, hoc jure cautum esse, quòd Parochiani Missas audiant in suâ Parochiâ; addit illicò, *Nisi forsan ex honesta causa ab Ecclesia se absentarent*; illa autem justa causa potest esse, quòd aliqui magis recolligantur in Ecclesiis regularium, quàm in aliis; vel quòd ibi majorem devotionem habere soleant. Quoad constitutionem juris hoc præcipientis, continetur capite *ut Dominicis*, *de Parochis*; ubi additur hoc esse prohibitum, si fiat proprio contempto presbytero. Quòd si multoties vel ex jure, vel in bullis specialibus habeatur, quòd regulares non possint administrare sacramenta; hoc est ex jure communi; possunt tamen ex privilegio.

QUÆSTIO XIV.

Quis sit minister vagorum, & itinerantium?

Summus Pontifex potest sibi eligere confessarium jure divino, Episcopi & Prælati jure Ecclesiastico, cap. ult. *de pœnitentia & remissione*, Parochi & Sacerdotes sæculares hoc habent ex consuetudine; debent tamen eligere Sacerdotes approbatos ab Episcopo, uti determinavit Concil. Tridentin. sed respectu vagorum & itinerantium quid sit sentiendum, quærimus.

CONCLUSIO.

Qui duo habent domicilia in quibus æquè habitant per annum, possunt utrique Parocho confiteri; quia uterque est proprius Sacerdos, & hæc jurisdictio non sequitur actualem habitationem, sed domicilium. Quoad illos qui habent in aliquo loco fixum domicilium, non in alio, ut Scolares, Milites, Mercatores, Litigantes, possunt confiteri in Parochiâ in quâ habitant: talis enim consuetudo fuit justè introducta, nè diutiùs hoc sacramento careant. Quoad vagos, debent confiteri in loco ubi vagantur, tali sacerdoti qualem voluerint eligere: actualis enim habitatio tenet locum domicilii, & Parochus loci in quo commorantur, potest ad hoc illos astringere. Quoad peregrinos, possunt confiteri Parocho loci ad quem perveniunt; olim de hoc petebant licentiam à proprio sacerdote, nunc ex consuetudine sufficit tacita licentia illius, modò iter agant bonâ fide & non in fraudem legis.

QUÆSTIO XV.

Quænam conditiones requirantur in Confessario?

Aliæ requiruntur, ut validè administretur confessio; aliæ, ut licitè fiat. Ut validè confessio administretur, requiritur quòd Minister sit Sacerdos; quòd sit approbatus ab Ordinario pœnitentis, ipsi enim demandata est cura de suis ovibus; & quòd non sit excommunicatus, suspensus, degradatus, aut hæreticus; tales enim censentur amisisse jurisdictionem: requiritur denique, ut intentionem absolvendi habeat. Quoad conditiones requisitas, ut licitè administretur confessio, explicabit

CONCLUSIO.

Tres præsertim conditiones requiruntur ad licitè administrandam confessionem, nimirùm Bonitas moralis, Scientia, & Prudentia. Requiritur primò Bonitas, ut volunt omnes; non enim debent administrari sacramenta cum conscientiâ peccati mortalis: Sacerdos ergo debet priùs esse confessus vel contritus; & sic peccatum est eligere confessarium, quem constat esse in peccato mortali; est enim contra charitatem inducere aliquem ad opus, quod facturus sit cum peccato mortali: quòd si tamen accedatur minister ex officio, cui ex onere pastoratûs incumbit audire confessiones, tunc licitum est uti jure suo, & ab illo absolutionem petere, modò non sint alii.

Secundò, requiritur Scientia; nullus enim debet exercere judicium in aliquâ causâ gravi, nisi habeat scientiam proportionatam ad ferendum æquum judicium, aliàs se exponeret periculo malè judicandi. Debent autem communiter scire confessarii, quænam sit distinctio inter peccatum mortale & veniale; quænam peccata habeant adjunctam excommunicationem, & quæ non; debent scire, quæ circumstantiæ mutent speciem peccati, & quæ aggravent tantùm; non debent ignorare, quando pœnitens ad restitutionem tenetur; & sic debent scire contractus usurarios, & aliquid de speciebus irregularitatum, maximè si confessarius velit absolvere sacerdotes; debet scire quæ sint necessaria, ut pœnitens sit dispositus ad absolutionem recipiendam, tùm ex parte doloris pro peccatis præteritis, tùm ex parte propositi pro futuris vitandis; non debet tamen scire solutionem omnium difficultatum quæ oriri possunt, sed sufficit ut possit solvere ea quæ frequentiùs accidunt, & de aliis possit dubitare, ut consilium petat vel à peritis vel à libris.

Tertiò, requiritur Prudentia in Confessario. Primò, in interrogando pœnitentem de his quæ ignorat, vel occultare vellet. Secundò, in adjuvando ipsum, ut contritionem concipiat & firmum propositum non recidivandi. Tertiò, in erudiendo illum de credendis & faciendis. Quartò, in pacificando ipsius conscientiam, si scrupulis angatur. Quintò, in adhibendo consilia & remedia pro peccatis vitandis. Sextò, in expendendo, an pœnitens sit ritè dispositus ad absolutionem recipiendam; ubi attendere debet, an illa sit deneganda. Quòd si pœnitens peccatum, aut occasionem proximam peccati relinquere non vult, absolvi non potest; signum enim est, quòd non verè doleat de peccato: si verò ex merâ fragilitate in eadem peccata sæpiùs relabatur, non desinat absolvi, modò præsumatur accedere cum verâ Contritione aut Attritione de peccatis, & firmo proposito non ampliùs peccandi: sic enim expressè habet Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 2.

QUÆSTIO XVI.

Quid dicendum sit de casibus reservatis?

Per reservationem peccatorum intelligitur ablatio, seu non concessio jurisdictionis à superiore ad absolvenda certa quædam peccata; cùm enim jurisdictio absolvendi à peccatis detur per

authoritatem superioris, ideò potest illam dare circa aliqua peccata, & negare circa alia, & ista censentur reservari.

CONCLUSIO.

EST in Ecclesiâ potestas reservandi casus, non tantùm quoad externam gubernationem, sed etiam in foro conscientiæ. Sic determinavit Concilium Trident. sess. 14. cap. 11. *Si quis dixerit Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere, quominùs sacerdos à reservatis verè absolvat, Anathema sit.* Licet autem loquatur tantùm de Episcopis, attamen illa potestas residet in omnibus prælatis jurisdictionem habentibus, sivè summam, quam habet Papa; sivè Episcopalem, quam habent cum Episcopis Generales & Provinciales Ordinum. In Papâ est potestas reservandi in Ecclesiâ universâ, in Episcopo pro suâ Diœcesi, & in prælatis regularibus pro suis subditis. Parochi, quia non sunt prælati, non habent potestatem reservandi sibi casus, nec Guardiani nostræ religionis; licet enim prælati sint, quia habent jurisdictionem in foro tùm interno, tùm externo; non possunt tamen sibi reservare casus, quia ut diximus, casuum reservatio est tantùm ablatio seu non concessio jurisdictionis circa certa peccata, & sic pertinet tantùm ad illos, ad quos spectat approbatio & concessio jurisdictionis sed collatio jurisdictionis non spectat ad Guard uos: ergo nec casuum reservatio. Immò Generales non possunt reservare, nisi ex consensu generalis capituli, & Provinciales ex consensu provincialis capituli, ut habetur ex decreto Clementis VIII. Quoad peccata quæ reservari possunt, dicendum est, venialia reservari non posse; quia possunt non subjici absolutioni; sunt enim materia tantùm sufficiens confessionis, non necessaria: mortalia verò tùm interna tùm externa reservari possunt: non tamen reservantur nisi externa: omnia ergo peccata externa reservari possunt validè, non tamen licitè; sed tantùm ea quæ habent gravitatem aliquam, vel quæ necessaria sunt ad bonum publicum, ut reserventur; si tamen Prælatus sine justâ causâ reservet sibi peccatum, reverà reservabitur. Aliqua peccata reservantur ratione censuræ ipsis annexæ; non potest enim quis absolvi à peccato, nisi anteà ab illo tollatur excommunicatio; impedit enim excommunicatio participationem sacramentorum. Alia reservantur propter solam culpam, quam non vult absolvi superior. Omnes casus reservati Summo Pontifici habent annexam excommunicationem; non sic de casibus Episcopis reservatis. Episcoporum casus reservati vel sunt de jure communi; & sunt hi quinque, nempe Homicidium voluntarium, Falsificatio literarum Episcopalium, Violatio libertatis Ecclesiæ, Violatio immunitatis Ecclesiæ, & Sortilegium. Alii sunt reservati de jure speciali Ecclesiæ, de quibus vi ntur ritualia Episcoporum. Alii tandem sunt reservati de jure personali, & hos quilibet Episcopus sibi reservat.

Quando diximus, Generales & Provinciales Ordinum non posse ex decret Clementis VIII. sibi reservare casus, nisi ex c nsu capitulorum suorum, hoc intelligi debet c n exceptione ad undecim casus expressos in bulla ipsius Pontificis anno 1593. quæ est in Bullario Romano inter constitutiones Urbani VIII. ita quòd potuissent reverà ante illam bullam tales prælati regulares quoscunque sibi reservare casus, quos restrinxit Papa ad undecim

A illos, qui in præfata bulla exprimuntur: respectu verò aliorum hoc non possunt, nisi ex consensu capituli generalis pro toto Ordine, & provincialis pro provincia. Quando etiam diximus, venialia non posse reservari; hoc ideo dictum est, quia possunt non subjici clavibus Ecclesiæ, & remitti per solam contritionem. Potest tamen Ecclesia prohibere, nè certa peccata venialia absolvantur à simplicibus sacerdoribus, quando ipsa aperiuntur in confessione, quod nihil est aliud, quàm reservare illa. Ratio hujus est, quia non possunt absolvi peccata venialia, quando subduntur clavibus Ecclesiæ, nisi mediante jurisdictione, quæ potest dari pro talibus peccatis venialibus, & non pro aliis. Quòd si quis ignoret peccatum, quod committit, esse reservatum, reverà reservatum est, ut in praxi habe-
B tur: si tamen reservatio dependet ab incursione censuræ, quia non incurritur censura ab ignorantibus invincibiliter, sic nec incurritur reservatio. Quòd si quis ignoret, actionem, quam facit, esse peccatum, etiam si ipsum reservatum esset, non incurritur reservatio; quia ea supponit peccatum, & qui talem actionem facit, non peccat. Si quis credat, se committere peccatum reservatum, quod tale non est, non incurrit reservationem, licèt peccatum committat; reservatio enim non pendet à falsa existimatione peccantis. Dum prælati regulares reservant aliquos casus, talis reservatio non se extendit ad novitios, qui sunt quidem religiosi, quoad favores, non quoad odia. Quantum ad pe-
C regrinos, si peccatum quod committunt sit reservatum in loco domicilii, & in loco peregrinationis, neminem latet, quin peregrino reservetur; si verò casus est tantùm reservatus in loco à quo discessit, potest absolvi peregrinus à quocumque confessario; quia ex jure, consuetudine, & declaratione Eugenii IV. peregrini sortiuntur forum loci in quo sunt. Si denique casus est tantùm reservatus in loco ubi existit peregrinus, iste non potest absolvi à communi confessario; quia in foro Pœnitentiæ, sicut in aliis, reputatur quasi incola. Hæc est opinio communior, quam tamen multi negant, præsertim, si parochus peregrini, aut confessarius suæ diœcesis in loco peregrinationis ipsum audiat.

D Quoad potestatem absolvendi à casibus reservatis; dico, quòd qui reservavit sibi peccata potest de illis absolvere, sicut & superior ipsius; nemo enim peccata reservans intendit sibi potentiam absolvendi adimere, nec suo superiori, nec suo successori æqualem jurisdictionem habenti. In articulo mortis quilibet Sacerdos absolvere potest à casibus reservatis; pro tunc enim non sunt casus reservati, ut habet Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. quando tamen aliqui absolvuntur ab excommunicatione Pontifici reservatâ, debet ab eis exigi juramentum, quòd si convalescant præsentabunt se ei à quo extra articulum mortis poterant absolvi.
E Quòd si superior audiat omnia peccata tùm reservata, tùm non reservata, ab omnibus debet absolvere; necessaria est enim integritas tùm absolutionis, tùm confessionis. Quòd si superior negotiis præpeditus non possit integram confessionem audire, debet dare licentiam alicui, ut audiatur pœnitens & absolvatur ab omnibus. Quòd si propter justas causas non velit, maximi momenti authores dicunt, quòd possit tantùm audire peccata reservata, & illa absolvere: alii æqualis famæ & numeri contrarium sentiunt, in quam partem faciliùs descenderem, dicendo scilicet, quòd tale impedimentum non sit ratio sufficiens ad tollendam integritatem confessionis; unde censerem, quòd supe-

rior pro tunc deberet tollere reservationem casuum, & absolvere ab excommunicatione in foro externo, tuncque dimittere pœnitentem ad ordinarium Confessarium.

Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de Reformat. concedit Episcopis facultatem absolvendi suos subditos ab omnibus casibus occultis, sedi Apostolicæ reservatis, sive per se, sive per Vicarium generalem ad id specialiter deputatum. In articulo mortis nulla est casuum reservatio ex Concilio Trident. sess. 14. can. 6. ubi habetur, Omnes Sacerdotes protunc quoslibet pœnitentes à quibuscunque peccatis & censuris absolvere posse.; quod in jure extenditur ad eos, qui sunt in probabili periculo moriendi, cap. *eos qui, de sententia excommunic. in 6.* Quòd intelligi debet cum hac distinctione, quòd si taliter absoluti convalescant, aut evadant periculum, non tenentur denuò peccata reservata confiteri; secùs vero, si absoluti fuerint à censura; tunc enim tenentur se sistere illi judici, qui censuram tulit. Aliqui existimant, quòd si in articulo mortis adsit Sacerdos, qui possit absolvere à reservatis, tunc simplex Confessarius non possit absolvere ab illis; quia tunc non præsumitur necessitas: contrarium tamen probabiliùs tenetur ab aliis, quia Concilium non respicit defectum Confessarii, sed simpliciter vult, in articulo mortis nullam esse reservationem casuum. Per confessionem casûs reservati probabile est, reservationem ejus relaxari, etiamsi confessio sit invalida, defectu etiam integritatis; quia inferior comparuit coram suo judice, tum ad instructionem, tum ad pœnitentiam recipiendam, tum ad alios fines reservationis; & sic postea à quolibet potest absolvi. Suares tamen excipit rationem Jubilæi, in quo conceditur libertas absolvendi *vere pœnitentes.* Si pœnitens confessionem emittendo habendi potestatem super reservata reservati obliviscatur, tenent plurimi, ipsum non posse postea de illo absolvi à quolibet Coonfessario; quia præsumitur Confessarius habere tantùm intentionem relaxandi quæ sibi proponuntur: si tamen aliqualiter declaret Confessarius, se pœnitentem ab omnibus relaxare, aut si pœnitens declaret Confessario, se habere intentionem obtinendi relaxationem peccatorum reservatorum, tunc censentur relaxari; quia præsumitur se gerere juxta intentionem pœnitentis. Immò recentiorum plurimi absque his restrictionibus existimant, protunc cessare reservationem peccatorum bonâ fide oblitorum; quia reservatio tollitur, quando pœnitens petit, & minister intendit operari juxta communem modum; in ista autem occasione pœnitens suæ utilitati consulit, & intendit probabiliter relaxari à casibus reservatis: ergo verisimilius est, hoc etiam intendere ministrum.

Quia quàm plurimi gravis notæ authores, utpote Navarrus, Sotus, Cajetanus, Paludanus, Richardus, & similes, existimant, superiorem, auditis peccatis reservatis solis, posse ab illis sacramentaliter absolvere, & remittere pœnitentes ad simplices Confessarios pro absolutione aliorum; in hoc casu Bonacina, qui tamen contrariæ sententiæ favet, vult tamen absolutionem esse sacramentalem, & gratiam conferre; quia omnia requisita ad conferendam gratiam concurrunt in hoc casu: scilicet materia ex parte pœnitentis, sufficiens jurisdictio & intentio ex parte absolventis, & confessio integra formaliter, quamvis non sit integra materialiter, ob justam causam; proindeque vult absolutionem esse sacramentalem, & gratiam conferre, directè remittendo peccata reservata, & indirectè, seu con-

A secutivè non reservata. Hujus rei habetur exemplum in confessione, in qua si aliquod peccatum mortale per oblivionem reticeatur, aut non debeat propter gravem rationem non subjici clavibus Ecclesiæ, indirectè remittitur, & alia absolvuntur directè. Hoc tamen intelligendum est, modò superior intendat sacramentaliter absolvere. Sylvester cum aliquibus tenet, hanc absolutionem non esse sacramentalem, nec gratiam conferre. Navarrus verò admittit ipsam esse sacramentalem, sed vult gratiam non conferri per illam, benè autem tantùm in secunda absolutione. Verùm, posito quòd superior possit absolvere à reservatis, & remittere pro aliis

B ad inferiorem, & hoc intendat facere sacramentaliter, mihi probabilissimum videtur, talem absolutionem esse sacramentalem, & gratiam conferre; sicque illum recipere duplex sacramentum, qui à superiori absolvitur à reservatis, & ab inferiori à non reservatis: tuncque qui confessus est peccata reservata superiori, & ab eo sacramentalem recepit absolutionem, non tenetur ampliùs eadem peccata inferiori aperire; sicut nec ille, qui ex justa causa dimidiat confessionem, tenetur ampliùs omnia & singula de novo confiteri, sed tantùm ea quæ justè omissa sunt.

Licèt in casu necessitatis possit simplex Confessarius, audiendo peccata reservata cum non reservatis, ab istis absolvere, & pro illis remittere ad superiorem; hoc tamen extra necessitatem non potest fieri, quia Confessarius non potest absolvere ab

C uno peccato mortali, & non ab alio: nihilominus, adveniente necessitate, potest directè absolvere à non reservatis, & indirectè à reservatis: unde Sacerdos in necessitate celebrandi constitutus non habens Sacerdotem approbatum pro reservatis, debet alteri peccata sua confiteri, qui eum absolvet ab utrisque, cùm obligatione adeundi superiorem, ut absolvetur directè à reservatis, quæ sola illi declarare tenetur. Quòd si Concilium Tridentinum præcitatum dicat, Sacerdotem inferiorem nihil posse circa casus reservatos, extra articulum mortis: Respondendum est, nihil posse directè, nisi in casu mortis, quo pœnitens convalescendo non tenetur se præsentare superiori; hoc tamen potest indirectè. Si etiam dicatur, ex hoc sequi, quòd, qui haberet

D peccata mortalia cum venialibus, posset à pari per simplicem Sacerdotem jurisdictione carentem absolvi directè à venialibus, & indirectè à mortalibus, in casu necessitatis: Hoc concedunt aliqui, alii verò meliùs negant; quia non est usu receptum, quòd Sacerdos jurisdictione carens possit absolvere à mortalibus, nec directè, nec indirectè. Si Sacerdos dubitet, an peccatum aliquod sit reservatum, potest ab illo absolvere; quia possidet suam jurisdictionem, & in dubio melior est conditio possidentis. Deinde, reservatio, quæ est odiosa, restringenda censetur. Tandem, sicut non condemnaretur in foro externo ille, qui dubitaret de peccato; sic nec in interno. Non idem dicendum est de pec-

E cato dubio, quod reverà declarari debet in confessione; quia lex confessionis est favorabilis, quoniam est veluti medicina ad peccatum; reservatio verò est odiosa, quæ proinde non extenditur ad casus dubios. Ex nostra propositione sequitur, quòd, licèt dubitans se commisisse homicidium, teneatur illud confiteri ut dubium; possit tamen à quocunque Confessario absolvi. Quòd si in dubio adsit sufficiens præsumptio reservationis, tunc peccatum debet censeri reservatum; ideoque, qui protulit hæresim, & postea dubitat, an ex animo protulerit, præsumitur excommunicatus. Sacerdos dubitans de

sua jurisdictione circa reservata non potest absolvere ab illis, quæ certò scit esse reservata; quia exponit se periculo absolvendi invalidè, & possessio stat pro peccatis, quæ sciuntur esse reservata. Si verò impropriè tantùm dubitet, & habeat opinionem probabilem de sua jurisdictione, absolvere potest; etiamsi adsit opinio probabilis de contrario, quia sentiunt Doctores, Ecclesiam supplere jurisdictionem in tali casu, sicut supplet, quando quis habet tantùm titulum coloratum.

Quandò Confessarius malè absolvit à censuris, defectu jurisdictionis, eam debet obtinere à judice, & absentem absolvere; quia censuræ absolvi possunt in absenti, ignoranti, & existenti in mortali peccato. Non idem dicendum est de peccatis reservatis, aut non reservatis; quia sacramentalis absolutio non potest dari absenti. Unde, qui malè absolvit pœnitentem à peccatis, sive ex malitia, sive ex ignorantia, ipsum debet admonere, ut sibi confiteatur, saltem peccata, quæ ab ultima confessione commisit; & curare, ut pœnitens se accuset de peccatis aliàs confessis, & ea iterum detestatur, ut super utraque absolutionem conferat. Quòd si hoc non possit fieri sine scandalo aut detrimento gravi, ad hoc non tenetur Confessarius; quia pœnitens præsumitur recepturus gratiam per novam confessionem, quam sperat Confessarius pœnitentem esse facturum. Si tamen Confessarius prævideat pœnitentem non esse facturum aliam confessionem, nec suscepturum aliud Sacramentum, non obstante gravi detrimento sibi imminenti, admonere debet pœnitentem de sua invalida absolutione; quia ille est in extrema necessitate, in qua tenemur salutem proximi præferre nostro temporali commodo. Simili ratione Doctores affirmant illum, qui invalidè baptisavit, aut ordinavit, debere invalidè baptisatos aut ordinatos monere, ob gravissima incommoda, quibus aliàs occurri non posset; cùm non valeat invalidè baptisatus recipere alia sacramenta, nec invalidè ordinatus illa conficere. Porrò, quantùm ad privilegia, quibus gaudent Regulares, absolvendi à casibus reservatis, sufficienter omnes norunt, ipsa esse amplissima; sed quia infiniti penè libelli de ipsis scripti sunt, tales videantur à curiosis; ego verò tantùm dicam, multa licere quæ non expediunt.

Quæstio XVII.

Quo jure & in quibus servari debeat Sigillum Confessionis?

PER Sigillum Confessionis, quod est nomen metaphoricum, intelligitur obligatio, quam habent Sacerdotes & alii participantes ad auditionem confessionis, celandi ea quæ per eam noverint: dicendum ergo nobis est aliquid de Sigillo.

Conclusio.

SIGILLUM Confessionis debet servari tùm de lege naturali, tùm de divinâ, tùm de Ecclesiasticâ. Debet servari de jure naturali; per illud enim tenemur servare depositum, præstare fidelitatem, famam illorum servare qui illam apud nos deposuerunt, tandem alteri non facere, quod nobis fieri nolumus. Debet etiam servari ex jure divino, quia confessio est juris divini: ergo secretum confessionis præcipitur eodem jure, sine quo esset nimis odiosa; qui enim præcipit finem, censetur ea præcipere sine quibus finis subsistere nequit. Quòd denique sit de jure humano Ecclesiastico, constat ex capite *Omnis utriusque sexûs*, de pœnitentiis & remissionibus, ubi hoc prohibetur strictissimè sub pœnâ gravissimâ à judice infligendâ; Sacerdos tamen qui peccatum confessum manifestaret, non fieret irregularis; hoc enim non fertur in jure. Ad secretum servandum plures tenentur. Primò Confessarius. Secundò, illi qui quovis modo cognoscunt aliquod peccatum ex confessione, ut interpres confessionis, & illi qui sedentes propè confitentem, casu aut industriâ peccata audiunt. Tertiò, qui fingit se esse sacerdotem, & ut talis confessionem audit. Quartò, Laïcus, cui facta fuit confessio ex humilitate. Quintò, ille cui revelata fuit confessio à Sacerdote, injustè, aut justè de licentiâ pœnitentis. Sextò, tenentur superiores ad secretum, quibus Confessarii aliquid virtualiter de confessione revelaverint, ut petendo ab illis licentiam à peccatis reservatis absolvendi. Septimò, qui invenit chartam ubi peccata scripta sunt: Non tamen tenetur pœnitens ad celanda ea quæ sibi dicta sunt à Confessario, qualis est Pœnitentia, nisi hoc exigeret Confessarius.

Sigillum confessionis servandum est tam directè, quam indirectè; unde non potest Sacerdos dicere se non absolvisse talem pœnitentem; esset enim moraliter revelare peccatum mortale, sine quo non negatur absolutio. Non debet etiam manifestare venialia in particulari, licèt minima sint. Servandum est secretum tùm verbis, tùm signis; unde Sacerdos non potest publice negare Eucharistiam ex scientiâ habitâ solùm in confessione. Non potest Sacerdos ullum crimen revelare, qualecumque sit, non obstante quâcunque interrogatione, sive extra judicium, sive in judicio, sive cum juramento, sive absque eo; nulla enim est juridica interrogatio circa hoc, & sic semper æquivocare debet Sacerdos, quòd scilicet hoc nesciat ut revelet, hoc nescit ut homo, sed ut minister Dei.

Ut cum ordine ergo procedam, servandum est primò sigillum circa peccata mortalia in genere; quia injuriosum est confessioni & pœnitenti declarare aliquem peccasse mortaliter. Quod intelligitur etiam de peccatis publicis. Cadunt 2. sub sigillum peccata venialia, non quidem in genere, sed in specie; unde licèt possit dicere Confessarius, Talis mihi confessus est peccata venialia, quod non redderet confessionem odiosam; non tamen potest dicere, Mihi confessus est multa & gravia peccata venialia. Quando aliquis audivit multos pœnitentes, non licet dicere, Talis mihi confessus est sola peccata venialia; de aliis enim ingereretur suspicio, quòd commisissent mortalia. Cadit 3. sub sigillum confessionis dispositio pœnitentis, quòd quis v. g. careat dolore, aut proposito emendationis; quia talis dispositio est circunstantia culpæ. Ob hoc non licet dicere, Non absolvi talem, nisi addendo, quia non dedit mihi materiam absolutionis, aut quia subitò evocatus fuit à tribunali; aliàs denotaretur, ipsum habuisse casus reservatos, aut non esse verè pœnitentem. Cadunt 4. sub sigillum naturales defectus pœnitentis, quos tenetur narrare pœnitens ad explicationem suæ conscientiæ; quia alioquin confessio redderetur otiosa. Sic, quando pœnitens declarat se illegitimè habere beneficium, quia est irregularis ex defectu natalium, talem defectum in altera occasione non posset declarare Confessarius; quidquid dicat Vasquez in contrarium, quando non potest ex hoc deveniri ad notitiam peccati confessi. Non tamen tenetur Confessarius tacere, quòd

pœnitens sit nobilis, judex, advocatus, aut habeat bona & virtutes; nisi ratione secreti naturalis, si hoc exigat pœnitens. Cadit quintò sub sigillum peccatum complicis, sive justè, sive injustè reveletur in confessione pœnitentis, ad explicationem sui peccati. Non violat sigillum confessarius, qui dicit, in tali civitate multa & gravia committi crimina, si de nullo possit in particulari ingeri suspicio; secus verò, si hoc diceretur de arcto loco, de aliquo monasterio, aut aliqua familia.

Confessarius vi Sigilli non potest uti extra confessionem notitiâ acquisitâ per illam; & sic non potest Confessarius extra tribunal loqui cum pœnitente de peccatis confessis, cum animo illum adjuvandi, quicquid dicant aliqui; hoc enim pudorem & confusionem injicit ipsi pœnitenti: per hoc tamen non frangeretur Sigillum confessionis; non enim esset revelare peccata audita alteri: pœnitens ergo debet interrogare extra confessionem, vel dare licentiam ut loqui possit Sacerdos. Licèt diximus, non posse confessarium extra confessionem pœnitentem alloqui de ejus peccatis, sine licentia ipsius; potest tamen hoc in eadem confessione, etiam post absolutionem; quia, licèt quoad essentialia finitum sit sacramentum in puncto absolutionis, judicium tamen adhuc & officium confessarii perseverat. Imò etiam, potest in sequentibus confessionibus alloqui pœnitentem de peccatis in præcedentibus confessis; quia, si non posset uti scientiâ in prioribus confessionibus acquisitâ, non posset suaderi fidelibus, ut pro majori perfectione eumdem servent confessarium. Quoad alios autem non licèt confessario ulla peccata audita in confessione revelare; quod Scotus *dist.* 21. *quæst.* 2. *num.* 18. Alensis, Durandus, & plures ex antiquioribus, existimant, non posse fieri etiam de licentia pœnitentis. Quia sigillum non tantùm cedit in favorem pœnitentis, sed etiam in favorem sacramenti; unde, licèt pœnitens possit cedere juri suo, non potest tamen derogare juri sacramenti. Contrarium probabilissimum tenent recentiores, quia sacramentum non exigit secretum ratione sui, sed ratione pœnitentis.

An autem possit de licentia pœnitentis revelari à confessario peccatum complicis; negat Vasquez, requirens insuper licentiam complicis, eo quòd sigillum sit etiam in illius favorem. Affirmat Suares, quando talis revelatio cedit in bonum ipsius complicis; quia, sicut solus pœnitens induxit sigillum, sic solus solvit. Alii verò probabiliùs, ad vitandum periculum irreverentiæ erga sacramentum, & incommodis obviandum, sentiunt, melius esse, si pœnitens extra confessionem alloquatur confessarium de peccato complicis, ut possit illi dare monitiones, quas prævidet suæ utilitati profuturas. Cavendum est, nè licentia quam dat pœnitens revelandi sua peccata, aut complicis, sit dubia, vel ex aliquo timore, etiam reverentiali extorta; nec sufficit tacita & præsumpta, quam præberet pœnitens, si postularetur à confessario: immò, illam non debet petere confessarius, nec tribuere pœnitens, respectu maximè aliorum, nisi ex honesta & gravi causa, sine qua non est infamandus proximus. Qui sigillum confessionis infringit, contra justitiam & contra religionem peccat. Primò contra justitiam; tum quia ille, qui revelat secretum sibi extra confessionem depositum, facit contra fidem datam, & tenetur ad restitutionem damni, quod ex injusta secreti violatione oritur: tum quia ex justitia tenemur cavere infamiam proximi, quæ nascitur ex manifestatione criminum in confessione cognitorum. Secundò peccatur contra religionem, quandoquidem frangens sigillum, gravissimum committit sacrilegium, summam irrogans injuriam sacramento, modò talis revelatio fiat cum deliberata intentione; quâ positâ, non excusat levitas materiæ, juxta communissimam mentem Doctorum; cùm ex revelatione peccati etiam venialis, ex sola confessione cogniti, gravia sequi possint incommoda, & confessio reddi odiosa, cujus totum negotium videtur esse secretum: unde, licèt peccatum veniale sit leve, attamen semper grave quid est revelare confessionem. Bonacina non excusat ab illo sacrilegio eos, qui deliberatè revelant peccatum veniale in confessione auditum; etiam si non agnoscant audientes, ipsum fuisse cognitum ex confessione: quia confessarius tale peccatum non novit, nisi ex confessione; & sic revelat confessionem, & sigillum ipsius violat.

In istis casibus potest ad sui directionem uti Sacerdos scientiâ ex confessione acquisitâ. v. g. potest orare pro pœnitente, abstinere ab actionibus quæ præbent causam odii, consulere doctos, & cautior fieri in evadendo damno corporali aut spirituali & de hoc monere alios: unde, licèt confessarius non possit dimittere servum, quem ex confessione accepit esse furacem; potest tamen cautelam adhibere, nè ampliùs bona sua furetur. Potest 2. domo non exire, quando agnovit sibi parari insidias; nullum enim ex eo patitur incommodum pœnitens, aut pudorem. Potest 3. vocatus à pœnitente declinare, quando novit, ipsum non velle occasionem peccati relinquere; modò hoc non agnoscant alii, sed pœnitens, qui propterea non debet retrahi à confessione, sed potiùs excitari, ut debitam dispositionem adhibeat: cavendum tamen est, nè illi indignationis præbeatur occasio; unde tutius est, si confessarius occultè declinet. Potest 4. non ampliùs confiteri peccata sua illi, quem anteà credebat esse approbatum, quem novit ex confessione non esse talem; ex hoc enim non debet pœnitens habere pudorem. Potest 5. omittere celebrationem Missæ, quando ex confessione accepit, vinum esse veneno infectum aliunde accipiendo occasionem omissionis. Immò communiter tenetur, quòd non tantùm possit Sacerdos, utendo jure suo, omittere illam celebrationem; sed etiam debeat, quia tenetur conservare vitam & impedire, nè sacramentum prophanetur, consecrando in vino infecto. Hoc tamen non posset facere, si per hoc divulgaretur crimen authoris; nam fractio sigilli est intrinsecè mala, quæ nullâ ratione excusari potest ex D. Thoma in addition. quæst. 11. art. 1. Unde differt hoc secretum ab aliis, quæ aliquando violari possunt, præsertim in periculo mortis. Potest 6. omittere Sacerdos celebrationem in vino infecto, licèt ex tali omissione conjicerent complices, hoc procedere ex notitia confessionis, quidquid dicant Suares, & aliqui alii contra Scotum, *dist.* 21. *q.* 2. *n.* 20. & multos. Quia aliud est, simulato prætextu, omittere vel facere aliquid, ex quo conjicitur, peccatum esse confessum, & aliud est facto ipso vel omissione declarare peccatum esse factum. Primum fit in suppositione nostra, & illud est licitum; secundum verò, quod nunquam licet, non fit in prædicto casu; cùm nihil fiat à confessario omittente factum, quo ignari possent venire in cognitionem criminis supradicti. Potest 7. talis celebratio omitti, etiamsi noverit confessarius, ex tali omissione sequi per complices mortem illius, qui confessus est, vinum esse veneno infectum; quia, licet mors sit præferenda violationi sigilli, & laudabilissimum sit, eam subire pro tuenda vita alterius: quia tamen in pro-

posito non violatur sigillum, nec ratione officii, aut alterius obligationis, tenetur confessarius exponere suam vitam pro vita alterius; ideo in eo casu posset adhuc confessarius omittere sacrum.

In istis verò occasionibus non potest confessarius uti scientiâ orta à Tribunali. Primò, confessarius nequaquam potest punire pœnitentem, nec eum privare officio aut beneficio ex scientia confessionis. Imò omnis processus, qui ortum haberet ex tali scientia, deberet cassari eo ipso, quo hoc constat judici. Secundò, non potest quis privare aliquem officio, ad nutum etiam amovibili, ex prædicta scientia, quidquid reclamet Vasquez contra plurimos; quia debet ita se gerere circa audita in confessione, ac si nihil sciret de illis rebus, quæ possunt concurrere ad pudorem & damnum pœnitentis. Tertiò, non potest negare suum suffragium pœnitenti, quem credunt alii esse dignum, solus autem Sacerdos per confessionem indignum novit; exinde enim confessio plerisque odiosa redderetur. Non desunt tamen multi veteres, ut Alensis, D. Thomas, D. Antoninus, & plerique apud Sanchez lib. 3. dist. 16. qui contrarium in hoc casu & similibus sentiant; quia per hoc nulla fit revelatio actionis, quæ de se est libera, & gravamen quod recipit pœnitens ex hoc est minoris momenti, quàm utilitas ex tali scientia proveniens: unde aliqui tenent, non tantum posse, sed & debere confessarium, uti tali scientiâ. Contrarium tamen in praxi est tutius, quia hoc avertit pœnitentes à confessione, & superior præbet occasionem suspicandi hoc oriri ex confessione; unde probabile est, Christum sic præcepisse sigillum, ut usus notitiæ confessionalis debeat esse omnino alienus ab humano commercio. Ob hoc, decretum speciale edidit Clemens VIII. quo superioribus pro tempore existentibus, & confessariis, qui posteà ad superioris gradum evecti sunt injungitur, quòd diligentissimè caveant, nè eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Quartò ergo, ex scientia confessionis, non potest parochus eucharistiam pœnitenti, nec Episcopus Ordinem clerico propter peccatum in confessione auditum denegare: Nec conjunctionem matrimonialem ob impedimentum sic cognitum: Nec absolutè uti illâ scientiâ ad conservandum bonum totius mundi, sive temporale, sive spirituale; sicut nec ad impediendam destructionem ejus, quando probabile imminet periculum revelationis alicujus peccati. Quia injuria fieret sacramento, confessio redderetur odiosa, & nullum est tam grave malum, quod præponderet violationi sigilli confessionis. Quando ergo aliquis interrogatur de re audita in confessione, debet respondere, se nil scire de ea, quia nescit ut homo; se neque ut Deum scire, quia nescit ut revelet. Deinde, si interrogans non desinat, ipsum debet vehementer increpare de suo crimine. Tandemque, si adhuc urgeatur fortiùs, quidquid eveniat, mortem debet præferre revelationi. Porrò, prædictis addendum est, non posse superiorem ita regere inferiorem, ut ipse, vel alii agnoscere possint, hoc fieri ex confessione. Non potest etiam qui per confessionem novit Ecclesiam esse pollutam, hoc revelare ut reconcilietur. Non potest superior vultum asperiorem ostendere inferiori, ob peccata in confessione audita. Potest tamen clausuram meliùs custodire, dum novit religiosum è monasterio exire solitum; quia hoc non est contra sigillum, quoniam hoc simpliciter licet, & debet fieri; nec contra decretum præcedens Clementis VIII. quandoquidem hoc non spectat ad exteriorem gubernationem, quam tale decretum respicit.

CAPUT OCTAVUM.

De Satisfactione.

UNA fieri potest extra sacramentum, quando scilicet quis cognoscens se commisisse peccatum, aliquas pœnas acceptat; alia fit in sacramento per opera injuncta à Confessario, & hæc vocatur sacramentalis, de quâ loquendum est.

QUÆSTIO UNICA.

Quid dicendum sit de Satisfactione?

SATISFACTIO, quæ, ut diximus, est pars integrans Pœnitentiæ, describitur, Compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, consistens in operibus pœnalibus taxatis à Confessario. Illa autem Satisfactio est pars sacramenti, non quidem essentialis, quia sacramentum potest esse sine satisfactione exhibitâ, & confert effectum ante expletam satisfactionem; dicitur tamen pars integrans, quia sine eâ non est perfectè integra pœnitentia, licèt possit esse vera, ipsâ deficiente; sicut homo est vere homo etiamsi manu careat, licèt non sit integre homo. Potest tamen dici pars essentialis Pœnitentiæ, quatenus aliqua satisfactio continetur in actu doloris & confessionis.

CONCLUSIO.

CONFESSARIUS tenetur imponere satisfactionem. Sic Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. debet enim facere integrum sacramentum. Nulla certa regula vel mensura taxata est ab Ecclesiâ pro pœnitentiâ injungendâ; hoc enim relinquitur judicio Confessarii, qui, ut medicus, debet curare salutem ægroti, &, ut judex, servare æquitatem; unde debet attendi gravitas peccati, statusque pœnitentis, seu quantitas Contritionis. Aliquando potest non imponi pœnitentia, ut quando pœnitens est incapax illam efficiendi, utpote morti proximus, & quando certò constaret confessario pœnitentem integre satisfecisse pro peccato ante confessionem; quia tamen id rarò constare potest, ideò regulariter injungenda est pœnitentia. Controvertuntur doctores, an pœnitentia sit injungenda per modum præcepti, vel an possit injungi solùm ex consilio. Alii respondent, hoc posse fieri per modum consilii, dicendo, Si tale opus pœnale feceris, hoc erit in satisfactionem tuorum peccatorum. Alii dicunt, in hoc casu talem pœnitentiam non fore sacramentalem, nec pœnam temporalem peccati deleturam ex opere operato. Alii tandem medium tenentes existimant, unam partem pœnitentiæ injungi debere ex præcepto, & aliam posse dari ex consilio, ut scilicet ista pars Pœnitentiæ suppleat primæ parti, quæ esset levior: ut patet ex verbis confessarii, qui in oratione sequente absolutionem dicit: *Quidquid boni feceris, vel mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum.* Licèt melius sit, pœnitentiam injungere ante absolutionem, nullum tamen esset peccatum, nequidem veniale, si ipsam sequeretur.

Opus satisfactionis injunctum pœnitenti, debet esse moraliter bonum; debet regulariter esse exter-

num, quia est pars Sacramenti sensibilis; potest tamen esse internum, ut si imponatur propositum vitandi peccatum aliquoties, vel aliquibus diebus, vel ægroto prolatio nominis Jesu in corde, quando illud voce proferre non potest. Non debet esse necessario opus supererogationis; potest enim injungi pro pœnitentiâ jejunium quadragesimale; regulariter tamen debet esse tale, ut major sit Pœnitentia. Tandem opus satisfactionis debet esse personale, licet aliquando Confessor possit acceptare opus eliciendum ab alio justâ de causâ. Porrò opera satisfactionis debent esse pœnalia, quæ communiter sunt Oratio, Jejunium, & Eleemosina. Ratio primi est, quia per opera satisfactionis relaxatur, sive in toto, sive in parte, pœna temporalis peccatis debita: ergo opera pœnalia debent injungi ad satisfactionem. Ratio secundi est, quia omnia peccata vel sunt contra Deum, & pro istis injungitur communiter oratio: vel sunt contra proximum, & ad hoc præcipiuntur eleemosinæ: vel contra seipsum, & istis jejunium imponitur. Quando diximus, posse opus jam anteà obligatorium injungi pro pœnitentia, hoc nedom verificatur quando adsunt tantùm peccata venialia, ut fatentur omnes; sed etiam, quando cum venialibus reperitur peccatum mortale, modò cum opere obligatorio injungatur aliud, quod sit supererogationis. Ratio, cur per opus aliàs obligatorium possit quis satisfacere pro peccato, petitur ex hoc, quòd nihil repugnet si una actio duobus titulis obliget: ut patet de illo qui vovit audire Missam quotidie, tunc enim ex duplici capite tenetur illam audire diebus festis. Nec dicatur, duo debita non posse solvi per eandem numero pecuniam: quia in hoc casu est justitia commutativa, quæ æqualitatem observat; in nostro autem proposito est tantùm justitia legalis ex voluntate superioris proveniens, qui potest eamdem satisfactionem imponere per opus, quod jam anteà erat obligatorium. Quòd etiam cum opere obligatorio debeat injungi opus pœnale supererogationis, ex hoc patet, quòd opus illud non sit propriè vocandum pœnitentiæ, ad quod ex alia obligatione tenetur aliquis.

Satisfactio Sacramentalis confert effectum *ex opere operato*, scilicet remissionem alicujus pœnæ temporalis; quoniam enim est pars Sacramenti, debet operari ut Sacramentum; Sacramentum autem confert suum effectum *ex opere operato*: hoc tamen debet intelligi, modò non ponatur obex; quia qui in peccato existens elicit opus injunctum à Confessario, satisfacit quidem præcepto sacerdotis, & reddit Sacramentum integrum, & sic non peccat mortaliter, quod faceret si prætermitteret illud opus: illud tamen opus non prodest illi ad remissionem pœnæ peccati, licet prosit ablato impedimento, ut dicunt quamplurimi Doctores: præter remissionem autem pœnæ quæ per Pœnitentiam tollitur, seu per opus Satisfactionis *ex opere operato*, potest tolli alia pœna, quæ respondebit *operi operantis*. Licèt diximus in primo paragrapho hujus quæstionis, Confessarium posse acceptare opus satisfactorium imponendum ab alio justa de causa; attamen notandum est, quòd illud bonum opus ab alio elicitum non proderit *ex opere operato*; quia illud non censebitur pars Sacramenti, cùm factum non fuerit à pœnitente.

Pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam tolerabilem, acceptamque adimplere, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 8 ubi potestatem ligandi Sacerdotibus concessam intelligit, quantùm ad potestatem obligandi ad satisfactionem. Sic habetur ex capite *Omnis utriusque sexûs*, ubi præcipitur, ut quisquis fidelis impleat Pœnitentiam à Confessario injunctam. Ratio est, quia quilibet subditus tenetur obtemperare sententiæ sui legitimi judicis; potest tamen pœnitens rogare Confessarium, ut illam mitiget, cui debet annuere Confessarius ad reddendum facilius jugum Confessionis: immò potest pœnitens ante acceptam absolutionem dicere Sacerdoti, quòd si nolit moderari Pœnitentiam, meliùs velit alterum adire Confessarium; non tenetur enim Confessario obedire, nisi in ordine ad absolutionem. Licèt pœnitens teneatur adimplere pœnitentiam in statu gratiæ, non peccat tamen nisi venialiter, si illam emiserit existens in peccato. Tenetur, inquam, eam adimplere in gratia, quia secus impedimentum apponeret effectui pœnitentiæ, seu relaxationi pœnæ temporalis debitæ peccato: hoc faciens tamen non peccat, nisi venialiter, quia materia est levis, nec sufficienter notabilis irreverentia, ut inquiunt Doctores. Quòd si in peccato adimpleatur pœnitentia, licèt protunc non habeat suum effectum, ipsum tamen recuperat pro eo instanti, quo ipsa gratia recuperatur. Ista enim opera mortua licèt nunquam reviviscant, istud tamen opus non reviviscit quidem, quantùm ad meritum, sed quantùm ad remissionem pœnæ peccati, quam operatur in virtute Sacramenti præcedentis.

Confessarius ex justâ & rationabili causâ Pœnitentiam mutare potest; sivè sit data à se, quia sicut eam semel injunxit, ita mutare potest, cùm nulli faciat injuriam; sivè ab æquali sit injuncta, quia Confessarius æqualis habet potestatem æqualem; sivè etiam sit superior, modò injuncta sit propter peccata non reservata; quia sicut potuisset illa peccata absolvere, etiam posito quòd superior absolverit, potest Pœnitentiam commutare ex rationabili causâ. Quòd si peccata fuerint reservata, aliqui dicunt Pœnitentiam posse mutari, aliqui non. Quando autem mutatur Pœnitentia, debet pœnitens iterare confessionem majorum peccatorum, super quæ applicata fuit illa Pœnitentia, supposito quòd oblita fuerit; si verò pœnitens recordetur suæ pœnitentiæ, poterit mutari sine iteratione peccatorum; tunc enim sufficienter cognoscit statum pœnitentis ad mutandam illius Pœnitentiam. Quando diximus, unum Confessarium posse mutare pœnitentiam alterius, hoc intelligitur probabiliùs de omni Confessario, sive imposita fuerit per æqualem Confessarium, sive per superiorem; etiam licèt peccata fuerint reservata: & hoc juxta probabiliorem sententiam. Quia quilibet Confessarius ferre potest judicium supra quælibet peccata aliàs confessa, & super illa pœnitentiam injungere justa ex causa. Nec considerandum est, an illa peccata sint reservata, nec-ne; quia jam anteà absoluta sunt à prælato. Dicendo, pœnitentiam posse mutari, hoc intelligitur, quòd istud fieri debeat in confessione; quia sicut Sacerdos non potest illam imponere, nisi in confessione, sic nec illam mutare, nisi in tribunali. Hoc non debet etiam fieri, nisi ex justa causa, qualis est, si interveniat spiritualis utilitas pœnitentis, aut gravis difficultas adimplendi pœnitentiam, & cæt. Nunquam tamen pœnitens propriâ suâ authoritate potest mutare pœnitentiam à suo Confessario injunctam, quia satisfactionis mutatio est opus jurisdictionis sacramentalis in solo Confessario residentis. Porrò, quando Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. ait, Injungendas esse pœnitentias proportionatas peccatis; per hoc non intelligit, quòd debeant esse ita graves, ac pœnæ peccatis debitæ; sed per hoc insinuere prætendit, quòd

quòd illæ pœnitentiæ sint conformes qualitati delicti, ita quòd pro peccatis carnalibus injungantur mortificationes corporis; pro actibus injustitiæ, eleemosinæ: & pro peccatis superbiæ, orationes: quibus peccator se coram Deo humiliet.

APPENDIX.

De dilatione absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ.

NOn desunt qui mirentur, Sacerdotes aliquos in hoc ævo reperiri, qui confessione peccatorum factâ absolutionem differre præsumunt propriâ authoritate: at certissimum est, talem admirationem cessaturam esse, si diligenter observent, quantæ sit utilitatis hic agendi modus, Patribus Ecclesiæ omnino conformis. Primò enim officium Confessarii exigit, ut qui hoc officii prætendunt, fideles sint mysteriorum Dei dispensatores, juxta D. Paulum; unde Cyprianus lib. de Lapsis Sacerdotes reprehendens, quòd citiùs, quàm par est, absolutionem concederent illis, qui ex timore martyrii abnegaverant fidem, ait tales Presbyteros crudeliores esse persecutores Ecclesiæ paganis Imperatoribus. Secundò, illos debet absolvere Sacerdos, qui testimonium veræ contritionis ostendunt; quòd maximè innotescit per dilationem absolutionis; juxta D. Gregorium lib. 6. super caput 15. lib. 1. Regum; *Signum veræ confessionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentis:* ubi per confessionem, illam intelligit, quæ sincerum habet animi dolorem. Tertiò, congruum est, differre pœnitentiam, ut non periclitetur salus Confessarii; quod reverà fieret, si imprudenter præsumeret portare peccata aliorum; unde D. Gregorius loquens de Samüele, qui à Saüle rogatus noluit portare illius peccatum, dicit: *Ecce fortis Propheta refugit suscipere onus regalis peccati;* ut Sacerdos Ecclesiæ timeat subire importabilium peccatorum onera. Ex quibus omnibus patet, præcipitatas absolutiones summè nocivas esse Sacerdotibus: Sed non minùs cedunt in damnum & præjudicium pœnitentis. Primò, quia D. Cyprianus epist. 11. hortatur Confessarios, ut promptiores non sint in reconciliatione pœnitentium; nè, qui ovium pastores esse debent, lanii fiant. Secundò, quia tales præcipitatæ absolutiones occasionem tribuunt revertendi ad vomitum, juxta D. Ambrosium, *Facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi.* Tertiò, quia illi, qui citiùs recipiunt absolutionem, non ampliùs curant de placando Deo, de flendis peccatis, & delendis affectionibus ad peccatum, quæ cum non sint totaliter extinctæ, citiùs redeunt.

Congruum est ut Confessarius absolutionem differat, quotiescumque prudenter judicat, pœnitentem non esse ad illam dignè paratum; quod pluribus signis judicari potest. Primò, ex inconstantia & infidelitate præterita pœnitentis, qui eadem multoties reiteravit peccata, non obstantibus vanis promissionibus in contrarium factis. Secundò, ex parvitate contritionis, quæ præsumi debet ex ambagibus, simulationibus, & excusationibus pœnitentis. Tertiò, ex inclinatione quam habet pœnitens ad hoc, vel illud peccatum. Quartò, ex occasione peccati; & quintò ex promissione restitutionis invalidâ; in qua occasione Cajetanus sustinet, *verbo restitutio* cap. 6. quòd si quis semel promiserit restituere, & non restituerit, dilatio absolutionis fit necessaria. Quam opinionem reducunt Suares, Filiucius, & alii ad duas vices. Ex his, inquam, & similibus capitibus præsumi potest, contritionem non esse sufficientem, & proinde absolutionem differendam esse. Ex illa dilatione tres utilitates peccatori adveniunt, in quantùm peccator acquirit cognitionem experimentalem detrimenti ex peccato procedentis. Deinde, per hoc inpeditur iteratio peccatorum, in quantùm toto spatio temporis, quo differtur absolutio, se applicat peccator ad deflenda sua crimina, juxta D. Ambrosium lib. 2. de Pœnitentia cap. 10. *Dum dolemus admissa, admittenda excludimus.* Tandem, durante tali dilatione, se applicat peccator ad pravos habitus eradicandos; unde Augustinus hanc praxim differendi absolutionem approbat, dum dicit tractatu 49. in Joan. hoc fieri, *ut violentiæ pœnitendi cedat consuetudo peccandi.*

Quia præcipuè debet differri absolutio, quando quis in occasione proxima peccati versatur; sciendum est, duplicem esse occasionem proximam peccati, nimirum illam quæ ex se & propriâ naturâ trahit ordinariè hominem ad peccatum; vel ita frequenter, ut raró quis in ea existat, quin peccet; & illam, quæ non ex se & absolutè, sed per respectum ad certas personas allicit ad peccatum. Qui apud se retinet concubinam, in occasione prima peccati proxima dicitur existere; & qui exercet aliquam artem, vacationem, aut ministerium de se licitum, & indifferens, in quo tamen jam à longo tempore peccavit, & probabile est moraliter adhuc peccaturum, talis dicitur esse in occasione proxima secundo modo accepta; sicut & illi, qui certas personas frequentando, in quasdam domos ingrediendo, certas fœminas audiendo in confessione, Mercatorum, Advocatorum, Judicum professionem exercendo, sæpissime peccant, & se imposterum peccaturos prævident. Occasionem proximam peccati vitandam esse, satis probat Scriptura, dicens Ecclesiast. 30. *Qui amat periculum, peribit in illo.* Quod debet fieri quàm citiùs, etiam imminente gravi detrimento temporali. Ratione primæ partis hujus veritatis, si filius familias ordinariò peccet carnaliter cum muliere existente in domo paterna, tenetur omnia facere, prudenter tamen, ut talis fœmina expellatur è domo. Quòd si non potuerit, tenetur occasionem aliquam proponere patri, ut ipse à domo exeat, sive studiorum causâ, sive mercationis faciendæ prætextu, vel aliis similibus. Quòd si neutrum facere valeat, omnes Doctores admittunt, talem filium non peccare, commorando apud patrem; quia volunt, talem residentiam non esse illi voluntariam: cùm non possit esse inobediens patri, nec occasionem peccati removere: sed protunc Confessarius debet pœnitentem admonere, quòd nunquam solus remaneat cum illa muliere, quòd omnia amoris blandimenta rejiciat, quòd certas mortificationes subeat, quòd ad hoc quotidianas preces effundat ad Deum, quòd eleemosinas ex bonis quasi castrensibus elargiatur, & quòd frequentes exerceat actus contritionis. Quòd si his non obstantibus, revertatur ad vomitum, debet illi Confessarius absolutionem differre, donec emendationem videat. Quòd etiam debeat quis deserere occasionem proximam peccati, esto grave damnum temporale immineat, patet ex verbis Christi, Matth. 5. ubi dicit: *Si manus, aut pes scandalisat te, abscinde eum: & si oculus tuus te scandalisat, erue eum, & projice abs te.* Si ergo præcipiat Christus, pedem & manuum præscindi, & oculum erui, quæ sunt partes omnino corpori necessariæ; quantò magis rejici debet occasio proxima peccati, quæ nos ducit in

infernum; etiamsi jactura bonorum temporalium imineat.

Quantum ad illos, qui sunt in occasione proxima peccati secundo modo sumpta; quando confessarius aliquos reperit, qui talem aut talem professionem facientes, semper, aut sæpissime peccant; si existimet, tales habere contritionem perfectam, & voluntatem sinceram non recidivandi, tunc potest illos semel & iterum absolvere, iis applicando remedia conformia suo statui. Si iterum posteà peccent, absolutio illis differenda est. Tandemque, si perseverent, consulendum est, ut talem professionem dimittant, in qua maximè periclitantur. Imò, juxta canonem 21. Concilii Lateran. tenebitur ipsis præcipere, ut talem abjiciant professionem: ait enim Concilium: *Falsa etiam fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali, non recedit, quod sine peccato agi nullâ ratione prævalet.* Si servus aliquis maneat in domo, ubi est mulier quædam, cum qua peccat, debet talem locum dimittere, si se aliter non possit expedire. Quòd si dicat, hoc non posse fieri absque eo, quòd servus aut mulier illa diffametur; improbabile est, quin possit, vel ex se, vel ex confessario invenire prætextum, quo possit sine infamia discedere. Quòd si hoc non posset fieri, deberet confessarius uti cum pœnitente iisdem præcautionibus, de quibus in præcedenti paragrapho, ut à recidivo impediret pœnitentem; quæ si essent inutiles, ad dilationem absolutionis esset recurrendum. Quòd si solum detrimentum temporale impediret servi egressum è domo, in qua est occasio proxima peccandi, semel aut bis posset quidem confessarius eum absolvere, modò videret, ipsum perfectè dispositum ad exitum è tali domicilio, cùm de hoc moneretur ab ipso confessario. Horum ratio est, quòd Christus in Evangelio districtè præcipiat, ut abscindantur & eruantur pes, manus, & oculus, quæ sunt partes magis necessariæ, quàm bona temporalia.

His positis superest, ut respondeamus ad rationes frivolas, inanes, & seductorias, quibus nituntur absolutionis præcipitatæ fautores, ut faciliùs animas in infernum deducant. Dicunt primò, per talem dilationem summè contristari pœnitentes: sed longè justius est ministro Christi contristare hominem, quàm Christum, qui Deus est, & unus Deus cum Spiritu sancto, de quo tamen dicit Paulus ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum.* Dicunt secundò, hunc usum dilationis pœnitentiæ turbare graviter pacem & tranquillitatem pœnitentis: sed pax illa, quam imprudens confessarius vellet dare pœnitenti, vel potiùs impœnitenti, esset, ut inquit D. Cyprianus, *Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, nihil accipientibus profutura*; unde dicendum est, longè melius esse, turbari à confessario, quando hoc expedire judicat, durante vita, quàm in articulo mortis turbari à diabolo, à conscientia, & à rudentibus inferni flammis. Dicunt tertiò, talem dilationem, pœnitentis murmurationem esse excitaturam; sed de hoc non debet curare confessarius, modò sit fidelis dispensator mysteriorum Dei; & in hoc Christum imitabitur, qui audiens clamores Pharisæorum & Scribarum, de suis operibus murmurantium, respondit Apostolis suis Dominum de hoc monentibus: *Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum.* Dicunt quartò, ex hoc scandalizari astantes de pœnitente, cujus peccata divulgabuntur; sed tantâ prudentiâ uti poterit confessarius, ut hoc nemini innotescat, in quantùm, detecto capite dicendo, *Misereatur, Indulgentiam,* & pœnitentem benedicendo, astantes putabunt, ipsum esse absolutum. Nec instantia fieri debet, quòd æqualiter scandalisatus remanebit apud videntes ipsum exire è tribunali, & non adire mensam communionis; nam sæpe sæpiùs fideles confessionem solent emittere absque eo quòd recipiant corpus Christi. Dicunt quintò, confessarium debere esse misericordem; sed audiant quæso Cyprianum dicentem lib. de lapsis, quòd, *hæc misericordia fit sub misericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies*; & sic in tali casu non debet confessarius esse misericors pœnitenti, & crudelis ad Deum. Dicunt sextò, quòd si in intervallo talis dilationis moriatur pœnitens, ipse damnabitur, quod vitandum est: sed hoc pura est astutia diaboli, & defectus confidentiæ in Deum; quasi verò ipsius bonitas & misericordia non conservarent pœnitentem, qui est in statu pœnitentiæ, quem conservarunt in statu peccati. Denique, estò pœnitens sine absolutione moreretur, subveniret Dei creatoris pietas, si esset in eo statu, ubi eum constituere prætendit confessarius per dilationem absolutionis, ut semper existimavit Ecclesia de pœnitentibus & Catechumenis, in Concilio 4. Carthaginensi can. 79. & in orat. D. Ambrosii in morte Valentiniani Imperatoris.

CAPUT NONUM.

De Indulgentiis.

Pœnitentia non tollit pœnas peccati totaliter, sed de æternis illas mutat in temporales: remissâ ergo culpâ per absolutionem, remanet pœna luenda in hoc sæculo, vel in Purgatorio; per actiones scilicet pœnales in hoc sæculo, quæ satisfactoriæ fiunt, & hæc est via ordinaria quâ pœna peccati remittitur; alia est via extraordinaria, per Indulgentias scilicet, quibus nobis applicantur merita Christi & Sanctorum in satisfactionem pœnarum quas debemus luere in hoc sæculo, vel in futuro; unde postquam egimus de pœnitentiâ, quæ tollit culpam, & de satisfactione quæ est via ordinaria in remissionem pœnæ, agendum est de Indulgentiis, quæ sunt via extraordinaria.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sint Indulgentiæ, & in quo consistant?

Aliquando nomen Indulgentiæ significat nimiam licentiam agendi impunè contra legem; aliquando significat remissionem criminis: sed ut sumitur in præsenti, significat remissionem pœnæ temporalis debitæ peccato post ipsius absolutionem, quæ totaliter remittitur, si Indulgentia sit plenaria; & partialiter tantùm, si sit limitata.

Conclusio Prima.

Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis, debitæ peccatis actualibus, concessa per applicationem thesauri Ecclesiastici. Dicitur primò, *relaxatio pœnæ*; quia per Indulgentiam tollitur pœna peccato debita: hoc etiam dicitur, ut innotescat per indulgentiam peccatum non tolli, nequidem veniale, sed tantùm pœnam. Nam si indulgentiæ remitterent culpam, haberent rationem sacramenti, quod est falsum; Ecclesiâ non agnoscente nisi septem sacramenta. Si dicatur, hoc esse con-

tra Clementinam primam de Indulgentiis, dicentem, quòd indulgentia concedatur à culpa & à pœna; per hæc verba intelligitur, in indulgentia concedi facultatem eligendi confessarium, qui absolvat à quocunque peccato; non verò indulgentia est, quæ remittat immediatè peccatum. Dicitur secundò, *pœna temporalis*; quia per Indulgentias non remittitur pœna æterna, quoniam debetur peccatis mortalibus nondum deletis, & per Indulgentias non delentur peccata. Dicitur tertiò, *debita peccato actuali*; non originali; quia remittitur per Baptismum, quo aufertur peccatum & omnis reatus seu pœna peccati. Additur, *per applicationem thesauri Ecclesiastici*; quia sicut in republicâ servatur thesaurus seu copia pecuniæ civibus distribuendæ juxta necessitatem, ita in acceptatione Dei conservatur thesaurus constans ex infinitis meritis Christi & satisfactionibus Sanctorum, cujus dispositionem habet Summus Pontifex; unde potest illum distribuere secundùm necessitatem Ecclesiæ.

Vvaldenses, seu Pauperes de Lugduno, primi impugnarunt indulgentias, quos proximè sequutus est Vvicleffus art. 42. damnato in Concilio Constantiensi. Istos Hussitæ imitati sunt, & posteà Lutherus, qui hæresim suam inchoavit ab impugnatione indulgentiarum. Omnes isti cum Calvino, Melanchtone, Kemnitio, & aliis recentioribus, ut indulgentias infirment, thesaurum meritorum Christi, quem tenemus existere in Ecclesia, irrident: sed ipsos omnes condemnant, Concilium Tridentinum sess. 25. in decreto de indulgentiis, Concilium Constantiense sess. 8. Lateranense cap. 62. Lugdunense cap. 1. de pœnitentia & remissione in 6. & Viennense, quod refertur in Clementina unica de reliquiis & veneratione Sanctorum; ubi conceduntur indulgentiæ iis, qui divinis officiis intersunt in festo, & per octavam corporis Christi. Nec dicant hæretici, inventionem indulgentiarum cœpisse circa annum 1100. nec antea ullum authorem de ipsis locutum fuisse; hoc enim falsissimum est, quandoquidem Paschalis II. in Concilio Lateranensi anno 1116. concedit indulgentias quadraginta dierum iis, qui ad Concilium venerant. Anteà in Concilio Claromontano Urbanus II. dat indulgentias ad bellum Christianum proficiscentibus. Sergius II. eas concedit ante 800. annos. Antea Leo 3. anno 795. sedens, teste S. Ludgero in Epist. quæ extat apud Surium tomo 2. die 5. Martii. Plura videantur apud Bellarminum, tantúmque dicamus, D. Cyprianum Martyrem Epist. 46. Urbano & Sidonio in hæresim lapsis ignovisse, & confessis ac contritis sine ulla pœna indulsisse, quod non fecisset, nisi applicando indulgentias. Indulgentiarum institutio habetur Matth. 16. ut videre est in sequenti conclusione.

Conclusio Secunda.

Indulgentiæ fundantur in potestate quam habet Ecclesia condonandi pœnas peccatorum, etiam extra sacramentum; quæ potestas colligitur ex Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*: hæc autem verba sunt universalissima, unde vi suâ omnem actum solvendi includunt, non solùm à peccatis, sed etiam à peccatorum pœnis, ut confirmat traditio Ecclesiæ & usus antiquissimus. Illa potestas concedendi Indulgentias habet pro fundamento merita Christi & satisfactiones Sanctorum; multa enim opera egit Christus, quæ erant superabundantia, quandoquidem per unum actum infinitos mundos poterat redimere, quodlibet enim opus Christi erat infiniti valoris; unde quandoquidem multa opera meritoria elicuit Christus, non debuerunt esse inania, sed remanserunt in thesauro Ecclesiæ, hoc est in acceptatione divina, ut peccatoribus applicarentur. Multi etiam Sancti multa opera satisfactoria præstiterunt, quæ sibi non erant necessaria, & hoc etiam tempore justi faciunt multa opera quæ sunt supererogationis, & præstant exuperantes satisfactiones quibus non indigent; unde reponuntur in thesauro Ecclesiæ & nobis conceduntur per Bullas Pontificum, quæ sunt signa externa per quæ voluntas Pontificis nobis applicantis tales satisfactiones, innotescit: Nec propterea dicendum est, quòd nos redimant Sancti, quia redemptio illi tantùm attribuitur qui liberat à culpâ & à pœnâ æternâ.

Objiciunt Hæretici, merita Christi & Sanctorum recepisse sufficiens præmium: Christus, v. g. sui nominis exaltationem recipiendo, & Sancti accipiendo gloriam quæ superat omnia merita: ergo nec Christus nec Sancti habuerunt superabundantia opera in quibus fundetur thesaurus Ecclesiæ. Resp. quòd Christus propter infinitatem suorum meritorum nullum potuerit recipere præmium creatum proportionatum illis; quoad Sanctos, bonas illorum opera erant simul & meritoria & satisfactoria: ut erant meritoria non fuerunt superabundantia, quia illis data fuit pro præmio gloria æterna ad quam *non sunt condigna passiones hujus sæculi*, inquit D. Paulus: ut erant verò satisfactoria, illis correspondet remissio pœnæ peccati; & quia elicuerunt plura opera post expiationem suorum peccatorum, talia opera erant superabundantia in satisfactione; & sic remanserunt in thesauro Ecclesiæ: Quis enim putat quòd Joannes Baptista, qui nullum peccatum mortale unquam admisit, non præstiterit plura opera satisfactoria superabundantia, quæ inutilia esse non debuerunt? quod à fortiori dicendum est de beatâ Virgine, quæ semper benè operata est, & nullum quantumvis leve peccatum admisit: Sanctorum ergo satisfactio illis superflua, alteris est necessaria & ipsis applicatur; & in hoc stat aliquo modo Sanctorum communio. Notetur tamen, à satisfactionibus Sanctorum thesaurum Ecclesiæ non esse infinitum, sed à meritis Christi, quæ infinita fuerunt; unde evacuari non potest. Porrò, ex hoc non est dicendum, quòd satisfactiones Sanctorum sint superfluæ, si satisfactio Christi sit infinita; potest enim ex hoc tantùm inferri, quòd non sint necessariæ absolutè; & ut superfluæ non remaneant, respondent aliqui, quòd per Indulgentias applicetur certus & limitatus gradus satisfactionum Christi, cui additur gradus satisfactionum Sanctorum; hoc enim est Christo honorificum, quoniam Sanctorum merita sunt à passione Christi.

Quæstio II.

Quotuplex est Indulgentia, & quomodò Indulgentia ad tempus intelligi debeant?

Dividitur communiter Indulgentia in personalem, localem, & realem. Personalis est illa quam Pontifex ita confert personæ, ut illi quasi inhæreat; sicut quando Papa dat alicui Indulgentiam, quotiescunque profert ter nomen Jesu & Mariæ. Localis est ea quæ inhæret loco, ut quando datur Indulgentia illis qui aliquam Ecclesiam visitant. Realis denique est ea quæ inhæret alicui

rei, ut quando Pontifex dat Indulgentias ferenti Rosarium, aut Imaginem Crucifixi; istæ autem sunt annexæ rei, & ob hoc dicuntur reales. Præter hanc divisionem Indulgentiarum est alia, quam afferet

Conclusio Prima.

Dividitur Indulgentia in Plenariam & Temporalem, seu ad tempus aliquod limitatum. Plenaria est ea quæ remittit, non quidem culpam, ut diximus, sed totam pœnam debitam peccatis; & hoc vel absolutè, quando scilicet nulla est restrictio in Bullâ; vel in certo genere, ut quando in Bullâ datur Indulgentia Plenaria de pœnitentiis injunctis; pro tunc enim hæc verba denotant Indulgentiam prodesse tantùm ad remittendam pœnam debitam pœnitentiis injunctis, & non peractis. Indulgentia temporalis est ea quâ tantùm aliqua pars pœnæ debitæ peccato relaxatur; sicut quando dantur Indulgentiæ quadraginta dierum, vel septem, aut centum, aut mille annorum. Aliquando per certas Indulgentias remittitur quarta, vel tertia, vel dimidia pars pœnarum peccatis debitarum; & tunc qui habet plures pœnas luendas, Indulgentias lucrando, per accidens majorem fructum percipit. Aliquando datæ sunt Indulgentiæ duarum, vel trium aut quatuor Catenarum; in primitivâ enim Ecclesiâ injungebatur aliquando Catena, idest obligatio jejunandi in pane & aquâ quadraginta diebus, qui præcedebant septem annos pœnitentiæ publicæ pro certis peccatis, & hæc pœnitentia injungebatur illis, qui falsâ accusatione erant causa mortis alterius. Aliqui distingunt inter plenariam Indulgentiam & Jubilæum; distinctio tamen nulla est, nisi accidentalis, ratione scilicet adjunctorum; in quantùm in Jubilæo conceditur major potestas, absolvendi nimirùm à casibus reservatis & censuris, & dispensandi super aliqua vota, & aliquando super irregularitatem; sed hoc non est de ratione Indulgentiæ, quia respicit tantùm remissionem, non culpæ, sed pœnæ temporalis, quæ æqualiter condonatur in Indulgentiâ plenariâ, ac in Jubilæo.

Conclusio Secunda.

Quando dantur Indulgentiæ, v. g. centum annorum, per hoc intelligi non debet, quòd relaxentur centum anni de pœnis solvendis in purgatorio; sed intelligitur, quòd tot & tantæ pœnæ purgatorii remittantur, quot & quantæ deletæ fuissent per Pœnitentiam centum annorum injunctam per antiquos canones; olim enim gravioribus peccatis, v. g. pro Adulterio & similibus injungebantur Pœnitentiæ septem annorum, & pro gravioribus longiores; unde, illi qui multa millia peccatorum patraverant, multis annorum millibus Pœnitentiam debuissent agere, si potuissent; istæ autem Pœnitentiæ minuebant pœnas quæ debebantur peccatis in purgatorio; unde Indulgentiæ mille annorum, v. g. tot relaxant pœnas purgatorii, quot relaxassent mille anni Pœnitentiæ antiquæ.

Præter illas divisiones, quas admisimus, aliqui solent adhuc dividere Indulgentiam in plenam, pleniorem, & plenissimam; sed quia hæc membra non distinguuntur inter se, imò talibus tantùm formulis utuntur Pontifices, ut ostendant, se dare maximas quas possunt Indulgentias; ideo de illis loqui non curavimus: neque de illa, quæ vocatur per modum Jubilæi, quandoquidem non distinguitur, nisi accidentaliter ab Indulgentia Plenaria, in quantùm

A in Jubilæo concedatur major potestas absolvendi à casibus reservatis, dispensandi in votis, aut illa commutandi: Non tamen omittenda est insignis divisio Indulgentiæ, in eam scilicet, quæ confertur vivis, & illam quæ confertur defunctis, & eam quæ datur tum pro vivis, tum pro defunctis simul; ita quòd, qui voluerit illas lucrari pro defunctis, tales illis applicare valeat, modò in bulla exprimatur actualiter tales Indulgentias, vel talem Jubilæum pro utrisque dari; si enim hoc non expresserint Pontifices, non possunt applicari defunctis.

Hæc autem differentia assignari solet inter Indulgentias, quæ tribuuntur vivis, & eas quæ confe-
B runtur defunctis, quòd primæ concedantur per modum absolutionis; in quantùm animæ existentium adhuc in hoc mundo subjiciantur jurisdictioni summi Pontificis, qui proinde potest illas absolvere tum à culpa per administrationem Sacramenti, tum à pœna per Indulgentias. Secundæ verò non dantur per modum absolutionis, quia animæ existentes in Purgatorio non ampliùs subsunt Pontifici, nec proinde absolvi valent ab illo; sed conferuntur ipsis per modum suffragii, juxta id quod habet Leo X. in epist. ad Cajetanum 3. p. quæst. 48. art. 6. ubi ait, Romanum Pontificem thesaurum meritorum Christi & Sanctorum dispensare; & per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, vel per modum suffragii illam transferre consuevisse. Quid sit autem conferre Indulgentias defunctis per modum suffragii satisfactorii, hoc explicat D.
C Thomas in 4. dist. 45. art. 3. quæstiunculâ 2. ubi ait, Quòd concedere Indulgentias per modum suffragii, sit illas concedere secundariò & veluti mediatè, quatenus Pontifex dat vivis de thesauro Ecclesiæ aliquam partem satisfactionum Christi & Sanctorum, sub ea conditione, quòd certa opera sint elicituri, cum potestate eas applicandi defunctis, quasi essent suæ propriæ satisfactiones. Ex quo resultat, quòd licèt Papa non habeat jurisdictionem in personas illas; quibus distribuitur thesaurus Ecclesiæ; habendo tamen jurisdictionem in thesaurum ipsum, potest illum distribuere extraneis; quandoquidem bona communia possunt non subditis distribui ab habente in illa potestatem.

An Indulgentiæ, sive pro vivis, sive pro defun-
D ctis, habeant certum, infallibilem & totalem effectum? Respondetur communiter, quòd vivi elicientes in gratia ea, quæ præscripta sunt per Bullas Pontificum, habeant certum effectum & infallibilem, sive in toto, sive in parte; si enim Indulgentia non sit plenaria, relaxabitur tantùm una pars pœnæ debitæ peccatis: si verò Indulgentia sit plenaria, tota remittitur conformiter Bullis, quæ tantum valent, quantùm sonant. Non desunt tamen recentiores aliqui, volentes Jubilæum v. g. totalem suum effectum obtinere in illis, qui non possunt expiare sua peccata per opera pœnalia, adinveniente morte, vel infirmitate aliquâ; illos tamen qui non curarunt de pœnitentia facienda aliquo modo pro-
E portionata peccatis suis, non lucrari de Indulgentia Jubilæi, nisi proportionatâ ad opera satisfactoria quæ elicuerunt. Sed ultra quòd hoc derogat virtuti Indulgentiæ & intentioni Pontificum; quia attendentes ad multos, quorum negligentia tanta fuit, ut præter satisfactionem sacramentalem nullam aliam elicuerint, illos sublevare intendunt, ipsis conferendo tantùm de satisfactionibus Christi, quantùm ipsi indigent ad totalem relaxationem pœnæ suis peccatis debitæ. Hoc insuper videtur contradicere Pontificibus, qui in Bulla Jubilæi dicunt expressè, se conferre plenam relaxationem

peccati illis, qui sunt verè pœnitentes, contriti, confessi, & Eucharistiâ refecti; quod tamen falsum esset, si insuper requireretur præcedens expiatio peccatorum: Imò pro talibus inutilis esset Indulgentia. Nec dicant, illos qui neglexerunt expiare peccata non esse verè pœnitentes; quia per verè pœnitentes non intelliguntur tantùm illi, qui exactam pœnitentiam anteà emiserint, quibus Indulgentia non ampliùs esset necessaria; sed intelliguntur illi qui ritè contriti, vel attriti, absolutionem validam receperint, Eucharistiam dignè sumpserint, & alia opera præscripta emiserint. Nec dicant etiam per nostram opinionem evacuari sacramentum Pœnitentiæ; quia hoc non intendunt Pontifices, sed tantùm compatiuntur negligentiæ Christianorum, & recursum habent propterea ad satisfactiones Christi & Sanctorum: sicque ex dictis doctrina communis confirmatur, quòd scilicet per Indulgentiam plenariam & per Jubilæum tota pœna peccati relaxetur.

Quantùm ad Indulgentias defunctorum; duplex est Doctorum opinio, quorum alii sentiunt, Indulgentiam concessam defunctis habere infallibiliter totalem effectum, si indulgentia sit plenaria; & partialem, si sit temporalis. Sic Navarrus, Suares, & recentiorum plurimi, fundati super Bullam Leonis X. ad Cajetanum præcitatum, ubi dicit, Omnes tam vivos quam defunctos, qui veraciter Indulgentias consecuti fuerint, à tanta temporali pœna peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ & acquisitæ Indulgentiæ æquivalet: quod dicere est, indulgentiam temporalem infallibiliter defunctis concedere remissionem partialem pœnæ; & Indulgentiam plenariam illis applicatam generalem & universalem relaxare pœnam. Probabiliùs tamen Cajetanus, Corduba, Bonacina, & alii graves Authores, affirmant contrarium, & videntes continuò Christianos, acceptâ unâ Indulgentiâ plenariâ pro uno defuncto, aliam accipere; existimarunt, quòd licèt Indulgetia plenaria ex sua natura habeat vim totam relaxandi defunctis pœnam (quo modo debet explicari mens Leonis præcitati) attamen non prosit illis actu secundùm suam totalem amplitudinem, sed sæpissime restringatur per voluntatem Dei, qui tales Indulgentias non semper acceptat in toto, sicut Judex supremus non tenetur acceptare commutationem pœnæ debitæ alicui reo, nisi ad hoc ex promissione propria sese obligaverit.

QUÆSTIO III.

Quis possit Indulgentias concedere?

NEMINEM latet, multos esse superiores dignitate Ecclesiasticâ pollentes, quorum omnium caput est supremus Pontifex, cui succedunt Archiepiscopi, Episcopi, Superiores Ordinum, majores scilicet, qui super subditos dignitatem quasi Episcopalem habent. De his omnibus procedit quæstio, sicut & de Concilio, de quo quæritur, an possit Indulgentias concedere.

CONCLUSIO.

SOLUS Summus Pontifex potest primariò & jure divino Indulgentias concedere; quia facultas distribuendi bona publica, per se competit principi supremo reipublicæ, & proinde Summo Pontifici, universalis Ecclesiæ Rectori, cui soli dictum est, *Pasce oves meas*; & ideò est fons omnis jurisdictionis; Episcopus autem habet hanc potestatem, sed hoc est à Summo Pontifice; unde sicut Summus Pontifex limitat potestatem Episcoporum circa absolutionem (multos enim casus sibi reservat Papa, de quibus non possunt absolvere Episcopi) sic etiam illam limitat quoad Indulgentias; unde Episcopi possunt tantùm concedere Indulgentias unius anni in dedicatione solùm Ecclesiæ, & in aliis occasionibus possunt tantùm concedere Indulgentias quadraginta dierum. Quòd si concedant aliquando in suâ visitatione Indulgentias plenarias, hoc est ex concessione Summi Pontificis, cujus Bullam obtinere tenentur. Potestas illa Episcoporum circa Indulgentias vocatur quidem ordinaria, quia sequitur illorum munus, & eorum dignitati annexa est, authoritate Summi Pontificis. Idem dicendum est de Archiepiscopis, qui tamen in hoc superant Episcopos, quòd possint per totum suum Archiepiscopatum Indulgentias tales concedere, etiam in Episcopatibus suorum suffraganeorum, ut habetur capite *à nostro*, de pœnitentiis & remissionibus, quod intelligitur in suis visitationibus. Si Episcopi darent Indulgentias excedentes quadraginta dies; non essent invalidæ simpliciter, sed tantùm quoad excessum. Tùm Archiepiscopi, tùm Episcopi possunt Indulgentias conferre, modò sint electi & confirmati, etiamsi non sint consecrati; quia Indulgentiæ emanant ab exteriori jurisdictione quæ non requirit consecrationem: sic Summus Pontifex electus, & non consecratus potest Indulgentias concedere. Si Episcpus sit excommunicatus denuntiatus, concedere non valet Indulgentias, quia caret actu jurisdictionis. Si in peccato mortali existat, dùm illas concedit, non peccat mortaliter, quia non exercet actum Ordinis, sed Jurisdictionis. Potest Episcopus delegare suam potentiam concedendi Indulgentias clerico, non laico; jure enim humano ab Ecclesiasticis removetur; potest tamen Summus Pontifex de absolutâ authoritate. Tandem Episcopus potest tantùm dare Indulgentias suis Diœcesanis, quibus participare possunt etiam Regulares exempti, se submittendo in hoc Episcopis; exemptio enim Regularium non debet cedere in illorum damnum.

Quoad Concilium generale, si sit Acephalum, hoc est sine capite, non potest concedere Indulgentias; & sic mortuo Pontifice, Concilium non potest ampliùs plenarias concedere, quia non reperitur, quod hæc potestas sit concessa Ecclesiæ, sed Petro, cui dictum est, *Pasce oves meas.* Quod si Concilium uniatur capiti per se, vel per legatos, tunc potest concedere Indulgentias in totâ Ecclesiâ; suis enim legatis suam potentiam delegavit Pontifex. Quoad Cardinales, Patriarchas & Primates, non habent potestatem concedendi Indulgentias de jure communi, nisi in quantùm sunt Archiepiscopi, vel Episcopi: vel nisi illis detur talis potestas ex privilegio, commissione, aut consuetudine. Quoad Prælatos Regulares potestatem quasi Episcopalem habentes, ut sunt Generales Ordinum, & Provinciales, Rodericus dicit, eos habere ordinariam potestatem Indulgentias concedendi, quâ tamen non utuntur per desuetudinem; possunt tamen authoritate Apostolicâ ipsas concedere; Leo enim decimus concessit Ministris Provincialibus de Observantiâ, ut possent concedere suis subditis plenariam Indulgentiam in suâ visitatione. Sic Alexander IV. quadraginta dies Indulgentiæ concessit audientibus sermones Fratrum Minorum.

QUÆSTIO IV.

Quandonam cessent Indulgentiæ?

RESPONDENT omnes, eas cessare, quæ sunt concessæ pro aliquo tempore, quando illud tempus advenerit; quia earum duratio pendet ab intentione concedentis. Cessant secundò per concedentis revocationem, aut ejus successoris; modò revocatio earum eodem modo promulgetur, quo promulgari debet privilegiorum revocatio. Ad hoc autem, ut revocentur indulgentiæ, non requiritur causa; quia est beneficium gratuitum, quod sicut potuit liberè negari, ita potuit non conservari: ad licitam tamen revocationem rationabilis causa requiritur. Licèt non congruat, quòd Pontifex per solum actum internum revocet indulgentias, hoc tamen absolutè potest; quandoquidem valor indulgentiæ pendet essentialiter à voluntate perseverante. Tertiò, nedum indulgentiæ, quæ conceduntur in perpetuum durant pro semper, sed etiam illæ, quæ dantur simpliciter, sine limitatione temporis; nec tolluntur adveniente morte concedentis, quia sunt gratiæ, quæ non expirant per mortem. Nec etiam desinunt, cessante causâ, ob quam fuerunt concessæ; quia, ut inquiunt omnes Doctores, indulgentia perpetua potest concedi ob causam temporalem, quâ cessante non desinit indulgentia. Si pereat tamen res, vel locus, cui indulgentia est concessa, ipsamet cessat; ut potè, si destruatur Ecclesia. Quartò, tamen si Ecclesia paulatim destruatur & reædificetur per partes, non cessat per reparationem; quia eadem numero Ecclesia censetur perseverare. Immò, si simul destruatur, & in locum destructæ ædificetur alia, probabiliùs sentiunt Doctores, indulgentiam præcedentem, quæ tempore destructionis erat suspensa, virtutem suam resumere; quia moraliter censetur eadem Ecclesia, quæ privilegia anterioris præsumitur retinere, modo non fuerit destructa sine intentione reædificationis. Quintò, si templum, cui concessa erat indulgentia, ex uno loco destructum ad alium transferatur, protunc dicendum est, quòd, si indulgentia concessa sit templo ratione sui, tunc illud retinet suum privilegium; unde religiosi, aut moniales, in alium locum legitimâ authoritate translati, omnes indulgentias retinent, quas habebant in præcedenti domo: si verò indulgentia concessa fuerit ratione loci, vel situs, desinunt indulgentiæ in Ecclesia nova.

Sextò, indulgentia pro mortis articulo concessa nedum semel potest accipi, nec proinde expirat in primo articulo mortis præsumpto, quidquid dicant aliqui; sed probabilius est, ipsam posse adhuc obtineri in alio & alio; quia concessio indulgentiæ simpliciter facta pro articulo mortis censetur indefinita: & sic suam vim semper retinet in quocunque articulo. Septimò, indulgentia, quæ datur pro articulo mortis, non obtinetur, nisi in vero articulo, quando non requiritur confessarii ministerium; quia intentio concedentis est, ut infirmus transeat ex hac vita absque onere luendi pœnas Purgatorii; talis verò transitus non fit, nisi in vero articulo. Si verò in concessione indulgentiæ requiratur ministerium confessarii, censet Bonacina, posse appellari confessarium, & obtineri ab illo talem indulgentiam, etiam in quolibet præsumpto mortis articulo; aliàs ex adventu inopinatæ mortis multi privarentur hac indulgentiâ. Idem Doctor notat, quòd infirmus facultatem habens eligendi confessarium, qui virtute indulgentiæ possit illum absolvere, sit capax indulgentiæ & absolutionis, dum sensibus destituitur; modò petierit confessionem & absolutionem. Et ipsius ratio est, quòd sicut talis est capax sacramenti Pœnitentiæ, ita sit adhuc idoneus ad indulgentiam obtinendam, cùm sit adhuc viator, & omnes alias conditiones ad hoc requisitas habeat. Porro, notandum est, pro revocatione indulgentiarum, quòd non censeantur desinere antequàm revocatio perveniat ad aures eorum, quibus concessæ fuerunt; quia præsumitur Pontifex hoc non intendere, nè multi defraudentur in sua bona fide, præstantes opera ad consequendam indulgentiam requisita, quam tamen non obtinerent. Aliqui existimant cessare indulgentias per renuntiationem illius, cui conceduntur; sed probabilius est, quòd possint quidem non velle eas lucrari, quia hoc ab illis dependet; potentiam tamen illas lucrandi non possint rejicere: quia hoc provenit à voluntate liberali alterius, quâ permanente, semper potest mutari voluntas illius cui collatæ sunt indulgentiæ.

QUÆSTIO V.

Quænam requirantur, ut quis possit Indulgentias consequi?

CONSTAT quidem, quod ex parte concedentis requiratur justa & legitima causa, ut validè Indulgentias possit concedere; quæ quidem justa causa est honor Dei, Ecclesiæ utilitas, bonum commune, vel privatum; Pontifex enim non est dominus meritorum & satisfactionum Christi, sed tantùm dispensator, qui thesaurum sibi commissum debet distribuere secundùm intentionem Christi. Intentio autem Christi & Sanctorum est, ut Ecclesiæ thesaurus non dispensetur, nisi ob honorem Dei & Ecclesiæ utilitatem: ideò qui sine justâ causâ hunc thesaurum dispensat, quod est potiùs dissipare, nedùm peccat mortaliter, sed invalida est concessio. Requiruntur etiam conditiones multæ ex parte illius qui Indulgentias lucrari peroptat. Debet primò esse viator, quia concessio Indulgentiæ est actus jurisdictionis, qui non potest exerceri nisi in viatores. Debet etiam esse fidelis & baptisatus; infideles enim non sunt membra Ecclesiæ, & sic ipsius influentiam recipere non valent, sicut nec hæretici, aut apostatæ à fide, qui sunt membra præscissa; immò excommunicati etiam fideles & contriti Indulgentias consequi non possunt, quia afficiuntur pœnis excommunicationis, quarum una est, privari communibus Ecclesiæ bonis; sunt aliæ denique quas mox sumus explicaturi. Quòd si dicatur, Indulgentias prodesse Catechumenis, qui non sunt baptizati: respondendum est, hoc esse falsum, sive sint vivi, sive sint defuncti; quia solis fidelibus, quorum nomine non intelliguntur Catechumeni, conceduntur Indulgentiæ; multi tamen censent Catechumenos in Purgatorio existentes posse obtinere Indulgentiarum fructus, cùm sint membra Christi, quæ possunt frui illius satisfactione per modum suffragii.

CONCLUSIO.

AD recipiendas Indulgentias requiritur status gratiæ & adimpletio operum injunctorum in Bullâ concessionis. Ratio primi est; quia non potest

remitti pœna, non remissâ culpâ: ut ergo quis relaxationem pœnæ debitæ peccato obtineat per Indulgentiam, debet habere peccata jam remissa; an autem lucraturus Indulgentias debeat esse in gratiâ per confessionem, vel an sola contritio sufficiat; distinguendum est, & dicendum, quòd si non exprimatur confessio facienda in Bullâ, ut quando simpliciter dicitur, qui hoc vel illud fecerit, tales Indulgentias consequetur; pro tunc non est facienda confessio, quia existens in gratiâ est capax Indulgentiarum, nec superior confessionem exigit: si verò Bulla exprimat confessionem esse faciendam, ut quando dicitur, qui post confessionem & communionem tale opus elicuerit, tali gaudebit Indulgentiâ, non sufficit pro tunc contritio, sed confessio ultra facienda est, saltem si quis sit conscius peccati mortalis; si nullum enim tale peccatum commisit ab ultimâ confessione, censetur habitualiter confessus, quia perseverat in antecedenti confessione, & non indiget confessione peccati venialis; sicut enim Ecclesia extra Indulgentias confessionem venialium non exigit, sic nec in Indulgentiis; quia tamen aliqui contrarium sentiunt, in praxi consulerem confessionem.

Ratio secundæ partis est, quia superior concedit solùm Indulgentias sub conditione operum injunctorum in Bullâ: ergo ipsa facienda sunt; unde adolescens qui nondùm vigesimum primum annum attigit, non minùs tenetur jejunare, si præscribatur jejunium. Qui etiam prætermittit aliquod opus injunctum, etiam ex impotentiâ vel ex justo impedimento, Indulgentias non lucratur, nisi commutatio talis operis in aliud exprimatur; quia Indulgentiæ non sunt absolutè ad salutem necessariæ. Quando exprimitur eleemosina facienda, magna vel parva sufficit, modò in Bullâ non exprimatur, pro cujuscumque facilitate; Navarrus tamen putat, debere esse diversam pro diversitate personarum. Qui dat pecuniam servo, ut impendat eleemosinam quam non largitur servus, non lucratur Indulgentiam, contra Emmanuelem; non enim præstat opus præscriptum. Qui prætermittit opus tantùm leve, ut qui in Rosario dicendo omitteret unum Ave Maria, lucratur Indulgentias, quia hæc materia est levis respectu operis injuncti: si tamen esset levis in se, & non respectu operis injuncti, qui prætermitteret illam, Indulgentias non lucraretur; unde si daretur Indulgentia dicenti unum Pater noster cum Ave Maria, qui omitteret Ave Maria, non haberet Indulgentiæ fructum; licet enim illa materia esset levis in se, esset tamen gravis respectu operis injuncti.

Qui elicit opera injuncta ad participiendam Indulgentiam, non tenetur esse in gratiâ toto tempore quo præstat illa opera; sed sufficit, ut in gratiâ existat, dùm facit ultimum opus, quo posito conceditur Indulgentia. Quando ergo tempore Jubilæi præscribitur jejunium & communio; qui jejunabit in peccato mortali; modò communicet in gratiâ, Indulgentiam consequitur; illud enim opus non requiritur, ut meritorium, nec ut satisfactorium, nec ut applicans Indulgentias, sed est tantùm ut conditio, quâ positâ, Summus Pontifex Indulgentias applicat. An autem quis lucretur Indulgentias quando omnia opera injuncta fecit in peccato mortali, & removet posteà impedimentum per pœnitentiam: Respondent affirmativè Sylvester, Paludanus & Henriques; communiter tamen negant alii, quia hoc non sonat ex Bullâ.

Quæres, an aliquis possit eodem actu, eodem tempore, & sæpiùs in die consequi Indulgentiam.

A Quantùm ad primum, quod potest explicari hoc exemplo, an quis habens unum medallium, cui conceditur Indulgentia quadraginta dierum, & unum granum benedictum, cui similis annexa est, quoties dicitur unum Pater noster, dicendo unicum Pater noster lucretur utramque Indulgentiam. Respondent Corduba, Hostiensis, & plures alii affirmativè; Suares verò, Gabriel, & alii negativè. Bonacina autem vult, standum esse intentioni concedentis, quam existimat esse, ut pro singulis Indulgentiis singuli actus præstentur. Sibi astipulari Scotum, Paludanum, & plures alios præcitatus Doctor contendit. Quantùm ad secundum, quod sic potest exprimi, utrùm simul audiens Missam & recitans horas canonicas lucretur Indulgentias, quæ B sunt concessæ audientibus Missam & recitantibus officium: Responderi potest affirmativè; sicut enim aliquis potest diversis actibus eodem tempore elicitis pluribus præceptis satisfacere, modo uterque simul subsistere possit; v. g. adesse sacro & recitare horas canonicas, pluresque Missas audire, quæ in diversis altaribus celebrantur, illis applicando suam intentionem & devotionem; sic etiam potest eodem tempore obtinere plures Indulgentias, quæ pluribus actibus compatibilibus conceduntur. Tunc enim præscripta opera præstat, & circumstantia diversi vel ejusdem temporis est purè extrinseca. Quantùm denique ad tertium, quo quæritur v. g. an quis possit pluries eodem die consequi Indul-C gentiam visitantibus aliquam Ecclesiam: Ad hoc respondendum est cum distinctione, quòd scilicet, si Indulgentia concessa sit sine determinatione temporis, possit revera illam lucrari, quotiescunque talem Ecclesiam visitaverit cum devotione; quia quotiescunque aliquis præstat opus præscriptum, toties lucratur Indulgentiam illi annexam, quando non est limitatio in concessione, quæ nulla est in isto casu, quo Pontifex v. g. concedit Indulgentiam quadraginta dierum visitantibus talem Ecclesiam. Quando verò concessa est Indulgentia cum determinatione temporis v. g. ad unum, vel paucos dies, censent omnes, talem Indulgentiam non posse obtineri nisi semel. Hîc notandum est, quòd D si concursus populi tantus sit in Ecclesia visitanda, ut aliqui non possint in illam intrare, sufficiat, si ad fores Ecclesiæ, vel in cæmeterio preces suas effundant; quia tunc moraliter censentur orare in Ecclesia.

Objicies, nos malè dixisse, quod soli viatores possint Indulgentias lucrari, quandoquidem Indulgentiæ possunt applicari animabus existentibus in Purgatorio, quæ non sunt ampliùs viatrices, quoniam nec mereri nec demereri possunt. Resp. reverà posse applicari Indulgentias defunctis, est enim communis mens Doctorum & traditio Ecclesiæ; quæ admittit communionem suffragiorum inter Ecclesiam militantem & patientem, ita quod nostra bona opera pro illis animabus possint offer-E ri; hoc tamen debet expressè specificari in Bullâ; si enim Indulgentiæ concedantur tantùm pro fidelibus, non comprehenduntur sub hoc termino defuncti; sed debet exprimi in Bullâ pro fidelibus vivis & defunctis; & pro tunc quilibet potest pro defuncto lucrari Indulgentiam, cui tantùm proderit, quantùm prodesset illi qui opera injuncta exercet pro defuncto. Respondendum ergo est, hoc supposito, ad objectionem: Indulgentiæ applicari possunt defunctis; per modum suffragii, concedo: per modum judicii, seu absolutionis & authoritatis, nego. Applicare autem Indulgentiam per modum judicii, est immediatè remittere pœnam alicui,

tanquam Dei minister &, judex illius cui pœna remittitur; cùm autem Summus Pontifex non sit judex animarum Purgatorii, non potest concedere Indulgentias pro illis per modum judicii: applicare verò Indulgentias per modum suffragii, est offerre Deo pro animâ alicujus defuncti pretium æquale pœnis ipsi debitis, ut ipsemet Deus illas remittat & relaxet; sic qui applicat Jubilæum alicui defuncto per modum suffragii, offert ipsi Deo merita Christi & satisfactiones Sanctorum, quæ dispensantur à Summo Pontifice in illo Jubileo, ut tali animæ prosint.

Quando in Jubilæo conceduntur Indulgentiæ pro vivis & defunctis, debent opera injuncta in Bullâ bis præstari; semel pro vivo, & semel pro defuncto; potest tamen vivus concedere jus suum defuncto, & non pro se lucrari. Solus Summus Pontifex concedere potest Indulgentias pro defunctis; ad vivos enim limitatur potestas Episcoporum à Summo Pontifice. Porrò, hæc est differentia inter Indulgentiam pro se accipiendam, vel pro defuncto; quod si aliquis illam velit lucrari pro se, non valeat, nisi ille sit in gratiâ qui eam consequi desiderat; accepta autem pro defuncto, valida est, etiamsi eliciens opera non sit in gratiâ: ille enim non satisfacit, sed tantùm præstat opus externum, quo posito Summus Pontifex applicat defuncto Indulgentiam per modum suffragii, quatenùs offert Deo satisfactiones Christi & Sanctorum, quas dignetur acceptare in solutionem pœnarum solvendarum à defuncto; unde dicunt Doctores, Indulgentiam habere valorem *ex opere operato*, & non dependere à sanctitate illius qui illam lucratur pro defunctis; & sic Filiucius, Navarrus, Suares, Corduba, Henriques, & alii citati à Bonacinâ, qui est ejusdem mentis.

Quæstio Ultima.

Quid sit Iubilæus?

Antequam ipsius explicationem afferamus, notandum est, quòd ipsius figura duplex habeatur in veteri Testamento, quarum prima fuit in anno Sabbatico, & secunda in anno Jubilæo.

Annus Sabbaticus in lege Mosaïca erat septimus, quo in memoriam diei septimæ, Judæi non colebant terram, nec metebant; sicut enim Deus sex diebus operatus est & septimo requievit; sic jussit Hebræis Exodi 23. ut sex annis colerent terram & meterent, & septimo cessarent ab omni culturâ; quo anno gaudebant pauperes fructibus qui sponte nascebantur; anno verò sexto Deus dabat benedictionem terræ, ut fructus sufficientes ferret pro anno sexto & septimo. Tria fiebant in illo anno: primò remittebantur debita illis qui erant ex genere Judæorum, non verò gentilibus, aut peregrinis, nec proselitis, idest, illis qui facti erant Judæi. Secundò, servi in libertatem remittebantur, modò essent Hebræi. Tertiò denique legebatur populo Deuteronomium, quod est veluti appendix legis veteris. Porrò, hic annus Sabbaticus non cœpit numerari ab illo tempore, quo Judæi egressi sunt ex Ægypto, quia ex hoc non cœperunt terram colere; sed ex quo ingressi sunt terram promissionis, & divisio illis facta fuit à Josue; tunc enim cœperunt terram colere. Hic autem annus fuit figura nostri Jubilæi, in quo pœnæ debitæ peccatis remittuntur.

Annus Jubilæus, qui incepit sicut annus Sabbaticus, à primo scilicet anno possessionis & culturæ A terræ promissionis, erat quinquagesimus. In illo fiebant hæc tria, quorum duo prima erant communia anno Sabbatico: Primò, remittebantur debita: Secundò: servi fiebant liberi: Tertiò, avitæ possessiones redibant ad pri nos dominos, quod non fiebat in anno Sabbatico; unde quando quis vendebat agrum, eò cariùs vel viliùs vendebat, quo magis vel minùs distabat ab anno Jubilæi, & hic annus fuit secunda figura nostri Jubilæi.

Conclusio.

Per Jubilæum intelligitur Indulgentia plenaria; quæ in amplissimâ formâ conceditur, quâ da- B tur potestas Confessario approbato absolvendi ab omnibus censuris & casibus reservatis, sicut & commutandi vota quædam; & etiam aliquando dispensandi super irregularitates, juxta præscriptum Bullarum quæ semper legendæ sunt, quia tantùm valent, quantùm sonant. Licet annus Jubilæus, qui sanctus dicitur, figuram habuerit in veteri Testamento, ut diximus; non est tamen de jure Divino, sed tantùm Ecclesiastico; instituit enim illum Bonifacius VIII. anno D. 1300. & simul ordinavit, ut centesimo quolibet anno renovaretur. Clemens VI. ipsum anticipavit; instituit enim illum anno 1350. & jussit, ut renovaretur quolibet anno quinquagesimo. Tandem Sixtus IV. illum reduxit ad annum vi- C gesimum quintum: hoc tamen non impedit, quin in necessitatibus Ecclesiæ sæpiùs Jubilæi concedantur.

Annus Jubilæi incipit in vigiliâ Nativitatis Domini, & durat usque ad sequentem vigiliam Nativitatis Domini: quod intelligitur de urbe Româ; in regnis enim & provinciis incipit tantùm cùm Bullæ Pontificum ab Ordinariis receptæ & publicatæ sunt. Incipit, inquam, Romæ, immediatè ante vesperas, quâ horâ aperiuntur valuæ Sancti Petri, & desinit anno sequenti eodem die, finitis vesperis, & pro tunc ipsæ valvæ clauduntur. Quando in Bulla Jubilæi datur facultas absolvendi à casibus reservatis in Bullâ Cœnæ Domini, potest absolvi D de Hæresi, quicquid aliqui sentiant, fundati super enormitatem hujus casûs; sic enim responsum fuit in Pœnitentiariâ anno Domini 1617. occasione Jubilæi à Paulo V. concessi; quod tamen de hæresi occultâ intelligitur. Quoad actiones faciendas ut quis lucretur Jubilæum, præscribuntur à Bullâ. Quoad confessarium, potest tempore Jubilæi eligi quilibet approbatus ab Ordinario; unde regularis qui habet tantum approbationem sui superioris, potest quidem absolvere regularem, sed non sæcularem; quia non est approbatus ab Ordinario ipsius sæcularis.

Nomen Jubilæi desumptum est ab Hebræo vocaculo *Iabal*, quod dicunt significare remissionem; E quia sicut in Jubilæo veteris Testamenti remittebantur debita temporalia, ut diximus; sic etiam debita spiritualia remittuntur in Jubilæo novi. Non differt Jubilæus ab indulgentia plenaria, nisi accidentaliter, ut notavimus; quatenus scilicet in Jubilæo nulli sunt casus reservati, datur potestas eligendi quemlibet Confessarium ab Ordinario approbatum, conceditürque potestas commutandi vota, paucis exceptis, quæ non sunt regulariter in Indulgentia plenaria. Eo anno, quo Summus Pontifex retinet Romæ Jubilæum, cessant in toto orbe Christiano extra urbem Romanam Indulgentiæ plenariæ vivis concessæ, paucis exceptis, sicut & facultates, quæ dantur ex occasione talium Indulgentiarum. Dixi primò, Indulgentiæ plenariæ; quia non

non desunt qui censeant, remanere Indulgentias temporales; quia Gregorius XIII. & alii Pontifices ante ipsum expressè loquuntur de solis plenariis. Deinde, non revocantur Indulgentiæ Episcopales; quia de illis solis quæ conceduntur per Romanos Pontifices Bullæ mentionem faciunt. Dixi secundò, solas Indulgentias plenarias vivis concessas suspendi tempore Jubilæi; quia respectu mortuorum cessat finis suspensionis, quæ ideo fit, ut vivi adeant Romam: unde anno 1625. qui erat Jubilæus, declaratum fuit, altaria privilegiata in illo retinere suum vigorem. Dixi tertiò, extra urbem Romanam; quia constat, Indulgentias concessas Ecclesiis Romæ anno suspendi; quia respectu illarum cessat finis suspensionis. Dixi quartò, paucis exceptis; quia sub revocatione Indulgentiarum, quæ fit anno Jubilæi declaravit Sixtus V. non comprehendi Jubilæum Compostellanum, seu Indulgentiam plenariam ibi existentem. Idipsum fecit Urbanus VIII. respectu Indulgentiæ Portiunculæ prope Assisium non Jubilæi 1625. Tandem præsumitur communiter de benigna voluntate Papæ, quòd non cessent Indulgentiæ plenariæ concessæ pro articulo mortis: Imò, refert Basseus, Urbanum VIII. hoc declarasse anno 1625. Dixi quintò, facultates etiam Papales ex occasione Indulgentiarum concessas suspendi anno Jubilæi; non minùs tamen possit quis uti facultate absolvendi à casibus Episcopalibus, & à Papalibus, si facultas non sit orta ex virtute Indulgentiæ: ac etiam de casibus occultis eidem Papæ reservatis, quia de talibus possunt absolvere ipsimet Episcopi.

Aliqui dubitant, utrùm indulgentia Jubilæi possit obtineri pluries, v. g. in utraque hebdomada. Ad quod probabiliùs responderi debet negativè, quidquid in contrarium sentiant plures: Indulgentiæ enim intelligendæ sunt, ut sonant; in Bulla autem Jubilæi habetur formula disjunctiva, quâ solet concedi illius Indulgentia in prima, vel in secunda hebdomada: unde, qui in prima lucratus est Jubilæum, non potest in sequenti eundem lucrari; quod fertur respondisse Clementem VIII. de Jubilæo anni sancti. Hoc idem censetur de oratione quadraginta horarum, ubi si quis lucretur Indulgentiam in prima die, non potest denuò obtinere in secunda. Hoc non impedit tamen, quin aliquando impedimento detentus, qui non præstitit opera præscripta intra quindenam, possit consequi Jubilæum illâ transactâ; modò opera præscripta in proximum tempus prorogentur à Confessario. Qui voluntariè opera præscripta non implevit, adveniente tamen ultimâ die, optat lucrari Jubilæum; Aliqui putant, Confessarium posse tali homini commutare opera præscripta, & sic pœnitendo Jubilæum lucrari: quia, licèt præcesserit malitia, attamen pœnitendo reputari debet, quasi impotens, & tale impedimentum censetur necessarium. Hoc probabiliùs negant alii, quia Bulla loquitur tantùm de illis, qui fuerunt legitimè impediti; licèt concedant eum, qui ex mera ignorantia & bonâ fide omisisset opera injuncta, posse confiteri die Dominicâ & communicare, alia verò opera prorogari per Confessarium in sequentem hebdomadam. Si quis, post adimpletionem operum injunctorum, excepta communione, die Dominicâ faciendâ, sumpsisset ex inadvertentia aliquid cibi vel potûs, commutanda esset communio, vel differri deberet in sequentem diem. Quando in bulla Jubilæi præcipitur eleemosina facienda, non necessariò debet proportionari facultatibus largientis; sed erogari potest juxta arbitrium cujuscumque, ut loquitur Innocentius X. Constitutione 1. *Immensæ*. Si tamen Bulla exprimat, unumquemque debere eleemosinam largiri juxta suas facultates, qui est ditior ampliorem erogare debet.

Neminem latet, quin ille, qui durante Jubilæo commisit aliquod peccatum reservatum, possit ab illo absolvi tali durante tempore: sed si lucratus est Jubilæum in prima hebdomada, & denuò in casum reservatum incidat, non potest ampliùs ab illo absolvi; quia sic declaraverunt Clemens VIII. & congregatio Cardinalium ex Filiucio tractatu 8. cap. 10. num. 261. Habens peccata reservata quæ confessus est tempore Jubilæi cum sola intentione recipiendi absolutionem ab illis, non verò faciendi alia opera injuncta ad Jubilæum obtinendum, talis non validè absolvitur, nec ablata est reservatio à peccatis; nam ideo tantùm Pontifex hoc privilegium concedit, ut quilibet Christianorum curet lucrari Jubilæum, & facere opera ad hoc injuncta. Si tamen confessionem emittendo sinceram intentionem habuisset lucrandi Jubilæum, & cuncta faciendi ad hoc necessaria, validè absolveretur à peccatis, etiamsi posteà mutaret intentionem lucrandi Jubilæum. Si alius non intenderet per primos quatuordecim dies Jubilæum obtinere, & in quintodecimo inciperet habere intentionem illum lucrandi: alii dicunt, quòd posset illum lucrari, alia opera commutante Confessario; alii verò negant, quia ex malitia sua negligendo jejunare se constituit impotentem ad Jubilæum. Si alicui sese confitenti ultimâ die quindenæ differret absolutionem Confessarius, aut aliquam partem auditionis ejus, quia nimis occupatus est; post illam quindenam posset Sacerdos talem absolvere à casibus reservatis, & pœnitens lucrari Iubilæum. Fertur enim can. *licèt undique. de officiis delegati*, quòd delegati potestas non cesset, quando inchoavit aliquod negotium tempore suæ delegationis, sed perseveret, donec illud terminetur. Quòd si nullo modo incepta fuerit confessio, obtineri non potest indulgentia, nec absolutio à reservatis. Alii tutiùs credunt, quòd Confessarius debeat intra tempus Iubilæi absolvere à censuris, aut si nullæ sunt, tollere reservationem casuum. Si tamen quindenâ elapsâ in novum casum reservatum incidat pœnitens, probabilius est, quòd ab illo non possit absolvi. Qui per solam inadvertentiam oblitus est in confessione alicujus peccati reservati, ab illo potest absolvi postea; quia reservatio ablata fuit, quando intra tempus Iubilæi comparuit pœnitens cum debita dispositione coram judice legitimo. Porrò, controvertuntur Doctores circa hominem, qui omnia præscripta fecit ad lucrandum Iubileum, exceptâ confessione, quam non emisit, post sufficiens examen existimans se non habere peccatum mortale. Alii, inquam, dicunt, quòd si tempore Iubilæi elapso recordetur se habere casum reservatum, possit absolvi à quocumque Sacerdote; quia, cùm lucratus fuerit Indulgentiam, gaudere potest privilegio eorum, qui ipsam lucrati sunt, quibus reservatio peccatorum bonâ fide oblitorum ablata est. Alii verò hoc negant, quia talis nec confessus est, nec se obtulit coram legitimo judice, à quo tolleretur reservatio. Prima opinio mihi probabilior videtur.

Antequam finem faciamus huic capiti de Indulgentiis, mihi videtur non sat nos dixisse de causa requisita ad illarum concessionem. Diximus quidem justam & legitimam causam ad hoc requiri, quam diximus esse honorem Dei, Ecclesiæ utilitatem, ac bonum commune, vel privatum illius; sed non explicuimus, an illa utilitas, vel bonum Ecclesiæ

debeat esse proportionatum operibus pœnitentiæ, quæ debuissent elici, cessante Indulgentia. Non adhærerem de facili opinioni, quam tradit Bonacina disput. 6. de Indulgentiis quæst. 1. puncto 4. num. 5. ubi asserit, quemlibet actum pium, etiam levissimum, posse censeri causam justam ad concedendas Indulgentias plenarias; sed probabilior mihi videtur sententia quam tenent D. Bonaventura, Richardus, Major, Sotus, Navarrus, & alii plures quos citat Bellarminus, quâ tenent, ad justam causam concessionis Indulgentiarum non sufficere, quod sit pia & Deo grata; sed requiri quòd habeat aliquam proportionem cum ipsa Indulgentia; ita quòd talia opera, quæ sunt causa Indulgentiarum, sint Deo æqualiter honorifica & utilia Ecclesiæ, ac pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur. De hac tamen proportione & justa Indulgentiarum causa non est subditorum judicare, sed tale judicium penes concedentem remanet. Quòd si latitudo Indulgentiæ aliquando superet utilitatem operis injuncti, Indulgentia non est simpliciter invalida, sed tantùm pro ea parte, quâ caret justâ & rationabili causâ. Nec semper ita attendendum est ad parvitatem operum injunctorum, quantùm attendi debet ad finem, quem sibi proponit Pontifex, qui cùm sit magni momenti, ut extirpatio hæresum, augmentatio Ecclesiæ, & principum Christianorum pax, causa Indulgentiæ censenda est justa & proportionata pœnitentialibus satisfactionibus; cùm talia Deum maximè honorificent & Ecclesiæ sint multùm utilia.

CAPUT DECIMUM.

De Extremâ-Unctione.

POENITENTIAM, quæ in remedium peccati mortalis instituta est, proximè sequitur Extremâ-Unctio tùm in remedium peccati venialis, tùm ad tollendas reliquias peccati, ut dicemus loquendo de ejus effectibus; omnia autem quæ dicturi sumus de Extremâ-Unctione, proponentur & solventur in eâdem quæstione.

QUÆSTIO UNICA.

Quid sit Extrema-Unctio? An sit Sacramentum? A quo instituta? Quæ sit Materia, Forma, Minister, Subjectum & Fructus ejus?

NON sumus locuturi de illa Unctione, qua baptisatus chrismate ungitur in vertice, nec de ea qua Catechumeni oleo benedicto ungebantur in pectore & scapulis, nec de illa qua unguntur Confirmati in fronte, nec de illa qua Episcopi unguntur in capite & manibus, & Sacerdotes in manibus tantùm; non agimus etiam de unctione qua unguntur reges, sicut nec de ea qua templum, altare & calix unguntur; sed de illa qua unguntur infirmi periclitantes de vita, quæ vocatur extrema. Ex his patet septem esse unctiones in Ecclesia.

CONCLUSIO PRIMA.

EXTREMA-UNCTIO *est Sacramentum novæ legis consistens in Unctione corporis ægroti periclitantis, facta ex oleo consecrato in partibus corporis, ubi præcipuè vigent sensus, sub præscripta verborum forma, ad salutem mentis & corporis ægroti ordinatum.* Hæc A omnia & ex se patent, & patebunt ex sequentibus. Quòd sit verè & propriè Sacramentum patet; quia tres conditiones habet ad Sacramentum requisitas; quæ sunt signum externum, promissio gratiæ & institutio Christi. Primò enim, Extrema-Unctio est signum externum, quoniam unctio quæ fit super infirmum externa est. Secundò, habet promissionem gratiæ, ut patet ex Iacobi 5. *Infirmatur quis vestrûm? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes oleo sancto, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis sit, remittentur ei.* In his ultimis verbis, ubi per Extremam-Unctionem promittitur remissio B peccati, promittitur etiam collatio gratiæ, quia peccatum non remittitur nisi per gratiam. Tertiò denique, hoc Sacramentum est institutum à Christo, ut mox dicetur.

Nedum Vualdenses, Albigenses, Vvicleffistæ, Lutherani, Calvinistæ, & recentiores hæretici Extremam-Unctionem è numero Sacramentorum delere pretendunt; sed talem continuò papisticam irrident cæremoniam. Contra Concilium Florentinum in instructione Armenorum, & Tridentinum sess. 14. cap. 1. Quòd præ cæteris Patribus videtur Augustinus confirmare serm. 251. de Tempore, ubi ait, *Quoties aliqua infirmitas supervenerit, corpus & sanguinem Christi ægrotus accipiat, & inde corpusculum suum ungat; ut illud quod scriptum est impleatur in eo: infirmatur aliquis, inducat Presbyteros, &c.* Ubi Augustinus eodem modo loquitur C de hac unctione suo tempore usitatâ, ac Jacobus; qui cùm de ea loquatur, tanquam de Sacramento, cui soli competit remittere peccata, quod Extrema-Unctio facit, Iacobi 5. *Si in peccatis sit remittentur ei*, proinde Augustinus respicit hanc cæremoniam ut Sacramentum. Congruentia institutionis hujusce Sacramenti desumitur juxta Concil. Trident. sess. 14. ex divina providentia & bonitate Christi, qui cum fidelibus voluerit quovis tempore præparare salutaria remedia adversus insidias hostium nostrorum; nedum voluit de Sacramento Baptismi providere in ingressu vitæ, & de aliis in progressu; sed etiam voluit pro egressu instituere sacramentum Extremæ-Unctionis, tanquam firmum præsidium adversus diaboli tela nequissima: Cùm maximè nullum tem- D pus sit, quo diabolus magis versutiæ suæ nervos intendat, ad perdendos homines

CONCLUSIO SECUNDA.

EXTREMA-UNCTIO non est instituta ab Apostolis, sed à Christo; Apostoli enim non potuerunt promittere infallibiliter remissionem peccati, nec infusionem gratiæ; quia hæc non sunt in eorum potestate: ergo, cùm Jacobus præcitatus promiserit remissionem peccati per Extremam-unctionem, signum est, quòd eam Christus instituerit, cui pertinet, ratione potestatis excellentiæ quam habet, gratiam conferre & signa externa instituere, E quibus gratia conferatur. Quando autem fuerit institutum hoc Sacramentum, Evangelistæ solliciti tantùm memorare quæ ad salutem sunt necessaria, hujus Sacramenti non meminerunt; probabile tamen est, inquiunt Doctores, fuisse institutum in nocte cœnæ, quoad designationem Materiæ, Formæ & Ritûs in eo servandi; quoad potestatem verò illud ministrandi, datam fuisse post resurrectionem, Ioannis 20. quando potestatem absolvendi Apostoli receperunt; ad quam absolutionem pertinet hoc Sacramentum, cùm sit ad deletionem peccati venialis institutum.

Quòd sacramentum hoc fuerit à Christo insti- A
tutum, confirmatur ex Concilio Trident. sess. 7. can. 1. ubi definitum est, Christum instituisse omnia sacramenta, & proinde istud, quidquid malè sentiat Magister sententiarum in 4. dist. 23. ubi asserit cum aliquibus aliis, hoc sacramentum fuisse institutum ab Apostolis.

Conclusio Tertia.

Materia remota hujus sacramenti, est oleum olivarum benedictum ab Episcopo; proxima verò est unctio. Quod debeat assumi oleum pro materiâ, patet ex Jacobo, *ungentes oleo*; quòd debeat esse olivarum; constat, quia oleum simpliciter dictum est oleum olivarum: quod debeat esse B
benedictum ab Episcopo, habetur ex Conc. Florent. & Trident. sess. 10. cujus ratio est, quia materia hujus sacramenti non fuit sanctificata usu Christi. Quod unctio sit materia proxima; liquet, quia per eam applicatur oleum: illa autem unctio fit in modum crucis, ex consuetudine tantùm, non ex necessitate, ut fit in Confirmatione, ubi ungitur homo, tanquam Christi miles, qui ducis, nempe Crucis, signum portare debet; hîc autem ungitur per modum medicinæ, ut salutem recipiat. Illæ unctiones septem communiter enumerantur, scilicet oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum & lumborum; duæ tamen ultimæ non sunt de necessitate sacramenti; immò unctio lumborum omittitur in fœminis; aliæ verò sunt ita necessariæ, ut C
si unus sensus non ungatur, sacramentum sit invalidum, ex D. Thomâ; quia sacramentum hoc ordinatum est ad tollendas sordes & reliquias peccati, cujus radix est in quinque sensibus. Quòd si quis careat aliquo membro, pars propinquior ungenda est.

Licet dixerimus, oleum usuale non sufficere ad confectionem hujus sacramenti; sed requiri, ut sit specialiter ad hunc effectum ab Episcopo benedictum, quidquid reclament Victoria, Seratius, Ledesma, & Paludanus, qui tamen ad hoc requirit dispensationem Summi Pontificis; nihilominus benedictio Episcopalis non taliter est de essentia hujus sacramenti, quin potestas benedicendi oleum pos- D
sit concedi simplici sacerdoti, dispensante Summo Pontifice. Nec est eadem ratio olei Extremæ unctionis, ac chrismatis; quia Confirmatio est sacramentum, cujus administratio pertinet ad solos Episcopos, unde ipsi soli Episcopi possunt consecrare & benedicere materiam ejus; extrema autem unctio ministratur à simplici sacerdote: ergo nil mirum est, si oleum hujus sacramenti possit benedici ab illo ex dispensatione Papæ. Solet Ecclesia renovare oleum infirmorum quotannis, uti chrisma; de chrismate tamen habetur præceptum in jure canonico, non sic autem de sacro oleo: imò Salmanticenses Theologi olim docuerunt, non esse mortale, E
etiam extra casum necessitatis veteri oleo ungere. In necessitate potest oleum non benedictum misceri cum benedicto. Aliqui putant, chrisma Confirmationis posse admitti ad unctionem infirmorum, quia paululum chrismatis in eo admiscetur, & oleum est benedictum benedictione Episcopali, esto non sit eadem benedictio; quia Concilium Florentinum vult tantùm oleum esse benedictum ab Episcopo, nec hanc aut istam benedictionem præscripsit Christus.

Conclusio Quarta.

Forma hujus sacramenti consistit in his verbis: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per Visum, Auditum, Gustum, Tactum & Olfactum*: vel *per Incessum & per Ardorem libidinis*, quando unguntur pedes & lumbi. Invocatio Trinitatis est tantùm ex usu Ecclesiæ, non ex necessitate sacramenti; hoc enim sacramentum non est professio fidei, sicut Baptismus. Quando ponitur in forma, *Per suam misericordiam*, illa verba non sunt de necessitate sacramenti; non possunt tamen omitti sine peccato. Dùm periculum mortis imminet, Sacerdos ungendo omnes sensus potest tantùm proferre unam formam, dicendo: *Parcat tibi Deus quidquid deliquisti per Visum, Auditum, Gustum, &c.* Porrò, hæc forma est deprecatoria, non indicativa; ut sunt istæ, *Ego te absolvo, ego te baptiso*; unde Sacerdos debet dicere, *Indulgeat tibi Deus*; non verò, indulgeo; non quod hoc sacramentum habeat suam efficaciam ex vi orationis Presbyteri, ut est opus operans; habet enim ex vi promissionis Christi, quæ est infallibilis; sed quia hoc instituit Christus sub verbis deprecatoriis, ut patet ex Jacobi 5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.*

Non est eadem forma Græcorum ac Latinorum; illi enim ungendo dicunt: *Pater sancte, animarum & corporum medice, qui Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum omnem morbum curantem, & ex morte nos liberantem misisti; sana quoque servum tuum N. à detinente illum corporis infirmitate, & vivifica illum per Christi tui gratiam.* Quòd si dicatur, in tali forma non exprimi unctionem; aliqui respondent, vel talem expressionem non esse absolutè necessariam, vel per antecedentia verba suppleri, quibus dicitur: *Unctione tui olei, & sacerdotum tactu famulos tuos sanctifica, à morbis libera, sordesque animi purga.* Quòd si quæratur, an ita necessaria sit forma deprecativa, ut non possit adhiberi etiam indicativa: Respondendum est negativè, cùm Christus, qui instituit hanc formam deprecativo modo, in nullo aliorum sacramentorum instituerit formas diversas quoad sensum. Si ergo Leo X. dicatur approbasse hanc formam indicativam Ecclesiæ Mediolanensis & Venetæ, in qua habetur: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritûs sancti, ut more militis uncti preparatus ad certamen, aëreas possis superare potestates*: Respondetur communiter, talem formam æquivalere formæ deprecatoriæ, sicut patet ex istis verbis, ut more militis uncti possis, &c. quæ denotant aliquam deprecationem.

Conclusio Quinta.

Minister hujus sacramenti est Sacerdos. Sic Concilium Trident. unde Jacobi 5. habetur: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*; nomine autem Presbyteri intelligitur Sacerdos; si administraret ergo Diaconus vel Subdiaconus, sacramentum esset invalidum, etiam de licentiâ Papæ, hoc enim est de jure divino. Si laïci dicuntur unxisse; hoc fuit unctione factâ ex devotione, non sacramentali. Omnis autem Sacerdos ungere potest, sivè sit excommunicatus, sivè degradatus, aut nullam habens jurisdictionem; hoc enim sacramentum non datur per modum judicii, ut pœnitentiâ; peccarent tamen isti, si administrarent extra necessitatem. De-

bet tantùm esse unus minister; & sic, si dicat Jacobus, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*; idest, unum ex Presbyteris; potest tamen in necessitate unus facere unam unctionem & alius aliam; modò ille qui ungit, proferat formam tali unctioni respondentem.

Quòd si Innocentius I. Epist. ad Decentium cap. 8. de oleo hujus sacramenti dicat, quòd modò ab Episcopo confectum sit, omnibus Christianis liceat illo uti in sua aut suorum necessitate: Ad hoc respondet Vualdensis, intelligi debere de tempore & loco, ubi desunt sacerdotes; sed non recipienda est hæc responsio, quia excepto Baptismo & Matrimonio cætera sacramenta essentialiter exigunt ministrum sacerdotem. Nec etiam audiendus est Dominicus Soto, qui hoc explicat de usu olei sancti ad curandos morbos extra sacramentum: nusquam enim dedit Ecclesia oleum sanctum laïcis, ut eo uterentur; unde, si legatur de sanctis quibusdam Eremitis, quòd multa miracula patraverint, utendo oleo sancto; hoc non debet intelligi de oleo solemniter benedicto ab Episcopis, quod vocatur oleum infirmorum; sed de aliquo oleo, quod ipsi signo Crucis benedicebant. Unde respondendum est, Innocentium Pontificem loqui de usu passivo, & velle præcedentibus verbis, quòd omnes possint hoc oleo inungi, sed per sacerdotes. Religiosi, qui præsumerent hoc sacramentum ministrare clericis aut laïcis sine legitima licentia, incurrerent excommunicationem reservatam Papæ ex Clementinâ 1. de privilegiis ff. 1. Non sic, si Sacerdos sæcularis aliquem ungeret non subditum; quia loquitur Bulla de solis religiosis, & de infirmis subditis Parocho; unde religiosus alteri religioso ministrans non subest tali censuræ, quia talis constitutio data est in favorem Parochorum. Quòd si non valeat nec velit Parochus ministrare sibi subdito hoc sacramentum, nec alteri de hoc dare licentiam, quilibet Sacerdos, etiam religiosus, potest illud ministrare sine peccato aut censura; quia tunc censentur habere licentiam ab Ecclesia, quæ non vult malitiæ Pastorum patrocinari, nec filios suos sine tali remedio destitui in necessitate. Ob hoc Sixtus IV. Fratribus Minoribus concessit, ut Eucharistiam & Extremam-unctionem concederent illis, quorum confessiones audierint, si hoc facere renuant Pastores. Regulares posse suis domesticis intra septa monasterii commorantibus dare Extremam unctionem, probant plura privilegia Pontificum. Imò, per concessionem Pii IV. confirmatam à Pio V. factam Theatinis conceditur facultas ministrandi Extremam-unctionem quibuscunque hospitibus, etiam sæcularibus & extraneis, quos in suis habitationibus contigerit infirmari.

Conclusio Sexta.

Ut quis possit recipere hoc sacramentum, debet esse baptisatus; Baptismus enim est janua sacramentorum. Debet secundò habere vel habuisse usum rationis; qui enim non habuerunt, non deliquerunt; illis autem qui antequam reciderent in phrenesim hoc sacramentum desideraverunt, potest dari, etiamsi tempore phrenesis contradicant; modò non speretur convalescentia, aut non fuerint in peccato notorio ante phrenesim. Debet tertiò esse graviter infirmus; ista enim unctio vocatur extrema: non debet ergo dari non infirmis, licèt sint in periculo mortis, ut sunt conscendentes mare, pugnam aggredientes, damnati ad mortem, mulieres in partu; tales enim non sunt ægroti, & est institutum pro ægrotis; dicit enim Jacobus, *Infirmatur quis vestrûm*; quia tamen senectus est morbi species, potest dari confectis senio. Debet quartò non esse conscius peccati mortalis; quia sacramentum hoc, est sacramentum vivorum, quod datur illis tantùm qui sunt in gratiâ. Quintò non debet esse excommunicatus.

Quia diximus in tertia conditione, quòd ungendus oleo sancto debeat esse graviter infirmus; ideò censetur communiter, sacramentum hoc esse invalidum, si conferatur sano, aut infirmo nondum existenti in periculo mortis: nam hoc sacramentum institutum est pro ægrotis de vita periclitantibus, ut patet ex Jacobi 5. *Infirmatur quis vestrûm, inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Non debet tamen expectari extremum periculum, sed sufficit, quòd judicio medicorum & peritorum censeatur infirmus periclitari de vita. Imò, juxta monitionem Catechismi Romani debet præveniri extremus articulus, ut infirmus vigente adhuc ratione integrâ suam fidem, devotionem, ac piam voluntatem jungat precibus sacerdotis, & proinde uberiorem gratiam recipiat. Aliqui ferunt, Græcos solitos esse sanis aliquando conferre unctionem; unde in Euchologio Græcorum habetur titulus, De officio olei paragendo in Ecclesia vel in domo, quod debebat fieri pro sanis in Ecclesia, & pro infirmis in domo: sed hoc negat Jacobus *Goard* in Notis ad officium olei numero 3. ubi titulum præcitatum explicans ait, quòd graviter & desesperatè infirmantes ungi deberent domi, & alii deferri ad Ecclesiam ope & manibus aliorum. Si infirmus, dum ungitur è vivis decedat, desistere ab unctionibus debet Sacerdos; quia sacramenta sunt pro viatoribus. Si dubitetur de morte, sub conditione perficiendum est sacramentum. Si ægrotus non curet de receptione Extremæ-unctionis, non peccat quidem mortaliter, per se loquendo; de illius enim receptione nullum extat præceptum: ratione tamen scandali vel ex contemptu posset peccare mortaliter. Licèt aliquis nunquam peccaverit actualiter, potest tamen unctionem recipere; quia est capax recipiendæ sanitatis: unde Jacobi V. dicitur, si in peccatis sit, dimittentur ei. Idem dicunt de illo, qui immediatè post susceptum Baptismum in morbum lethalem incidit. Si ægrotus moriatur, dum Sacerdos curat illum revolvi ad unctionem faciendam, non fit irregularis; quia nullum est delictum, nec illa irregularitas fertur in jure.

Conclusio Ultima.

Extrema-unctio habet pro effectibus: Primò, augmentum gratiæ habitualis; hoc enim commune est omnibus sacramentis. Secundò, remissionem venialium, ex Jacobi 5. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*: non remittuntur autem peccata mortalia; hoc enim spectat ad pœnitentiam: ergo remittuntur venialia. Sic Concilium Trident. sess. 14. cap. 2. Non remittit autem peccata venialia immediatè, sed mediatè; in quantùm per Extremam-unctionem dantur gratiæ actuales, per quas elicitur actus contritionis, vel dilectionis Dei, quibus actibus delentur per se peccata venialia. Tertiò, tollit reliquias peccati, idest peccata mortalia, vel venialia, quæ post alia sacramenta relinquuntur; vel quia fiunt post illa & non advertuntur; vel quia non sunt absoluta per alia sacramenta indebitè suscepta. Quartò denique conducit aliquando ad salutem corporis, cùm expedit animæ, aut providentiæ D. justum videtur; habetur enim Jacobi 5.

Oratio fidei salvabit infirmum. Quoad tempus quo hi effectus conferuntur, alii tenent conferri in primâ unctione, alii partialiter in quâlibet; sed melius alii, quando perficitur quinta unctio cum suâ formâ; quia est ultima essentialis, quæ impendit hos effectus virtute omnium præcedentium; proprium enim est sacramentorum consistentium in usu, ut producant gratiam eo instanti, quo perficiuntur. Quod si Eucharistia producat effectum in sumptione corporis, licet Sacerdos non sumeret sanguinem, hoc est, quia verum est sacramentum, etiamsi non sumatur sanguis; non sic autem de unicâ unctione; aliæ enim sunt essentiales. Non tamen dantur omnes gratiæ actuales in unctione ultima; aliquæ enim reservantur prout videtur Deo expedire, v. g. pro articulo mortis, ubi dantur ad confortandam animam ægroti contra difficultates in illo tempore occurrentes.

Si quis quærat quid intelligatur per reliquias peccati, quas tollit Extrema-unctio. Respondendum est, per illas non intelligi peccata venialia, quidquid dicant aliqui, sed improbabiliter; nam illa possunt sine sacramento deleri. Non intelligitur etiam pronitas, sive inclinatio, ad peccatum, quæ producta erat ex pluribus actibus peccaminosis; sæpe enim accidit, ut qui sanitatem recuperant eamdem pronitatem experiantur ad peccandum, ac antea: Sed per reliquias peccati intelliguntur peccata, sive mortalia, sive venialia, quæ interdum remanent post alia sacramenta. Cùm enim possit aliquis peccatum aliquod apud se retinere, quod tamen ignorat; si illud non possit per novam confessionem aut communionem delere, ipsius remissionem obtinere valet per sacramentum Extremæ-unctionis: unde dicitur, quòd, *Si in peccatis fuerit ægrotus, remittentur ei.* Nec quis dicat, hoc facere cætera sacramenta, modò non ponatur obex: hoc enim tantummodò possunt per accidens, & istud per se; quia ad hoc periculiariter est institutum in fine vitæ. Deinde, ob hoc Extrema-unctio dicitur tollere reliquias peccati, quia tollit quemdam torporem & mœrorem, qui ex peccato relinqui solet, & qui hominem morti vicinum vexare potest; unde dicit Jacobus, *Alleviabit eum Dominus.* Si etiam aliquis velit scire, an sacramentum hoc possit iterari: affirmativè respondebitur ex ipsomet Concilio Tridentino, cujus rationes sunt, quia non imprimit caracterem; quia confertur ad modum medicinæ, quæ iterari potest; & quia Ecclesia hoc semper habuit in usu. Licèt ergo sacramentum Extremæ-unctionis non possit in eodem statu infirmitatis iterari, si tamen status infirmitatis mutetur, repeti potest: unde, si existens in periculo mortis recepit Extremam-unctionem, & postea evasit mortis periculum per aliquod spatium temporis, potest iterum ungi, si periculum redeat.

CAPUT UNDECIMUM.

De Ordine.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Ordo, & quando fuerit institutus?

NON sumitur hîc Ordo pro respectu inter res aliquas; quarum una est prior aliâ, vel naturâ, ut causa effectu; vel tempore, ut arbor fructu; vel loco, ut cælum igne; vel dignitate, ut ordo judicis ordine civium. Non sumitur etiam hic Ordo pro variâ religione, quarum una vocatur Ordo sancti Benedicti, alia sancti Dominici, vel sancti Francisci; sed in nostro proposito sumitur pro signo seu ceremoniâ externâ, quâ confertur homini dignitas & officium in Ecclesiâ Christi.

CONCLUSIO PRIMA.

ORDO est sacramentum, quo traditur spiritualis potestas conficiendi Eucharistiam, vel ministrandi in ordine ad illam, adhibitis quibusdam rebus tanquam materiâ, & verbis tanquam formâ. Dicitur primò, *sacramentum*; & est reverà, ut videbimus in sequentibus. Dicitur secundò, *quo traditur potestas spiritualis*; verba enim formæ sunt hæc, vel similia, *Accipe potestatem.* Tertiò dicitur, *circa Eucharistiam*, vel *in ordine ad illam*: Sacerdotium enim ordinatur immediatè ad Eucharistiam, & alii inferiores Ordines ministrant circa illam; alii remotè, ut Minores Ordines; alii proximè, ut Ordines Sacri: Episcopatus etiam ordinatur ad Eucharistiam; Episcoporum enim officium est, ut consecrent sacerdotes qui conficiunt Eucharistiam. Tandem adjungitur, *adhibitis quibusdam rebus, tanquam materiâ*; quia res porrectæ sunt materia sacramenti hujus; *& verbis, tanquam formâ*; verba enim Episcopi faciunt formam cujuslibet Ordinis. Quare autem res sint materia, & verba sint forma, in promptu respondetur; quia sicut materia præsupponitur ad formam, sic etiam res præsupponuntur ad verba, tanquam significatum ad significans; verba enim significant actionem quam facit Episcopus, & rem quam porrigit.

CONCLUSIO SECUNDA.

ORDINATIO fuit instituta in ultima cœna, quando Christus dixit Apostolis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Sic Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. & can. 2. Sic etiam D. Thomas & alii explicantes hoc modo hæc verba Christi, *Hoc facite*; idest, quemadmodum ego consecro Eucharistiam & illam offero, & vos consecro sacerdotes & Episcopos, ita vos accipite potestatem consecrandi Eucharistiam, & illam offerendi in sacrificium, sacerdotesque instituendi & Episcopos. Ratio probabilitatis est, quia constat Christum instituisse sacramenta, hoc enim Ecclesia non potest; non apparet autem commodior locus institutionis Ordinis, quàm in ultimâ cœnâ, cùm ipsam Eucharistiam instituit & dedit potestatem illam consecrandi. Contulit autem Christus per excellentiæ potestatem omnes Ordines simul Apostolis; nam sub principali, quod est sacerdotium, omnes comprehenduntur; quia participant aliquam potestatem circa corpus Christi, & conferendo tales Ordines, dedit etiam potestatem Apostolis illos conferendi.

QUÆSTIO II.

Quot sint Ordines, & qui sint Majores vel Minores?

IN Veteri Testamento, ubi Synagoga erat nostræ Ecclesiæ typus, tres erant Ministri templo inservientes, scilicet Levitæ, Sacerdotes & Pontifex: Levitæ erant ex tribu Levi, sicut Sacerdotes & Pontifex; licet tamen ex hac tribu omnes dicerentur Levitæ, non tamen omnes erant Levitæ

propriè, seu inservientes altari, nisi certo ritu consecrati fuissent. Levitæ Sacerdotibus ministrabant in sacrificiis, Sacerdotes verò offerebant victimas super altare holocausti, subministrabant ligna, ut nutriretur ignis perpetuus, vespere & manè adolebant incensum super altare Thimiamatis, (erant enim duo altaria, unum æreum, quod erat altare holocausti, in quo victimæ offerebantur; aliud aureum, nempe altare Thimiamatis, in quo incendebantur aromata,) concinnabant lucernas quæ erant juxta altare, affuso oleo olivarum, singulis Sabbatis panes duodecim calidos ponebant super mensam Propositionis, amovebantque veteres, quos manducabant posteà, nec dabant profanis, immolabant vaccam rufam extra castra, adjuvabant mulieres in casu zelotipiæ, discernebant inter lepram & lepram, mundabant leprosos & menstruatas & seminifluos, legemque Dei scire & interpretari tenebantur. Quoad Pontificem, præter hæc omnia officia quæ agere poterat, quatuor insuper faciebat; primò, consecrabat Levitas & Sacerdotes; secundò, in controversiis legalibus agebat supremum judicem & ultimam pronuntiabat sententiam, cui omnes sub pœnâ mortis parere tenebantur; tertiò, in rebus magni momenti Deum consulebat, & ab eo accipiebat responsum; quartò denique, in solemni die Expiationis seu Propitiationis introibat Sanctuarium, & publicam expiationem instituebat totius populi à peccatis (legalibus scilicet.) Ut autem hæc omnia pateant, multa consideranda sunt, quæ & ratissima & cognitu necessaria videntur, vt sacra Scriptura, præsertim veteris Testamenti, innotescat; unde

Notandum est primò, quòd in lege Mosaïca Deus ex omnibus tribubus ad sui cultum tribum Leviticam sibi destinaverat, & ex hac tribu assumebantur Levitæ propriè dicti, Sacerdotes & Pontifex; summum tamen sacerdotium secundùm legem ordinariam erat in sola familia Aaron, qui fuit primus summus Sacerdos, jure successionis; licet enim ante Aaron Moïses fuerit Pontifex, hoc habuit via extraordinaria, divina scilicet ordinatione; unde filii ejus non successerunt in pontificatu, benè autem filii Aaronis. Aaron, inquam, fuit primus Pontifex, cui succedebant posteri; imminente enim morte Moïsis, jussit illi Dominus, ut assumeret Aaron in Pontificem & quatuor ejus filios, Nadab, Abiud, Eleazar & Ithamar, quos reverà unxit Moïses. Posteà, duo primi occisi sunt à Deo igne cœlesti, eo quod ignem alienum obtulissent; & cùm non haberent liberos, Eleazar successit patri, Eleazaro filius, & sic deinceps. Quia Levitæ non habuerunt partem in terrâ Promissionis, habuerunt quadraginta & octo urbes cum agris suburbanis ad jumentorum pastum. Illarum urbium sex erant refugii pro solo homicidio involuntario: tres ex una parte Jordanis & tres ex alterâ. Æqualis erant distantiæ, & omnes in montibus, ut faciliùs videri possent. Præter has quadraginta & octo urbes, Deus voluit, ut Levitæ alerentur aliarum tribuum decimis (sub nomine autem Levitarum comprehendebantur etiam Sacerdotes & Pontifex.) Deinde Sacerdotes & Pontifex, non verò alii Levitæ, habebant primitias quæ ter in anno solvebantur; in Paschate scilicet de novis spicis, in Pentecoste de novis panibus, & in festo Tabernaculorum, quæ erat decima quinta mensis Septembris de novis fructibus. Insuper habebant primogenita, tùm hominum tùm animalium, quæ si essent immunda, redimebantur quinque siclis; si essent munda, offerebantur. Tandem habebant oblationes; quilibet enim sponte

A te aliquid offerebat in templo.

Notandum est secundò, ut pateant ea quæ diximus de officio Sacerdotum, quòd in Scripturâ fiat mentio Tabernaculi & Templi; quæ licèt ad idem officium fuerint destinata; distinguebantur tamen in hoc, quod Tabernaculum factum à Moïse jussu Dei, erat portatile & per partes dissolvebatur, quando movebantur castra; Templum verò Salomonis erat fixum, quia usque ad Salomonem fuerunt Hebræi in perpetuo bello; quadraginta enim annis erraverunt in deserto, & posteà cum vicinis in Palæstinâ semper pugnaverunt; unde, nè profanaretur templum à gentibus, si victi fuissent, acceperunt tantùm Tabernaculum, quod erat portatile; quando verò in pace fuerunt omnia tempo-
B re Salomonis, habuerunt templum fixum. Tabernaculum fuit longum triginta cubitis, altum verò & latum decem, ex quâcunque parte constructum ex tabulis lignorum Sethim inauratis; ex parte tamen orientali, nullæ erant tabulæ, quia hàc ingrediebantur Sacerdotes, sed illarum loco erant quinque columnæ inauratæ, quæ velo tegebantur, quo elevato, ingrediebantur Sacerdotes. Tabernaculi coopertura erat tam superiùs, quàm ad latera, ex cortinis factis ex cocco, purpurâ, hyacinto & bysso, & insuper erant coopertura aliæ contra pluviam. Extra Tabernaculum erat atrium, sicut cæmeterium, clausum sexaginta columnis aureis, & erat quasi Templum laïcorum. In hoc atrio, prope Tabernaculum, erat altare holocausti; & inter altare
C holocausti & tabernaculum, erat labrum æneum seu mare æneum, idest, quoddam vas denominatum mare ob magnitudinem, in quo Pontifex & Sacerdotes lavabant pedes & manus, quando ingrediebantur tabernaculum. Tabernaculum dividebatur in duas partes; una dicebatur Sanctum, in quâ erant candelabrum, mensa panum Propositionis & altare Thimiamatis; alia dicebatur Sanctum Sanctorum, ubi erat Arca fœderis cum Propitiatorio: in Sanctum ingrediebantur quotidie Sacerdotes, tùm ut adolerent Thimiamata, tùm ut vespere accenderent lucernas & manè extinguerent; sed in Sanctum Sanctorum solus Pontifex ingrediebatur semel in
D anno, nempe in festo Expiationis, de quâ inferiùs.

Templum, quod erat multò majus, dividebatur in duas partes, sicut Tabernaculum; scilicet in Sanctum & Sanctum Sanctorum: inter utrumque erat velum lapideum quod scissum est in morte Christi. Templum habebat duo atria, unum pro Sacerdotibus non sacrificantibus, aliud pro laïcis. In Sancto Sanctorum erat arca in quâ inclusæ fuerunt duæ tabulæ legis, quas à Deo recepit Moïses; posteà circa tempus captivitatis Babylonicæ Jeremias apposuit in eâ urnam auream in quâ erat manna, & virga Aaronis. Illa arca vocabatur Arca Testamenti, quia legem includebat, quæ erat veluti Testamentum Dei, quod volebat impleri; ali-
E quando vocabatur Arca fœderis, quia lex erat signum fœderis inter Deum & Israëlitas. Illa arca præcedebat castra Judæorum, quando movebantur; illam ordinariè ferebant Levitæ, extraordinariè Sacerdotes, ut in transitu Jordanis, & nunquam Laïci; unde Oza manu volens erigere illam, quia cadere videbatur, punitus est. Arca fuit primò in Tabernaculo, secundò in Templo, posteà imminente captivitate Babylonicâ, Jeremias eam prævidens ex instinctu Dei antequam vastaretur templum, portavit arcam & altare Thimiamatis ope Angelorum in montem Nebo, quam ibi occultavit in quâdam speluncâ, ubi occulta erit, inquit Epi-

phanius, usque in diem judicii, quo manifestabitur ad confusionem Judæorum. Super arcam erat Propitiatorium, quod erat veluti ejus coopertura, ex auro factum; & super illud erant duo Cherubim ex puro auro, qui expansis alis tegebant ipsum, & super illos sedebat Deus & loquens cum Moïse propitiabatur populo, ut habetur Exodi 25. & Num. 7. In illâ parte Templi, quæ vocabatur Sanctum, erant tria instrumenta; nempè Candelabrum, Mensa Propositionis, & altare Thimiamatis. Candelabrũ, quòd præfuit in Tabernaculo, erat ex auro mundissimo; ex ejus hastili septem rami procedebant, & tam in hastili, quàm in ramis æqualiter assurgentibus, erant lucernæ quæ illuminabant Mensam Propositionis & altare Thimiamatis, sed tantùm nocte; unde dixi, quòd Sacerdotes manè illas extinguebant, & accendebant vespere. Mensa Propositionis erat ex lignis Sethim auro obductis, super eam apponebantur duodecim panes, quia erant duodecim tribus Israël, sex ex una parte & sex ex aliâ, unus super alterum; omnibus superponebatur thus ad significandum Deo oblatos esse. Dicebantur Propositionis, quia coram Deo proponebantur; erant azimi, singulisque sabbatis auferebantur veteres, & apponebantur novi calidi, qui pinsebantur à Levitis ex similâ quæ offerebatur à populo; veteres autem manducabantur à ministris templi. Altare Thimiamatis erat illud, super quod offerebatur thus & alia aromata, quæ semel manè & semel vespere incendebantur.

Extra Tabernaculum in atrio Sacerdotum sub dio erant duo instrumenta; altare scilicet holocaustorum & labrum æneum. Super altare Holocausti offerebantur omnia, præter aromata. Erat factum ex lignis Sethim sicut altare Thimiamatis, sed erat subductum tabulis æneis, & aliud tabulis argenteis; erat cavum ad continendum ignem pro sacrificiis comburendis, habebat superiùs craticulam aureani foraminibus plenam, cui imponebantur victimæ, ut à supposito igne cremarentur. In cavitate hujus altaris erat foculus æneus ex craticulâ pendens, in quo conservabatur ignis de cœlo descensus, qui nutriebatur à Sacerdotibus. Ignis ille sic è cœlo descendit. Postquam Aaron à Moïse consecratus est, volens primùm offerre sacrificium, Levit. 9. descendit ignis de cœlo, qui consumpsit Holocaustum. Illo igne debuerunt uti Sacerdotes in perpetuum; unde quia Nadab & Abiu filii Aaronis usi sunt igne alieno in sacrificio, ignis descendit de cœlo, qui consummavit eos. Duravit ille ignis usque ad captivitatem Babilonicam, quo tempore Sacerdotes illum concluserunt in puteo, & post captivitatem Babilonicam, jussu Nehemiæ, quæsitus est à nepotibus illorum sacerdotum qui eum occultaverant, & non est inventus, sed pro eo reperta est aqua crassa, quâ jussit Nehemias aspergi sacrificia, & continuò in ignem versa est, & inflammavit ligna superposita. Aliud instrumentum, quod erat in atrio Sacerdotum, erat labrum æneum, seu vas quoddam, in quo Sacerdotes ad sacrificium accessuri lavabant pedes & manus & hostiarum partes, antequam offerrentur. Huic simile curavit fieri Salomon, sed multò capacius; unde propter suam immensitatem dictum est mare æneum.

Notandum est tertiò, quoad alia officia Sacerdotis, quæ sunt immolare vaccam rufam, mundare leprosos & adjuvare mulieres in casu zelothipiæ: quòd duo prima connexionem inter se habent: quando aliqui erant immundi per se, ut puerperæ, leprosi, hemorroïssæ; vel ex contactu rei immundæ, tangendo scilicet leprosos, seminifluos, vestes eorum, aut sedilia, reptilia, animalia immunda; aut munda mortua sponte, aut cadavera, vel ossa, vel sepulchra; offerebantur pro illis diversa sacrificia, de quibus in Levitico; & insuper aspergebantur aquâ lustrali vel expiationis quæ sic fiebat. Sacerdotes accipebant vaccam rufam sine maculâ, quæ nunquam portaverat jugum, & eam immolabant extra castra, cùm Judæi erant in deserto, vel extra portam, cùm erant in Jerusalem, & totam comburebant cum ligno cedrino & hyssopo, & tunc illi cineres spargebantur in aquam vivam, & erat aqua lustralis, quâ per aspersionem purificabantur immundi. Quantùm ad zelothipiam, vir dubitans de uxore suâ, eam adducebat coram tabernaculo ad Sacerdotem. Secundò, offerebat sacrificium zelothipiæ, idest, farinam hordeaceam sine oleo & thure. Tertiò, Sacerdos accipiebat aquam lustrationis in vase fictili, in quam immittebat pauxillum terræ de pavimento tabernaculi, ista aqua vocabatur amarissima. Quartò, super eam proferebat maledictiones infrà dictas. Quintò, discoperiebat caput mulieris & in manibus ejus ponebat oblationem, farinam scilicet, & similiter proferebat super mulierem easdam maledictiones, dicens; *Si innocens es, non nocebit tibi ista aqua; sin rea, his subjacebis: Dominus Deus, in cujus conspectu stas, putrefacere faciat femur tuum, & tumens uterus tuus disrumpatur.* Sextò, mulier respondebat, amen, amen. Septimò, Sacerdos scribebat illas maledictiones in libro, moxque abluebat scripturam aquâ quam habebat in vase; deinde aquam maledictam dabat mulieri bibendam; & si erat rea, statim femore putrescente, & intumescente utero, disrumpebatur, & sic expirabat. Addunt Rabini, quòd eo tempore puniebatur Adulter absens.

Notandum est quartò, hæc fuisse officia Pontificis. Primò, consecrabat Levitas & Sacerdotes, illos purificando, consecrando, & applicando ad usum sui ministerii. Secundò, in controversiis agebat supremum judicem; in singulis enim civitatibus constituti erant judices inferiores à Pontifice, qui debebant dirimere controversias, Deuteron. 16. Quòd si non possent dirimere illas, conveniebant supremos judices qui erant in Jerusalem, & quibus Pontifex præerat, qui dabat sententiam, cui sub pœnâ mortis quilibet tenebatur acquiescere: & sic erant duo tribunalia; minus scilicet, in quâlibet urbe, ubi erant viginti & tres judices; & majus in Ierusalem, in quo erant septuaginta. Illi septuaginta seniores fuerunt electi à Moïse Num. 11. ex mandato Dei, & eo ipso habuerunt spiritum Prophetiæ. An autem successores habuerint, non constat; sed creditur singulari assistentiâ præditos fuisse, quæ assistentia præsertim residebat in summo Pontifice; unde ex pluribus erat infallibilis, quod patet ex Deuteron. 17. ubi Deus promittit litigantibus judicii veritatem, si deferrent litigia ad illum; deinde ibidem jubet, quòd sub pœnâ mortis teneantur illi acquiescere; non mandaret autem acquiescere sententiæ quæ posset esse falsa. Habemus exemplum magni tribunalis Matth. 2. ubi dubitans, Herodes, an Messias natus esset, detulit hanc difficultatem ad Concilium, ubi præsidebat Pontifex; ait enim Scriptura, *Rex turbatus est & congregans omnes principes Sacerdotum sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur? At illi dixerunt ei, In Bethleem Iuda; sic enim scriptum est.* Tertiò, Pontifex in rebus magni momenti Deum consulebat; sed quomodò responsum acciperet, dubitatur: Alii dicunt, quòd hoc fieret per Angelum, voce humanâ; alii per revelationem; sed probabiliùs alii per splendorem lapidum pretio-

sorum, qui erant in Rationali supra pectus Pontificis: si gemmæ plus solito lucebant, signum erat fœlicis successûs; si minùs solito, signum erat mali; si more naturali, signum erat Deum non velle respondere. Quartò tandem, in die solemni Expiationis introibat Sanctuarium, & instituebat publicam expiationem peccatorum populi, quæ sic fiebat. Duodecimâ die mensis septimi seu Septembris, post multas alias cæremonias mittebat sortem super duos hircos, ut alter immolaretur pro peccato, alter vivus mitteretur in desertum; hunc statuebat in conspectu populi, & positâ utraque manu sub capite ejus, confitebatur omnia populi peccata, ipsique hirco imprecabatur, & sic mittebat eum in desertum, quasi auferentem & portantem peccata totius populi, & ob hoc dicebatur caper emissarius. Sed quandoquidem Expiatio erat unum ex festis Judæorum, ideò de illis

Notandum est quintò, quòd Judæi multa festa celebrabant. Primò, sabbatum in memoriam creationis mundi. Secundò, festum Neomeniæ primo die mensis lunaris, pro beneficio divinæ gubernationis. Tertiò, Pascha in memoriam liberationis Iudæorum ex Ægypto; cui annexum est quartò festum Azimorum in memoriam egressionis ex Ægypto, quod durabat septem diebus, quia in suâ egressione non habuerunt tempus quo fermentari posset eorum panis; compulsi enim erant à Deo exire; in memoriam hujus rei, celebrabant festum Azimorum. Quintò, celebrabant festum Pentecostes, quod vocabatur solemnitas Hebdomadarum, in memoriam legis datæ quinquaginta diebus ab egressu filiorum Israël ex Ægypto. Sextò, festum Tubarum primâ die mensis septimi, in memoriam liberationis Isaac à sacrificio Abrahæ. Hoc factum memorantes Iudæi, solebant tubis corneis clangere; unde dictum est festum Tubarum, seu cornu: & sic in hac die erant duo festa; concurrebat enim festum Neomeniæ, quod accidebat prima die cujuslibet mensis. Septimò, erat festum Expiationis die duodecimâ mensis septimi, in memoriam illius beneficii, quo Deus ad intercessionem Moïsis propitiatus est populo vitulum adoranti. Octavò, erat festum Tabernaculorum seu Scenophegiæ, decimo quinto mensis septimi, usque ad septem dies sequentes, in memoriam illius beneficii quo Deus voluit Iudæos in tabernaculis habitare, cùm egressi sunt ex Ægypto. Nonò, erat festum Cœtûs seu Collectæ, quod celebrabatur transactis septem diebus Tabernaculorum, in quo colligebantur ea quæ necessaria erant ad expensas divini cultûs. His notatis, ad nostram quæstionem deveniendum est, cui respondebit

CONCLUSIO.

Communiter assignantur septem Ordines in universum; quorum tres dicuntur majores, & quatuor minores. Minores sunt, Ordo Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, & Acholitorum; Majores verò, sunt Subdiaconatus, Diaconatus & Sacerdotium, quod subdividitur in Sacerdotium majus & minus; nam Episcopi sunt Sacerdotes majores, & alii minores. Hic numerus colligitur ex diversis actibus quos singuli habent circa Eucharistiam, quæ est finis Ordinationis; aliqui enim Sacerdotes consecrant qui possunt Eucharistiam conficere, & hi sunt Episcopi; alii eam conficiunt, & sunt Sacerdotes communes; alii ministrant immediatè ad illam, ut Diaconi, qui calicem & panem Sacerdoti offerunt; alii mediatè, ordinando materiam in vasis, ut Subdiaconi: alii illam præsentant Subdiacono, ut Acholiti; alii autem versantur circa recipientes illam, vel arcendo infideles, ut Ostiarii; vel legendo Prophetas, & Catechumenos docendo fidei rudimenta, ut possint accedere ad Eucharistiam, & hi sunt Lectores; vel imponendo manus super Energumenos, ut liberentur à Dæmonibus, & sic possint sacra recipere, ut Exorcistæ. Quoad tonsuram, non est Ordo, sed præparatio ad Ordines; est enim introductio ad Clericaturam, & Ordo est gradus Clericaturæ; ex deputatione tamen Ecclesiæ & privilegio, Clerici sunt capaces jurisdictionis Ecclesiasticæ & beneficiorum. Diximus, quòd illorum Ordinum quatuor sint Minores, & tres Majores; scilicet Sacerdotium, Diaconatus & Subdiaconatus, qui vocantur etiam Ordines sacri: non tamen Subdiaconatus fuit semper Ordo sacer, ut patet ex capite *nullus in Episcopum*, distinct. 60. Quare autem isti sint sacri, non quatuor alii, dissentiunt Doctores; quidam volunt dici sacros, quia sunt Sacramenta, & collatio aliorum non est Sacramentum: sed hoc dici non potest; aliquando enim Subdiaconatus non fuit Ordo sacer, fuit tamen semper Sacramentum, aliàs non esset adhuc; Ecclesia enim Sacramentum instituere non potest. Melius ergo est, quòd dicamus hos tres Ordines dici Majores, quia magis accedunt ad Eucharistiam; & ideò dici sacros, quia habent annexum votum Continentiæ; & sic qui illis initiantur, consecrantur Deo specialiùs. Subdiaconatus autem olim non erat Ordo sacer, quia non habebat votum Castitatis sibi annexum. Porrò licet sint septem Ordines, omnes tamen dicuntur unum Sacramentum Ordinis, quia habent respectum ad unum finem, qui est offerre Eucharistiam, aut ministrare circa illam. Deinde sunt unum genere subalterno; nam licèt differant specie, conveniunt tamen in hoc quòd quilibet sit Ordo.

QUÆSTIO III.

An quilibet Ordo sit Sacramentum?

Ordinatio in se est Sacramentum, cùm omnia necessaria ad Sacramentum illi conveniant. Primò enim reperitur in Ordinatione ceremonia externa, nempè manuum impositio, Act. 6. *Hos statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*; ubi Scriptura loquitur de Ordinatione septem Diaconorum: Act. etiam 3. ordinantur Episcopi Paulus & Barnabas impositione manuum: & Act. 14. *Cùm constituissent per singulas Ecclesias Presbyteros*; ubi in Græco habetur, *cùm creassent per manûs impositionem Presbyteros*. Secundò reperitur promissio gratiæ, quæ est secunda conditio Sacramenti; 1. enim ad Timotheum 4. dicit Paulus, *Noli negligere gratiam quæ data est tibi cum impositione manuum Presbyterii*. Tertiò denique reperitur institutio Christi, quæ est tertia conditio; Act. enim 13. habetur, *Segregate mihi Saulum & Barnabum in opus, ad quod assumpsi eos*. Quòd si Christus non legatur imposuisse manus; non disputamus quid fecerit, sed quid jusserit. Constat ergo Ordinationem in se esse Sacramentum, quidquid negent hæretici; unde videndum remanet, utrùm quodlibet sit verè Sacramentum.

CONCLUSIO.

Quilibet Ordo in specie Sacramentum est: & Episcopatus primò est verum Sacramentum

à

à Presbyteratu distinctum. Sic Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. ubi dicitur, Episcopatum esse sacrum Ordinem, sicut est Ordo Presbyterorum; ubi Concilium comparat unum Ordinem cum alio; sicque Episcopatus & Presbyteratus sunt duo Ordines: ergo duo sacramenta; quilibet enim Ordo est sacramentum. Ratio nostra est, quia ideò sacerdotium est sacramentum, quia est ceremonia externa, quâ datur potestas consecrandi Eucharistiam, quod alii præstare non possunt; sed Ordinatio Episcopi est ceremonia externa, quâ datur potestas administrandi Confirmationem & Ordines, & consecrandi Chrisma, templa, altaria, quæ non possunt validè præstari nisi ab Episcopo: ergo, &c. Deinde in Ordinatione Episcopi reperitur materia proxima, nempe impositio manuum Episcoporum; deinde forma, quando Episcopi dicunt, ***Accipe Spiritum Sanctum***: reperitur etiam gratia, ut patet ex verbis formæ; accipere enim Spiritum sanctum est accipere gratiam: tandem recipitur caracter distinctus à caractere Presbyteratûs; aliàs posset reperi Episcoporum consecratio. Si quis dicat; Ergo sunt plures Ordines quàm septem; negatur, quia est unus Ordo genere cum Presbyteratu, qui dividitur in majorem & minorem: Episcopatus autem est major, non quòd det majorem potestatem conficiendi Eucharistiam, sed quia illa potestas ab Episcopo dependet, qui illam confert & interdicere potest. Nec quis inferat, posse ergo aliquem ordinari Episcopum, qui non sit Sacerdos; hoc enim est falsum; sicut enim aliquis non potest ordinari, nisi sit baptisatus, sic nec Episcopus fieri, nisi sit anteà Presbyter. Nec etiam quis instet, dicendo, quòd si Episcopatus conferat caracterem, erit major caractere Presbyteri, & sic erit aliqua potestas major potestate consecrandi Eucharistiam; respondebitur enim, quòd si caracter Episcopalis sumatur integraliter, pro tunc est major sacerdotali, quia illum includit, & pro tunc etiam Ordo Episcopalis erit major extensivè: si verò sumatur præcisè pro ultimâ consecratione & potestate quam addit Episcopatus super Presbyteratum, est minor intensivè; nulla enim potestas major est, quàm potestas consecrandi Eucharistiam.

Ordo Diaconatûs est propriè sacramentum (nullus enim dubitat de Presbyteratu;) Act. enim 6. ordinantur Diaconi per manuum impositionem, sicut Episcopi & Presbyteri. Deinde Diaconi in absentiâ Presbyterorum possunt dare Eucharistiam, reconciliare publicos pœnitentes, prædicare, ac ferè omnia munera Episcoporum & sacerdotum exercere in eorum absentiâ, ac proinde eorum ordinatio est sacramentum. Tandem Diaconatûs Ordo imprimit caracterem; non potest enim amitti nec repeti: ergo est sacramentum; sola enim sacramenta imprimunt caracterem, quo scilicet Diaconus constituitur in statu aliquo immutabili. Porro, hoc confirmat Concilium Trident. sess. 23. can. 6. definiens: *Ecclesiasticam Hierarchiam divinâ ordinatione institutam constare Episcopis, Presbyteris, & ministris*: per quos ministros intelliguntur Diaconi, qui inter alios erant supremi. Cùm ergo Diaconorum Ordo fuerit à Christo institutus, & repositus in eodem Ordine Hierarchico cum Episcopis & Presbyteris, dicendum est, quòd fuerit institutus, tanquam verum & proprium sacramentum.

Nec dicatur, in prima institutione Diaconorum Act. 6. illos fuisse tantùm destinatos ad temporalia officia, & ad ministrandum mensis, propter murmur, quod faciebant Græci adversus Hebræos, eo quòd Græcorum viduæ despicerentur in ministerio; sed ad tale ministerium temporale non erat opus sacramento: ergo Diaconatus non debet haberi ut sacramentum. Præter enim illud officium temporale Diaconi antiquitus distribuebant Eucharistiam ex Justino martyre Apologiâ 2. & ex vita S. Laurentii, unius è successoribus septem Diaconorum, qui S. Sixto Papæ ministrabat, dispensabat ipse sanguinem dominicum & oblationes, sicut & cætera communia pauperum bona administrabat. Deinde, ipsimet legebant Evangelium, ut Augustinus dicit de S. Stephano, Diaconus erat, Evangelia legebat. Tandem, vacabant prædicationi, ut de S. Stephano & S. Philippo habetur in Actibus. Unde dicendum est, quòd licèt ex occasione murmuris præcitati electi fuerint ad ministerium temporale; opportunum tamen duxerunt Apostoli, eos insignire Ordine Diaconatus, à Christo instituti, ut majori in honore haberentur. Quòd si Cyprianus lib. 3. Epist. 9. Anacletus Epist. 3. & Damasus Epist. 4. dicant, Diaconos non esse à Christo, sed ab Apostolis institutos: per verba sua Cyprianus vult tantùm dicere, Christum non ordinasse ullos Diaconos, sicut ordinavit Episcopos & Presbyteros: ex hoc tamen non sequitur, quòd non instituerit sacramentum, quod Apostoli posteà administrarent. Quoad Damasum & Anacletum, volebant tantùm, Christum instituisse duos Ordines sacerdotum, nempe Episcopatum, quem contulit Apostolis; & Presbyteratum, quibus insigniti sunt septuaginta duo Discipuli: & hoc contra Chorepiscopos, qui sibi tertium genus sacerdotum arrogabant, cùm essent tamen simplices tantùm sacerdotes. Porro, inter Doctores Catholicos soli Durandus & Cajetanus negaverunt, Diaconatum esse sacramentum.

Ordo Subdiaconatûs est verum sacramentum: hoc non est ita constans, sicut præcedens, communiter tamen tenetur à Doctoribus, paucis exceptis. Ratio est, quia imprimit caracterem, quia per illum homo ordinatur ad officium divinum, v. g. ut deferat calicem & patenam ad altare, aquamque & vinum ministret Diacono: quia etiam Subdiaconus debet servare Castitatem, & ut hæc omnia dignè fiant, requiritur gratia specialis: ergo est sacramentum. Nec dicant adversarii, Subdiaconatum antiquitùs non extitisse; contrarium enim habet Concil. Trid. sess. 23. cap. 2. ubi dicit nomina & officia Subdiaconatûs, aliorumque inferiorum Ordinum, fuisse in usu ab initio nascentis Ecclesiæ. Si Urbanus in jure canonico relatus dicat, primitivam Ecclesiam habuisse tantùm sacerdotium & Diaconatum; loquitur de Ordinibus sacris, inter quos nondùm erat Subdiaconatus. Si Concil. Laodic. inhibeat, nè Subdiaconi tangant vasa sacra, hoc est quamdiu sanguis & corpus Christi sunt in illis.

Objicies: Subdiaconatus ex dictis non erat olim Ordo sacer, sed talis factus est à Pontificibus, ut testantur Innocentius III. cap. ***A multis, de ætate & qualitate præficiendorum***, & cap. ***miramur, extra de servis non ordinandis***; & Urbanus II. can. ***nullus*** dist. 60. ergo olim non erat sacramentum. Respondeo, reverà non fuisse semper Ordinem sacrum, sed semper fuisse sacramentum; communiter enim Ordines minores censentur sacramenta, attamen non solent vocari Ordines sacri, licèt à ratione sacramenti tales dici possint: nam omnes Ordines sunt sacri; sed tres primi per excellentiam sacri vocantur, quia proximè contingunt res sacras, Presbytero Eucharistiam consecrante & ministrante, Diacono ministrante & deferente, & Subdiacono sacra vasa præparante & præbente,

Quòd si Magister dicat, Subdiaconos fuisse ab Ecclesia introductos; non vult per hoc, quòd Ecclesia Subdiaconatum instituerit, sed quòd ob paucitatem fidelium usus Subdiaconorum nondum fuisset in Ecclesia Apostolorum tempore. Si etiam dicant alii, Chorepiscopos, qui erant simplices sacerdotes, potuisse ordinare Subdiaconos, quod denotat illos non spectare ad Ordinis sacramentum: Respondendum est, Chorepiscoporum alios fuisse verè Episcopos, qui in aliena Diœcesi morabantur, tanquam suffraganei; alios verò fuisse solùm Presbyteros, quibus in sua Diœcesi utebatur Episcopus ad sua munia exercenda, quales sunt Vicarii generales Episcoporum. Dum ergo dicitur, quòd Subdiaconos ordinarent chorepiscopi; hoc intelligitur de primis.

Minores etiam quatuor Ordines sunt sacramentum. Sic Concil. Florent. dicens sacramentum Ordinis esse sextum sacramentum, & materiam ejus esse id quod ab Episcopo porrigitur; ubi ponit exempla de Ordinibus sacerdotis, Diaconi & Subdiaconi; & addit idem esse intelligendum de aliis minoribus. Sic etiam Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. ubi septem Ordines numerat, & posteà cap. 3. dicit absolutè, Ordinem esse sacramentum: si ergo sint Ordines distincti, erunt & distincta sacramenta. His adde, quòd quilibet Ordo minor caracterem imprimat, & gratiâ indigeat ad officium suum reverenter obeundum. Nec dicas, esse ergo plura sacramenta, quàm septem; quia plures Ordines sunt unum sacramentum genere subalterno; quòd si non ordinati possint actus minorum Ordinum exercere; hoc est, non ex officio, sed ex deputatione ministrorum Ecclesiæ.

Quæstio IV.

Quænam sint Materia & Forma Sacramenti Ordinis?

Difficultas quæ major est in hac quæstione, consistit in hoc quòd aliqui sentiant, impositionem manuum non esse de essentia ullius Ordinis, sed esse tantùm ceremoniam accidentalem in Presbyteratu & Diaconatu; contra ipsos tamen stat universus cœtus Theologorum, Scriptura & Patres, dicentes manuum impositionem esse absolutè necessariam & essentialem. Sic Concilia, Nicænum can. 9. Antiochenum can. 1. & Tridentinum sess. 14. cap. 4. ubi de Extremâ unctione loquens, dicit, ministrum ejus esse Episcopum & Presbyterum ritè ordinatum per manûs impositionem. Quòd si Patres & Concilia, præsertim Florentinum, assignando materiam hujus sacramenti, loquantur tantùm de porrectione instrumentorum; non explicuerunt totum ritum, sed tantùm illam partem de quâ dubitabant Armeni. Si dicatur, sacerdotes fieri, dùm in porrectione vasorum dicit Episcopus, *Accipe potestatem offerendi sacrificium*; per hoc fit tantùm incompletè Sacerdos; habet enim duas potestates, inquit Scotus, quæ ipsum adæquatè constituunt; unam supra corpus Christi reale, quæ traditur per porrectionem vasorum; aliam supra corpus Christi mysticum, seu fideles, quæ traditur per impositionem manuum. Constet ergo, quòd pars essentialis materiæ, secundùm communem Doctorum sententiam, sit impositio manuum respectu Presbyteri & Diaconi; unde ad vasorum porrectionem, quæ est alia pars essentialis, & ad declarationem formæ cujuslibet sacramenti deveniendum est.

Conclusio.

Materia proxima ordinationis Episcoporum, est impositio manuum trium aliorum Episcoporum, sub quâ comprehenduntur virtualiter aliæ ceremoniæ: Forma verò sunt verba quæ proferunt, dicendo, *Accipe Spiritum Sanctum.* In ordinatione Sacerdotis Materia proxima est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostiâ, & impositio manuum Episcopi: & Forma sunt hæc verba, *Accipe potestatem offerendi sacrificium*, & *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* quæ ultima verba dicuntur in impositione manuum, & prima in porrectione calicis. In ordinatione Diaconi Materia est manuum impositio, & porrectio libri Evangeliorum; Forma verò quæ respondet manuum impositioni est, *Accipe Spiritum Sanctum ad robur ad resistendum diabolo & tentationibus ejus*: & forma quæ respondet porrectioni libri, est, *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesiâ Dei*: Christus tamen non instituit hoc sacramentum in porrectione libri Evangeliorum, quia nondùm erant, sed in impositione manûs & traditione alicujus rei, quâ officium Diaconi designaretur, quæ relicta fuit in dispositione Ecclesiæ; sic de formâ dicendum est. In ordinatione Subdiaconi Materia est traditio calicis vacui cum patenâ superpositâ, & libri Epistolarum; Forma verò est, *Accipe librum Epistolarum, ut habeas potentiam legendi eas in Ecclesiâ sanctâ Dei.* Tandem, in aliis Ordinibus Materia est traditio rerum quæ designant officium cujuslibet Ordinati; forma verò sunt verba prolata ab Episcopo, quibus tales res porriguntur. Porrò, debet esse contactus materiæ traditæ ab Episcopo; sed alii dicunt, contactum moralem sufficere, quia sacramenta sunt entia moralia, & moralia sunt moraliter intelligenda; qui quidem contactus moralis consistit in acceptatione rei traditæ, v. g. in extensione manuum; tutius tamen est, & gravis momenti Doctores asseverant, contactum debere esse physicum; non est tamen necessarium, ut omnia instrumenta tangantur physicè, nec quòd proferantur simul mathematicè verba Episcoporum, dùm tanguntur vasa. Potest Episcopus cum unicâ formâ in plurali prolatâ porrigere vasa multis; sic enim determinatum fuit in quâdam congregatione Romæ habitâ.

Circa materiam & formam sacramentorum non levis est difficultas in hoc, quòd non sit eadem materia apud Græcos & Latinos, nec etiam eadem forma; attamen valida & legitima censemus eorum sacramenta. Quantùm ad materiam, non est eadem in utrâque Ecclesiâ; quia Græci non utuntur porrectione vasorum, sicut faciunt Latini; & quoad formam, utuntur aliis verbis; ut patet in ordinatione Episcoporum, cujus formam dicunt Latini, consistere in istis, *Accipe Spiritum Sanctum*; ubi Græci pro forma ejusdem Ordinis assignant tantùm orationes quasdam, quæ sunt in Pontificalibus, & ab Ordinantibus proferuntur. Unde; ad hoc respondendum est, quòd licèt utraque Ecclesia non semper usa fuerit eâdem materiâ & formâ ordinationis; imò, nec Ecclesia Latina eamdem semper adhibuerit; non minùs tamen instituerit Christus materiam & formam omnium ordinum; non quidem in specie, sed saltem in genere, præcipiendo Apostolis, ut conferrent Ordines per aliqua signa & verba sensibilia, quæ sufficienter signi-

ficarent collationem potestatis traditæ in qualibet A ordinatione; licèt reliquerit Ecclesiæ facultatem determinandi de talibus signis ac verbis. Quod mirum videri non debet, cùm aliquid simile habeatur in sacramentis Pœnitentiæ & Matrimonii. Quantùm enim ad Pœnitentiam, verum est, quòd peccata jurisdictioni Confessarii delata ipsius materia sint; attamen in potestate Ecclesiæ Christus reliquit, ut talia vel talia peccata subessent jurisdictioni talis vel talis Sacerdotis; unde non omnes Presbyteri validè absolvere possunt, nec omnes confessarii ab omnibus peccatis, cùm alia sint reservata, alia non reservata; & alia reservata in hac Diœcesi, quæ non sunt reservata in alia. Sic habemus de sacramento Matrimonii, ubi Christus instituit qui- B dem mutuum consensum partium in materiam & formam ejus; attamen reliquit Ecclesiæ, ut definiret, quænam conditiones essent requisitæ, ut consensus partium esset validus.

Ratio autem, cur talis mutatio materiæ & formæ Ecclesiæ concedatur circa hæc tria sacramenta, & non circa alia, quæ omnimodam servant immutabilitatem; pendet ex hoc, quòd istorum materia sacramentorum in aliquo morali consistat quod debet proinde subesse voluntati Ecclesiæ, quæ est omnium fidelium superior: materia verò & forma aliorum sacramentorum est physica, quam per consequens fixam & immutabilem remanere congruit. Hæc est responsio Doctorum Gallerii, Præpositi, Gama- C chæi, Isamberti, & aliorum, qui dicunt, Ecclesiam Græcam & Latinam non variare materiam ordinationis in ratione formali, sub qua illam instituit Christus, nempe in signo sensibili sumpto in communi; sed variare tantùm materialiter hoc signum in particulari. Unde, nil mirum est, si alio ritu sensibili utantur Græci, & alio utantur Latini; imò, si alio ritu aliàs usa sit Ecclesia Latina, & alia in hoc sæculo. Ut ergo concilientur Græci, qui asserunt manuum impositionem esse materiam Episcopatûs, Presbyteratûs, & Diaconatûs, cum Latinis, qui in Concilio Florentino dicunt, porrectionem vasorum, esse materiam harum ordinationum; dicendum est, quòd Græci cum antiquis Conciliis Latinis assigna- D verint materiam, quam instituit Christus; Latini autem cum Concilio Florentino assignaverint materiam, quam instituit Ecclesia, nimirum porrectionem vasorum, quæ specialiùs designat potestatem concessam ordinatis.

Quæstio V.

Quid sit minister Ordinis?

Hic quæritur tùm de Ministro ordinario, tùm de Ministro ex commissione; quia autem diximus, solum masculum posse ordinari, sciendum E est, quòd per Presbyteras, de quibus agitur in Conciliis, intelligantur viduæ seniores, quæ aliis ratione ætatis præerant; Presbyter enim idem est ac senior: vel intelliguntur fœminæ quarum mariti ex earum consensu ad Sacerdotium erant evecti, quæque castitatem tenebantur servare. Per Diaconissas intelliguntur mulieres quæ deputabantur ad ministerium aliquomodò sacrum, ut ad obsequium reddendum Sacerdotibus; vel intelliguntur fœminæ quarum mariti ad Diaconatum evecti erant.

Conclusio.

Ordinarius Minister Ordinis est solus Episcopus, plures tamen alii sunt Ministri ex commissione. Prima pars est contra Calvinum & Lutherum, qui volunt ordinationem esse à totâ multitudine fidelium & Clero; quòd si soli Pastores ordinent, hoc est nomine totius populi. Ratio conclusionis est; quia Ordo est quædam dignitas Ecclesiastica, & ad solum principem, qualis est Episcopus, pertinet dignitates distribuere. Cùm autem diximus, Episcopum esse ministrum ordinatium, hoc intelligitur, sivè sit hæreticus, ex Scoto dist. 35. n. 14. sivè sit excommunicatus, sivè interdictus, aut privatus suo Episcopatu; hoc enim emanat à potestate Ordinis quæ in illis residet, nec amitti potest: si tamen non sit Sacerdos, non potest ordinare. Ut licitè Ordines conferat, debet tantùm ordinare Diœcesanos; validè tamen ordinantur qui ordinari sunt ab alieno Episcopo. Quòd si dicantur irritè ordinati; hoc est, quia privantur legitimo usu suorum Ordinum. Quoad secundam partem, patet; quia Cardinales Presbyteri possunt tonsuram & minores concedere ex commissione illis delegatâ per privilegium eorum dignitati annexum. Abbates jus mitræ & baculi habentes possunt conferre minores & tonsuram suis subditis Regularibus; aliis verò tantùm ex speciali consensu Ordinarii. Simplex Sacerdos ex commissione Papæ potest conferre minores, Subdiaconatum & Diaconatum, ut constat ex privilegio concesso Abbati Cisterciensi, & aliis quatuor primis Abbatibus ejusdem Ordinis, quo privilegio Abbas Cisterciensis omnes sui Ordinis monachos potest ordinare; alii verò quatuor tantùm suos subditos. Hoc privilegium fuit illis concessum ab Innocentio VIII. anno 1489. Summus Pontifex non potest dispensare, ut quis ordinetur Sacerdos à non Episcopo; hoc enim nunquam visum fuit, neque pro distantiâ, aut inopiâ Episcoporum, aut aliâ quacunque causâ, sicut videmus potestatem administrandi Confirmationem delegatam fuisse simplici Sacerdoti: minùs ergo simplex Sacerdos potest consecrare Episcopum; major enim à minori non potest benedici. Non potest denique Summus Pontifex communicare potestatem ordinandi non Sacerdoti, quia ordinatio est potestas Ordinis majoris.

Quantum ad ordinem Episcopalem; aliqui putant esse de jure divino, & ex institutione Christi, quòd debeant necessariò concurrere tres Episcopi ad talem ordinationem. Inter eos tamen aliqui censent, ex commissione summi Pontificis posse ordinari Episcopum ab uno Episcopo, ut Vasquez: alii verò volunt, tam necessariò tres Episcopos esse ministros ordinationis Episcopalis, sicut Sacerdos est necessarius Minister confectionis Eucharistiæ. Sic Castro, Palao, Henriquez, & Barbosa; itaut de hoc non possit dispensare summus Pontifex. Probabilius tamen est, talem concursum trium Episcoporum esse tantùm de necessitate præcepti antiquissimi: aliàs D. Gregorius contrarium non permisisset S. Augustino Angliæ Apostolo, ut habetur lib. 12. Epistolarum 31. nec Gregorius XIII. concessisset Patriarchæ Æthiopiæ, ut per unum Episcopum consecraretur; nec denique Innocentius X. anno 1654. die 10. Junii tradidisset facultatem Episcopo Dionysiensi Leodiensis suffraganeo, ut posset consecrari à quovis Catholico antistite, assistentibus duobus Abbatibus mitratis. Quod confirmatur ex decreto Simonis Apostoli apud D. Clementem lib. 8. Constitut.

Apostolic. cap. 27. ubi statuitur, Episcopum debere ordinari à duobus aut tribus Episcopis; ita quòd si aliquis ab uno tantùm ordinetur, deponi debeant ordinans & ordinatus. Quòd si tamen necessitas coëgerit Episcopum ab uno tantùm ordinari, propter persecutionem, aut aliam causam, afferatur decretum commissionis trium Episcoporum. Quando autem dicitur, quòd ex præcepto antiquissimo Ecclesiæ debeant adesse tres Episcopi; non omnes sunt consecratores, sed Metropolitanus seu primus Episcoporum dicitur ordinans seu consecrans, & alii sunt tantùm assistentes; unde Concilium Carthaginense 4. can. 2. describens ritus ordinationis sic habet: Cùm ordinatur Episcopus, *duo Episcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem super caput & cervicem ejus, & uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis caput ejus tangant.* Cùm ergo unus solus formam & benedictionem pronunciet, sequitur unicum esse consecratorem & alios assistentes. Porro, ratione gravium Doctorum, qui sentiunt trium Episcoporum concursum esse necessarium necessitate sacramenti; in praxi tenedum est, quòd si quis fuerit à pauciori numero consecratus sine speciali commissione summi Pontificis, debeat iterum sub conditione à tribus Episcopis consecrari.

Quæstio VI.

Qui sint Ordinandi?

Conditionum, quas sumus dicturi requisitas esse in illis qui ordinari prætendunt, una ex præcipuis est vocatio; juxta dictum D. Pauli ad Hebr. 5. ubi loquens de iis, qui volunt sibi assumere Sacerdotium, ait, *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Talis autem vocationis duo præsertim sunt signa, scilicet vocari à legitimis ministris Ecclesiæ, sine propria intrusione, & sentire in mente rectam intentionem unicè serviendi Deo & Ecclesiæ; unde maximè vituperandi sunt qui professionem Ecclesiasticam amplectuntur, ut in illa suam subsistentiam inveniant; aut qui tali medio cupiunt esse divites, vel denique qui ambitione moti dignitates Ecclesiasticas ambiunt. Ex talium promotione plurima detrimenta Ecclesia patitur; nam gregem non pascunt, sed seipsos: Ezech. 34. Deinde non curant de ingressu lupi in ovile. Tandem ob vitam scandalis refertam statum Ecclesiasticum obtenebrant, populique attrahunt contemptum. Ex quibus omnibus patet, vocari à Deo ad hoc ministerium, esse conditionem summè requisitam, ut quis possit ordinari.

Conclusio.

Multæ conditiones requiruntur in ordinandis. Primò, ordinandus debet esse masculus; sic enim voluit Christus, qui solos Apostolos ordinavit, dicens, *Hoc facite*, non verò fœminas, nequidem matrem suam, quæ omnium erat sanctissima. Secundò, debet esse baptisatus; Baptismus enim est janua Sacramentorum, & sic non baptisatus invalidè ordinatur. Tertiò, debet esse Confirmatus; sic Concilium Trident. sess. 23 cap. 4. ubi non confirmatis prohibetur tonsura, quæ est præparatio ad Ordines; qui tamen non confirmatus ordinaretur, validè esset ordinatus. Quartò, debet esse initiatus tonsurâ ex communi praxi Ecclesiæ; valeret tamen ordinatio sine illâ. Quintò, requiri-

A tur legitima ætas: ad primam tonsuram & minores, septem anni; completi saltem; ad Subdiaconatum viginti duo anni inchoati; ad Diaconatum viginti tres inchoati; ad Presbyteratum viginti quinque inchoati; ad Episcopatum verò triginta completi. Sic habetur capite *cùm in cunctis*, de electione; unde qui malâ fide ante hos annos suscipiunt Ordines, sunt suspensi; & si exerceant, fiunt irregulares: si verò suscipiant bona fide, v. g. testimonio parentum, non sunt suspensi; unde exercendo posteà, etiam scientes se non habere ætatem, peccant quidem mortaliter, sed non fiunt irregulares, quia non violant censuram; suspensio enim non fertur, nisi contra eos qui malâ fide ante debitam ætatem Ordines suscipiunt. Sic Suares, Toletus, & cum aliis

B Bonacina.

Hæc conditio intelligitur de licitâ susceptione Ordinum; validè enim quilibet ordinatur in qualibet ætate; unde dicunt Doctores, Sacerdotium & Episcopatum posse recipi ante usum rationis: ratio enim requiritur tantùm in Sacramentis quæ consistunt in aliquo actu recipientis, ut in Matrimonio, quod consistit in mutuo consensu, & Pœnitentiâ quæ consistit in dolore & confessione, in Ordinatione autem non requiritur actus suscipientis, sed sufficit intentio ministri & Ecclesiæ. An autem ille qui sic ordinaretur, teneretur ad votum continentiæ, dùm fit adultus, negatur, nisi ordinatio-

C nem suam ratificet, quia ad votum requiritur deliberata intentio. Sextò, non debet esse censurâ innodatus; si enim recipiens Ordinem fieret irregularis, teneret tamen Ordo. Septimò, non debet suscipere Ordines per saltum, idest, non debet Diaconatum suscipere qui Subdiaconatum non habet; valeret tamen Ordo, & in hoc posset dispensare Episcopus, modò sic ordinatus actum Ordinis superioris non exercuerit; tunc enim fieret irregularis, & solus Papa posset dispensare. Octavò, debet habere titulum, dùm promovetur ad Ordines, & recipiens Ordinem sine titulo suspenditur ab executione Ordinum, nisi privilegium habeat, ut Regulares. Sic Concilium Trident. sess. 21. cap. 2. Nonò, debet habere sufficientem scientiam ad usum

D uniuscujusque Ordinis. Decimò, debet habere testimonia morum; tandemque debet servare interstitia, de quibus dispensant Episcopi.

Quantum ad tempora, quibus Ordines conferri possunt; quâlibet die & qualibet hora tonsura concedi potest. Singulis Dominicis & Festis ex præcepto, matutinis horis, solent tantùm tradi Minores Ordines, exceptis Quatuor temporibus, in quibus ad vesperam diei Veneris conceduntur. Quantùm verò ad Ordines sacros, juxta canones & Pontificale, non-nisi sabbato Quatuor temporum, aut sabbato ante Dominicam Passionis, vel sabbato sancto sine commissione Papali conferri solent. Ratio autem, cur Quatuor temporibus ordinationes fieri sint solitæ, hæc est; quia tale tempus est ora-

E tionis & jejunii, & ideò ad hoc eligitur, ut jejuniorum & orationum merito digni eligantur ministri in Ecclesia. Ratio verò, cur in sabbatis præcedentibus Dominicam Passionis & Resurrectionis ordinantur clerici, hæc est, ut demonstret Ecclesia, omnem sanctificationem, quæ derivari debet à Sacerdotibus in fideles, ortum ducere à Passione & Resurrectione Christi.

QUÆSTIO ULTIMA.

Quinam sint effectus Ordinis?

TRes statuuntur communiter effectus hujus sacramenti, nimirum Gratia, sive habitualis, sive sacramentalis; Caracter, & Cœlibatus; de quibus in triplici conclusione cum ordine dicendum est. Hæretici præcipuè negant caracterem & cœlibatum. Contra primum enim volunt ministerium Ecclesiasticum esse simplex officium, quod potest dari & afferri pro libito superiorum reipublicæ, qui statuere possunt, ut cras fiant laïci; qui sunt hodie Ministri, vel Pastores. Adversus D. Augustinum lib. 2. contra epistolam Parmeniani cap. 13. ubi ait, Quòd in Ecclesia Catholica, nec Baptismus, nec Ordo possint iterari; cujus ratio alia esse non potest, nisi quod utrumque Sacramentum imprimat caracterem. Contra secundùm verò invehunt Novatores, nimirum contra cœlibatum Sacerdotum, quem dicunt Vvicleffus, Lutherus, Calvinus, & alii, esse hæresim maxime pestiferam omnibus, quæ unquam Christianum regnum perturbarunt. Contra eos stat Ecclesia Catholica.

CONCLUSIO PRIMA.

ORDO producit in subjecto gratiam habitualem, saltem in augmento, quia omnia Sacramenta illam conferunt, vel in se, ut Sacramenta mortuorum, vel augmentum ejus, ut Sacramenta vivorum; Ordo autem est Sacramentum vivorum, quod confertur tantùm illis qui supponuntur esse in gratiâ per pœnitentiam: ergo per se non confert gratiam habitualem quam supponit, sed illam intendit & auget. Per accidens tamen confert gratiam in se, quando scilicet quis recipiendo hoc Sacramentum putat se esse in gratiâ, & in peccato existit; quia scilicet vel non debitè absolutus est, vel attritionem supernaturalem non habuit quando fuit absolutus, vel non habuit contritionem extra Sacramentum; in hoc casu si ordinandus habuerit tantùm attritionem, tunc justificatur per receptionem Ordinis, quia Sacramenta quælibet de attrito faciunt contritum. Cùm quis Ordinem recipit in peccato mortali, constat quòd gratiam nullomodò recipiat; sed quæri potest, an recedente obice seu peccato gratia redeat. Affirmant aliqui, negant alii; sed mihi videtur utendum distinctione, & dicendum, quòd gratia habitualis non redeat, benè autem Sacramentalis, quæ consistit in auxiliis actualibus quæ requiruntur ad actus Ordinis ritè obeundos. Ratio est, quia gratia habitualis per aliud medium recuperari potest, nempè per Pœnitentiam; gratiæ verò Sacramentales nunquam redirent, & sic ordinatus illis semper careret. Ex his constat Ordinem cum gratiâ habituali conferre Sacramentales.

CONCLUSIO SECUNDA.

SACRAMENTUM Ordinis confert caracterem, ex Conc. Trid. sess. 23. can. 4. per Baptismum enim homo consignatur ut consecratus familiæ Christi, per Confirmationem consignatur ut miles ad ferendum vexillum Christi, & in Ordine consignatur in ejus Ecclesiâ, ut spiritualia munera obeat. Quia caracter est indelebilis, quando quis degradatur, tantùm privatur exercitio Ordinis; quando etiam Pontifex

A dispensat cum Diaconis & Subdiaconis, non dispensat de Ordine qui est indelebilis, sed de oneribus quæ sunt annexa Ordini, qualia sunt cœlibatus & recitatio officii. Quilibet Ordo confert specialem caracterem in animâ: unde si dicatur, ergo plura accidentia differentia solo numero sunt in eodem subjecto; respondendum erit, quòd differant specie sicut & singuli Ordines: deinde plura accidentia relativa, ut plures paternitates, possunt esse simul. Quia Ordo caracterem confert, iterari non potest, & si illos iterans peccaret; non tamen fieret irregularis; sicut in Baptismo, quia in jure irregularitas non fertur circa iterantes Confirmationem aut Ordinem, sed Baptismum. Porrò, confertur caracter in ultimâ actione essentiali quâ confertur Ordo, v. g. in impositione manuum respectu Sacerdotis & Diaconi. Plura diximus aliàs de Caractere.

B

CONCLUSIO TERTIA.

COELIBATUS est annexus sacris Ordinibus; unde nemo conjugatus sacris Ordinibus initiari potest, nisi anteà perpetuam castitatem voverit uxor: nemo etiam ordinatus uxorem ducere potest; denique, qui sacris Ordinibus initiatur, perpetuam castitatem servare debet. Cœlibatus annexus est Ordini jure tantùm Ecclesiastico, in quantùm annexum est votum castitatis, quod tacitè emittitur per susceptionem Ordinum; qui vult enim aliquem statum, vult onera ejus. Quòd autem Cœlibatus non sit de jure divino, ex hoc patet quòd Ecclesia permiserit Sacerdotibus Græcis usum Matrimonii contracti ante ordinationem: licet tamen non sit cœlibatus de jure naturali aut divino, est tamen de antiquo jure Ecclesiæ, quæ hoc justè præcepit, ut faciliùs ordinati possint orationi incumbere, & ut puriùs agnum immaculatum sacrificent. Licèt anteà diximus, cœlibatum esse annexum Ordini ex voto, saltem tacito; quia ex cap. unico de voto in 6. Extravagantis antiquæ Joannis XXII. eodem titulo sic expresse vocatur: attamen conformius est Scoto, si cum illo dicamus, talem continentiam esse quidem ex præcepto Ecclesiæ; non autem ex voto, quod nequidem tacitè fit in susceptione Ordinis sacri; quia canones ac decreta Pontificum eodem modo imponunt clericis obligationem continentiæ, ac per cætera præcepta imponuntur aliæ obligationes. Deinde, si talis obligatio esset ex voto, mirum esset, quòd hoc nullibi expressisset Ecclesia. Tandem, qui non intenderet emittere votum, recipiendo Ordines sacros, & vellet se obligare ad omnia, quæ annexa sunt ordinationi, talis adhuc obligaretur ad continentiam; quod denotat, castitatem non esse annexam sacris Ordinibus ex voto, quod in tali suppositione nullum esset ex defectu voluntatis. *Dices:* Ergo ille, qui post susceptionem Ordinis sacri emitteret votum expressum castitatis, illud transgrediendo, duplex admitteret sacrilegium, contra votum, & contra præceptum Ecclesiæ: Concedenda est consequentia, ut patet ex eo, qui transgrediendo votum juratum dupliciter, peccaret contra votum & contra juramentum.

C

D

E

Qui in infantia reciperet Ordines sacros, ad cœlibatum non teneretur, quidquid dicant aliqui, numero paucissimi; ad hoc enim teneretur, vel ex voto, vel ex præcepto Ecclesiæ, quod utrumque falsum est. Primò, non ratione voti, quod nullum fuit, nec esse potuit; quia ad illud requiritur sufficiens libertas: nec secundò ratione præcepti, quia in infantia pueri non sunt præcepti capaces; & extra

Infantiam Ecclesia ad continentiam non obligat, nisi illos, qui sacrum Ordinem scienter & voluntariè assumunt. Imò verisimile est, quòd tales non posset Ecclesia obligare ad continentiam; eo quòd ipsa virtus sit ità ardua & præter inclinationem naturæ, ut nulla humana potentia possit aliquem, nisi volentem, ad hoc astringere: sicque ordinati in infantia ad cœlibatum non tenentur. Ratio autem cur Ecclesia ad continentiam obligavit sacris Ordinibus initiatos, desumitur à Scoto dist. 37. num. 4. Quia scilicet clericus deputatur ministerio sacro, quod requirit munditiam mentis & corporis, sicut & perspicacitatem intellectûs & fervorem voluntatis, ad quæ disponit continentia; sicut ab illis revocat frequentia actûs carnalis. Nec in hoc ulli præjudicat Ecclesia, cùm nullum cogat ad susceptionem Ordinum. Quando hæretici volunt arcere cœlibatum ab ordinatis, quatuor textibus Apostoli utuntur communiter, nimirum, 1. ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum.* 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.* ad Hebr. 13. *Honorabile connubium in omnibus.* 2. ad Timoth. 4. *Prohibere nuptias est proprium hæreticorum*: sed nullus eorum officit veritati Catholicæ. Per primum enim non vult Paulus, ut Episcopus habeat uxorem; sed tantùm prohibet, nè eligendus in Episcopum sit bigamus. Per secundum non præcipit, ut omnes matrimonium ineant, aliàs non diceret de quolibet innuptorum, *beatior erit, si sic permanserit*; sed conjugatos alloquens vult eos impedire, nè propter conversionem ad christianismum deserant uxores. Per tertium innuit, honestatem connubii, non respectu omnium sine exceptione; sed respectu illorum, qui cùm non sint astricti ad continentiam, matrimonium contrahere cupiunt. Per quartum denique improbat hæreticos, qui nuptias tanquam ex se malas damnabant.

QUÆSTIUNCULÆ

De Tonsura & singulis Ordinibus.

QUANDOQUIDEM ea quæ diximus de materia & forma Ordinum, non mihi videntur sufficientia ad necessariam explicationem eorum, quæ dici possunt de illis; ideò hanc Appendicem quæstiuncularum hic adjungere duximus congruum, tum de Tonsura, quæ ab Ordinibus distinguitur; tum de quolibet Ordine in particulari. Tonsura, inquam, non est Ordo, sed præparatio ad Ordines, ut patet ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 2. ubi ex instituto omnes & singulos Ordines enumerans illos dicit esse tantùm septem; & recenset Tonsuram veluti quid prævium ad illos.

QUÆRES primò, quid dicendum sit de Tonsura? Respondeo, ut antea, nihil aliud esse, præter præparationem ad Ordines suscipiendos. Dicitur communiter Tonsura, quia tondentur capilli iis, quibus confertur. Vocatur prima Tonsura, non quod alia ipsam non præcedat; sed quia ante collationem omnium Ordinum traditur. Qui eam recipiunt vocantur Clerici, à verbo Græco κλῆρος, quod portionem, hæreditatem, & sortem significat; in quantum specialiter à Deo possidentur, vel in quantum ipsi singulariter Deum possidere debent, ut suam sortem & hæreditatem. Qui tonsurari prætendunt, debent primò esse legitimo matrimonio procreati, & à quâcumque irregularitate immunes. Debent secundò esse confirmati. Tertiò, rudimenta fidei tenere. Quartò, nec lecturæ nec scripturæ ignari esse debent. Quintò, debent habere usum rationis. Sextò denique, debent habere intentionem amplectendi statum Ecclesiasticum. Qui enim hoc non intenderet, Tonsuram recipiendo peccaret mortaliter, mentiendo Ecclesiæ & Spiritui sancto, ac vitiosam intentionem habendo; ut v. g. possidendi aliquod beneficium, vel per clericaturæ privilegium se eximendi à jurisdictione sæculari, quod utrumque pravitatem & deordinationem redolet. Qui tamen Tonsuram recipiendo intendere debet vitam Ecclesiasticam ducere sub pœna peccati mortalis, non peccat si ex causa aliqua resiliat à tali voluntate; sicut nec ille, qui religionem ingrediens tenetur quidem voluntatem habere emittendi professionem, quam tamen si non emittat, non peccat mortaliter. Inter alias Tonsuræ cæremonias notabilior est illa, quâ Episcopus tonsurati amputat capillos; quod fit multis de causis. Primò, ut significetur, quòd sicut Nazareis Num. 6. tondebantur publicè capilli ante tabernaculi fores, eo die quo se Dei obsequio mancipabant; ita Clericis tondentur crines in Ecclesia, ad denotandum eos esse Deo à die tonsuræ consecratos. Secundò, per talem capillorum amputationem denotatur, Clericos debere esse paratos ad patiendum contemptus & ludibria; aliàs enim illis, qui derisioni populi exponebantur, tondebantur capilli. Tertiò, per hoc significatur, Clericos teneri ad omnium vitiorum & imperfectionum eradicationem. Quartò denique, per talem cæremoniam indicatur, quòd Clerici debeant esse parati in omnibus obedire superioribus suis, à quibus libenter omnium rerum spoliationem debent recipere. Antiquitùs, tum in Ecclesia Græca, tum in Latina, post tonsionem capillorum factam in quinque partibus capitis, mittebantur tonsurati ad aliquem Clericum, qui illis Tonsuram clericalem faceret; sed multitudo Clericorum causat, ut nunc, tonsurâ factâ in medio capitis, accedant tonsurandi ad Episcopos.

QUÆRES secundo, quot sint Ordines? Ad quod respondendum est ut antea, quòd sint tantùm septem, quos enumeravimus. Cum hac tamen observatione, quòd Ordo Sacerdotum divisus sit in simplex sacerdotium, & in primarium seu Episcopale, ut ait Anaclitus Papa IV. post S. Petrum epist. 3. cap. 1. dicens, *Sacerdotum ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.* Cornelius Papa circa annum 255. epist. ad Fabium Antiochenum, relatâ ab Eusebio lib. 6. cap. 33. enumerat septem Ordines, qui sunt Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconatûs, Diaconatus & Sacerdotii. Eundem numerum recenset Cajus Papa in epist. ad Felicem circa annum 284. Ex quibus constat, Psalmodiam, seu officium Cantoris, non esse Ordinem, saltem distinctum à Lectoratu; licèt aliàs fuerit aliquale ministerium in Ecclesia. Concilium enim Carthaginense 4. dicit, Officium Psalmistæ posse concedi absque scientia Episcopi, solâ Presbyteri jussione; ubi Ordines non solent conferri, nisi authoritate Episcoporum. Quantùm ad Papatum seu Pontificatum superiorem; licèt fuerit institutus à Christo, & Petro collatus; non est tamen Ordo, sed dignitas Ecclesiæ, ex jure divino stabilita cum summa potestate jurisdictionis; quæ, præviâ electione confertur personæ electæ: & sic Episcopatus est supremus Ordo, Romanusque Episcopus ob hoc vocat alios Episcopos fratres suos venerabiles. Quantùm denique ad Cardinalatum; nemo dixerit, illum habere rationem Ordinis; sed Cardinales sunt tantùm

assumpti, tanquam assistentes summorum Pontificum, quibus competit jus Ecclesiasticum eligendi summos Pontifices. Eugenius Papa ait, cœtum Cardinalium Papæ assistentium repræsentare cœtum Apostolorum, quatenus Christo conversanti in terris assistebant; Episcopos verò ubique per orbem Christianum diffusos repræsentare eosdem Apostolos, quatenus erant missi a Christo undequaque, ad prædicandum Dei Evangelium. Septuagenarium numerum Cardinalium constituit Sixtus IV. ad similitudinem Christi, qui designavit septuaginta duos discipulos. Plura de istis dignitatibus sumus dicturi, sicut & de Chorepiscopis, dum agemus de membris Ecclesiæ in tractatu de Ecclesia.

Quæres tertiò, quid sit dicendum de ordinibus Ostiarii & Lectoris? Respondeo, quantùm ad primum; Materiam remotam ordinis Ostiarii esse claves Ecclesiæ, & proximam esse illarum traditionem. Forma verò illius, sicut in cæteris, sunt verba; quæ dicit Episcopus, dum ordinandi sigillatim tangunt claves Ecclesiæ. Aliqui dicunt necessariò tradendas esse claves Ecclesiæ: probabiliùs tamen existimant alii, quòd sufficeret si traderentur claves Sacristiæ, aut alicujus sacelli. Ostiarii officia sunt aperire, claudere, ac custodire templum; & cavere, ut admittantur fideles, repellanturque infideles & excommunicati. Debent insuper impedire, nè canes similesque bestiæ intrent in Ecclesiam, & illas expellere, si introductæ fuerint; sicut & ejicere vendentes & ementes, qui sunt in cæmeterio, vel prope Ecclesiarum portas. Quantùm ad secundum; materia Lectionarii remota est liber lectionum, quæ legi solent in Ecclesia per nocturna Officia. Materia proxima est traditio hujus libri. Forma sunt verba Episcopi. Officia denique sunt tales lectiones legere, sive fuerint ex novo, aut veteri Testamento; primam instructionem facere de doctrina fidei, panemque & fructus novos benedicere, ut habetur in Pontificali; quod tamen non est ampliùs in usu. Si quæratur, an in traditione instrumentorum, quæ porrigunt Episcopi in his & aliis Ordinibus, requiratur contactus physicus. Respondendum est, requiri certè ex præcepto; quia hoc præcipit Ecclesia, & qui non tangeret instrumenta physicè, sese exponeret periculo invalidandi sacramentum; attamen longè probabilius est, si dicatur, sufficere contactum moralem; quia physicus non requiritur ex institutione Christi, quæ nullibi habetur; nec ex ratione sacramenti, quod cùm consistat in aliquo morali, nimirum in traditione alicujus potestatis, requirit tantùm contactum moralem. Nec idem est pro Baptismo, Confirmatione, & Extrema-unctione, quæ requirunt applicationem physicam; quia hoc procedit ex natura formæ, quæ hoc exigit.

Quæres quartò, quid dicendum sit de ordinibus Exorcistæ & Acolithi. Materia remota primi est liber exorcismorum; & proxima, traditio ejus per manus Episcopi; Forma sunt verba istius; & officia sunt exorcisare dæmones, qui corpora fidelium & Catechumenorum possident. Ubi notari tamen debet, hoc in multis locis non posse fieri, nisi de Episcoporum consensu. Debent insuper curare, ut semper habeatur aqua benedicta parata in vasis; ac denique debent Sacerdoti tradenti Baptismum sal administrare, illique adesse in hujus sacramenti exorcismo. Quantùm ad ordinem Acolythi, materia remota sunt ceroferarium & urceoli vacui; & proxima est traditio utriusque. Multi tamen existimant, solam traditionem urceolorum esse essentialem huic ordini, nec requiri absolutè porrectionem ceroferarii; quia urceoli ordinantur directè ad Eucharistiam, non verò ceroferaria, quæ aliquando extra Missam feruntur. Si quis quærat, cur in ordinatione Acolythorum tradantur urceoli vacui, qui in ordine Subdiaconorum debent esse pleni; hoc est, quia Acolythus non habet jus super aquam & vinum, cùm non possit illa infundere calici; sed tantùm habet authoritatem super urceolos, quos præparare, implere, & Subdiacono porrigere debet. Forma hujusce ordinis sunt verba Episcopi, qui in traditione ceroferarii dicit, *Accipe ceroferarium cum cereo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari, in nomine Domini amen.* Et in porrectione urceolorum addit, *Accipe urceolos*, vel *urceolum, ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi, in nomine Domini, amen.* In Catechismo Romano habetur, *urceolos*, & in Pontificali Romano habetur, *urceolum*; quod denotat, Sacramentum hoc fore completum, si traderetur tantùm unus urceolus. Qui censent, traditionem ceroferarii esse de essentia hujus ordinis, dicunt hoc Sacramentum habere duas formas partiales. Qui verò existimant, solam porrectionem urceolorum esse de necessitate Sacramenti, asserunt prima verba denotare tantum potestatem dari Acolytho ferendi ceroferarium in Ecclesia; licèt tale munus non sit essentiale illi, ob rationem prællegatam.

Quæres quintò: Quid dicendum sit de Subdiaconatu? Respondeo: Hunc ordinem habere pro materia remota calicem vacuum & patenam vacuam; pro proxima, traditionem utriusque; pro forma, verba ordinantis; & pro officio, vinum & aquam ministrare Diacono, illi porrigere calicem & patenam, in Missa solemni Epistolam canere, populi suscipere oblationes, illas deferre ad altare, ac pallas abluere, sicut & corporalia. An porrectio libri epistolarum spectet ad materiam hujus Sacramenti? Alii affirmant, quia Pontificale præcipit hujus libri contactum. Negant alii, quia Concilia solam mentionem faciunt de calice cum patena. An etiam ad valorem Ordinis debeat calix cum patena esse consecratus, nec-ne? Controvertuntur etiam Doctores, aliique dicunt, hoc esse conformius intentioni Ecclesiæ: alii verò negant hoc requiri; quia non præcipitur à Conciliis. Qui ordinem Subdiaconatûs suscipere volunt debent habere aliquem titulum sufficientem, quo possint honestè sustentari in Ecclesia; juxta Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. Triplex autem est titulus, nempe beneficii, patrimonii, & paupertatis religiosæ. Quantùm ad titulum beneficii, ut sit validus, debet esse sufficiens ad sustentandum Ecclesiasticum. Deinde, illud beneficium debet pacificè esse possessum. Tandem Beneficiarius non potest illud resignare, quin mentionem faciat, sibi esse in titulum ordinationis: nec tals resignatio admitti debet à superiore, nisi ipsi constet, aliunde haberi, ex quo sustentetur resignatarius. Per titulum patrimonii intelligitur fundus aliquis, vel annua pecuniæ summa, ad victum & vestitum sufficiens. Talis autem fundus, seu annua summa, nec alienari nec extingui potest absque consensu Episcopi, qui hoc non permittet, nisi viderit haberi beneficium, aut alium reditum sufficientem. Quantùm denique ad titulum Paupertatis, ille est quem habent religiosi professi, qui ex ipsa religione sortiuntur unde sustententur. Ante professionem non licèt religioso absque titulo beneficii, vel patrimonii, promoveri ad Ordines sacros, ex declaratione Pii V. in Bulla, *Romanus Pontifex*, qui suspensionis pœnam apposuit ab executione Ordi-

num adversus taliter ordinatos ; & à collatione ordinum ad annum adversus ordinantes. Idem dicendum est de illis, qui scirent suam professionem esse irritam. Qui bonâ fide sine titulo ordinati sunt, hoc consentiente Episcopo, nullam incurrunt pœnam, sed Episcopus curare tenetur de illorum sustentatione, donec beneficium habeant. Si verò fraus intervenit ex parte ordinati, qui v. g. falsum obrulit titulum, fatentur omnes ipsum peccasse mortaliter; dubium verò remanet apud Doctores, an suspensionem incurrerit, eo quòd hæc pœna videatur abrogata cap. *Neminem*, & cap. *Sanctorum*, dist. 70. Quòd si Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de Reformatione, antiquorum canonum pœnas innovet; non satis liquet apud Doctores, utrùm innovaverit antiquiores canones dudum abrogatos. In casu tamen speciali, quo aliquis non habens patrimonium, promisit Episcopo ante ordinationem suam, se ab illo nihil petiturum, neque ab illo, qui ipsum præsentavit, incurritur suspensio reservata summo Pontifici, *cap. penultimo de Simonia*.

Quæres sextò, quid dicendum sit de Diaconatu? Respondeo, Diaconatûs ordinem duplicem materiam partialem habere; nimirum porrectionem libri Evangeliorum, cui correspondent hæc verba Episcopi, tanquam forma; *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quàm pro defunctis in nomine Domini amen*: & impositionem manuum cum istis verbis, *Accipe Spiritum sanctum ac robur ad resistendum diabolo & tentationibus ejus*. Diaconorum officia sunt Episcopo & Sacerdoti in Missæ sacrificio assistere, & ministrare; Evangelium in Missa solemni canere, & absente vel committente Sacerdote prædicare, baptizare, & Eucharistiam ministrare. Prima pars est communis in Ecclesia Latina & determinata in Concilio Florentino, ubi ista materia cum forma expressè assignatur. Secunda pars est contra Dominicum à Soto, & alios quosdam, qui suam opinionem fundant in hoc, quòd in Concilio Florentino sola instrumentorum porrectio pro materia assignetur. Sed ratio Concilii, volentis potiùs exprimere porrectionem instrumentorum, quàm manuum impositionem, fuit, quòd intenderet assignare pro materia rem aliquam subsistentem, sicut fecit in Baptismo, Confirmatione, Eucharistia & Extrema unctione. Cum autem impositio manuum non sit res subsistens, benè autem liber Evangeliorum; ideò de isto tantummodo locutum est. Adde quòd, hoc loco Concilium voluerit instruere Armenos, qui forsan existimabant, solam impositionem manuum esse materiam hujus Sacramenti, & porrectionem libri Evangeliorum rejiciebant, tanquam superfluam. Melius est ergo, si conjungamus pro materia hujus sacramenti impositionem manuum & libri Evangeliorum traditionem: quandoquidem ab initio Ecclesiæ sic fuit collatus iste Ordo, ut expressè habetur Actuum 6. Deinde, Concilium Carthaginense 4. quod pro minoribus Ordinibus assignat propriam materiam, pro ordinatione Diaconorum meminit solius manuum impositionis, sicut & Concilium Ancyranum, & Dionysius cap. 5. Ecclesiast. Hierarchiæ. Quòd si dicatur contra primam partem, tempore Apostolorum Diaconos fuisse ordinatos sine porrectione libri Evangeliorum, cùm nondum scripta fuerint; ut patet ex Baronio ad annum 45. dicente, Matthæum, qui primus inter Evangelistas scripsit, hoc fecisse tantùm anno 8. post Christi ascensionem. Respondent aliqui, in quibusdam codicibus scripta fuisse quædam fidei rudimenta, qui tenebant locum libri Evangeliorum. Alii dicunt, dispensatum fuisse specialiter à Christo cum Apostolis; sed melius est, si dicatur, particularem designationem materiæ, derelictam fuisse in potestate Ecclesiæ, quæ potuit uti, vel uno signo, vel alio. Porrò solidiùs stabilitur impositio manuum ad ordinationem Diaconi pertinens, per ea quæ sumus dicturi de Presbyteratu in Quæstiuncula sequenti; quoniam adversarii æqualiter existimant, manuum impositionem esse tantùm accidentariam in Sacerdotio, ac Diaconatu.

Quæres ultimò, quid sit dicendum de Ordine presbyteratûs? Respondeo, ipsum habere duplicem materiam, & duplicem formam, nimirum traditionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia, sub his verbis, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Missasque celebrandi tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Domini amen*: ac deinde impositionem manuum supra caput ordinandi cum hac forma; *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt*. Ipsius officia sunt Eucharistiam conficere & administrare, conferre Baptismum, Pœnitentiam & Extremam-unctionem; prædicare Evangelium, & benedicere aquam, fructus, cereos, & similia, quæ designantur in Rituali. Quantùm ad primam partem, à nemine Latino revocatur in dubium; secundam verò, quæ est Scoti *in 4. dist. 24. num. 9.* Bellarmini, & aliorum, frequentius rejiciunt Sotus, Valentia, & quidam alii, qui asserunt impositionem manuum esse tantùm cæremoniam accidentalem, ut diximus de Diaconatu. Et hoc contra Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. ubi de Extrema-unctione loquens, ait; *Proprios hujus sacramenti ministros esse Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinatos per impositionem manuum Presbyterii*. Quòd si iterum nobis objiciatur Concilium Florentinum, quod assignans materias & formas sacramentorum, non meminit nisi primæ partis: per hoc non exclusit impositionem manuum, sicut nec Tridentinum præcitatum & Carthaginense 4. non exclusere traditionem instrumentorum, licèt de sola impositione loquantur. Unde dicendum est, quòd Patres Florentini, qui in aliis Ordinibus assignaverunt pro materia traditionem cujuscunque rei, hoc idem voluerint facere in Sacerdotio, supponentes aliam materiam, quæ erat satis nota ex antiquitate & apud Concilium Carthaginense & Tridentinum. Non negamus tamen, quòd per porrectionem vasorum & verba Episcopi acquirat Sacerdos potestatem consecrandi corpus & sanguinem Christi; sed tantùm volumus, quòd non esset completè Sacerdos, si non fieret manuum impositio; quia non validè posset absolvere, & ad complementum Sacerdotii requiritur, quòd Sacerdos habeat potestatem supra corpus Christi reale & mysticum. Quòd si porrigerentur calix sine vino, & patena sine pane triticeo, ordinatio esset invalida; quia utrumque requiritur. Imò non aliter calix & patena requiruntur, nisi quia continent panem & vinum. Si autem deesset solus panis, vel solum vinum, iteranda esset sub conditione ordinatio, ut vult major pars Doctorum.

Antequam firmiùs probetur à nobis, impositionem manuum spectare essentialiter ad Ordinationem Diaconi & Sacerdotis; Præsciendum est, quòd mille & ducenti anni elapsi sint, quibus Patres & Doctores, agendo de Sacramentis, non fuerunt usi his verbis, materiâ & formâ Sacramentorum; sed hoc explicabant per rem sacram, & signum; ita quòd per rem sacram intelligerent id quod posteà significatum est nomine materiæ; & per signum formam,

formam, quæ sensibus percipitur. Vulgò etiam dicebant, sacramenta constare rebus & verbis, juxta effatum Augustini, *Verbo baptismus consecratur. Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Nomina ergo ista materiæ & formæ introduxit apud Theologos Philosophia Peripatetica. Sicut enim Aristoteles omnium rerum naturalium assignavit materiam & formam, sic Theologi in his ultimis sæculis, hoc est à quadringentis annis, in rebus etiam moralibus & sacris, materiam & formam exquisiere; unde maximè disputant de materia & forma sacramentorum, & singulariter altercantur de materia ordinationis Diaconorum & Sacerdotum. In hac autem disputatione sunt præsertim tres famosæ opiniones, quarum prima asserit, materiam ordinationis unicè constitui in porrectione calicis & patenæ cum pane & vino, in qua creatur completè Sacerdos; & impositionem manuum esse tantùm cæremoniam accidentalem. Secunda opinio asserit, ordinationis materiam esse solam manuum impositionem, sine porrectione ulla vasorum, & hanc amplectuntur Græci. Tertia tandem est Scoti, & quamplurimorum, qui non rejiciunt porrectionem vasorum ab essentiali materia ordinationis; quia contradicerent Concilio Florentino: nec etiam repudiant impositionem manuum, quam vident usitatam fuisse ab Apostolorum tempore; sed utramque conjungentes asserunt, Diaconatum & Presbyteratum habere duas materias, & duas formas partiales, videlicet impositionem manuum, quæ ab ipsa nascente Ecclesia introducta est; & porrectionem libri Evangeliorum, sicut calicis & patenæ, cum pane & vino, quod potuit ordinare Concilium Florentinum, vel præcedentia; quia, ut diximus aliàs, licèt Christus in genere instituerit signa sensibilia pro materia sacramentorum; reliquit tamen in potestate Ecclesiæ, ut in particulari designaret talia, vel talia signa sensibilia. Unde, licèt supponeretur, ante Concilium Florentinum porrectionem vasorum non fuisse materiam ordinationis Diaconorum & Sacerdotum, potuit tamen Ecclesia uti jure suo, & determinare talem porrectionem pro materia illorum sacramentorum; quia talis mutatio est tantùm materialis, & non formalis, ut diximus anteà.

Quòd autem essentialiter requiratur manuum impositio ad utramque supradictam ordinationem, patebit ex sequentibus. Primò, ex eo quòd Græcorum ordinationes validæ semper fuerint reputatæ, etiam à Latinis: cùm Græci apud nos permiscuè celebrent, & Latini possint adorare Eucharistiam in manibus Græcorum, & præceptum audiendi Missam adimpleant, dum audiunt Græcum celebrantem; sed porrectio vasorum nunquam fuit adhibita illorum ordinationi, sed tantùm impositio manuum; quod denotat ipsam non esse cæremoniam accidentalem, sed quid essentiale respectu ordinationis Græcorum & Latinorum. Secundò, Theodoretus in Philoteo cap. 9. refert Salamanum sanctum eremitam fuisse ordinatum à suo Episcopo, ipso eremitâ insciente. Cùm enim Pontifex civitatis hujusce solitarii didicisset pietatem, accessit ad eum volens illi tradere donum Sacerdotis; & ob hoc cellulam ipsius aliqua ex parte perfossam ingressus est, manum illi imposuit, peregit precationem, quæ solebat fieri in ordinationibus, & multoties illi dixit omnia, quæ sibi advenerant, indicavitque, ipsum esse Sacerdotem: ex quo sequitur, præter orationem & impositionem manuum, nihil aliud requisitum fuisse apud Orientales; quod verè probat, talem impositionem non fuisse accidentalem, sed absolutè essentialem. Idem Theodoretus cap. 13. refert, ordinationem alterius solitarii, Macedonii nomine, quam factam nescivit: imò, cùm assistentium aliqui hoc ei indicassent, gravissimè iratus est. Quod probat, nullo modo usitatam fuisse apud Græcos porrectionem vasorum, ut patet ex Ritualibus Græcorum, ex sancto Clemente, ex D. Dionysio, & S. Maximo illius interprete, qui talem vasorum traditionem absolutè ignorarunt.

Tertiò ex Ecclesia Latina etiam verificari potest; primis sæculis solam manuum impositionem usitatam fuisse: Rituales enim antiqui Latini istius traditionis instrumentorum non meminerunt, ut patet primò ex Codice decerpto ex bibliotheca domini Petavii Senatoris Parlamenti Parisiensis, qui codex est omnium antiquissimus, cùm sit undecim sæculorum. 2. Ex alio etiam ex eadem bibliotheca desumpto, qui est sæculorum novem. 3. Ex codice Abbatiæ Corbeiensis, nunc translato ad bibliothecam Abbatiæ S. Germani de Pratis octingentos annos superante. 4. Ex codice Rothomagensi, qui est octingentorum annorum, & scriptus fuit pro Anglia. 5. Denique ex codicibus Rhemensi, Senonensi, & aliis antiquissimis. Omnes isti codices sacramentarii nullam prorsus mentionem faciunt de porrectione vasorum, nec de forma illam concomitante; sicut nec horum temporum scriptores, qui fuerunt Isidorus, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, Valfredus Strabo, & similes; licèt amplissimè de Ecclesiasticis Officiis scripserint. Absurdum ergo videtur, totam essentiam hujus sacramenti constituere in porrectione vasorum, quam per multa sæcula ignorarunt tum Græci, tum Latini; & dicere, impositionem manuum, quæ sola viget & viguit apud Græcos, & plusquàm octo sæculis fuit usitata apud Latinos, esse tantùm accidentalem. Sed restat difficultas, quandonam Ritus ille traditionis instrumentorum superadditus fuerit in Ecclesia Latina; quod certè difficillimum est dictu: cùm talia sæpè non fiant in aliquo Concilio, sed alicujus forsan pii & famosi Episcopi instinctu, qui devotis, solidis tamen, rationibus ductus hoc addendum arbitratus est. Deinde, illud approbantes paulatim vicini Episcopi, cum Rituales novos imprimi curarunt, hanc adjunctionem addidere in illis. Si tamen conjecturæ sit locus, probabile est, hoc additum fuisse ab annis septingentis; quandoquidem in codice Abbatis Constantini Caetani hujus ætatis habetur, *Hoc facto*, id est, unctione factâ, *accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino & dicat, Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missamque celebrare pro vivis & pro defunctis.* Quidquid sit de tempore, quo facta est talis additio, sive fuerit in Concilio Florentino sive antea, ut plurimi sentiunt; hoc Ecclesia potuit facere, ac declarare, talem porrectionem instrumentorum cum verbis illi accommodatis esse materiam partialem, & formam ordinationis Presbyterorum & Diaconorum, juxta doctrinam, quam tradidimus ex famosissimis Doctoribus derivatam, quod scilicet Christus, qui instituit signa sensibilia esse materias sacramentorum, reliquerit in potestate Ecclesiæ authoritatem deligendi hoc vel hoc signum sensibile, tanquam materiam. Unde, licèt primis annis sola impositio manuum fuerit materia ordinationis, potuit tamen Ecclesia in transcursu temporum determinare instrumentorum porrectionem concurrere ad materiam ordinationis; quatenus per illam distinctiùs exprimitur potestas tradita Sacerdotibus consecrandi corpus & sanguinem Christi. Vide ea quæ diximus de materia & forma sacramenti Ordinis.

CAPUT ULTIMUM.

De Sacramento Matrimonii.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit Matrimonium ; & quando institutum fuerit ?

MATRIMONIUM sic dicitur, quia est matris munimen, seu matris munium; liberi enim ex Matrimonio procreati matrem munire & protegere debent : vel sic dicitur à fine, quia ideo stabilitum est, ut fœmina efficiatur mater filiorum. Dicitur etiam conjugium eo quòd vir & mulier subdantur jugo communi. Tandemque denominatur connubium, quia mulier viro tradita solebat velo, quasi nube, tegi. Triplicitet potest spectari; primò, ut est officium naturæ, ad procreandos liberos qui naturam conservent; sic fuit in lege naturæ integræ. Secundò, ut est remedium concupiscentiæ, sic fuit in statu legis corruptæ, ubi cœpit vigere concupiscentia. Tertiò, ut est Sacramentum novæ legis, per quod datur gratia habitualis & Sacramentalis ad faciliùs portandum onera matrimonii; & sic est in lege gratiæ, ubi non tantùm ordinatur in officium naturæ, vel in remedium concupiscentiæ, sed etiam ad gratiam conferendam, prout est Sacramentum, ut dicemus.

CONCLUSIO PRIMA.

MATRIMONIUM est legitimus & indissolubilis contractus inter virum & fœminam, quo traditur & acceptatur mutua corporum potestas, & confertur gratia. Dicitur primò, *legitimus contractus*, quia debet celebrari juxta leges Ecclesiæ. Dicitur secundò, *indissolubilis*; unde non potest dissolvi consensu contrahentium, sicut alii contractus civiles; & sic non valet axioma juris contra illud, Res per quas nascitur, per easdem dissolvitur. Dicitur tertiò, *inter virum & fœminam*; idest inter unum & unam, ut dicemus. Dicitur quartò, *quo traditur & acceptatur mutua corporum potestas*; & in his consistit materia & forma hujus Sacramenti. Tandem additur, *& confertur gratia*, nempè habitualis & Sacramentalis; quarum ultima consistit in auxiliis supernaturalibus, quæ Deus confert ad leviùs portanda onera Matrimonii. Licèt dixerimus, per matrimonium tradi & acceptari mutuam potestatem corporum; non tamen intendimus asserere, copulam esse Sacramentum, nec partem sacramenti, nec medium conferens gratiam; quia, antequam habeatur copula, sacramentum perfectum est; & tale remanet, licèt copula non sequatur : ab ea tamen matrimonium dicitur consummatum, quod anteà solummodò ratum dicebatur.

CONCLUSIO SECUNDA.

MATRIMONIUM ut erat in officium tantùm naturæ in statu innocentiæ, non fuit institutum à Christo, nec ut fuit in remedium concupiscentiæ in lege corruptâ; erat enim ante Christum, & pro tunc habebat tantùm rationem contractûs civilis; sed ut est Sacramentum in lege gratiæ, ab illo institutum est; Matrimonio enim, quod erat anteà tantùm contractus civilis, Christus addidit rationem Sacramenti, mediante gratiâ, quam illi annecti vo-

A luit. Controvertitur autem quo tempore instituerit ipsum Christus; alii enim dicunt institutum fuisse, dùm Christus adfuit nuptiis Canæ in Galileâ, sed probabilius sentiunt alii Christum illud instituisse, cùm dixit Matth. 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; quod Deus conjunxit, homo non separet*, quod ampliùs potuit declarari in sermone quem habuit ad discipulos in nocte cœnæ. Licèt dixerimus, ante legem gratiæ matrimonium non esse sacramentum; hoc non impedit, quin Patres, etiam in lege naturæ, ipsum denominent sacramentum : Imò Gentilium matrimoniis attribuitur talis denominatio, capite *gaudemus de divortiis*, ; sed pro tunc sumitur nomen Sacramenti largè, pro quolibet signo rei sacræ à Deo instituto, B quatenus vinculum istud est signum conjunctionis Christi cum Ecclesia in quacunque lege. Quantùm ad contractum matrimonialem in lege Naturæ factum, aliqui censent non fuisse necessariam Dei institutionem, seu concessionem specialem; sed, conditâ naturâ humanâ in diversitate sexuum, potuisse marem & fœminam licitum inter se inire matrimonium, sicut alios contractus, & per illius usum genus humanum propagare. Sed meliùs dicunt alii, vinculum matrimoniale institutum fuisse initio mundi. Quando tamen institutum fuerit, controvertuntur Doctores. Nam D. Thomas vult ipsum factum fuisse per hæc Dei verba, *Crescite & multiplicamini* : sed meliùs D. Bonaventura cum Scoto dist. 26. C Num. 13. attendentes, per verba præfata solummodo datam fuisse benedictionem & fœcunditatem hominibus, uti animantibus cæteris, censent matrimonium fuisse institutum quando Adam Genes. 2. distinctè dixit, *Hoc nunc os de ossibus meis*, &c. *& erunt duo in carne una.*

QUÆSTIO II.

Utrùm Matrimonium sit & fuerit in præcepto ?

SUPPONITUR Matrimonium esse bonum, & nuptias non esse inventas à diabolo, ut voluerunt D aliqui; alias non dixisset Deus Genesis 1. *Crescite, & multiplicamini*, nec Matth. 19. *Quòd Deus conjunxit, homo non separet*; nec ipse adstitisset nuptiis Canæ. Ratio hujus est, quia propagatio naturæ humanæ cum debito modo, est per se bona : non posset autem ritè propagari per educationem liberorum, nisi pater & mater nexu indissolubili conjungerentur : ergo Matrimonium bonum est. Et si dicat Tatianus hæreticus actum Matrimonii esse ejusdem speciei ac Fornicatio & Adulterium; hoc verum est in genere naturæ, non moris; fornicator enim & adulter non habent jus ad talem actum, benè autem maritus. Posito autem quòd bonum sit Matrimonium, de præcepto ejus loquendum.

E

CONCLUSIO.

MATRIMONIUM primò sumptum ut est in officium naturæ, semper fuit in præcepto, non singulis hominibus, sed toti hominum communitati, ut habetur ex his verbis, *Crescite & multiplicamini.* Quod si ignominiosum fuerit in veteri Testamento non habere prolem; per hoc non debet inferri, quòd Matrimonium fuerit omnibus præceptum; non erat enim odiosa virginitas, quia secundùm Patres, plures in cœlibatu vixerunt, ut Melchisedech, Josué, Elias, Jeremias, Eliseus, & Joannes Baptista : sed sterilitas erat tantùm odiosa

in Matrimonio, in quantum carebat Matrimonium hac Dei benedictione, *Crescite, & multiplicamini.* Secundò, si Matrimonium spectetur ut est in remedium concupiscentiæ, non est præceptum nisi per accidens; quando scilicet per jejunium, castigationem corporis, eleemosinam & similia comprimi non potest concupiscentia; pro tunc enim Matrimonium præceptum est ex Paulo 1. ad Cor. 4. *Propter fornicationem autem, unusquisque suam uxorem habeat.* Tertiò, Matrimonium, ut est sacramentum, nullomodò præceptum est, aliàs non diceret Paulus primæ ad Cor. 7. *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit; qui autem non jungit, melius facit.* Nostra conclusio est contra hæreticos, qui proclamantes, Matrimonium debere ab omnibus contrahi, ob hoc condemnant continentiam clericorum; sed hoc ineptè, quia omnis ratio præfert Matrimonio cælibatum. Imò nec ipsi gentiles agnoverunt talem contrahendi Matrimonii obligationem, quandoquidem apud Romanos, Vestales erant in summa veneratione, & deviantes à proposito virginitatis gravissimis afficiebantur suppliciis. Rationem ob quam gentiles & pagani Matrimonium aut carnalem copulam virginitati præferebant, D. Ambrosius commemorat, dicens libro de viduis: *Qui deorum suorum adulteria venerantur, cælibatûs & viduitatis statuêre pœnas, ut æmuli criminum multarent studia virtutum; specie quidem, quâ fœcunditatem quærerent; sed studio, quo propositum castitatis abolerent.*

Quæstio III.

An Matrimonium sit sacramentum?

Plures hæretici, ut antea diximus, in Matrimonium insurrexerunt. Veteres enim, quales fuerunt Simon Magus, Saturninus, Gnostici, & Manichæi, cum aliis, ut turpitudinem indifferenter utendi fœminis introducerent, Matrimonium à Deo non esse dixerunt. Et eorum aliqui in tantam devenerunt impudentiam, ut asseruerint, nubere & liberos procreare esse à diabolo, sicut refert D. Irænęus lib. 1. cap. 22. novatores verò nostri fatentur quidem, Matrimonium esse licitum, & à Deo verè institutum; sed negant, ipsum habere rationem sacramenti. Catholici autem, nedum contra primos asserunt, Matrimonium esse bonum, ut pote à Deo institutum; sed etiam contra recentiores volunt, conjugium, præter civilem contractum viri & fœminæ ad propagandam & educandam prolem, institutum esse ulteriùs in sacramentum, seu in symbolum externum religionis, cui ex divina institutione annexa est gratiæ justificantis promissio. Contra Lutherum, qui lib. de captiv. Babil. cap. de Matrimonio protestatur, in illo non esse signum à Deo institutum, neque ullam gratiæ promissionem. Contra etiam Calvinum lib. 4. institut. cap. 19. ss. 34. ubi ait, non magis sacramenti rationem Matrimonio competere, quam agriculturæ, aut sutoriæ arti. Philippus in locis, titulo de conjugio, & Kemnitius in 2. parte examinis Concil. Trident. pag. 1104. & sequentibus, agnoscunt quidem Dei mandatum in Matrimonio & promissionem gratiæ, sed non justificantis; unde volunt quidem, Matrimonium aliqualiter esse sacramentum, sed non propriè. Quòd Matrimonium & nuptiæ sint bonæ, satis evidenter colligitur ex Genes. 2. ubi dicit Deus, *Non est bonum hominem esse solum, faciamus illi adjutorium simile sibi*; ex Matth. 19. ubi Christus inquit, *Quòd Deus conjunxit, homo non separet*: & ex 1. ad Corint. 7. ubi habet Apostolus, *Qui Matrimonio jungit virginem suam, benè facit.* & 1. ad Timoth. 4. *Volo ego juniores nubere: filios procreare, matres familias esse, &c.* quod non præciperet Paulus, nisi esset honorabile connubium, ut habetur ad Hebr. 13. Cùm ergo constet, contra veteres hæreticos, nuptias esse bonas ac licitas, superest, ut adversus recentiores probemus, Matrimonium esse verum & propriè sacramentum.

Conclusio.

Matrimonium est sacramentum ex Conc. Trid. seff. 24. cap. 1. & ex D. Paulo ad Eph. 5. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; sacramentum hoc magnum est, dico, in Christo & in Ecclesia:* in quantùm adhæsio cum uxore, est sacramentum significans conjunctionem Christi cum Ecclesiâ. Quòd autem Matrimonium conferat gratiam sicut alia sacramenta, habetur ex 1. ad Timoth. secundo, *Salvabitur mulier per filiorum generationem, si perseveraverit in fide*; idest, in fidelitate. Quamvis verba præallata non probarent efficaciter ex Scriptura, Matrimonium esse sacramentum, sufficit traditio Ecclesiæ, quam innuit Conc. Trident. dicens seff. 24. de sacramentis can. 1. *Matrimonium meritò inter nova legis sacramenta annumerandum S. Patres, concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt.* Semper enim habitum fuit, tanquam res sacra, cujus non possunt ostendere initium hæretici, neque in Ecclesia Græca, neque in Latina. Ob hoc Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 7. de adultero loquens ait, *Quia in Deum peccat, sacramenti cælestis amittit consortium.* Augustinus lib. de bono conjugali cap. 24. sic habet, *Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis; quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti.* Quòd jam anteà dixerat, cap. 18. *In nostrorum nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas uteri.* Contra Calvinum, qui lib. 4. institut. cap. 19. ss. 14. dicit, se neminem vidisse ante Gregorium, qui Matrimonium pro sacramento sumpserit. Videndus est S. Leo, qui S. Gregorium annis centum & quinquaginta præcessit: iste enim mendacii aut ignorantiæ convincit Calvinum dicendo Epist. 92. cap. 4. *Cùm societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut præter sexuum conjunctionem haberet in se Christi & Ecclesiæ sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad Matrimonium.* Plurimi Patres sentientes idipsum, brevitatis causâ, prætermittuntur.

Objicies primò: Sacramentum debet à Deo esse institutum, debet esse symbolum rei sacræ, ac denique habere promissionem gratiæ sanctificantis; sed hæc omnia non competunt Matrimonio: ergo non est verè & propriè sacramentum. Respondeo neg. min. diximus enim in 2. conclus. 1. quæst. Christum hoc instituisse sacramentum, quando dixit Matth. 19. *Dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; quod Deus conjunxit homo non separet.* Hoc ampliùs potuit declarare sermone, quem habuit ad discipulos, in nocte cœnæ. Quantùm ad symbolum rei sacræ, negari non potest post verba Christi dicentis Eph. 5. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ*: & Pauli, ibid. *sacramentum hoc magnum est, dico in Christo & in Ecclesia.* Quod denotat conjunctionem sponsi &

sponsæ est symbolum significans, nedum unionem personalem Christi cum homine, sed insuper unionem spiritualem per charitatem & gratiam cum Ecclesia. Quantùm denique ad tertiam conditionem sacramenti, quâ exigitur promissio gratiæ; illa habetur ex 1. ad Timoth. 2. *Salvabitur mulier per filiorum generationem, si permanserit in fide.*

Objicies secundò: Nedum hæretici, sed etiam Durandus inter Catholicos in 4. dist. 26. quæst. 3. asserit, Matrimonium non esse, nisi æquivocè, sacramentum; tum quia cætera sacramenta ita excedunt dictamen rationis naturalis, ut illorum non possit reddi sufficiens ratio, nisi per lumen fidei; quando autem videtur Matrimonium fieri, verba exprimentia mutuum consensum evidenter significant unionem insolubilem viri & mulieris: tum quia cætera sacramenta consistunt in aliqua re sacra, quæ suscipienti applicatur extrinsecùs à ministro; ut ablutio in Baptismo, unctio in Confirmatione, panis in Eucharistia, absolutio in confessione, &c. In Matrimonio autem non applicatur aliquid extrinsecè, quandoquidem sola voluntas conjugum signo expressa sufficit. Respondeo, hoc utrumque esse planè extrinsecum respectu Matrimonii, & sic illud non minùs convenire univocè cum aliis sacramentis; quandoquidem est symbolum rei sacræ, à Christo institutum, habens promissionem gratiæ sanctificantis, quæ sola requiruntur ad rationem essentialem sacramenti.

Objicies 3. Si Matrimonium esset Sacramentum, vir esset simoniacus, si acciperet ab uxore pecuniam. Negatur; non accipitur enim pecunia pro Matrimonio ut Sacramentum est; sed ut est contractus civilis, ad sustinenda scilicet onera Matrimonii. *Dices*, Ecclesia non potest variare Sacramenta, nec impedire quominùs sint legitima, si habeant materiam, formam & intentionem ministri; attamen Conc. Trident. cap. de reformatione Matrimonii irritavit istud; si non fiat coram parocho & testibus, ubi sine illis erat validum ante Concilium. Resp. Ecclesiam invalidare tantùm contractum civilem qui subest Sacramento, declarando ipsum esse irritum, si non fiat cum tali circumstantiâ: non invalidat tamen Sacramentum, quia non habet jus in illud, nisi remotè; licet habeat jus proximè in contractum civilem, & hoc habet à principibus qui illum reliquerunt in potestate Ecclesiæ; unde quando contractus civilis est invalidus, invalidum est etiam Sacramentum.

Notandum est hîc, nostram conclusionem, quâ diximus, matrimonium esse Sacramentum, intelligi debere de matrimonio contracto inter fideles; quando quidem infideles, qui non sunt baptisati, nullius Sacramenti sunt capaces; cùm baptismus sit janua Sacramentorum. Quòd si contrahat fidelis cum infideli, multi negant esse Sacramentum; probabiliùs tamen affirmant alii, esse Sacramentum ex parte fidelis; quia est verus matrimonii contractus, quod subjectatur in persona capaci Sacramenti; unde, licèt contractus respiciat essentialiter duos contrahentes, potest tamen esse sacramentum respectu capacis; & non Sacramentum respectu incapacis; ut patet de absolutione, quæ prolata super duos, est Sacramentum in illo, qui habet dispositiones; non verò in alio, qui ipsis caret. Deinde, dum aliàs pauci erant fideles, contrahebant sæpissime cum infidelibus; nulla tamen erat ratio, cur carerent gratiâ Sacramenti. Tandem, si contrahentium unus intendat recipere Sacramentum, verè recipit; si renuat, non recipit. Protunc tamen infidelis fideli ministraret Sacramentum, quod non est

A inconveniens, sicut nec quòd non baptisatus conferat Sacramentum baptismi. An autem Matrimonium infidelis per susceptionem baptismi transeat in statum Sacramenti; alii affirmant, hoc fieri vi prioris contractûs; alij, in virtute novi consensûs; meliùs tamen utrumque negant tertii; quia Christus non apposuit dignitatem Sacramenti innovationi aut perseverantiæ matrimonii, sed ipsi contractui, qui desiit.

Quæstio IV.

B *Quid sint Materia, Forma & Minister hujus Sacramenti?*

Nobis breviter dicere competit de materiâ, tùm proximâ, tùm remotâ, & aliter concludendum est de ministro hujus Sacramenti, quàm de ministris aliorum, ubi Sacerdotes Sacramenta ministrant, hic verò ministri sunt ipsæmet partes quæ contrahunt, & non sacerdos qui dicit, *Ego conjungo vos.*

Conclusio.

Quantum primò ad Materiam remotam Matrimonii, sunt corpora contrahentium, sicut materia remota venditionis est id quod venditur. Quantùm secundò ad Materiam proximam, est mutua traditio corporum; quia id quod immediatè
C sequitur materiam remotam, est materia proxima. Quantùm tertiò ad Formam, est mutua acceptatio partium verbis vel signis expressa; applicat enim materiam, & ille contractus esset imperfectus cum sola traditione corporum, perficiturque per acceptationem mutuam: alii dicunt mutuum consensum habere rationem materiæ & formæ; sed hoc idem est; nam mutuus consensus involvit tam traditionem, quæ est materia, quàm acceptationem, quæ est forma. Quantùm denique ad Ministrum, sunt ipsi contrahentes, non Parochus, quia sine præsentiâ Parochi ante Conc. Trid. validum erat Matrimonium. Deinde, ille est minister qui applicat formam in materiâ, sed ipsi contrahentes ponunt acceptationem & mutuam traditionem cor-
D porum: ergo sunt ministri. Tandem, in locis, in quibus Concilium Tridentinum non est receptum, & in locis, ubi hæretici vigent, in quibus, vel nullus parochus adest, vel ad eum tutus deest accessus, ibi ratio Sacramenti subsistit; quandoquidem non plus requiritur ad substantiam Sacramenti, quàm ad veritatem matrimonii; sed verus est contractus matrimonialis, etiamsi desit parochus: ergo etiam verum est Sacramentum absente parocho, qui consequenter non est minister, quandoquidem Concilium Florentinum, postquam dixit, *matrimonium esse septimum Sacramentum*, subdit illico, *causa efficiens matrimonii est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Si ergo mutuus consen-
E sus sit causa efficiens matrimonii, dici non potest, quòd parochus sit illius minister; nec illius verba, *Ego conjungo vos in Matrimonium*; erunt forma; quidquid in contrarium sentiant Melchior Canus, Guillelmus Estius, Silvius, & pauci alii qui volunt ministrum esse sacerdotem, verba ejus esse formam, & verba contrahentium materiam.

Quando ergo dicitur communiter, requiri parochum ad validitatem sacramenti: non requiritur, ut ministet, sicut in aliis sacramentis; sed tanquam conditio requisita essentialiter ad contractum civilem, quam exigit Ecclesia cum testibus in Concilio

Tridentino, ut consensum partium expostulet, suâ benedictione solemni confirmet matrimonium, & simul omnes testificari possint, matrimonium inter partes esse contractum; nec eas posse consequenter ad aliud matrimonium convolare. Hoc ulterius potest confirmari ex hoc, quòd subsistat etiam post Concilium Tridentinum substantia matrimonii, & ratio sacramenti, etiamsi taceat Parochus, qui assistit matrimonio, ex declaratione Cardinalium ad sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrimonii. Nec absurdum videri debet, quod eædem personæ sint causa materialis & efficiens sacramenti Matrimonii; quandoquidem hoc exigit natura contractûs, qui fit de personis contrahentium; ut patet exemplo illo familiari, quòd, si quis seipsum venderet alteri in servum, ipse esset venditor & res vendita; causa efficiens venditionis & materia ejus. Cùm ergo in matrimonio ipsi conjuges se mutuò tradant & donent, nil mirum est, si sint causæ efficientes matrimonii, & materia ejus. Nec est etiam inconveniens, quòd sacramentum istud ob peculiarem rationem contractûs exigat duplicem partialem ministrum: nec quòd laici & fœminæ sint ministri illius: nec quòd perficiatur validè sine alia cæremonia sacra: nec quod non specificatum fuerit in Scriptura, aut in Conciliis, contrahentes (& non Sacerdotem) ipsius esse ministros; quandoquidem hoc exprimere non opus erat, sicut nec materiam aut formam; cùm Christus non instituerit novum symbolum, sed humanum & naturalem contractum evexerit ad sacramenti dignitatem, illi attribuens novam promissionem gratiæ. Quòd si Rituale Romanum titulo de observandis in Sacramentorum administratione, dicat Parochum, tanquam Ecclesiæ ministrum, debere assistere matrimonio: Ideò ipsum vocat ministrum, quia debet denuntiationes præmittere, quod non est essentiale, & posteà assistendo contractui benedictionem impertiri, sine qua assistentia invalidum esset matrimonium. Si quis dicat, contrahentes ergo debere habere intentionem, nedum contrahendi matrimonium, sed etiam conficiendi sacramentum, quam multi non habent, quia hoc nesciunt: Respondendum est, contrahentes habere illam intentionem saltem virtualiter & implicitè; quia intendunt inire matrimonium Christiano modo, & proinde efficere sacramentum uti fideles faciunt. Quòd si quis quærat, an fideles contrahentes possint separare per intentionem suam rationem sacramenti à ratione contractûs: Respondeo, hoc posse validè fieri, intendendo scilicet contractum inire, & non recipere sacramentum; ut docent Vasques, Bonacina, & multi alii; contra Suarem & Præpositum. Ratio hujus est, quia duo sunt in matrimonio realiter distincta, ad quorum confectionem requiritur intentio seu voluntas, nimirum contractus civilis & sacramentum; sed aliquis potest velle contractum civilem matrimonii inire, & non conficere, aut inire sacramentum: ergo potest validè separari ratio matrimonii à ratione sacramenti. Maximè, quia Christus, instituendo matrimonium in lege nova, non invalidavit contractum aliàs validum; sed illi solùm addidit rationem sacramenti, quando cuncta requisita adsunt, ut v. g. intentio & baptismus; sed fieri potest, ut quis volens inire contractum matrimonii nolit recipere sacramentum, in quantùm ad illud non est paratus: ergo potest separare matrimonium à sacramento. Quòd si tamen aliquis hoc faceret, peccaret mortaliter; quia iret contra institutionem Christi, qui alligando rationem sacramenti ad contractum civilem, voluit ut fideles efficerent utrumque simul. Nec quis dicat, alia sacramenta non posse esse valida, quin sint sacramentum. Ratio enim disparitatis est, quòd ante Christi institutionem nullum valorem haberent, uti matrimonium. Nec etiam dicatur, omne matrimonium inter fideles esse inseparabile, quod non habet nisi ratione sacramenti: Hoc enim falsum est, nam inseparabilitas matrimonii non oritur ex ratione sacramenti, sed quia est inter fideles: eo enim instanti, quo infideles recipiunt fidem, eorum matrimonium est insolubile; attamen non induit rationem sacramenti, ut diximus anteà.

QUÆSTIO V.

Qualis requiratur consensus ad Matrimonium?

CONSTAT quidem mutuum consensum ita necessariò ad Matrimonium requiri, ut sine illo non possit esse verum; non potest enim esse contractus sine consensu partium, nec Matrimonium sine contractu. An Deus possit consensum supplere in Matrimonio? aliqui affirmant, quia se habet in genere causæ efficientis; alii negant, dicentes ipsum reduci ad causam formalem, quam Deus non potest supplere: sed meliùs, distinguendum est, quòd si Matrimonium sumatur, prout dat potestatem viro super mulierem, supplere possit Deus; non verò si sumatur pro contractu, quia est de essentiâ illius. Ille autem consensus debet exprimi per voces aut signa externa; est enim contractus humanus qui essentialiter requirit consensum internum externo actu expressum, ex quibus duabus partibus actus humanus completus componitur. Signa sufficiunt, nedùm in mutis, sed & in his qui non possunt loqui, modò signa externa sufficienter exprimant consensum internum.

CONCLUSIO.

CONSENSUS ad Matrimonium requisitus, debet primò esse à deliberatâ ratione; ille enim consensus mutuam obligationem inducit, & obligatio non inducitur in re gravi, nisi fiat deliberato animo. Debet secundò non esse extortus per metum gravem, quem vocant cadentem in constantem virum, idest qui talis sit, ut virum constantem perturbare & cogere valeat. Non debet tertiò esse factus ex ignorantiâ personæ secundùm substantiam, ut si quis putet sponsare Mariam, & Annam ducat. Non debet quartò esse ex ignorantiâ personæ quoad servitutem, ut si fœmina consentiat in servum quem putat liberum; consensus enim Matrimonii fertur in personam liberam, quæ habet potestatem corporis sui, & alteri potest eam tradere. Nè dicatur tamen, quòd error conditionis minùs præcipuæ consensum impediat; validum enim est, si fœmina consentiat in virum quem putat divitem, nobilem, pulchrum & castum, qui tamen hæc omnia non habet. Quintò, consensus debet esse absolutus, & non sub conditione de futuro; quia aliàs suspenderetur Sacramentum, donec poneretur, vel non poneretur conditio. Quòd si conditio futura sit necessaria, ut si diceretur, *Sponso te, si sol cras oriatur*, valet consensus; habetur enim talis conditio pro non adjectâ, quoniam necessaria est, & non est verisimile, quòd persona prudens suspendat consensum, donec impleatur conditio necessaria, quasi incertus esset ejus adventus. Si quis tamen intenderet expectare eventum talis conditionis, non

esset Matrimonium de præsenti. Sextò, consensus A datus sub conditione turpi, non impedit Matrimonium, quia censetur pro non adjectâ illâ conditio, ait Gregorius XI. cap. si conditiones; v. g. ego te duco, si parentem interfeceris. Septimò, illa conditio censetur pro non adjectâ, si sit contra substantiam Matrimonii: ut, duco te si prolis generationem impedieris maleficio. Octavò denique, si conditio sit de præsenti aut de præterito, validum est matrimonium stante conditione.

Quæres, quomodò instauretur Matrimonium, quod defectu consensûs invalidum fuit. Quandoquidem, ex quæstione præcedenti, mutuus & sincerus consensus partium requiritur essentialiter ad validitatem Matrimonii, & possit aliquando fieri, ut una pars non dederit suum consensum, nisi fictè, B aut ex metu gravi, aut ipsum revocaverit ante contractum Matrimonium; quæritur, quo pacto tale Matrimonium defectu consensûs invalidum, possit instaurari. Respondent quidem omnes, novum & liberum consensum debere adhiberi, ita quòd, si ex parte utriusque contrahentis defuerit, debeat utrimque suppleri. Sed difficultas est, quando una pars tantùm caruit consensu; an debeat suppleri ex utrâque parte, ut volunt aliqui, adhibitis de novo Parocho & testibus, qui dicunt hoc respondisse Clementem VIII. an verò sufficiat, si consensus suppleatur ex parte illius contrahentis, qui suum consensum anteà negaverat. Hoc probabiliùs asserunt Doctores cum D. Thoma, D. Bonaventura, Navarro, & aliis; conformiter declarationi Pii V. C quam refert Navarrus cap. 22. Manualis num. 70. Ratio hujus est, quia alia pars præstitit consensum, in quo habitualiter perseverat; sicque sufficit consensus de novo accedens ex parte alterius, qui defuit, sicut v. g. professio defectu consensûs in profitente invalida instauratur, si de novo consentiat, licèt non accedat novus consensus prælati. Unde ad Clementem VIII. respondetur, non constare authenticè de illius responso; nec ipsum respondisse, tanquam Pontificem, sed ut Doctorem privatum, qui securiorem partem sequi intendebat, non tamen præjudicare oppositæ sententiæ, quæ est probabilior & communior.

Quantùm ad novam difficultatem, quæ oriri potest, utrùm consensus ille, sive unius partis, sive D utriusque, debeat accedere coram Parocho & testibus: Respondent affirmativè iidem Doctores, qui in antecedenti quæstiuncula exigebant consensum utriusque partis; etiamsi defectus esset occultus. Alii verò longè probabiliùs distinguunt, quòd si defectus sit publicus, & probari possit invalidus in foro externo, requiratur iterata præsentia Parochi & testium, ut constet de validitate Matrimonii, & conjuges non possint convolare ad alias nuptias; quæ fuit intentio Concilii, exigentis talem præsentiam. Si verò defectus sit perfectè occultus, nec possit probari in foro externo, præcitati Doctores E D. Bonaventura, D. Thomas, Navarrus, Bonacina, & alii, respondent non esse necessarium, quòd contractus Matrimonialis instauretur coram Parocho & testibus. Horum ratio est, quòd Concilium velit solummodo, adhiberi semel solemnitates, ut constet Ecclesiæ de validitate contractûs, nec alium possint inire partes; sed, posito quòd defectus sit absolutè occultus, constat sufficienter de validitate externa Matrimonii, nec partes possunt aliud Matrimonium contrahere; quandoquidem nequeunt probare invaliditatem primi, quod factum est cum omnibus solemnitatibus requisitis: ergo, ut instauretur tale Matrimonium, sufficit, quòd absque præsentia Parochi accedat consensus internus partis, quæ anteà non consenserat: talis enim consensus internus de novo accedens, junctus cum signo exteriori præcedenti, coalescit in unum perfectum consensum sensibilem. Nostræ responsioni conformis est declaratio Pii V. quam refert Navarrus præcitatus, & declaratio Cardinalium apud Barbosam ad sess. 24. Concilii Tridentini cap. 1. de Reformat. matrim. Quando ergo Clemens VIII. rogatus de quodam casu, quo mulier fictè consenserat; respondit, requiri novum consensum utriusque partis coram Parocho & testibus, admonito priùs marito de matrimonii nullitate; de quibus tamen dispensavit sanctitas sua, ut secretò partes inter se contraherent, renovato consensu: ad hoc Respondendum est ut antea cum Diana, de hoc non constare authenticè, vel ipsum locutum fuisse ut privatum Doctorem. Quòd si etiam ex ritu sacræ Pœnitentiariæ adjungatur communiter dispensationibus facultas renovandi occultè Matrimonia invalida absque Parocho & testibus; hoc fit ad majorem cautelam, licèt non sit absolutè necessarium.

Quæstio VI.

An ad validitatem Matrimonii requiratur consensus parentum?

Constat quidem, hoc ex maxima congruentia & honestate requiri; ita quòd sine peccato proles Matrimonium inire non possint absque parentum consensu, nisi ex justa causa excusentur. An autem ita necessariò exigatur parentum consensus, ut illo deficiente Matrimonium irritum sit; hoc est quod quærimus. Erasmus in colloquio Eubuli & Catharinæ impropetat Papistis, quòd censeant Matrimonium, insciis aut invitis parentibus contractum, esse validum; additque, nec naturam, nec veteres leges, nec Moïsem ipsum, nec Evangelium, aut Apostolicam doctrinam tale dogma approbare. Lutherus Serm. de Matrimonio, ait, Quòd si nata est proles ex Matrimonio contracto sine consensu parentum, Matrimonium firmum censeri debeat; si verò nondum nata est, pro tunc parentes illud confirmare vel irritare valeant. Calvinus lib. 4. Institut. cap. 19. ss. ultimo, recensens leges Pontificum Romanorum de Matrimonio, quas dicit esse impias in Deum, vel iniquissimas in homines, hanc primo loco enumerat, quòd conjugia injussu parentum contracta firma & rata habeant. Catholici verò volunt, quòd licèt parentes non possint filios, invitos Matrimonio jungere, attamen filii possint se tradere in Matrimonium, invitis parentibus. Quòd parentes non possint filios aut filias Matrimonio jungere, nisi volentes, patet ex Genes. 24. ubi pater & frater Rebeccæ, loquentes de ejus matrimonio cum procuratore Abrahæ, qui eam postulabat in uxorem Abrahæ filii, dixerunt, *Vocemus puellam, & inquiramus ejus voluntatem.* Hoc confirmat ratio, quòd scilicet falsa essent verba contrahentium, Ego te accipio in uxorem, ego te accipio in maritum, si inviti aut invitæ contraherent. Quòd autem filii aut filiæ possint absolutè contrahere Matrimonium invitis parentibus, probabit

Conclusio.

Ex Concilio Tridentino Sess. 24. in decreto de Matrimoniis clandestinis. *S. Synodus anathemate damnat eos, qui falsò affirmant, Matrimonia*

à filiis familias, sine consensu parentum contracta, irrita esse, contra Erasmum & Calvinum; *& parentes ea rata vel irrita facere posse*, contra Lutherum. Accedit posteà jus canonicum cap. *Cùm virum de regularibus*, ubi Clemens III. de puella nubili inquit: *Quia liberum habet arbitrium, in electione propositi parentum sequi non cogitur voluntatem.* Ob hoc Ambrosius in Epist. 4. alloquens Sisinium, qui filio indignabatur, quòd uxorem duxisset absque suo consilio, dicit, ipsum reverà in hoc admisisse culpam; satis tamen apertè demonstrat, quòd Matrimonium fuerit ratum. Ratio confirmativa nostræ opinionis est, quòd in tali contractu nihil desit eorum, quæ ad essentiam Matrimonii pertinent; cùm adsint materia, nempe contrahentes; forma, scilicet mutuus consensus; ac denique intentio ministri, videlicet contrahentium; qui Matrimonium inire desiderant. Nec dicatur, talem consensum non esse plenum ac sufficientem, cùm filii sint in potestate parentum, quos debent colere, & proinde nil facere in re tam gravi quod nesciant, aut non habeant gratum. Falsum est enim, quòd tales filii, modò sint puberes, non habeant liberum consensum, ad quem non requiritur consilii maturitas, sed solùm usus liberi arbitrii, qualis requiritur ad merendum, peccandum, aut vovendum; unde solam libertatem in contrahentibus exigunt canones. Quantùm verò ad reverentiam, quam debent filii parentibus, peccabunt quidem isti, si non sequantur justam eorum directionem; non minùs tamen firmum erit Matrimonium, quia disposuerunt de re sua, non de aliena. Deinde, major est subjectio servorum ad dominos, quàm filiorum ad parentes; sed ex jure canonico cap. 1. *De conjugio servorum*, eorum Matrimonium, invitis dominis, validum censetur; quia jus gentium, quo introducta est servitus, non potuit auferre quod jus naturæ concessit, nimirum libertatem eligendi suum statum.

Objicies ex Exodi 22. & Deuteron. eodem capite, *Si quis virginem stupravit, det patri ejus certum numerum cyclorum, & eam ducat in uxorem, si pater voluerit; vel non habeat, si noluerit*; quod denotat, voluntatem patris posse irritare, vel ratificare connubium prolis. Hoc confirmatur ex Num. 30. ubi pater revocare potest votum Deo factum à prole, & à fortiori matrimonium, quod est promissio facta tantùm homini. Respondetur ad primum, ibi non fieri mentionem de matrimonio jam contracto, quod non possunt annihilare parentes; sed de contrahendo, quod revera possunt impedire. Quantum ad irritationem votorum, Numerorum textus exprimitur de filiabus, quæ adhuc non pervenerunt ad pubertatem: cui textui conformis est lex canonica canone *puella* quæst. 2. *Puella, si ante duodecimum ætatis annum sponte velamen sibi sacrum assumpserit, possunt statim parentes vel tutores id irritum facere, si voluerint. Si verò in fortiori ætate Deo servire elegerit adolescentula, vel adolescens, non est parentibus prohibendi potestas.* Ratio utriusque legis petitur ex eo, quòd ante annos pubertatis homines non sint domini suorum actuum, cùm pleno rationis judicio non polleant. Si quis dicat, ex jure naturali & civili matrimonia filiorum subjici voluntati parentum, ut patet ex l. *nuptiæ* ff. *de ritu nuptiarum*: Respondendum est, rationem naturalem & leges civiles docere revera, quòd nuptiæ non debeant celebrari invitis parentibus; quia naturaliter filius patri subjicitur: nulla tamen lex declarat, matrimonium esse irritum, quod fit invitis vel insciis parentibus. *Dices*, quòd Evaristus in epist. decretali dicat, *aliter non esse legitimum conjugium, nisi puella sponsetur ab his, qui super ipsam fœminam dominationem habent*: Respondeo in decreto Evaristi tot requiri conditiones, quas non admittunt ipsi adversarii, quod declarando tale matrimonium non esse legitimum velit non esse justum nec licitum, nec posse fieri sine peccato. Ibi enim exigit, quòd uxor cum precibus benedicatur à sacerdote, quòd biduo vel triduo orationibus vacent conjuges, ac servent castitatem, quæ omnia non requiri ad validitatem matrimonii omnes norunt. Quòd si canones permulti apud Gratianum innuant, futuros conjuges debere offerri à parentibus, matrimoniumque fieri non debere, nisi ex illorum consensu: per hoc volunt tantùm, quòd ex honestate & congruitate non debeant desponsari filii aut filiæ, invitis parentibus; quia ab eo regendi sunt filii, à quo esse acceperunt.

Ob hoc diximus quæstionis initio, quòd non possint filii aut filiæ, sine peccato, contrahere matrimonium invitis parentibus, absque eo quòd accesserit justa ac rationabilis causa; ut pote, quando credunt parentes esse consensuros, quomodo Tobias inscio patre uxorem duxit; vel quando vident, injustè parentes prohibere filios à tali matrimonio, quibus cessantibus, pueri peccant ducendo uxores contra voluntatem parentum; quia, sicut parentum est filiis prospicere eisque præparare honestum vivendi statum, sic filiorum est sinere ut à parentibus regantur. An autem sic contrahendo injussu parentum, peccent mortaliter, affirmativè respondent omnes, saltem per accidens, si v. g. immineant gravia scandala, si sit periculum contrahendi contagiosum morbum, si de bonorum amissione periclitetur, si graves discordiæ ex hoc oriri debeant, vel si indignum Matrimonium redundet in ignominiam familiæ. Seclusis tamen his accidentibus extrinsecis D. Thomas, Victoria, Ledesma, & alii (quibus videtur favere Scotus *dist.* 29. *num.* 12.) asserunt sine peccato, saltem mortali, filios posse contrahere independenter à parentibus; licèt Vasquez, Sanchez & aliqui alii teneant, proles graviter peccare, contrahendo inconsultis & invitis parentibus. Quantùm ad pœnam contrahentium parentibus invitis, aliqui censent, ex jure civili tales exheredari posse; sed Novella 115. cap. 3. hoc restringit ad puellam, quæ minor viginti quinque annis Matrimonium à parentibus oblatum respuit, si luxuriosam vitam agat.

Quæstio VII.

An Matrimonium possit contrahi per procuratores?

Consensus, quem diximus esse necessarium ad valorem Matrimonii, fertur præcisè in traditionem corporum, non verò fertur essentialiter in copulam; aliàs Matrimonium B. Virginis & S. Joseph non fuisset verum Matrimonium, quod est temerarium negare; distinguitur enim dominium ab usu, unde si fœmina consentiat in traditionem sui corporis sub potestate viri, non consentiendo in copulam, nec dissentiendo, consensus ille sufficit, licet usus sequatur communiter ad dominium. Dubitari potest, an Matrimonium contractum per procuratorem validum sit.

Conclusio.

Ex praxi apud Reges constat, Matrimonium posse contrahi per procuratorem, sivè procurator sit vir, sivè fœmina, & etiam per litteras; Matrimonium enim est contractus elevatus ad sacramentum, & natura contractûs postulat, ut possit fieri per litteras, vel per procuratorem; ad hoc enim requiritur tantùm consensus, & consensus potest dari & explicari, tùm per litteras, tùm per verba procuratoris. Quòd si in talibus Matrimoniis sponsi præsentes conjungantur denuò in facie Ecclesiæ; hoc est tantùm ad ratificationem ejus, vel ut tollantur scrupuli, vel ut suppleantur solemnitates Ecclesiæ quæ omissæ fuerant.

Requiruntur multæ conditiones, ut procurator validè contrahat Matrimonium. Primò, debet illud celebrare coram Parocho & testibus, & illis debet ostendere litteras & procurationem, & nedùm traditio partis debet innotescere, sed etiam acceptatio. Secundò, debet habere procurationem specialem, ubi nominatim agatur de Matrimonio; generalis enim pro contractu quolibet faciendo non sufficit. Tertiò, procuratio debet esse determinata pro tali personâ; mandatum enim vagum non sufficeret. Quartò, procurator debet per se exequi procurationem, nec alium potest substituere, nisi hoc exprimat procuratio. Quintò, requiritur ut procuratio non sit revocata eo tempore quo procurator contrahit; pro tunc enim irritum esset Matrimonium, etiamsi de retractatione non constaret procuratori aut alteri conjugi; immò si retractatio esset tantùm interna, Matrimonium non valeret, etiamsi ille qui procurationem dedit, jurasset se eam non revocaturum. Hoc est ex jure canonico, ex quo patet, actum consensûs procuratoris & consensûs mandantis constituere unum tantùm actum numero in genere moris.

Ratio quare Matrimonium contractum per procuratorem est validum, petitur ex hoc, quòd Christus elevans hunc contractum naturalem & civilem ad esse sacramenti, non mutavit rationem ejus; unde, quia contractus ille factus per procuratorem vel litteras, est legitimus contractus, ideò talis contractus inter fideles est legitimum sacramentum. Forma hujus Matrimonii qua procurator uti potest, est hæc; Recipio te in uxorem nomine Petri; vel, Petrus accipit te in uxorem mediante me; similiter sponsa dicere debet, Ego duco Petrum nomine tuo, vel te mediante. An autem Procurator peccet mortaliter contrahendo Matrimonium in peccato mortali, negatur: quia non est minister principalis, nec sacramentum recipit; mandans verò peccat mortaliter, si negligat se disponere ad recipiendum sacramentum, quando probabiliter putat Procuratorem contracturum Matrimonium, similiter etiam gratiam recipit pro illo instanti, si non ponat obicem. Si quæratur, an peccet inter dormiendum, si sit in peccato, dùm Matrimonium contrahitur, affirmat Sanchez, negant alii, ob inadvertentiam; & credunt quod potius peccaverit ante somnum, dum prævidens se Matrimonium contracturum, præparationem ad illud neglexit.

Objicies, Matrimonium contractum per procuratores non esse conforme Concilio Tridentino, quod exigit præsentiam Parochi & testium quæ non potest adesse, quandoquidem partes à se invicem distant. Respondeo, ex jure civili dubitari non posse, quin per scripturam & per procuratorem possit A contrahi Matrimonium. Primum enim patet ex L. *mulierem ff. de ritu nuptiarum*, & L. *sufficit ff. de sponsalibus*. & secundum cap. *finali de procuratoribus*. Utrumque autem potest reddi conforme Concilio Tridentino; Primum scilicet, si sponsa coram Parocho & testibus litteras sponsi proferat, ubi ille scribit, se ipsam eligere de præsenti in uxorem, & ei se tradere in maritum, ipsaque subjungat, se similiter tradere alteri in uxorem, & traditionem sibi factam acceptare. Secundum verò observabit etiam determinationem Concilii, si procurator consensum illius, qui procurationem dedit, ejus nomine exprimat coram Parocho & testibus; hoc enim æquivalet consensui expresso ab illo, qui procuratorem instituit. Nec est absolutè necessarium B exhibere instrumentum procuratorium, cùm talis procuratio vivâ voce tradi potuerit. Quando autem tale initur Matrimonium per procurationem, contractus seu sacramentum non solùm consistit in actu constitutivo procuratoris; sed simul in procuratoris ministerio: quia expressio consensûs Matrimonialis perficitur hoc ministerio, & integratur ex mandato constituentis procuratorem, & actu executivo ipsius procuratoris; qui tamen non est minister sacramenti; quia non agit nomine suo, sed nomine constituentis.

Quæstio VIII.

C *An Matrimonium clandestinum sit invalidum?*

Duplex est Matrimonium, nempè solemne & clandestinum. Primum est illud quod fit coram Parocho & testibus, & denuntiationibus Ecclesiæ præmissis; & hoc dicitur in facie Ecclesiæ, non materiali, sed morali, quia fit coram multitudine fidelium. Clandestinum duplex est, unum quod fit sine denuntiationibus, attamen coram testibus & Parocho: aliud quod fit sine Parocho & testibus, & hoc est propriè clandestinum. Ante Concil. Trident. utrumque erat validum, licet prohibitum; post Concil. verò irritum fuit illud quod D fit sine præsentiâ Parochi & testium, ad majorem scilicet reverentiam sacramenti, ob indissolubilitatem striciùs observandam, & ad vitandas discordias inter amicos contrahentium.

Conclusio.

Matrimonium clandestinum sine Parocho & testibus factum, invalidum est. Sic Conc. Trident. sess. 14. cap. 1. sic Ecclesia reddit votum irritum professionis ante sextum decimum annum, & ante probationem; sic etiam jus civile reddit prodigum inhabilem ad contrahendum pro bonis temporalibus: in hoc autem Ecclesia non extendit E suum jus super sacramentum immediatè, sed super contractum civilem, quem condescensio principum invalidat; & cui sacramentum ita subest, ut ipso posito ponatur sacramentum inter Christianos, & ipso ablato auferatur.

Matrimonium tamen contractum sine denuntiationibus non est minùs validum post Conc. ac ante; committitur tamen peccatum mortale, nisi in certis casibus. Primò, si timeretur Matrimonium malitiosè impediendum à parentibus & tutoribus, ut eorum bona absumant, vel eos jungant indignis; tunc si non possit adiri Episcopus, aut togatus noluerit ex odio dispensationem dare, tunc proclamationibus obmissis potest contrahi. Secundo, quando

quando ex proclamationibus orietur scandalum, A v. g. quando vir & fœmina, qui creduntur Matrimonio conjuncti, attamen vivunt tantùm in concubinatu, postea contrahere volunt, non requiritur pro tunc ulla proclamatio. Tertio, quando Episcopus dat licentiam, quod tamen ordinariò non facit absolute; jubet enim saltem unam fieri, nè lateant impedimenta. Quarto, quando vir moribundus in uxorem vult ducere suam concubinam ad prolem legitimandam. Sunt & aliæ exceptiones cognitu faciles.

Jure diximus, ante Concilium Tridentinum Matrimonia clandestina fuisse illicita, sed non invalida. Fuerunt inquam illicita, quia ex sess. 24. cap. 1. de reformat. Matrim. de illis sic habetur: B *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, ac prohibuit; verùm, cùm sancta Synodus animadvertat prohibitiones illas, propter hominum inobedientiam, jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis ortum habent ..... ideo qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, sancta Synodus hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat.* Ex qua determinatione patet, quod diximus, Matrimonia clandestina ante Concilium Tridentinum fuisse quidem illicita, non verò invalida. C An autem fuerint prohibita jure naturæ, affirmat Sanchez, & probabiliùs negant cæteri; ut patet de aliis contractibus, qui non minùs sunt validi intrinsecè, etiamsi fiant privatim. Quòd si Evaristus Papa dicat, talia Matrimonia esse adulteria, vel contubernia, aut stupra, aut saltem fornicationes, quæ omnia prohibentur jure naturæ: iste Pontifex loquitur, quantùm ad apparentiam externam, in quantum talis contrahendi modus non reperitur in legitimis Matrimoniis; non verò quantùm ad veritatem intrinsecam. Post Concilium autem Tridentinum Matrimonia clandestina nulla & invalida declarata fuerunt, ut patet ex verbis ejusdem præcitatis.

Fertur, quadraginta Episcopos in Concilio Trident. aliquo tempore sustinuisse, D Ecclesiam non posse invalidare sacramentum cum materia forma & intentione ministri confectum, nec proinde Matrimonium taliter contractum irritari; sed contrarium, ut vidimus, determinatum est. Non quòd immutare possit Ecclesia materiam & formam sacramenti, sed quòd facere potuerit, ut contractus civilis, cui subest ratio sacramenti, esset invalidus, & proinde sacramentum Matrimonii nullum, cum Christus non evexerit ad rationem sacramenti, nisi contractum validum & legitimum. Porro, talis irritatio Matrimonii clandestini non valet, nisi in locis, ubi receptum est concilium; unde, si contracturi adeant locum aliquem, ubi non fuerit re- E ceptum, etiam cum intentione ibi contrahendi, legitimum est Matrimonium; etiamsi Concilium receptum fuerit in loco, ubi manent contracturi; quia leges non respiciunt nudè personas, sed cum ordine ad locum, ubi receptæ sunt: unde existimatur ab omnibus, aliquem se conferre posse ad illum locum, ubi non obligat lex jejunii, & exire à loco, ubi obligat. Quòd si aliqui incolæ loci, ubi Concilium non est receptum, transmigrent in alium, ubi receptum est, non possunt validè contrahere sine Parocho & testibus. In regionibus, in quibus viget hæresis, & ubi anteà Concilium publicatum fuit, clandestina Matrimonia sunt prorsus invalida; quamvis fiant coram ministro hæretico, vel magistratu. Quòd si Catholici contrahant in locis, ubi non sunt proprii Pastores, Matrimonium est validum; cùm ibi Concilium non possit observari: quod respondit Cardinalis Bellarminus die 30. Decembris anni 1600. Octavio Tricaricensi Episcopo. Quòd si in talibus locis tolerentur Pastores, sub conditione, quòd sacramenta non administrent sub pœna mortis, aut gravis mulctæ pro administrantibus aut suscipientibus, in illis potest contrahi sine Parocho; sicut quando accessus periculosus est: quia tunc hæc omnia æquivalent absentiæ Parochi.

QUÆSTIO IX.

Quales debeant esse Parochus & Testes?

Lex Concilii, de quâ locuti fuimus in quæstione antecedenti, quæ exigit præsentiam Parochi & Testium, aliquas patitur exceptiones. Primo, respectu infidelium; est enim illa lex merè Ecclesiastica, & sic non obligat infideles; si unus tamen est fidelis, Matrimonium nullum est. Secundò, respectu fidelium, qui priùs contraxerunt in facie Ecclesiæ, sed invalidè, ob occultum impedimentum, posteà clàm contrahere possunt. Aliqui dicunt, ignorantiam etiam dispensare ab hac lege, sed falsò. Tertiò, respectu eorum qui contrahunt in loco, ubi Concil. non est receptum, etiamsi transeant tantùm; imò etiamsi hunc locum accedant eo fine, ut contrahant Matrimonium; qui vult enim contractum civilem facere, ubicumque ipsum inire potest, & fraus tunc non fit legi; potest enim quilibet jure suo uti; habet verò jus eo eundi: peccat tamen mortaliter, quia ante Conc. Matrimonium occultum prohibitum erat, & nunc adhuc est, ubi non recipitur Concil. Exceptis his casibus, requiruntur Parochus & testes; sed videamus, quales esse debeant.

CONCLUSIO.

Parochus debet esse proprius parœciæ sponsi aut sponsæ, vel alter ex ejus licentiâ: potest etiam esse Episcopus vel Vicarius generalis Episcopi; qui unam personam constituit cum illo cujus vices gerit: vel Capitulum sede vacante, vel Legatus Pontificis in terris suæ legationis, vel à fortiori Summus Pontifex. Quoad Archiepiscopos; in suffraganeorum Diœcesibus, nihil in hoc possunt, nisi cùm actu visitant, aut quando causa ad eos devolvitur per appellationem. Quoad vagos, contrahere debent coram Parocho loci in quo hospitantur, etiamsi non sit Sacerdos; Conc. enim exigit tantùm Parochum. Quòd si Conc. dicat Matrimonium non aliter debere fieri nisi coram Parocho, vel alio Sacerdote; ex hoc non debet inferri, quòd Parochus debeat esse Sacerdos; nam ly, alius, sæpe refertur ad aliquid diversæ qualitatis, ut Luc. 23. *Ducebantur autem & alii duo nequam cum illo.* Licet Parochus sit excommunicatus non toleratus, validè tamen assistit, quia non est actus jurisdictionis, sed testis. Quòd si excommunicatus non possit esse testis; hoc est in causis communibus, non in gravibus, ubi infames possunt adhiberi. Quòd si Parochus vel ejus Vicarius habens commissionem administrandi sacramenta, dent licentiam alteri; hoc debet fieri alteri sacerdoti. Debet non esse revocata hæc delegatio & tam Parochus quam commissus debent adsistere modo humano, idest at-

tendere ad contractum; & sic dormiens, amens, & similes adsistere nequeunt. Non est necessarium, quòd Matrimonium celebretur coram Parocho intra limites suæ Parochiæ; quia hic actus non exigit tribunal, aut solemnem pompam.

Quoad Testes, debent esse præsentes præsentiâ etiam morali, & attendere ad ea quæ fiunt; licet tamen adsistant inviti, non minùs sunt legitimi testes, ut declaravit congregatio Cardinalium. Porrò, qualescumque testes præsentes esse possunt, etiamsi illis desint conditiones in jure requisitæ; unde infames, excommunicati, parentes, consanguinei, familiares, famuli, fœminæ recipi possunt; tales enim non rejicit Conc. & sic non est ratio cur excipiantur; favores enim sunt ampliandi, & Matrimonium est materia favorabilis.

Quantùm ad denuntiationes, de quibus pauciora, quàm par est, diximus in fine præcedentis quæstionis, repetendum censetur, illas ita requiri, ut sine peccato mortali omitti nequeant, sicut habetur ex cap. 1. sess. 24. Concil. Trident. de reformat. Matrimonii; illarum tamen omissio non invalidat Matrimonium, aliàs idem Concilium hoc expressè declarasset, quod tamen non fecit. Tales denuntiationes debent fieri in Parochia contrahentium, ut faciliùs agnoscatur, si sint quædam impedimenta ad Matrimonium; imò debent fieri in Parochia utriusque partis, si sint ex diversis; ut præscribit rituale Romanum. Quòd si de novo ad aliquam Parochiam transmigraverint, conformius est intentioni Ecclesiæ eas fieri in Parochia, ubi antea manserunt; licèt probabile sit, sufficere si fiant in alia. Denuntiationes debent fieri tribus diebus festivis continuis; creditur tamen, quòd aliqua earum possit fieri in die non festivo, ubi copiosus accedit ad Ecclesiam populi concursus. Melius est, si inter dies festivos intermedient aliqui non festivi. Si aliqui dies festi, sed pauci, intermittantur, non est peccatum mortale, ob brevitatem materiæ. Si verò interponantur duo menses, denuntiationes iterari debent. Si ex probabili suspicione impediendi malitiosè Matrimonium dispenset Episcopus super denuntiationes faciendas, præcitatum Concilium præcipit, ut post Matrimonium factum coram Parocho & testibus, ante consummationem ejus denuntiationes fiant in Ecclesia, si hoc expedire videatur Ordinario. Sicut est gravis obligatio præmittendi denuntiationes, sic est obligatio sub peccato mortali denunciandi impedimenta; quia Ecclesiæ hoc præcipienti obediendum est, & jure naturali charitatis unicuique incumbit impedire peccatum proximi, etiamsi impedimentum sit occultum. Quòd si denuntiationis non speretur fructus, nec fieri possit sine scandalo, aut gravi incommodo sui, vel suorum, non est obligatio denuntiandi. Parochus, qui omissis denuntiationibus assisteret Matrimonio, incurreret suspensionem per triennium à die latæ sententiæ, cap. *Cum inhibitio. de clandestinis desponsationibus.* Si Parochus cognoscat impedimentum occultum, debet contracturos charitativè monere; & si moniti non desistant, debet negare assistentiam Matrimonio.

Quæstio X.

An Matrimonium sit indissolubile?

Hoc potest intelligi vel respectu statûs innocentiæ, vel respectu statûs legis Mosaïcæ, vel denique respectu Evangelicæ legis. Quoad tem-

A pus intermedium inter statum innocentiæ & tempus legis Mosaïcæ, non loquimur de illo, quia nulla fuit in eo lex particularis. Quoad statum innocentiæ, in eo Matrimonium fuit indissolubile; quia pro tunc tale fuit, quale erat ex institutione divinâ, sed ex institutione divinâ erat indissolubile; ex intentione enim Dei & naturæ ordinabatur ad educationem prolis, non solùm ad breve tempus, sed per totam vitam ipsiusmet prolis: ergo parentes debebant simul manere. Quod si Abraham & Moïses dimiserint uxores suas; hoc fuit ex dispensatione Dei; Abraham enim jussu Dei repudiavit Agar quæ serva erat, & accepit Sara quæ erat libera, ut significaret se repudiaturum Sinagogam, & accepturum Ecclesiam. Licet tamen Matrimonium ex se
B sit indissolubile, potest tamen quæri, utrùm fuerit aliquando dissolutum ex dispensatione divinâ.

Conclusio.

In lege Mosaïcâ sicut in Evangelicâ Matrimonium erat indissolubile, & est adhuc; in illâ tamen ex concessione divinâ licitum fuit justâ de causâ Matrimonium solvere, etiam quoad vinculum.

Pro lege Mosaïcâ, patet; quia in omni lege tale fuit Matrimonium, quale fuit ex institutione suâ; sed ut diximus, ex institutione suâ est indissolubi-
C le: ergo tale remansit in lege Mosaïcâ. Constat tamen ex Deuteronomii 24. quòd ex concessione divinâ solutum aliquando fuerit; ibi enim habetur: *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam; & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudii, & dabit in manu ejus & dimittet eam de domo sua. Cùmque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit, non poterit ampliùs eam prior maritus recipere in uxorem.* Nec refert, quòd Matth. 19. dicatur, hoc Deum Judæis permisisse propter duritiem cordis; sequeretur enim Deum verè non concessisse hanc solutionem,
D sed eam tantùm reliquisse impunitam; quod falsum est, & pugnat cum verbis supradictis, maximamque dedisset Judæis occasionem peccandi, quippe qui omnes credebant lege hoc sibi esse licitum. Matth. ergo mox allegatus ostendere tantùm intendit, quòd pronitas Judæorum ad peccandum fuerit causa cur Deus eorum imbellicitati subvenire cupiens, tale repudium illis concesserit, licet verè & sincerè. Quòd si etiam habeatur Deuteronomii 24. mulierem repudiatam alteri nuptam fieri abominabilem; hoc est in quantùm est repudiata; (per hoc enim infamiam incurrit) non in quantùm nupta est. Hæc doctrina est conformis Scoto *dist.* 33. *num.* 4. & pluralitati Doctorum, qui per verba Deuteronomii, & per hunc libellum intelligunt,
E solutum fuisse vinculum Matrimonii; quia Deus hoc potuit concedere: quòd autem concesserit de facto viris, patet ex absoluta locutione Scripturæ, cujus verba adeò sunt clara, ut clarioribus uti non potuisset si voluisset Deus concedere talem licentiam. Hoc autem permisit isti genti, ut majora mala devitarentur, nimirum uxoricidia.

Quantùm ad legem Evangelicam, Matrimonii indissolubilitas habetur Matth. 19. *Quòd Deus conjunxit homo non separet.* Et, *Qui dimissam duxerit, mœchatur:* habetur etiam Matth. 19. *Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Ratio nostra est, quia in lege gratiæ Matrimonium est sacramentum significans unionem Christi cum Ecclesiâ per incarnationem; illa autem unio perpetua

est, unde Matth. cap. dicens, *Qui dimiserit uxorem, nisi ob fornicationem, mœchatur*, intelligendus est de dimissione quoad thorum, non quoad vinculum. Nostra assertio verificatur contra hæreticos per Concilium Trident. sess. 24. can. 5. *Propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam, à conjuge dissolvi non potest matrimonii vinculum.* Et Can. 7. *Iuxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam propter alterutrius adulterium matrimonium non potest dissolvi quoad vinculum.* Hæc definitio, inquam, est contra hæreticos; quoniam Lutherus lib. de captivit. Babilon. cap. de Matrimonio cupit vehementer, definiri, non solùm in causa fornicationis, sed etiam quando alter conjugum recedit in aliam regionem, post decennium licitum sit alteri aliud matrimonium contrahere. Bucerus in cap. 19. Matth. contendit, Matrimonium solvi posse, & aliud iniri, quotiescumque uxor non se commodam præbet viro, aut vir est molestus uxori. Melanchthon in locis Theologicis titulo de Conjugio, in duplici casu tantùm permittit aliud matrimonium iniri, quando alter conjugum fornicatur, vel si injustè conjugem deserat; tunc, inquam, hoc permittit innocenti. Et in annotatione ad caput 5. Matth. hoc etiam nocenti concedit; quia nulli pœna imponenda est, quam non potest ferre. Calvinus denique lib. 4. Institut. cap. 19. ss. ultimo, tyrannicum vocat, non permittere aliud conjugium abjicienti suam partem adulteram: quæ omnia sunt contraria Apostolo 1. ad Corinth. 7. *Iis qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere; quòd si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari; & vir uxorem non dimittat..... Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat.* Quod egregiè explicans Augustinus lib. 2. de adulterinis Conjugiis cap. 4. ait. *Hæc verba Apostoli toties repetita vera sunt, viva sunt, sana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desiverit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus; non si fornicetur. Licitè ergo dimittitur conjux ob causam fornicationis; sed prioris manet vinculum, propter quod fit reus adulterii qui dimissam duxerit, etiam ob causam fornicationis.*

Multæ afferri possunt rationes in confirmationem nostræ propositionis, quarum prima est, quòd matrimonium inter fideles contractum significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, ad Ephes. 5. sed illa unio est indissolubilis, ut patet ex hoc, quòd si fideles aliqui fornicentur spiritualiter, non propterea mutare debent Deum, nec reconciliari renuit Deus cum illis: ergo tale debet esse matrimonium. Secunda petitur ex parte prolis, quæ summâ injuriâ afficeretur, si primo matrimonio dissoluto, aliud posset iniri, nam pro patre inciperet habere vitricum, & pro matre novercam. Tertiam adducit Hieronymus in caput 19. Matth. dicens. Quòd periculum esset, nè mariti, ob desiderium alterius uxoris, primæ imponerent calumniosè adulterium. Quartò, si liceret innocenti convolare ad aliud matrimonium, vel liceret etiam nocenti, vel non liceret; si liceret, commodum ex peccato reportaret, & sæpissime committeret adulterium, ut aliam obtineret uxorem. Si dicatur veró non licere, hoc difficile est conceptu; quia soluto vinculo, altera pars, licèt nocens, libera est, sicut innocens. Si quis dubitet, quo jure oriatur matrimonii consummati indissolubilitas: Alii dicunt, oriri ex jure naturæ; alii ex jure divino positivo: sed meliùs asserunt plu-

A res, illam fundari inchoativè in Jure naturæ, & completivè in jure divino positivo. Ratio primi est, quia ex jure naturæ prohibentur concubitus vagi inter viros & fœminas, sicut & communicatio uxorum, quod certè fieret, si continua dissolutio veterum conjugiorum & novorum contractio esset licita. Adde quod indissolubilitas matrimonii multum conducat ad educationem prolis, quæ ad jus naturæ pertinet. Quoad secundum, jam verificatum fuit à nobis antea per plures contextus Scripturæ tum novi, tum veteris Testamenti. Prædicta tamen non impediunt, quin Deus matrimonium consummatum in aliquibus casibus possit dissolvere, ut fecit reverà in duplici, permittendo Judæis libellum repudii in veteri Testamento; & in novo, quando ex duabus partibus infidelibus una convertitur ad fidem, & altera in infidelitate obstinata, renuit cohabitare cum fideli, aut saltem hoc non vult facere, nisi cum injuria Dei, conando fidelem pervertere. Hoc definitur ab Innocentio III. cap. *quando*, juxta Apostolum 1. ad Corinth. 7. *Quòd si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.* Hunc casum autem excepit Christus in gratiam fidei aut religionis, ne infideles deterrerentur à susceptione fidei, timendo scilicet cohabitare cum infideli.

Objic. Si propter adulterium conjux innocens vellet dimittere uxorem, & non posset inire aliud matrimonium, absque culpa privaretur jure suo; quia nollet cohabitare cum adultera, nec posset
C aliam ducere, quod est contra regulam juris, *sine causa, nisi subsit culpa, non est aliquis puniendus.* Respondeo, contrarium videri in filiis, qui privantur hæreditate paternâ ob peccata patris. Deinde, licèt in hoc non sit culpa, attamen subest causa maxima; quia vinculum prioris manet, quod vult esse Deus, nè fiat injuria proli. Tandem, si non vult carere jure suo, potest uxori remittere crimen, & denuò cum illa cohabitare. *Dices*: Si dimissâ uxore propter adulterium non posset maritus aliam ducere, talis separatio thori, quam Deus permittit, nihil aliud esset, quàm laqueus conscientiæ, qui fornicationes, iram, & judicium Dei excitaret; forsan enim illa persona innocens non haberet do-
D num continentiæ, & proinde in perpetua ustione versaretur, aut præcipitaretur in fornicationes & adulteria, proindeque melius est, si permisso divortio quoad thorum, permittatur etiam quoad vinculum, ut sponsus liber ab adultera aliam possit sibi conjungere. Respondeo in hoc casu, quòd si persona innocens non habeat donum continentiæ, adsit semper remedium paratum, in quantum potest non dimittere uxorem, aut ipsi dimissæ reconciliari, ut suadet Apostolus, 1. ad Corinth. 7. & Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap 6. & sequentibus, ubi desumit argumentationem à Deo, qui, si per sacramentum Pœnitentiæ dimittat peccatum adulterii, & adulterum aut adulteram sibi reconciliet,
E viro non debet esse molestum, si uxorem Deo reconciliatam & non ampliùs adulteram sibi reconciliet. *Dices*: Ex Matth. 19. *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*: ergo ob fornicationem & adulterium potest aliam ducere. Negatur consequentia ex Augustino & pluribus, qui dicunt, particulam *nisi* non sumi exceptivè, vera enim esset consequentia; sed præcisivè tantùm, ita quòd non voluerit asserere, ob fornicationem solvi vinculum, sed quòd ex nulla alia causa id liceat, præscindens, an hoc liceret ob fornicationem, vel non; quia Pharisæi, quos alloquebatur Christus, non erant capaces hujus ve-

ritatis. *Dices*, Ex Concilio Neocæsariensi Can. 7. injungitur tantum pœnitentia contrahentibus secundas nuptias post divortium: ergo signum est, matrimonium contractum dirimi. Respondeo, in toto Concilio mentionem non fieri de nuptiis post divortium, sed de secundis nuptiis simpliciter contractis, mortuâ priori uxore, quas veteres dicebant quidem esse licitas; attamen illas pœnitentiâ aliquâ notabant, in quantum præ se ferebant aliquod signum incontinentiæ. *Dices*, Cajetanum ad cap. 19. Matthæi & Ambrosium Catharinum lib. 5. Annotationum in commentaria Cajetani post disputationem hujus quæstionis concludere, ex Evangelio & Apostolo non posse colligi, soluto primo matrimonio ob fornicationem, non posse initi aliud. Respondeo, hos longè differre ab hæreticis, in quantum expressè Ecclesiæ judicio se submiserint: unde, cum Concilium Tridentinum sess. 24. Can. 6. & 7. anathemate feriat eos qui dixerint, Quâcumque de causa matrimonium posse dissolvi quoad vinculum, consequenter non sunt separandi à communi Catholicorum sententia.

Reperiuntur tamen quædam occasiones in quibus matrimonium potest dissolvi. Primò, quando contractum est inter infideles, & alter conjugum ad fidem convertitur, pro tunc fidelis potest cum alio inire; non est enim obstrictus infideli; & in hoc casu Deus ipse dispensat. Secundò, quando matrimonium inter fideles contractum tantummodò ratum est, & altera partium religionem ingreditur ante consummationem matrimonii; hujus rei causa est voluntas Christi declarata per traditionem Ecclesiæ; & hoc habetur in Conc. Trid. sess. 24. can. 6. *Si quis dixerit, Matrimonium ratum non solvi per solemne votum professionis, Anathema sit*: unde eo ipso quo quis professus est Religionem approbatam, sivè militarem, sivè regularem, conjux potest cum alio contrahere; & professus ita liber est, quòd si Papa dispensaret supra votum, posset aliam ducere, inquiunt aliqui. Non potest tamen dissolvi Matrimonium ratum per receptionem Ordinis sacri, nec etiam Episcopatûs, ut habetur in extravag. antiqua de voto, hoc enim privilegium soli professioni datum est. Tertiò, potest dissolvi matrimonium ratum per dispensationem summi Pontificis; dispensat enim in vota solemnia religionis quæ sunt majora: deinde, hoc fecit aliquando; non est autem verisimile ipsum errasse in tanto negotio. Dixi justâ de causâ; sine causâ enim invalidè dispensaret; nam in his quæ sunt de jure divino, non est dominus, sed dispensator: dispensatio autem rei alienæ sine justâ causâ & contra voluntatem domini, nulla est. Quòd summus Pontifex dispensaverit aliquando in matrimonio rato; hoc refert Antoninus de Martino V. & de Eugenio IV. Navarrus de Gregorio XIII. Henriques lib. 11. de Matrim. cap. 18. n. 11. asserit, hunc ultimum summum Pontificem eodem die dispensasse cum undecim. Hæc exempla tamen non obstant, quin plures alii existimantes se non posse in hoc casu dispensare, tales dispensationes negaverint, ut Innocentius VIII. & Pius V. ex Ledesma cap. 33. de Matrimonio. Porrò, quando diximus, Summum Pontificem posse dispensare in votis, quæ Deo fiunt; hoc sic intelligi debet, quòd ex traditione Ecclesiæ habeat à Deo potestatem relaxandi votorum obligationem.

Quando diximus, Matrimonium infidelium posse dissolvi quoad vinculum, quando unus eorum convertitur: Notandum est, quod tale matrimonium non dissolvatur per ipsam conversionem, sive per baptismum, ut patet ex cap. *Gaudemus, de di-*

A *vortio*. Apostolus enim hortatur conjugem conversum, ut maneat cum infideli, si hic consentiat illi cohabitare; quod non persuaderet Apostolus, si per conversionem vinculum conjugii esset dissolutum. Non solvitur etiam per hoc, quòd infidelis novum matrimonium ineat; quia istud privilegium non conceditur in favorem infidelis: unde concludendum est, quòd vinculum tantummodò solvatur, quando fidelis conversus, in cujus favorem privilegium illud concessum est, contrahit de novo; & protunc infidelis potest cum alio inire. Quòd si, converso fideli, infidelis, qui converti renuit, consentit habitare pacificè cum parte conversa, differunt Doctores inter se, an fidelis possit

B inire aliud matrimonium, vel cohabitare teneatur cum parte infideli, juxta consilium Apostoli 1. ad Corinth. 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum eo, non dimittat illam.* D. Thomas & D. Bonaventura cum pluribus aliis negant, fidelem posse aliam partem ducere, juxta verba D. Pauli, quibus pro ratione addunt, quòd fidelis cohabitando cum infideli possit sperare illius conversionem. Alii verò contrarium existimant deduci ex Augustino lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 13. & 18. dicentes, hoc esse privilegium conversionis; quòd scilicet eo instanti, quo una pars recipit fidem, dirimatur vinculum; proindeque possit alterum matrimonium contrahere, sive alia pars, quæ infidelis remanet, velit libenter

C cohabitare cum parte conversa sine injuria creatoris & perversionis periculo, sive non. Ad Paulum ergo præcitatum respondent, verba ipsius esse tantùm de consilio, non de præcepto, quod ex præcedentibus colligunt, ubi ait Apostolus, *Cæteris ego dico, non Dominus*; quod denotat, non esse ibi præceptum. Quantùm ad hoc, quod dicitur, per talem cohabitationem posse sperari conversionem infidelis: Respondent, talem spem ita esse exiguam, & ex alia parte tanta imminere pericula, ut licèt antiquitus permissum fuerit fideli converso cohabitare cum infideli obstinato, jure merito nunc Ecclesia hoc prohibeat. Quòd si quis objiciat contra separationem fidelis conversi ab infideli, verba

D Christi dicentis, *quod Deus conjunxit homo non separet*: Respondendum est, talem dissolutionem vinculi non esse ab homine, sed à Deo, cujus interpretem habemus Paulum 1. ad Corinth. 7. *Si infidelis discedit, discedat*, &c. Et traditionem Ecclesiæ, canone *si infidelis*. cap. *quanto*, & cap. *gaudemus, de divortiis*. Nec dicatur, per hæresim, quæ est species infidelitatis, non dissolvi vinculum matrimonii: quia hæretici receperunt baptismum, qui est causa talis indissolubilitatis.

QUÆSTIO XI.

E

An Matrimonium ratum sit dissolubile per professionem religionis approbatæ?

ALII voluere, nec matrimonium ratum, nec consummatum, posse solvi per religiosam professionem; nempe Kemnitius contra sessionem 24. Concilii Trident. can. 6. sicut & Centuriatores Magdeburgenses cent. 1. lib. 2. cap. 12. cum Erasmo in cap. 7. 1. ad Corinth. Alii verò ex opposito existimarunt, matrimonium nedum ratum, sed etiam consummatum, dissolvi per talem professionem. Sic Justinianus cap. *de Episcopis & Clericis lege finali*, quam legem D. Gregorius refert lib. 9. cap. 39. Opinio verò communis, quam tenent Catho-

lici, mediâ viâ incedit, definiens sub anathemate in Conc. Trid. sess. 24. can. 6. *Matrimonium ratum, non consummatum, de facto solvi per solemnem professionem ab alterutro conjugum emissam.* Eandem decisionem protulit Alexand. III. *Verum* Innoc. III. cap. *ex parte de conversat. conjug.* & Joannes XXII. in extravag. *antiqua*. Ob hoc, in qualicumque tempore, post matrimonium ratum & non consummatum, quælibet pars potest intrare religionem. Imò præcitato cap. *publica*, conjugi meditanti religionem conceditur bimestre ad deliberandum, modò accedat Doctorum consensus, quo tempore non tenetur reddere debitum. Imò, si vi aut metu opprimatur, matrimonium est quidem consummatum, non minùs tamen religionem ingredi & professionem emittere valet; altera verò pars debet in cœlibatu permanere: quia per alterius injuriam non debet privari jure suo, & oppressus debet sibi solùm imputare, quod cœlibatum tenere debeat. Quod dicitur de emittente professionem, non debet teneri de illis qui voverent continentiam in sæculo, etiam in manibus Episcopi; ut habetur cap. *ex parte*. nec de illis, qui susciperent Ordines sacros, ut determinavit Joan. XXII. Extravag. præcitatâ.

CONCLUSIO PRIMA.

MATRIMONIUM consummatum dissolvi non potest per professionem religiosam. Ex verbis Christi Matth. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Et ex consequentibus ibidem, *Qui dimiserit uxorem: facit eam mœchari.* Et 1. ad Corinth. 7. *Iis qui matrimonio juncti sunt præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem à viro non discedere.* Quod debet habere locum, saltem in matrimonio consummato; quandoquidem non recipitur in rato, quod per talem professionem dissolvi potest, ut dicemus in conclusione sequenti. Hanc veritatem confirmant Patres, nimirum Hieronymus in Epist. 14. ad Celantiam, quam arguit, quòd sine licentia viri continentiam vovisset. Augustinus in Epist. 199. ubi Ediciam disertè docet, non licere conjugi, invito conjuge, vovere continentiam; & si id faciat debere cogi, ut voto non obstante viro suo reddat debitum. Et Gregorius lib. 9. epist. 39 ad Theoctistam, ubi reprehendit legem civilem, quæ permittit contrarium. Idem prohibetur ab 8. Synodo, à Nicolao I. epist. ad Carolum Regem, aliisque Conciliis & Pontificum decretis apud Gratianum 27. quæst. 2. Quantùm ad rationes hujus veritatis, eædem sunt, quas attulimus pro indissolubilitate matrimonii; quandoquidem Ecclesia nullam tradit exceptionem pro matrimonio consummato, nisi eam, quam attulimus de conversione partis infidelis. Quod idem non debet censeri de matrimonio rato, quandoquidem contrarium decrevit Ecclesia in Concilio Trident. præallegato.

OBJICIES ex D. Basilio, qui in quæst. fusiùs explicatis quæst. 12. dicit, Virum, qui non potest ab uxore impetrare consensum transeundi ad religionem, posse id facere eâ invitâ. Respondeo, Basilium fortè loqui de matrimonio tantùm rato, quæ est mens communis Ecclesiæ. Quòd si loquatur de consummato, tria dicit Basilius; primò, conjugatum venientem ad monasticen debere interrogari, an consentiat uxor; quia *vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor*, 1. ad Corinth. 7. Deinde addit, quod si uxor repugnet, debeat audire vocem Domini, *Qui non odit patrem, matrem, uxorem, &c. non est me dignus*; quæ dicta inter se pugnare viderentur, si non adderet 3. sæpè accidisse, ut pre-

A cibus à Deo sit impetratum, quòd consensum præberet uxor, vel morbo correpta moreretur, & sic sponsus fieret liber ad emittendam professionem. Non vult ergo positivè Basilius, quòd quis renuente uxore monachus fiat; sed quòd faciat duo prima, & fortè exaudiet illum Deus, ut libertatem obtineat per consensum sponsæ; sicque parebit Apostolo, non relinquendo uxorem sine consensu ejus; & Christo, cujus amorem præfert uxoris dilectioni. Habemus aliquid simile in vita S. Bernardi lib. 1. cap. 4. & 6. cujus frater obtinuit ab uxore, & soror à marito, consensum profitendi religionem precibus continuis, quem anteà obtinere non poterant. *Dices*, Cassianum collat. 31. cap. 9. narrare de abbate Theona, quòd cùm post quinque
B annos matrimonii ab uxore licentiam non posset impetrare, illâ invitâ matrimonium solverit, & factus fuerit Monachus; quod factum non debet improbari, cùm de illo laudatus fuerit à pluribus Patribus, & multis coruscaverit miraculis. Respondo, hoc fieri potuisse præter communem legem, & ex instinctu speciali Spiritûs sancti; sicque esse unum ex illis factis, in quibus Sancti admirandi sunt, non imitandi.

CONCLUSIO SECUNDA.

MATRIMONIUM tantummodò ratum potest dissolvi per professionem solemnem religionis approbatæ. Hoc determinatum est in Concilio
C Trident. ut præmonuimus in annotatione hujusce quæstionis. Ratio hujus est, quòd semper licitum fuerit transire de statu minùs perfecto ad perfectiorem, modò id possit fieri sine detrimento alterius; sed religionis status perfectior est matrimonio, ut patet ex Apostolo 1. ad Corinth. 7. *Qui jungit matrimonio virginem suam, benè facit, & qui non jungit, meliùs facit*; nec ullum resultat detrimentum ex hoc, quia pars derelicta est libera ad contrahendum cum alia; ergo hoc potest fieri: nec fit injuria alteri parti, quæ tenetur consentire volenti transire ad perfectiores nuptias. Nec dicendum est, ob hanc rationem posse dissolvi matrimonium, ut quis transeat ad
D Ordines sacros, vel ad Episcopatum; cujus tamen oppositum determinavit Joannes XXII. in extravag. *antiqua*; nam hujus disparitatis ratio est, quòd professioni monasticæ repugnet per se conjugium, non verò Ordini sacro; sed tantùm ex decreto Ecclesiæ. Hoc confirmâtur exemplis Sanctorum. Sancta enim Tecla ante matrimonii consummationem revocata fuit à nuptiis per S. Paulum, ex Epiphanio Hæresi 78. & Ambrosio lib. 2. de Virginibus: S. Cæcilia, ex Metaphraste, primâ nocte nuptiarum negavit debitum conjugale suo sponso Valeriano; quia continenter vivere volebat. S. Leobardus, ex Gregorio Turonensi, post fœdera nuptialia, invita sponsa Monachus factus est. Sacra quædam virgo apud D. Gregorium lib. Dialog. 3. c. 14. nuptiis jam con-
E stitutis ad Ecclesiam confugit, & sanctimonialis vitæ habitum petiit ac impetravit. Accedit nova ratio, quòd, sicut ex morte corporali conjugis solvitur vinculum consummati matrimonii; sic per mortem spiritualem & civilem Monachi, debet ad minus solvi matrimonium ratum.

OBJICIES ex Matth. 19. *Quod Deus conjunxit homo non separet.* Respondeo, non posse quidem matrimonium dirimi ab homine, nec humanâ authoritate; benè autem à Deo, qui sponsum ad religionem vocans censetur dirimere matrimonium, ut patet ex declaratione Ecclesiæ in Concil. Trident. & in aliis locis præcitatis. Cùm enim Ecclesia acceptet di-

ctum Matthæi; *Quod Deus conjunxit homo non separet*, & ex alia parte definiat in Concilio Trident. Matrimonium ratum dissolvi per professionem monasticam, concludi debet, quòd ex mente Ecclesiæ tale Matrimonium dissolvatur à Deo. *Dices*, Matrimonium ratum & consummatum non differunt, nisi accidentaliter, per copulam sequentem, vel non sequentem; quandoquidem utrumque est verum sacramentum, utrumque dat viro potestatem super uxorem, & utrumque significat inseparabilem unionem Christi cum Ecclesia: ergo utrumque est indissolubile. Respondeo, illa non convenire absolutè in significatione sacramenti; quia sacramentum Matrimonii consummati significat conjunctionem Christi cum anima per infusionem gratiæ, ac conjunctionem Christi cum Ecclesia per naturæ conformitatem; Matrimonium verò ratum habet solummodò primam significationem, quia per mutuum consensum Matrimonium contractum est, & gratia infusa: non verò habet secundam significationem, quia non significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per naturæ conformitatem, nisi accedat copula: non dixit enim Paulus, *Sacramentum hoc magnum est in Christo & in Ecclesia*, quin anteà dixerit, *Erunt duo in carne una.* Et defectus iste secundæ significationis facit Matrimonium consummatum differre essentialiter à rato, & propter hanc distinctionem essentialem istud est dissolubile, & illud indissolubile.

Si quæratur, quo jure Matrimonium ratum possit solvi per professionem solemnem religionis approbatæ: Omnes respondent, hoc non fieri ex jure naturæ; quia professio religiosa non repugnat vinculo Matrimoniali, cùm sæpe sæpiùs visi fuerint conjuges post Matrimonium consummatum mutuo consensu profiteri religionem. Aliqui dicunt, hanc dissolutionem Matrimonii rati esse de jure divino positivo, ex illo loco Scripturæ, *Nisi quis reliquerit patrem, matrem, adhuc autem & uxorem, non potest meus esse discipulus.* Hoc probabile censet Scotus dist. 31. num. 7. & 8. cùm enim non sit de jure naturali, nec de jure Pontificio, ut notat Lessius lib. 2. de justitia cap. 41. dubit. 8. quia nullum extat jus, quod primò hoc statuat, sed potius Pontifices illud supponunt; remanet, quòd talis dissolutio sit juris divini positivi. Si dicatur, Pontifices posse dispensare super Matrimonio rato, quod denotat, hoc esse juris Pontificii, non divini, supra quod summi Pontifices non habent authoritatem dispensandi: Resp. est, alios etiam noluisse dispensare, quòd crederent, talem authoritatem non competere sibi, ut diximus de Innocentio VIII. Adriano VI. Pio V. & similibus. Deinde, sicut Deus concessit potestatem specialem dispensandi super votis, quæ sunt juris divini, vel potius illa condonandi nomine Dei, sic etiam potuerunt Pontifices recipere à Deo talem facultatem, ut declararent, Matrimonium ratum posse dissolvi per professionem solemnem.

QUÆSTIO XII.

Utrùm liceat habere plures uxores successivè?

IN hac quæstione & sequenti loquendum est de Polygamia, quæ opponitur unitati Matrimonii; quandoquidem per Polygamiam intelligitur multiplicitas uxorum. Polygamia duplex est, nempe successiva, quâ accipiuntur multæ uxores successivè: & simultanea, quâ plures admittuntur simul.

A Hæretici circa primam nobis duo objiciunt; quòd scilicet clerici bigami arceantur apud Catholicos à sacris Ordinibus; & quòd existiment Papistæ, secundas nuptias esse puras fornicationes, ac ratione sacramenti carere; unde, apud illos tales prohibentur benedici. Circa primum quod admittimus, meritò hæretici insurgunt in Catholicos; quandoquidem Apostolus ipse 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. vult, unius uxoris virum ordinari in Episcopum, Presbyterum, & Diaconum. Quantùm ad secundum, hoc dicentes hæretici puram calumniam nobis imponunt; quia, licèt Montanistæ & Novatiani Polygamiam successivam, seu secundas nuptias rejiciant, tanquam prostitutiones puras, illas tamen, ut verum sacramentum, conformiter D. Pau-

B lo admittimus.

CONCLUSIO.

POLYGAMIA successiva semper fuit apud Catholicos licita, ita quòd conjux, mortuo conjuge, secundum Matrimonium contrahere potuerit; habet enim Paulus ad Rom. 7. *Si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat; tantùm in Domino*: idest, causâ prolis, & non libidinis. Super hunc contextum notat Augustinus, Paulum non dixisse, si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius; sed vir simpliciter, ut in-

C dicaret, semper esse liberum, marito mortuo, alium sumere. Unde idem Apostolus 1. ad Timoth. 5. hortatur juniores viduas, ut secundò nubant, ob incontinentiæ periculum. Ob hoc Matth. 26. Christus non damnavit mulierem, quòd septem viros legitimè habuisset: nec Joann. 4. Samaritanam, quòd habuisset quinque. Concil. Nicænum can. 8. prohibet, nè recipiantur Novatiani ad Ecclesiam, nisi polliceantur, se communicaturos cum illis, qui ad secundas nuptias convolaverint. Concil. Florentin. in instructione Armenorum secundas & tertias & quartas nuptias approbavit; sicut & plures canones 31. *quæst.* 1. *de quotiescumque nuptiis.* Idem habetur in decretalibus tit. *de secundis nuptiis.* Accedunt Patres, Ambrosius lib. de viduis,

D Hieronymus in Epist. ad Gerontiam. Augustinus in lib. de bono viduitatis. Chrysostomus Homil. 20. in Epist. ad Ephes. & plures alii, qui unâ voce secundas nuptias approbant.

OBJICIES: Ex ritu Ecclesiæ secundæ nuptiæ non benedicuntur, quod denotat, illis deesse rationem sacramenti, proindeque non esse licitas sed puras fornicationes. Respondeo, reverà secundas nuptias non debere benedici, ut cum plurimis Patribus volunt Concilium Neocæsariense can. 7. Alexander III. & Urbanus III. extra de secundis nuptiis cap. *Capellanum.* Sed non ideo nuptiæ posteriores privantur benedictione, quòd careant ratione sacramenti; quandoquidem talis benedictio est tantùm cæremonia accedentalis Ecclesiæ, nullomo-

E do ad rationem sacramenti pertinens; sed quia vilescerent benedictiones, si repeterentur: quia etiam jam una pars fuit anteà benedicta, cujus benedictio, cùm non petierit, iterari non debet; quia denique secundo Matrimonio non convenit omnis significatio Matrimonii Christi cum Ecclesia, quod fuit unius cum una. Si dicatur, bigamos affici irregularitate, quod non fieret, nisi aliquid criminis esset in secundo Matrimonio: Respondendum est, talem irregularitatem non esse pœnalem; sed ideò constitutam fuisse, quia secundæ nuptiæ deficiunt à perfecta significatione conjunctionis Christi cum Ecclesia; quam diximus fuisse unius cum

tina. Quòd si Concilium Neocæsariense can. 7. prohibeat Presbyteris interesse celebritati secundarum nuptiarum, & velit, pœnitentiam esse injungendam taliter nubentibus: Aliqui hoc intelligunt de illis, qui simul plures habere voluerint uxores. Alii hoc interpretantur de iis, qui in secundis nuptiis volunt adhiberi easdem solemnitates, quæ adhiberi solent in primis. Sed alii meliùs volunt, quòd hoc fecerint antiqui Patres ob signum incontinentiæ illorum, qui sæpius contrahunt. Quòd si Hieronymus lib. 1. adversùs Jovinianum videatur secundas nuptias damnare: locutus est per excessum, volendo laudare virginitatem & continentiam, & non aliter. In Apologia enim ad Pammachium ait, *Non damno bigamos, nec trigamos, & si dici potest, octogamos.* In comment. cap. 1. ad Titum dicit, librum Tertulliani de monogamia, ubi secundæ nuptiæ damnantur, esse hæreticum. Et in Epist. ad Gerontiam, volens justificare ea quæ dixit in libro 1. adversus Jovinianum, inquit: *Quid igitur? damnamus secunda Matrimonia? minimè; sed prima laudamus: abjicimus de Ecclesia bigamos? absit; sed monogamos ad continentiam provocamus.*

Licet negari non possit libertas ad secundum Matrimonium transvolandi, hoc tamen fieri non debet, nisi constet de morte conjugis: ita quòd, si supervixerit, novum Matrimonium antiquo cedere debeat. Aliqui in foro conscientiæ existimant, ad secundum Matrimonium ineundum sufficere probabilitatem de morte compartis per conjecturas & indicia; sed contrarium habetur cap. *Dominus. de secundis nuptiis.* & cap. *in præsentia. de sponsalibus*, ubi definitur, quantocunque tempore abfuerint viri, non posse uxores aliud Matrimonium inire, donec certum nuntium receperint de morte virorum, quod intelligitur pro foro externo & interno. Quòd si cap. *quoniam*: dicatur, Tandiu alterutet conjugum expectetur, donec de ipsius obitu præsumatur verosimiliter: hoc intelligi debet de præsumptione verosimili, tam justâ & moraliter certâ, quòd æquivaleat probationi. Ad talem moralem certitudinem non sufficit sola fama & testificatio per auditum, nisi concurrant alia adminicula, ut diuturnitas absentiæ, distantia loci, universalitas famæ, &c. Caput præfatum *Dominus*, quod exigit certum nuncium, non accipiendum est de teste uno, nisi sit tantæ fidei, & taliter juratus, ut junctis adminiculis æquipolleat. Quæcumque adhibeatur cautela, ut cognoscatur veritas mortis conjugis; si adhuc est superstes, Matrimonium est nullum, cap. *Dominus. de secundis nuptiis*: cujus nullitas procedit ex impedimento ligaminis; licèt è contra novum Matrimonium contrahatur cum dubio de morte mariti, aut sine perquisitionibus, si reverà mortuus est, validum erit Matrimonium; quidquid dicant aliqui, credentes personam conjugatam reddi inhabilem ad contrahendum denuò, donec certum nuntium accipiat de morte conjugis: quia, licèt prohibeatur Matrimonium cum tali temeritate initum, nulla tamen in jure apparet irritatio.

Quæstio XIII.

An liceat habere plures uxores simul?

Valentinianus imperator Matrimonio junctus cum Severa, ex qua jam susceperat filium, nomine Gratianum, amore captus Justinæ, hanc in Matrimonium duxit, priore retenta; & suam intemperantiam aliqualiter colorare volens, legem promulgavit, quâ unicuique esset licitum, duas simul habere uxores; ut Socrates refert lib. 4. hist. cap. 27. unde fertur, hunc imperatorem, aliàs verè pium & Catholicum, primum fuisse, qui inter Christianos Polygamiam introduxerit: hoc tamen fabulosum credit Baronius. Lutherus in explicatione Genesis, quam edidit anno 1525. in commentario ad cap. 16. ex professo disputat, utrùm Christianis liceat, exemplo Abrahæ plures simul habere uxores; tandemque respondet, id neque esse præceptum, neque prohibitum, sed liberum: & addit, se nolle quidem hanc novam consuetudinem introducere, sed nec improbare, cùm liberum remanserit imitari, Patrum exempla. Sed hanc opinionem esse prorsus erroneam expresè determinavit Concilium Trident. sess. 24. can. 2. his verbis: *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nullâ lege esse prohibitum; anathema sit.* Quod jam longè antea definierant Syricius Papa Epist. 1. Innocentius I. Epist. 9. Innocentius III. cap. de divortio, & plures alii.

Conclusio.

Matrimonium in prima sua institutione semper exclusit pluralitatem uxorum, post diluvium tamen & non ante, concessa est aliquando, ac tandem in lege gratiæ Matrimonium revocatum fuit ad primam institutionem; ita quòd, jure divino, prohibitum sit Christianis, nè viri habeant plures uxores simul, nec uxor plures maritos eodem tempore. Hæc conclusio habet tres partes, quarum probatur prima, quòd illicita fuerit Polygamia simultanea initio mundi, tum ex veteri Testamento cap. 1. Genesis: *Masculum & fœminam fecit eos, &c.* quod denotat, Deum voluisse Matrimonium esse conjunctionem unius cum una, non cum multis; aliàs nedum unam fœminam creasset Deus, sed multas, quas posset in uxores ducere Adamus. Tum ex novo Matth. 19. ubi Christus revocat Matrimonium ad primam institutionem, quam vult deinceps valere, cum respondit Pharisæis interrogantibus, an liceret repudiare uxorem, dicens: *Quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos; & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Quæ verba sufficienter indicant, non debere admitti pluralitatem uxorum; aliàs non diceretur, *adhærebit uxori*, sed uxoribus; nec subjunxisset, *erunt duo in carne una*, nisi voluisset arcere tres, vel plures, ut innuit ipsum Concilium Tridentinum sess. 24. in Doctrina de sacramento Matrimonii, dicens: *Hoc vinculo duos tantummodo copulari & conjungi Christus Dominus apertiùs docuit, cùm postrema illa verba, tanquam à Deo prolata referens, dixit, Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Ob hoc Nicolaus Papa cap. *an non distincta. quæst.* 3. vocat factum Lamech, qui solus ante diluvium duas uxores habuit, adulterium & flagitium.

Secunda pars patet, tum ex capite *gaudemus. de divortiis*; tum ex factis SS. Patriarcharum, qui plures habuerunt uxores, ut Abraham, Jacob, Elcana, David, & alii, quos hoc potuisse constat ex eo quòd aliàs usque ad mortem vixissent in adulterio, quod tamen non est verisimile, cùm in Scriptura multùm laudentur, nec ullibi reprehendantur in hac parte. Imò Nathan Propheta improperavit

Davidi beneficium illi factum à Deo, qui plures ei dederat uxores; quòd non fecisset profectò, si tales fuissent concubinæ. Nec dicatur, tales uxores fuisse concubinas ex Genes. 25. *Dedit Abraham cuncta quæ possederat Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera.* Quod idem colligitur ex dicto Judæorum, qui jactitabant se non descendere ex Agar concubina Abrahæ, sed ex legitima ejus uxore Sarâ: *Nos ex fornicatione non sumus nati.* Ob hoc, inquam, non est dicendum cum aliquibus, præter uxorem principalem Patriarcharum, alias esse tantum concubinas: quia in Scriptura veræ & legitimæ uxores aliquando dicuntur concubinæ, ex Judicum 19. ubi unica uxor legitima cujusdam Levitæ, modò uxor, modò concubina nominatur: & aliquando ipsæ concubinæ dicuntur uxores, Genes. 16. ubi Agar dicitur uxor Abrahæ. Sed dicendum est apud veteres Hebræos & Gentiles duo fuisse genera uxorum legitimarum, quarum aliquæ ducebantur, tum ad procreandos liberos, tum ad societatem omnium bonorum, tum ad domûs gubernationem, quarum filii erant hæredes; & hæ propriè dicebantur uxores, & matres familias: aliæ verò erant quidem legitimæ, ut pote ad procreandam sobolem assumptæ; sed nec admittebantur ad societatem bonorum, nec ad domûs gubernationem, nec dicebantur matres familias, nec filii eorum erant hæredes; & hæ vocabantur tum uxores, tum concubinæ.

Probatur tertia pars ex omnibus verbis Christi, ubi Monogamiam præcipit & commendat, utpote Matth. 19. *Masculum & fœminam fecit eos... adhærebit uxori suæ...., erunt duo in carne una.* Ex Matth. 5. Marci 10. & Lucæ 16. ubi declarant Evangelistæ, eum mœchari, qui dimissâ uxore duxerit aliam, ergo à fortiori condemnant illum, qui, retentâ uxore, aliam duxerit. Hoc confirmat Apostolus multis in locis. 1. ad Corinth. 7. *Unusquisque suam uxorem habeat.* ad Rom. 7. *Vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio.* 1. ad Corinth. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit.* Si dicatur, per hos ultimos contextus prohiberi quidem Polygamiam ex parte mulierum, quæ non possunt habere plures viros; sed non ex parte virorum, quibus videretur permitti usus plurium uxorum: Respondendum est, utrumque per præcedentia verba prohiberi, saltem consequenter; quia vir & fœmina pares sunt quantùm ad fidem & debitum conjugale; ex 1. ad Corinth. 7. *Uxori vir debitum reddat, & uxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quòd denotat per matrimonium fidelium ita conjungi virum uxori, ut se totum illi tradat, sicut illa se totam tradit viro. Ex quo sequitur, quòd sicut mulier non potest sine injustitia se tradere alteri viro, ita nec vir se tradere valeat alteri uxori. Hoc confirmat Augustinus, qui lib. 1. de adulter. Conjug. cap. 8. docet, parem esse fœminam viro, quantùm ad Monogamiam; licèt lib. de bono Conjugali cap. 17. dixerit, absurdius esse, quòd una mulier multis viris jungatur, quam plures mulieres uni viro.

Confirmatur ampliùs, Matrimonium ex natura sua excludere Polygamiam, ex quatuor finibus matrimonii, quibus illa repugnat. Ordinatur enim matrimonium ad susceptionem & educationem prolis, instituitur ad domesticam societatem, initur in remedium concupiscentiæ, ac tandem contrahitur, ad significandam unionem Christi cum Ecclesia; sed his omnibus opponitur Poligamia: ergo matrimo-

A nium ex sua natura illam excludit. Primò, quantùm ad finem primarium matrimonii; qui est susceptio & educatio prolis; licèt possit reperiri si maritus habeat plures uxores, tamen oppositum aderit, si una uxor pluribus viris juncta fuerit; cum per experientiam meretricum, quæ communiter infœcundæ sunt, possit conjici, rariùs aut nunquam parituram esse mulierem pluribus viris conjunctam. Licet autem ille primarius finis matrimonii compatiatur cum Polygamia uxorum, secundarius tamen illi opponitur, qui est socialis cohabitatio & gubernatio domûs; cùm repugnet in eâdem familia, plures uxores conservare amicitiam & unionem inter se, & cum filiis: Imò & cum marito, qui sæpissimè diligendo unam uxorem plus quam alte-
B ram, ob hoc nascerentur rixæ & contentiones. Quantùm ad remedium concupiscentiæ, quæ est tertius finis matrimonii, patet ipsi repugnare pluralitatem uxorum; cùm sine dubio vir nequeat ita debitum reddere pluribus, sicut uni. Quantùm denique ad ultimum finem, opponitur adhuc Polygamiæ; quia matrimonium est institutum ad significandam unionem Christi cum Ecclesia, quæ fuit unius cum una, & per consequens destruitur per Polygamiam. Ex quibus omnibus patet, Polygamiam ex parte uxorum reduplicatarum, & ex parte plurium virorum, repugnare naturæ matrimonii; licèt minùs repugnet rationi ac naturæ illius, ut vir plures uxores habeat, quàm uxor plures maritos; quandoquidem, ut vidimus, primus finis matrimonii est
C aliqualiter compatibilis cum Polygamia uxorum, non verò cum multiplicitate virorum; cùm in tali suppositione, quâ una uxor esset communis pluribus maritis, nullus eorum posset nosse suos filios, quod obstaret omnium educationi.

Ex hoc quòd Polygamia virorum repugnet primario & principaliori fini matrimonii, ut diximus anteà, & Polygamia uxorum non repugnet, nisi aliis, qui sunt minùs præcipui, & quasi accidentales; Ideò dicunt Theologi, Deum posse quidem dispensare circa pluralitatem uxorum respectu unius viri, non verò circa multiplicitatem multorum virorum, respectu unius uxoris. Quia alia sunt præcepta naturæ universalissima & communissima, quæ
D sunt veluti prima principia ejus, super quæ Deus dispensare non potest; qualia sunt præcepta Decalogi: alia verò sunt præcepta, quæ non sunt ita communia, sed sunt veluti quædam conclusiones derivatæ ab aliis, super quæ, advenientibus certis circunstantiis, potest fieri dispensatio; sed multiplicitas virorum est unum ex illis primis principiis, & multiplicitas uxorum est tantùm de secundis: ac consequenter Deus potest dispensare in istis, ob certas & urgentes causas, non verò in illis. Quòd si esset tantùm una mulier in mundo nupta viro sterili (quod videtur moraliter impossibile ob curam quam habet providentia divina de genere humano
E conservando) dicitur communiter, quòd potiùs Deus dispensaret supra vinculum cum sterili, quàm circa Polygamiam virorum. Nullus homo dispensare potest circa multiplicitatem virorum aut mulierum, maximè post prædicationem Evangelii, quod prohibet tales polygamias; proindeque non potest infer.— Deo super illa dispensare.

Cùm Deus dispe[illegible]erit post diluvium circa Patriarchas, qui plure[illegible] legitimas uxores duxerunt; quæ[illegible] potest, an sing[illegible]lis illis Patribus Deus fecerit peculiarem inspirationem, quâ singuli illi agnoscerent, sibi esse licitum plures uxores ducere; & utrùm talis dispensatio iis innotuerit per aliquam locutionem externam. Ad quod respondetur primò,

non

non singulis factam fuisse hanc dispensationem, sed indicatam fuisse à Deo primis aliquot Patribus, quorum ministerio aut exemplo ad cæteros pervenit. Hoc v.g. innotuit Abrahæ & Saræ, quæ Sara induxit maritum, ut secundam uxorem acciperet; non enim est verisimile, quòd sanctissima fœmina hoc fecisset, nisi agnovisset esse licitum. Respondetur autem ad secundum, talem dispensationem non innotuisse per externam locutionem; quia lex prohibens multiplicitatem uxorum tempore Patriarchatum non erat scripta in ullo libro, sed solùm impressa in mentibus, licèt posteà fuerit exarata à Moïse, ergo illius dispensatio non debuit esse externa, sed debuit sufficere dispensatio mentalis. Licet multi existimaverint dispensationem super polygamiam uxorum fuisse tantùm concessam populo Dei ad propagandam gentem, ex qua Messias erat nasciturus, verisimilius tamen est, ipsam fuisse concessam non solùm Hebræis, sed etiam Gentilibus, ut patet ex Augustino 16. de Civit. Dei cap. 38. & lib. 22. contra Faustum cap. 47. ubi dicit, In terris, ubi Jacob quatuor uxores duxit, morem fuisse ducendi plures, posteritatis causâ. Quod confirmat Scriptura Genes. 36. & 28. ubi narrat, nedum Abraham, Jacob, & eorum posteros plures habuisse uxores, sed etiam Esau, qui non erat de populo Dei. Porro talem dispensationem ante adventum Christi aliqui putant cessasse, sed fatentur omnes ipsam cessasse, saltem in ipso adventu Messiæ, tum pro Christianis, tum pro Gentilibus. Ratio illorum est, quòd ante Christum cessaverit causa polygamiæ, quæ introducta fuerat post diluvium ad propagationem generis humani.

QUÆSTIO XIV.

Quænam sint bona Matrimonii?

Confunduntur vulgò bona Matrimonii cum effectibus ejus; unde postquam diximus, quòd Sacramentum Matrimonii conferat gratiam habitualem illis qui obicem non ponunt, sicut & gratiam actualem seu Sacramentalem, quæ consistit in auxiliis quibusdam actualibus à Deo collatis pro loco & tempore, ut onera Matrimonii portentur; postquam etiam asseruimus, hoc Sacramentum inter fideles contractum legitime, & ab illis consummatum producere indissolubilitatem; nobis dicendum remanet de bonis ipsius Matrimonii, si prænotaverimus, quòd ad gratiam habitualem per hoc Sacramentum recipiendam non requiritur, ut tollatur obex peccati mortalis per confessionem; nulla enim lex hoc præcipit, sed ad hoc sufficit contritio, vel vera, vel existmata: si enim sit vera, peccatum tollit, & pro tunc confessio non est necessaria necessitate medii, nec præcepti; si verò est tantùm existimata, contrahens vi Sacramenti de attrito fit contritus.

CONCLUSIO.

Tria communiter assignantur bona Matrimonii; nempè bonum Sacramenti consistens in Charitate & in Indissolubilitate, de quâ egimus; bonum Fidei; bonum denique prolis. De bono fidei solummodò loqui necessarium est.

Ad fidem conjugalem tria exiguntur. Primò, ut sponsi simul cohabitent & administrent familiam cum hoc ordine, ut viro subdita sit mulier in tali

A administratione; & vir teneatur præstare uxori & familiæ alimenta & alia necessaria. Ex illâ ratione tenetur uxor sequi habitationem viri, nisi in hoc pateretur grave incommodum, ut si ad bellum proficisceretur. Secundò, ut alter alteri debitum reddat; 1. Corinth. 7. *Vxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro:* & ad hoc tenentur ex justitiâ; nam uterque conjux contrahendo tradit alteri potestatem sui corporis, 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Conjux ergo qui negaret debitum conjugi petenti sivè tacitè, sivè expressè, iret contra justitiam: petere autem tacitè

B censetur mulier, quando vir cognoscit in eâ voluntatem petendi, quam præ verecundiâ non explicat. Tertiò, requiritur ad fidem conjugalem, ut conjux vivente conjuge cum aliâ personâ non contrahat; esset enim Adulterium, Rom. 7. *Vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro:* unde, ut altera partium ad alias nuptias convolet, debet haberi certum testimonium de morte suæ partis, nec quantumlibet tempus absentiæ ad hoc sufficit.

Licet ad fidem conjugalem cohabitatio requiratur, impediri tamen potest per divortium, in hoc distinctum à repudio, in quo fiebat solutio Matrimonii quoad vinculum, ubi in divortio fit tantùm solutio quoad thorum & cohabitationem: fieri autem potest quoad thorum, propriâ authoritate; sed quoad habitationem, tantùm authoritate Ecclesiæ, *cap Porrò, de divort.* Potest divortium fieri ex pluri-

C bus causis remanente vinculo; scilicet ob ingressum utriusque partis in religionem, ob Adulterium, Hæresim, perditos mores, denique ob sævitiam, & morbum contagiosum. Ista tamen impediunt, quominùs conjux possit separari à conjuge propter Adulterium; si Adulterium sine crimine sit, ut quando mulier patitur violentiam, vel alium virum cognoscit quem credit esse suum conjugem; si uterque conjux teneatur eodem crimine; si conjux sit conjugi adulterandi causa; si denique post Adulterium unus cum alio rem habuerit.

Plura similiter conjuges dispensant à debito reddendo, quæ prolixiùs retexere non intendo, tùm quia hoc meæ menti repugnat, tùm quia hæc omnia de facili haberi possunt à Canonistis; dicam ta-

D men in sequentibus casibus posse à redditione debiti dispensari. Primò, quando conjux petit benevolè, non intendens conjugem adstringere ad hoc, sicut quando amicus petit rem sibi debitam ab amico, non intendens illum obligare. Secundò, quando conjux Adulterium commisit, conjux innocens potest illi negare debitum. Tertiò, excusatur à peccato qui ratò negat, vel qui petitus differt à redditione per breve tempus; & hoc ob parvitatem materiæ, modò non sit periculum Incontinentiæ; pro tunc enim non potest cessare obligatio debiti. Quartò, quando una partium frequentiùs petit, quam par sit; debet enim in omnibus modus serva-

E ri. Denique ob furorem, morbum contagiosum & metum mortis in partu justum & rationabilem; non verò quando timetur filiorum multiplicatio, nisi conjuges mutuo consensu & sine periculo Incontinentiæ cedant juri suo, aut quando non habent unde filios alant; tunc enim unum posse alteri debitum negare sentiunt Doctores.

QUÆSTIO XV.

Quænam sint impedimenta Matrimonii?

NEMO dubitat, quin Papa possit impedimenta statuere, quæ dirimant Matrimonium; hoc enim habetur in Conc. Trident. sess. 24. can. 3. & 4. Non quòd habeat potestatem super Matrimonium, ut sacramentum est, sed ut est contractus civilis, quem potest (non tamen sine justâ causâ) irritare; non tantùm in terris ubi dominatur temporaliter, sed per totam Ecclesiam; quia talis potestas circa res matrimoniales ablata est principibus temporalibus in jure canonico, & reservata est Ecclesiæ, ut patet ex Conc. Trident. sess. 24. can. 12. exceptâ causâ dotis & Matrimonii infidelium, de quibus contractibus possunt cognoscere principes sæculares. Ratio quare talis potestas reservata est Ecclesiæ, est, quia Matrimonium non est tantùm contractus civilis, sed sacramentum & res spiritualis, quod debet judicari ab Ecclesiâ. Quantum ergo ad principes fideles, præcisè statuere possunt impedimenta ad Matrimonium, ut est contractus civilis, sed illa potestas ab eis sublata est, & tantùm illis reservatur causa dotis & Matrimonii infidelium & hæreticorum, quod non habet rationem sacramenti, sed contractûs purè civilis. Quantum ad principes infideles, possunt statuere impedimenta; tum quoad subditos infideles, respectu quorum Matrimonium est tantum contractus civilis; tum quoad fideles, inter quos Matrimonium non est vere sacramentum, nisi sit vere contractus civilis: non esset autem legitimus contractus civilis, si leges civiles justæ quæ cedunt in reipubl. utilitatem illum prohiberent. Porrò, Judæi non possunt talia impedimenta condere; quia nec habent rempubl. nec principem legitimum, nec possunt uti legibus ceremonialibus Mosaïcis, quia abrogatæ sunt.

Constat ergo Ecclesiam posse statuere impedimenta ad Matrimonium, & multa reverà condidisse quorum aliqua impediunt, nè fiat, factum tamen non dirimunt; alia verò faciendum impediunt, dirimuntque factum. Sunt autem quinque specialiter quæ faciendum Matrimonium impediunt, quorum primum est tempus prohibitum ab Ecclesiâ; unde peccarent mortaliter qui à primo die Adventûs usque ad diem Epiphaniæ, & à feriâ quartâ Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusivè contraherent; hoc enim prohibitum est à Conc. Trident. sess. 24. cap. 10. Quòd si ibi prohibeantur tantùm solemnitates nuptiarum; per illas intelliguntur benedictio conjugum in Ecclesiâ & traductio sponsæ, non tamen consummatio Matrimonii. Licèt autem Concil. Trident. prohibeat tantùm solemnitates matrimonii quoad pompam exteriorem, proindeque jure antiquo non prohibita sit celebratio matrimonii privata; in Ecclesia tamen, maximè Gallicana, invaluit usus vim legis habens, quo nullo modo possunt fieri matrimonia, nisi ex dispensatione Episcopi, qui potest concedere, ut sine solemnitatibus fiant. Antiquo jure nedum prohibitæ erant solemnes nuptiæ præfatis temporibus, sed talis prohibitio incipiebat etiam à Septuagesima usque ad octavam Paschæ. & à diebus Rogationum usque ad octavam Pentecostes, ut patet ex antiquis conciliorum canonibus & Pontificum decretis apud Gratianum 33. quæst. 4. Ratio erat, quòd inter cuncta anni festa, celeberrima essent festa Natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, in quibus omnes tenebantur ad Eucharistiam accedere ex Concil. Agathensi can. 18. solemnitates autem nuptiarum multam afferebant distractionem; unde optimo consilio prohibuit Ecclesia, nè fierent solemnitates nuptiarum præassignatis temporibus. Secundum impedimentum est interdictum, seu mandatum prohibens; ut quando Episcopus, vel Parochus, vel judex, justis de causis prohibent, nè una persona cum alia contrahat. Per interdictum etiam seu mandatum Ecclesiæ, intelligitur communiter matrimonium clandestinum in jure canonico sub gravibus pœnis interdictum, ac præsertim in Concilio Lateran. can. 51. sed hoc impedimentum, quod anteà reddebat matrimonium tantummodo illicitum, per definitionem Concilii Tridentini illud irritat; ita ut illi, qui taliter contrahunt, non habeant verum matrimonium, sed in perpetua fornicatione maneant. Hoc autem potuisse Ecclesiam invalidare, suo loco probavimus. Tertium est votum Castitatis, aut ingrediendæ religionis, aut suscipiendi Ordines sacros, aut non nubendi; peccat enim qui facit contra votum in re gravi. Quartum petitur ex sponsalibus celebratis cum aliâ personâ. Quintum denique est crimen; multa autem crimina Matrimonium impediunt, quæ videri possunt apud Bonacinam. Hæc quinque impedimenta duobus his versibus continentur.

Tempora, Mandatum, Votum, Sponsalia, Crimen,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Quantùm ad impedimenta dirimentia, fuerunt semper duodecim expressa in versibus sequentibus, quibus duos adjunxit Concil. Tridentinum; impedit enim, quominùs Matrimonium clandestinum sit legitimum, sicut & illud quòd contrahitur inter raptorem & raptam, quamdiu manet in potestate raptoris.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas:
Si sis affinis, si fortè coïre nequibis:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis;
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ.

Impedimenta dirimentia suam habent efficaciam, etiam in ignorantibus, qui licèt agendo ex bona fide excusentur à culpa, attamen contrahentes cum impedimento, etiam ignorato, invalidatur Matrimonium; per tale enim impedimentum incurritur inhabilitas contrahendi, quæ sine cognitione contrahitur. Si quis crederet, habere impedimentum dirimens, quod tamen non haberet reverà, contrahendo cum tali præsumptione, non minùs validum esset Matrimonium; haberet enim sinceram contrahendi intentionem, nec esset impedimentum à parte rei. Impedimentum dirimens habet suam efficaciam etiam cum periculo vitæ, ita ut, si quis post votum solemne v. g. vel Ordinem sacrum, vel cum consanguinea cogeretur Matrimonium inire ex metu mortis, invalidum foret Matrimonium; quia non redditur per hoc ablata contrahendi potestas. Qui tamen sic contraheret cum impedimento jure Ecclesiastico dirimente, excusaretur à mortali, modò non intenderet consummare, nec adesset consummationis periculum, nec prætenderet sacramentum conficere. Si aliqui contraxerint cum impedimento dirimente, eo cognito, debent separari ab usu Matrimonii; & protunc non erit grave incommodum, si pars quæ habet impedimentum illud detegat alteri parti. Illa pars, quæ sola impedimentum detegit, licet non possit alteri illud manifestare sine magno periculo separationis aut

alterô; attamen non potest petere, aut reddere debitum, donec impetretur dispensatio; etiamsi Episcopus ad hoc illam compellat sub pœna excommunicationis, ut declaravit Innocentius III. cap. *inquisitioni* 44. *de sentent. excom.* Quia protunc non censeretur reddere debitum, sed carnale commercium exercere, quandoquidem Matrimonium tale invalidum esset, & in hoc casu potiùs deberet pati jacturam vitæ, quàm fornicari. Quando Matrimonium initur cum impedimento dirimente, non sufficit ablatio illius, sed novus consensus ita absolutè adhibendus est, ut in hoc nequeat Papa dispensare: quandoquidem primus, ut pote elicitus inter personas inhabiles, nullus erat. Talis autem consensus debet iterari ex parte utriusque, & non esse tantùm internus, sed exteriùs debet exprimi, quia præcedens contractus erat absolutè nullus. An autem debeat utraque pars fieri conscia nullitatis Matrimonii, aut sufficiat, quòd sublato impedimento denuò partes consentiant, negant multi hoc esse necessarium; sed probabiliùs & tutiùs affirmant alii, quibus Doctor noster favere videtur *dist.* 35. *quæst.* 1. *num.* 5. Ratio hujus est, quia illa pars, quæ esset inscia talis nullitatis, consentire tantum intenderet ratificationi contractûs facti, quem crederet validum, qui tamen non esset talis. His omnibus prælibatis, ad explicationem impedimentorum quæ Matrimonium irritant deveniendum est.

CONCLUSIO.

JURE antiquo duodecim tantùm aderant impedimenta, quæ dirimebant Matrimonium, contenta videlicet in tribus primis versibus supra allatis, quibus duo alia adjunxit Concil. Trident. expressa in duobus ultimis. Sic autem colligi potest numerus ille duodenarius, quòd Matrimonium sit invalidum, vel ex parte formæ, nempe ex parte consensûs; vel ex parte materiæ, nempe personarum. Ex parte consensûs, ipse nullus est, quando intervenit error personæ, quandoquidem ille non videtur consentire, qui uni personæ jungitur, quam putat esse aliam: vel quando intervenit error conditionis, dum scilicet quis credit ducere liberam, & ducit servam; vel quando intervenit violentia, quæ tollens usum liberi arbitrii impedit consensum: & hæc sunt primum, secundum, & tertium impedimentum. Ex parte autem materiæ seu personarum novem alia repetuntur, quæ ipsas personas reddunt inhabiles ad contrahendum, ac proinde Matrimonium invalidant. Eorum enim aliqua reddunt personam inhabilem ad contrahendum absolutè & per respectum ad quamcumque conjugem, vel per respectum ad aliquam personam in particulari, cum qua contrahere non potest. Illa impedimenta, quæ reddunt personam inhabilem ad contrahendum absolutè, vel sunt naturalia, qualis est impotentia coeundi, quæ est duodecimum impedimentum; vel sunt voluntaria, ut Votum solemne continentiæ, Ordo sacer, & Ligam[illegible], quæ sunt tertium, octavum, & nonum. Ea au[illegible] quæ reddunt personam inhabilem respectu alic[illegible]s personæ in particulari; vel oriuntur ex Crimine, quod est quintum impedimentum; vel ex nimia conjunctione, ex qua procedunt tria impedimenta, nempe Consanguinitas, quæ est quartum, Affinitas, quæ est undecimum; & Honestas publica quæ est decimum; vel denique ex nimia disjunctione, ad quam refertur Cultûs disparitas. Ex quib[illegible] apparet numerus noster duodecim impedimentorum, quibus, ut diximus, Concilium Tridentinum duo

A alia subjunxit, nempe absentiam Parochi & duorum testium; & raptum uxoris, quamdiu manet in raptoris potestate. Superest ergo, ut quodlibet impedimentum explicemus in particulari.

ERROR.

ERROR cadere potest vel in substantiam personæ, ut quando quis credens ducere Annam, ducit Mariam; & tunc invalidum est Matrimonium, jure etiam naturali; contrahens enim non consentit cum illâ personâ; unde non valeret apud infideles. Hoc intelligitur, etiamsi error esset concomitans, ut quando quis ducit Annam putans ducere Mariam, quam tamen duceret, si cognosceret

B illam; quia non consentit actu circa illam; & consensus actualis requiritur. Vel potest error esse circa qualitatem personæ, ut quando aliquis ducit Mariam, quam putat divitem, formosam, nobilem, & talis non est; Matrimonium est validum, nisi talis qualitas apponatur per modum conditionis, vel transeat in errorem personæ. Ratione primi, si quis dicat, duco te in uxorem, si tu es nobilis, & non sit reverà, Matrimonium nullum est; defectus enim conditionis, sine quâ non factus fuisset contractus, invalidat contractum. Ratione secundi, non valeret Matrimonium, si Maria sponsaret Petrum se fingentem esse filium regis Galliæ, in quem illa consentit sicut in filium regis, qui re-

C verà talis non est; tunc enim error censetur versari circa determinatam personam: valeret autem si contraheret cum Petro qui se fingit esse filium regis simpliciter; consentit enim in determinatam personam quam præsentem ducit; & error tantùm cadit supra qualitatem. Quòd si exemplum Jacob & Liæ, nostræ propositioni contradicere videatur, dicendum est, quòd Matrimonium Jacob cum Lia non fuerit validum, nisi postquam, detecto errore personæ, ipsum Jacob ratificavit, compassionem habens de Lia deflorata per ignorantiam quæ fuit in Jacob, qui putavit bonâ fide, Liam dolosè substitutam esse Rachelem. Deceptus autem fuit, quòd tunc temporis sponsæ solerent introduci velatæ ad suos maritos, pudoris gratiâ.

D

CONDITIO.

CONDITIO est secundum impedimentum Matrimonii; sumitur autem Conditio non latè, de eâ enim loquuti fuimus anteà; sed strictè, pro servitute, & de eâ dicitur, quòd Matrimonium contractum cum errore Conditionis servilis sit invalidum, modò conditio errantis sit deterior; sic qui contrahit cum servâ, quam putat liberam, invalidè contrahit, licet cum illâ contraheret, si illam cognosceret servam: si tamen servus contraheret cum servâ, quam putat liberam; aut cum liberâ, quam putat servam, contraheret validè; quia con-

E ditio ejus non fit deterior. Hoc impedimentum inductum est ab Ecclesiâ, ut tollatur inæqualitas inter contrahentes, & nè fiat injuria contrahenti. Servitus extendi potest ad illos qui damnati sunt ob cri[illegible]na ad remos perpetuos, vel perpetuo carceri, q[illegible]unt servi pœnæ. Error concomitans condi[illegible], sicut personæ, sufficit ad invaliditatem Ma[illegible]nii; ita quòd invalidè contraheret, qui existimaret filiam esse liberam, quæ tamen esset serva, etiamsi esset paratus ad contrahendum cum illa, si cognosceret ejus servitutem. Error vincibilis conditionis personæ Matrimonium irritaret. Qui duceret servam libertate donatam, quam fuisse

anteà servam ignoraret, validè contraheret cum illa; quia de facto est libera. Si dominus tradat in Matrimonium servam viro libero, validum est Matrimonium; quia eo ipso fit libera. Imò, si ea, tacente domino, jungatur libero, qui eam liberam credebat, eo adhuc ipso libera existit; quia qui tacet consentire videtur, & Matrimonium tenere debet. Si quis liber conditionem alterius anteà noverat, valet Matrimonium; quia illud dirimitur tantùm, quando liber ignoranter contrahit cum serva, vel libera cum servo, ut patet *ex cap. finali de conjugio servorum*; tunc enim cedit juri suo. Qui habet opinionem de servitute compartis censetur habere notitiam, sicque valet sacramentum; secus, si habeat tantùm suspicionem levem. Licèt hoc impedimentum sit tantùm de jure Ecclesiastico, ut diximus, præcedens tamen est de jure naturæ, licèt sit etiam de jure positivo, ex cap. *tua nos*.

VOTUM.

VOTUM tertiò Matrimonium dirimit, nimirùm solemne, quale in professione religionis & in sacrorum Ordinum receptione emittitur; simplex autem votum Castitatis tantùm impedit, excepto apud RR. PP. Societatis Jesu, qui elapso biennio emittunt votum simplex castitatis, quod non tantùm impedit & dirimit Matrimonium respectu illorum, sed de facto excommunicationem incurrunt si contrahant. Impedimentum hoc est de jure Ecclesiastico, ex Scoto, dist. 38. & 42. num. 11. Quia si esset de jure naturæ; vel divino, tale esset, vel in quantum est votum, vel in quantum est solemne, vel in quantum vovens traditur religioni per professionem; sed ut est votum non dirimit jure divino, cùm votum simplex æqualiter obliget apud Deum, ac solemne, ut habet Celestinus 3. *cap. rursus*: votum autem simplex non dirimit, nisi jure Ecclesiastico. Non dirimit secundò, ut est solemne; quia voti solemnitatem introduxit Ecclesia *ex cap. unic. de voto in 6.* Nec denique dirimit, ut tradit voventem religioni; nam etiam simplicia vota Societatis continent illam traditionem, quæ tamen solo jure Ecclesiastico dirimunt Matrimonium. Deinde, vinculum Matrimoniale stat cum professione religiosa; quoniam Matrimonio juncti professionem aliquando emittunt mutuo consensu. Sciendum est ergo, quòd solum votum solemne Matrimonium dirimat, non verò votum simplex, nec juramentum, nec votum suscipiendi Ordines sacros; quæ hæc omnia differunt in hoc, quòd ille, qui votum solemne emisit, absolutè arceatur à Matrimonio. Qui vovit suscipere Ordinem sacrum, peccat contrahendo, quatenus se facit inhabilem ad Ordinem, quem vovit; cùm tamen ultrà se non obligaverit, potest petere & reddere debitum. Qui vovit castitatem peccat contrahendo, nec potest petere debitum, licèt possit reddere cùm non potuerit præjudicare parti petenti. Qui vovit ingredi religionem, ad hoc obligatur usque ad consummationem, per quam impletio voti fit illi impossibilis; post consummationem, in qua peccavit mortaliter, potest petere & reddere debitum; quia impletio voti est illi impossibilis, donec, conjuge moriente, vel consentiente, votum exequatur. Porro, ideo votum solemne irritat Matrimonium, & non simplex; quia promissio, qualis est votum simplex, obligat quidem in conscientia, tamen non transfert dominium rei promissæ ab eo, qui promisit, in eum, cui promissio facta est; unde, si sententiam mutet, & rem donet alteri, peccat quidem, sed non

A minus donatio est valida.

COGNATIO.

COGNATIO quartum impedimentum est dirimens Matrimonium; & est triplex, nempè legalis, spiritualis, & naturalis. Cognatio legalis est quædam propinquitas inter certas personas proveniens ex adoptione: Adoptio autem est legitima assumptio personæ extraneæ in filium aut filiam; illa cognatio impedimentum est, primò, inter ascendentes & descendentes usque ad quartum gradum inclusivè: secundò, inter adoptatum & filios adoptantis; tertiò, inter adoptatum & uxorem adoptantis, & inter adoptantem & uxorem adoptati; B primi sunt cognati in lineâ rectâ; secundi in lineâ transversali; & tertii per modum affinitatis legalis. Cognatio spiritualis est propinquitas inter quasdam personas ex Baptismo & Confirmatione proveniens: & triplex est, nempè Paternitas inter baptisantem & baptisatum, & inter levantem & levatum, sic de confirmato; Compaternitas, inter baptisantem, confirmantem, patrinum, & patres carnales baptisati aut confirmati; denique est Confraternitas inter baptisatum seu confirmatum & filios baptisantis, confirmantis & patrinorum; sed ablata est Fraternitas per Concil. Trident. & remanserunt solùm Paternitas & Compaternitas, quæ ex eodem Concil. non ampliùs se extendit ad susceptores, & C etiam limitatur ad unum & ad unam. Ad cognationem spiritualem multa requiruntur. Primò, ut teneatur infans in Baptismo; unde si domi est baptisatus, qui tenet, dùm supplentur solemnitates in Ecclesiâ, non contrahit. Secundò, ut quis teneat in primo Baptismo; unde si rebaptisetur, susceptores non contrahunt cognationem, nisi probabile esset primum fuisse invalidum; probabiliter enim esset Cognatio. Tertiò, debet teneri infans in baptismo solemni; & si teneatur tantùm domi, nulla est cognatio, quia Ecclesia non instituit susceptores nisi in Bapt. solemni. Quartò, susceptores suscipere debent puerum de manibus baptisantis statim ac baptisatus est; aliàs non dicerentur levare de D fonte sacro: unde mulier suscipiens puerum non de manibus baptisantis sed patrini, non contrahit; & etiam, si susceptores tangant puerum tantùm digito, non dicuntur propterea tenere; ex quo patet contactum physicum esse necessarium, sivè sit proprius vel alienus; qui enim suscipit per procuratorem, contrahit, ut major pars Doctorum sentit; non ipse procurator, ut declaravit congregatio Cardinalium; qui tamen constituit alium, ut suo nomine baptiset, non ipse contrahit, sed designatus.

Quantùm ad cognationem naturalem, nil aliud est, quàm propinquitas personarum descendentium ex eodem stipite proximo per naturalem generationem. Distinguitur per lineas & gradus. Linea est E series seu ordo personarum ascendentium vel descendentium ab eodem stipite; stipes autem est illa persona ex quâ fit descensus. Gradus est distantia major vel minor quâ una persona magis vel minus distat ab aliâ. Linea duplex est, recta & collateralis; illa est secundùm quam plures personæ ita à stipite desc[...]dunt, ut una sit genita ab aliâ; hæc est, quâ plures personæ ab eodem stipite descendunt, non tamen quòd una sit ab aliâ. Ut cognoscatur quot gradibus una persona distet ab aliâ, accipiendæ sunt hæ tres regulæ. Prima, in lineâ rectâ ascendentium & descendentium tot sunt gradus, quot personæ, unâ demptâ, scilicet stipite; sic Pater & Filius sunt in primo, quia dempto Patre qui

est stipes, remanet tantùm una persona; sicque est tantùm unus gradus; pari jure Nepos est in secundo gradu consanguinitatis cum Avo; Pronepos in tertio, &c. Secunda regula, in lineâ collaterali & transversâ tot gradibus distant personæ inter se, quot distant à stipite, sic quia duo fratres distant à Patre uno gradu, distant inter se uno gradu. Tertia regula hæc est; si in lineâ transversâ, duæ personæ distent inæqualiter à stipite, quot gradibus distat persona remotior, tot gradibus inter se distant; unde si una sit in secundo gradu distans à stipite, & alia in tertio, sunt inter se distantes in tertio. Hoc posito, dico primò, Matrimonium esse invalidum intra quartum gradum consanguinitatis, tùm in lineâ rectâ; tùm in collaterali; sed hoc est tantùm de jure Ecclesiastico, quod olim illud prohibebat fieri intra septimum. Licet consanguinitas oriatur ex copula illicita, non minus tamen se extendit usque ad quartum gradum inclusivè: quia Concilium Trident. reducens solam affinitatem ex illicito coitu ad secundum gradum inclusivè, per hoc indicat, consanguinitatem se adhuc extendere usque ad 4. ut anteà se extendebat. Dico secundò, quòd aliqui sentiant, prohibitum esse Matrimonium in omni gradu lineæ rectæ, & hoc de jure naturæ. quia contractus & usus Matrimonii repugnant reverentiæ quæ debetur parentibus: alii tenent esse tantùm de jure naturæ prohibitum in primo gradu, juxta id Levitic. 18. *Turpitudinem Patris tui vel Matris tuæ nè discooperias; Mater enim tua est:* Unde, si Matrimonium intra quartum gradum ascendentium prohibetur, hoc est tantùm de jure Ecclesiastico. Ad adversarios respondentes dicunt quòd maxima reverentia debeatur tantum principio immediato, nempè Patri; non mediato, scilicet Avo. Dico tertiò, in lineâ transversâ Matrimonium esse prohibitum de jure naturæ in primo gradu, v. g. inter Fratrem & Sororem; inter illos enim est maximus pudor, cui adversatur usus Matrimonii. Quòd si initio mundi contrahebant Fratres cum Sororibus; hoc erat ad conservandam speciem humanam, quod præceptum cuilibet alteri præponderat; unde, si eadem necessitas rediret, posset Pater contrahere cum Filiâ, & Frater cum Sorore.

Moyses Levit. 18. plura connubia prohibet, quæ sunt, vel in linea recta consanguinitatis, vel in linea transversa ejusdem; vel in linea recta affinitatis, vel denique in linea transversa ejus. In linea recta consanguinitatis prohibuit tantùm primum gradum, nimirum patris cum filia; vel matris cum filio: & secundum avi cum nepte, seu cum filii aut filiæ filia; & aviæ similiter cum nepote, seu filii aut filiæ filio. In linea transversa Consanguinitatis prohibet conjugium fratris cum sorore, sive ex utroque parente, sive tantum ex uno. Prohibet etiam conjugium Nepotis cum amita, & matertera, non tamen patrui aut avunculi cum filia fratris aut sororis. Quoad affinitatem in linea recta, prohibet Matrimonium Filii cum Noverca, & Patris cum Nuru. In linea denique transversa affinitatis, prohibet Matrimonium cum uxore fratris, quando non est mortuus sine liberis, & cum sorore uxoris ipsâ vivente, & cum uxore Patrui. Quantùm ad has & similes prohibitiones, Vviclefus in quarto lib. trialogi cap. 20. affirmat, solam cognationem in primo gradu & in recto ordine impedire Matrimonium; ex quo infert, fratrem posse sororem ducere, quia hoc solâ inventione humanâ est prohibitum, & non jure divino; quandoquidem præcepta Levitici judicialia & cæremonialia abolita sunt per Evangelium. Lutherus lib. de Captiv. Babilon. cap. de Matrimonio, solos gradus cognationis in Levitico memoratos agnoscit, quos adhuc perseverasse existimat. In hoc fundati erant, qui persuaserunt Henrico VIII. Regi Anglorum, Romanum Pontificem non potuisse dispensare cum eo, ut acciperet uxorem fratris sui defuncti. Catholici autem agnoscentes, non ampliùs vigere præcepta cæremonialia & judicialia antiquæ legis, asserunt, non omnia præcepta Levitici de gradibus Matrimonii obligare, sed tantùm ea, quæ sunt naturalia. Si hoc enim esset verum de omnibus, aliàs ea obligassent etiam ante legem datam, sicut lex de non occidendo, non furando, nec mentiendo, quod tamen falsum est; ut patet de Jacob, qui duas sorores viventes simul accepit, Liam & Rachelem, Genes. 29. & ex multis aliis exemplis. Ob hoc Summus Pontifex dispensat, non quidem in omnibus, quandoquidem nil potest circa præcepta naturalia; benè autem in aliquibus, quæ ad legem naturalem non pertinent, ut Concilium Trident. affirmat sess. 24. can. 3.

Per naturalia præcepta intelliguntur ea, quæ solo naturali lumine, sine aliquo discursu, aut per discursum facillimum, cognoscuntur, & apud omnes sunt eadem: quæ enim indigent lumine supernaturali, dicuntur præcepta divina positiva. Præcepta naturalia prohibentia, vel sunt strictissimè naturalia, vel strictè, aut latè. Prima sunt de re, quæ ita intrinsecè mala est, ut semper, & apud omnes sit mala, nec possit fieri bona per ullam circumstantiam, ut mentiri, mœchari, odisse Deum; & ista sunt omnino indispensabilia. Secunda sunt quidem de re mala, sed quæ rectificari potest per extremam necessitatem, ut ablatio rei alienæ, quæ per summam necessitatem sit communis; & Matrimonium cum propria sorore taliter prohibitum est apud omnes gentes, exceptâ ultimâ necessitate, qualis fuit initio mundi; & super ista dispensari non potest, nisi adsit extrema necessitas. Tertia denique sunt de re mala, si nudè & absolutè consideretur, quæ fieri potest bona, per mutationem circumstantiarum. Sic homicidium & juramentum sunt de re mala, quæ tamen honestari potest, si homicidium, v. g. fiat ob bonum commune, & juramentum fit cum suis circumstantiis. Sic cuncta præcepta Levitici possunt dici naturalia saltem hoc tertio modo, quia prohibitiones Matrimonii sunt bonæ, & proinde ex jure D. quod ad bonum faciendum inclinat; & dispensationes in his gradibus sunt de re mala in se, quandoquidem opponuntur bono: quæ tamen rectificari possunt per certas circumstantias notas Summo Pontifici, qui ob hoc in talibus gradibus dispensare potest. Quòd autem bonæ sint illæ prohibitiones, quibus olim usa est Ecclesia usque ad septimum gradum, & nunc usque ad quartum consanguinitatis & affinitatis, probat D. Thomas 2. 2. quæstione 154. art. 9. Primò ob honorem debitum consanguineis & affinibus. Cùm enim talibus debeatur reverentia, & actus conjugalis, sine turpitudine & irreverentia nequeat haberi, ex Augustino lib. 15. de civit. Dei cap. 16. ideo talis prohibitio honesta est & bona. Secundò, ob familiaritatem, quæ est inter consanguineos & affines, quæ daret locum multis fornicationibus; unde Ecclesiá jure prohibuit inter illos Matrimonia, ex Ambrosio in Epist. 66. ad Paternum. Tertiò, ob dilatationem charitatis & amicitiæ inter extraneos, qui fructus cessaret, si inter propinquos Matrimonia contraherentur. Quartò denique, ad moderandum usum conjugalem; si enim dilectioni consanguineorum

adderetur amor carnalis, cresceret talis appetitus. Ratio præcedens desumitur ex Ambrosio & Augustino locis citatis; & ultima ex Aristotele lib. 2. Politicorum.

CRIMEN.

QUINTUM impedimentum Matrimonium dirimens est crimen: illud autem crimen duplex est, nempè Homicidium & Adulterium. Ratione primi criminis, si vir & mulier simul machinentur mortem alteri conjugum; aut si unus eorum machinetur mortem suæ conjugis, ut Matrimonium ineat cum aliâ, Matrimonium iniri non potest. Ratione secundi, si Adulteri sibi invicem promiserint fidem de Matrimonio ineundo post mortem conjugis, contrahere Matrimonium non possunt; quia videntur mortem alterius conjugis procuraturi: sic nec illi qui contraxerunt vivente altero conjuge; Matrimonium tamen non est irritum, si unus fingat alteri suam partem esse mortuam, ut illum decipiat, & inducat ad Adulterium: Non etiam irritatur Matrimonium, si v. g. Petrus occidat ex vindictâ maritum Annæ, non verò ut cum illâ contrahat. Non etiam irritatur, si solus Petrus occidat maritum Annæ ut eam ducat, modò illa non concurrerit, nec præcesserit Adulterium cum Homicidio.

Divisio, quam tradunt plurimi, impedimentum criminis contingere ex solo homicidio, ex solo adulterio, & ex homicidio concurrente cum adulterio, videretur aliquid otiosum continere, cum nullus dubitare queat, quin ex homicidio concomitante adulterium resultet impedimentum criminis Matrimonium dirimens, quandoquidem illud quod resultat ex solo adulterio, vel homicidio, dirimit, & à fortiori illud quod procedit ab utroque: sed notari debet, ad illud tertium membrum validandum, hæc differentia: quòd quando adulterium & homicidium concurrunt simul, non requiratur, ut uterque conjux concurrat ad machinandam mortem suæ partis, sed sufficiat, quòd unus illam machinetur ex intentione perveniendi ad Matrimonium cum adultero vel adultera, sicut habetur *capite laudabilem. de conversione infidelium.* & *capite, super hoc.* Impedimentum criminis dirimit Matrimonium solo jure Ecclesiastico, *capite 1. de conversione infidelium*; & illud justè Ecclesia instituit, ut vitentur cædes & adulteria inter conjuges, cum illis aufertur spes omnis contrahendi inter se. Cùm autem jure naturæ & divino impedimentum illud non existat, ideo infideles, qui ad Ecclesiam non spectant, & ejus præceptis non subduntur, validè contrahunt Matrimonium, etiamsi sint adulterii aut homicidii conscii. Ad inducendum hoc impedimentum requiritur, ut semen adulteri recipiatur intra vas fœminæ; quia ad hoc requiritur crimen consummatum. Requiritur secundò, ut uterque norit adulterium, *capite veniens, de eo qui duxit in Matrimonium.* Unde, si Petrus conjugatus commisit adulterium cum Catharina soluta, quæ credebat Petrum non esse conjugatum, non erit impedimentum criminis; quia non intercedit adulterium formale, sed tantùm materiale, nec est proinde impedimentum dirimens. Ex quo patet, non requiri utramque partem esse conjugatam; sed sufficere quòd una talis sit. Promissio Matrimonii cum adultero non debet necessariò esse mutua, quia jura non decernunt promissionem reciprocam; unde, si fœmina promisit soluto, aut conjugato, ipsum ducturam post mortem conjugis, non requiritur quòd promissio fiat cum repromissione; benè autem quòd sit acceptata: nam ante acceptationem non est vera promissio.

CULTUS DISPARITAS.

SEXTÒ impeditur Matrimonium per cultûs disparitatem; Unde fidelis qui contraheret invalidè cum infideli non baptisato, etiam cathecumeno; validè tamen contrahit cum hæretico; hoc enim nullâ lege cautum est, licet sit grave peccatum, propter prohibitionem Ecclesiæ & periculum subversionis: quod intelligendum est de locis in quibus hæretici non sunt tolerati; alibi enim, ut in Galliâ, cessante periculo perversionis & scandalo (quæ raró absunt) non esset peccatum mortale de se. Istud impedimentum est tantùm de consuetudine Ecclesiæ, quæ non fuit tempore Augustini, cujus mater Monica virum duxerat infidelem. Quod si 1. Corinth. 7. Paulus permittat mulierem fidelem manere cum viro infideli; loquitur de muliere factâ fideli post Matrimonium. Ex his omnibus multa colligenda sunt. Primò, non licere fideli cum infideli, aut cum hæretica, contrahere; ita quòd in primo dirimatur Matrimonium, & in secundo peccatum admittatur, valido tamen remanente Matrimonio. Unde Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 9. ait: *Cave Christiane, gentili, aut Iudæo filiam tuam tradere: cave gentilem, aut Iudæam, atque alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à tua fide uxorem arcessas tibi.* Quod est conforme Deuteronomii 6. ubi Deus prohibuit populo suo Matrimonia cum gentilibus; quod præceptum, licèt sit judiciale, obligans solos Judæos, in quantum tamen aliquid morale continet ratione causæ, *quia* scilicet *seducet filium tuum nè sequatur me,* ideo potest dici præceptum morale, ad omnes omnino pertinens.

Secundò, ut jam diximus, Matrimonium inter fidelem & infidelem non est irritum jure divino, naturali vel positivo, nec positivâ lege Ecclesiæ, sed solo more populi Christiani vim legis obtinente; cùm jam à quadringentis annis usus Ecclesiæ invaluerit, quòd Matrimonia illa essent invalida, quæ contraherentur inter fidelem & infidelem non baptizatum, de quo videri possunt Magister sententiarum in 4. dist. 39. & Gratianus 28. quæst. 1. quam veritatem, ut priscis temporibus exploratam, & à majoribus acceptam, approbatunt Doctores, quod sequitur exemplum veteris legis, ubi inter certas nationes disparis cultûs talia Matrimonia dirimebantur. Porro, hujus facti ratio est, quòd Matrimonium apud Christianos sacramentum sit, ac proinde tribui non debeat à Christianis, illis qui sacramenta suscipere nequeunt, quales sunt non baptisati, qui carentes baptismo, sacramentorum januâ, aliorum nullo modo sunt capaces. Hæc est ratio, cur matrimonia cum hæreticis baptisatis contracta valida sint, & cum infidelibus nulla. Sequitur ultimò, quòd Summus Pontifex, exigente causâ, possit dispensare cum fideli, ut cum infideli contrahat; quandoquidem id præceptum non est naturale, nec divinum positivum, sed planè Ecclesiasticum. Hoc præcedens impedimentum rejicit Lutherus lib. de Capt. Babil. cap. de Matrimonio; nec aliud argumentum affert, nisi quia talia Matrimonia non leguntur prohibita Christianis, & quòd B. Monica virum infidelem habuerit.

VIS.

PEr Vim intelligitur metus extrinsecus cadens supra constantem virum. Dicitur primò, per metum extrinsecum, qualis incuti potest à causâ extrinsecâ liberâ, ut ab homine; non à causâ intrinsecâ, qualis est ille qui incutitur à periculoso morbo, à morte, à feris animalibus, &c. Matrimonium enim initum ut hæc omnia vitentur; validum est: sic validum est Matrimonium filiæ medici nolentis curare ægrotum, nisi ducat ægrotus illam filiam; metus enim non incutitur à medico, sed à morbo: Valet etiam dùm contrahitur ob metum inferni. Dixi secundò, cadentem supra constantem virum, seu gravem. Gravis metus à levi in hoc differt; quòd gravis est ille qui cogit eligere minus malum, ut majus vitetur: levis ex opposito est ille quo aliquis cogitur eligere majus malum ut minus devitetur. Posito gravi metu ut extorqueatur consensus, Matrimonium invalidum est. Ad metum gravem reducitur metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, carceris diuturni, exilii, stupri, amissionis partis notabilis bonorum, infamiæ, &c. Quoad metum reverentialem, nisi sit gravis, idest, conjunctus cum minis gravibus, verberibus & similibus, Matrimonium non invalidat.

Ad hoc spectant, tum ea, quæ diximus de libertate consensûs; tum ea quæ sequuntur. *Primò*, ad valorem Matrimonii ita necessarius est consensus liber, ut non nisi per divinam potentiam suppleri possit; unde nec respublica, nec principes, hoc facere valent independenter à consensu contrahentium, nec tali potestate usquam sunt usi, licet ob bonum publicum aliquando queant subditos urgere per mandatum, ad præbendum consensum Matrimonio. Unde, quamvis reiteratis multoties vicibus ederentur verba externa, & deficeret interior consensus, etiamsi copula secuta fuisset, Matrimonium foret nullum in foro interno. Deus quidem, tanquam supremus Dominus, potest revera tradere dominium unius partis super alteram ad conjugalem usum, & vice versâ; quandoquidem homines, qui habent dominium super servum, possunt illud transferre per emptionem, aut donationem; attamen talis traditio censeri non potest matrimonialis, nec vinculum matrimoniale, ex defectu liberi consensûs; sed esset tantùm perpetua obligatio tradendi unicuique potestatem super mutua corpora ad usum carnalem. *Secundò*, consensus ille debet exteriùs exprimi, saltem per nutus, qui sufficerent etiam in illis, qui locutionis haberent usum. Quando verba adhibentur ad exprimendum consensum, quæcunque sint, sufficiunt: attamen debent esse clara, sicut & alia signa, nè maneat dubitandi locus. *Tertiò*, ut consensus sit invalidus metûs ratione, debet esse gravis, sive absolutè, sive respectivè. Metus gravis absolutè vocatur cadens in constantem virum, quo rationabiliter timetur aliquid, quod reverà videtur formidabile viro alioquin forti & constanti. Metus gravis respectivus est ille, qui non cadit in constantem virum absolutè, cadit tamen in illum, qui per respectum ad sexum, ætatem, aut alias circumstantias, censetur cadere in constantem virum; & talis metus in fœminis, pueris, & senibus reddit consensum, & proinde Matrimonium, invalidum. *Quartò*, ut metus rescindat consensum, & Matrimonium invalidet, debet incuti injustè; quia canones tantùm loquuntur de metu injustè incusso. Per metum autem incussum justè non fit injuria alteri, sed proponitur

A modus, quo evadere possit supplicium. Ob hoc qui aliquem justè potest accusare vel damnare, potest minari accusationem vel condemnationem; & metus ille non reddet Matrimonium invalidum.

Quintò, Matrimonium ex metu gravi injustè incusso de jure tantùm Ecclesiastico esse irritum, existimant aliqui; sed multo plures cum D. Thoma, D. Bonaventura, & Scoto *dist.* 29. *num.* 7. & 8. probant irritari de jure divino. Quia nulli canones talia Matrimonia irritant, sed irrita esse supponunt; quod denotat, talem irritationem revocandam esse ad jus aliquod superius. Denotatur autem hoc jus divinum ex ipsa natura contractûs, qui exigit libertatem in consensu, quæ non esset, si metus existeret gravis. *Sextò*, Matrimonium sub con-
B ditione honesta de præsenti, vel præterito, est validum, si subsint conditiones; invalidum verò, si aliqua desit. Conditio etiam indifferens, continetur sub honesta, contra paucos; cæteri enim contractus sic facti validantur. *Septimò*, contractus Matrimonii sub conditione honestâ, contingenti, & de futuro, est validus, impletâ conditione: sed valor illius suspenditur, donec advenerit conditio. Si tamen illa sit necessariò futura, ut quando dicitur, accipio te in sponsam, si sol cras oriatur; ab illo tempore valet Matrimonium, quia talis conditio potius censetur esse ad majorem confirmationem consensûs præsentis, quàm ad illum suspendendum, donec sol oriatur. Ratio, quare sacramentum Matrimonii est suspensivum valoris sui,
C non autem alia sacramenta, hæc est; quòd istud fiat per modum contractûs, qui imitari debet alios, qui possunt celebrari sub conditione futura suspensiva valoris, quod non habetur in aliis sacramentis. *Octavò*, absque novo consensu, impletâ conditione, Matrimonium redditur absolutè validum; quia cæteri contractus, adveniente conditione, validi redduntur, absque eo quòd partes contrahentes de novo in venditionem aut emptionem consentiant; unde nec in Matrimonio, nec in aliis contractibus, possunt resilire partes.

Nonò, si conditio est impossibilis physicè, aut moraliter, v. g. te duco in uxorem, si solem attrahas de sphæra; te duco in virum, si inimicum meum
D occideris; & seriò adjectæ sint tales conditiones, invalidum est Matrimonium; quia sine absoluto consensu, qualis non intervenit in casu proposito, Matrimonium validari nequit. Imò, qui seriò apponit conditionem, quam novit impossibilem, & quam non debet apponere, censetur nolle nubere. Quòd si in jure, *capite finali de conditionibus appositis*, dicatur, tales conditiones in favorem Matrimonii censeri pro non adjectis; hoc intelligitur passim à Doctoribus, quando dubitatur, an tales conditiones sint seriò vel joco adjectæ; & protunc censendæ sunt procedere in foro externo ex joco; & hoc, ut benè notatur, in favorem Matrimonii.
E *Decimò*, consensus præstitus cum conditionibus oppositis substantiæ aut bonis Matrimonii ab illis irritatur jure naturæ; unde, cum bona Matrimonii sint bonum sacramenti, quod involvit indissolubilitatem; bonum fidei, & bonum prolis, seu illius educatio; ideò, si quis dicat, contraho tecum, donec pulchriorem invenero; contraho tecum, cum facultate cognoscendi aliam; vel contraho tecum, ad procurandam sterilitatem; protunc talis consensus invalidat Matrimonium, quia tales conditiones opponuntur finibus Matrimonii. *Undecimò*, si conditio apponatur, quòd conjuges non tenebuntur reddere debitum, sed in perpetua virginitate remanere, Matrimonium est validum; quia, sicut ali-

quis potest vendere dominium agri, retento usufructu; sic nihil obest, quin alter per Matrimonium tradat dominium in suum corpus, licet retineat illius usum. Quod confirmatur ex hoc, quòd Matrimonio jam contracto, & retento vinculo conjugali, possint partes renunciare juri petendi debitum conjugale. Nec tamen propterea dicendum est, hoc repugnare tertio bono Matrimonii, quandoquidem ibi intervenit evitatio prolis generandæ; nam illi bono Matrimonii opponitur sola evitatio positiva prolis, quæ fit impediendo generationem, postquam habita fuit copula. Ob hoc B. Virgo Maria, salvâ integritate voti, potuit contrahere Matrimonium cum Josepho, & conservare integritatem corporis per pactum de mutua continentia.

ORDO.

OCTAVÒ, Matrimonium invalidatur per Ordines majores susceptos validè, & hoc tantùm ex præcepto Ecclesiastico, non divino; aliàs Ecclesia Romana non permitteret Sacerdotibus Græcis usum Matrimonii. Licet tamen Matrimonium Ordines majores subsequens invalidum sit propter votum solemne illis implicitè adjunctum, ex decreto Ecclesiæ; non tamen susceptio sacrorum Ordinum, Matrimonium anteà contractum invalidat. Dixi, susceptos validè; si enim quis invalidè ordinaretur, v. g. nolens, aut ab Episcopo non intendente ordinationem, validè posset contrahere Matrimonium. Si quis Ordinem sacrum susciperet, nesciens illi annexum esse votum Castitatis, ad illam teneretur; qui vult enim statum, vult ea quæ sunt annexa statui, ut illud votum: Quòd si intentionem haberet positivam non vovendi, ad castitatem nihilominus teneretur; non ratione voti, quia nullum est, sed præcepti Ecclesiastici Matrimonium ordinati prohibentis. An ille qui ordinatus est Ordine sacro ante usum rationis teneatur Castitatem servare, dùm fit adultus; omnes respondent negativè, nisi Ordinem ratificaverit: sed controvertuntur de ordinato ante ætatem pubertatis, seu sexdecim annorum: Affirmativam probabiliorem tenet Bonacina.

Dixi anteà, per Ordines majores; quia ab initio Ecclesiæ fuit omnibus Sacerdotibus & Diaconis, tum Græcis, tum Latinis, prohibita Matrimonii contractio, ut patet ex can. 27. Apostolorum, ex Concilio Ancyrano can. 10. & antiquissimis Pontificibus, ac Patribus Ecclesiæ, qui non possunt legi apud Bellarminum lib. de clericis cap. 19. quin manifestè appareat Melanchthonii & Kemnitii impudentia, dum dicunt legem continentiæ à Pontificibus Romanis esse introductam contra vetera Concilia. Qnantum ad Subdiaconos, illos non memoravi; quia aliqui dubitant, an fuerit hic Ordo sacer pro primis temporibus, & proinde obligatus ad continentiam, ut videtur negari cap. *à multis. de ætate & qualitate ordinandorum*: dicunt verò, posteà ipsum inter sacros fuisse numeratum, & obligationem induxisse continentiæ. Quâ non obstante opinione, verisimilius est, ordinem Subdiaconatûs semper sacrum fuisse, & continentiam illi annexam, ut patet ex can. 27. Apostolorum: *Innupti, qui ad clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant; sed lectores & cantores tantummodò*: quæ ultimæ particulæ intelliguntur de omnibus clericis simplicibus. Hoc confirmavit Concilium Elibertinum sub Sylvestro can. 23. *Placuit in totum prohibere Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus, abstinere se à conjugibus suis, & non generare*

A *filios.* Aversa, qui negat hunc ordinem semper fuisse sacrum, incepisse tamen numerari inter sacros, utriusque rationem reddit, quòd olim illi ordines dicebantur sacri, qui conferuntur per impositionem manuum, aut quibus erat concessum tangere & ministrare corpus Christi: posteà tamen Subdiaconatum dictum fuisse sacrum, & annexam habentem continentiam, in quantum proximè altari ministrant Subdiaconi.

Aliter in hac materia loquendum est respectu Ecclesiæ Græcæ, & Latinæ; quia licèt ab initio sacerdotes Græci astricti fuerint ad omnimodam continentiam, & ad rejectionem uxorum, quas ante susceptionem Ordinis duxerant, ut patet ex Epi-
B phanio hæresi 59. & ex capite *quoniam. dist.* 31. postea tamen hæc lex abrogata est, ita quòd possent Græci ante susceptionem ordinum uxorati licitè uti suis uxoribus extra dies sui ministerii, ut habetur ex Clemente III. cap. *quæsitum de Pœnit. & remissionibus.* & ex Innocentio III. capite, *ut clericorum. de vita & honestate cleric.* & ex can. 6. Concilii Quinisexti can. 6. dicentis, Decernimus, ut deinceps penitus Hypodiacono, Diacono, Presbytero post ordinationem suam contrahere non liceat. Quando tamen contrahunt post susceptionem Ordinum, eorum conjugia sunt quidem illicita, valida tamen;, inquit Arcudius in concordia lib. 7.
C cap. 42. donec in futurum Ecclesia Romana statuat, illa esse invalida pro Græcis, sicut fecit pro Latinis. Quantùm ad Episcopos, illis semper vetitum fuit can. 22. uti conjugio jam inito; ubi simplices sacerdotes anteà conjugati cum unica uxore, quæ antea virgo fuerit, promoveri poterant ad sacros ordines, & suis uti uxoribus.

LIGAMEN.

IRRITATUR nonò Matrimonium per ligamen, quod nihil aliud est, quàm vinculum prioris Matrimonii, quo stante nullus potest aliam uxorem ducere, ut probavimus in antecedentibus, traden-
D tes polygamiam virorum & uxorum esse prorsus illicitam. Vinculum hoc invalidat Matrimonium ex jure naturæ, in quantùm repugnat quieti & paci familiæ; unde super illud non potest dispensare Summus Pontifex. Quòd si in veteri Testam. licita fuerit Polygamia, seu pluralitas uxorum, hoc factum fuit ex Dei dispensatione; & sic hoc præceptum pertinet tantùm ad secundarium jus naturæ, quoniam Deus in illo dispensat, quæ dispensatio ablata est à Christo, Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem, & aliam duxerit, mœchatur*; si enim mœchatur, dimissâ aliâ, à fortiori mœchatur, illâ retentâ. Quoniam jure naturæ plures uxores prohibentur, à fortiori prohibentur plures viri unius uxoris; hoc enim repugnat fini primario Matrimo-
E nii, nempe procreationi prolis, quæ impeditur ex feminum commixtione. Ex nostrâ conclusione sequitur, certitudinem moralem requiri de morte conjugis, ut superstes ad novum Matrimonium convolet; & illa certitudo non censetur haberi per multorum annorum absentiam viri, nec per famam solam, nec per unum testem, nisi hæc conjungantur cum indiciis ita evidentibus, ut nullus remaneat dubitandi locus, quod relinquendum est judicio prudentis viri. Mulier quæ existimato mortuo conjuge alium duxit, cognoscens certò primum esse viventem, à secundo recedere debet; si verò tantummodò dubitat, non potest petere debitum, tenetur tamen reddere. Porrò, licet Polygamia, quæ consistit in possessione plurium uxorum; illicita sit;
Bigamia

Bigamia tamen, quæ plures habentur successivè, non est illicita, ad Rom. 7. *Si mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*: immò secundæ nuptiæ sunt sacramentum, licet ille qui ad eas transit fiat irregularis, quia per secundas nuptias non significatur perfectè conjunctio unius Christi cum unicâ Ecclesiâ.

HONESTAS

INVALIDAT decimò Matrimonium. Nihil autem est aliud, quàm propinquitas quædam orta ex validis sponsalibus de futuro, vel ex Matrimonio rato non consummato, quæ ideò vocatur *publica honestas*, quatenus ob publicam honestatem & decentiam justum est impedire Matrimonia inter personas, quæ sibi invicem propinquæ factæ sunt per sponsalia, vel per Matrimonium ratum. Hæc publica honestas est impedimentum dirimens, ut habetur ex capite *si quis desponsaverit*, & multis aliis. Illa tamen non extenditur ad personas affines, sed tantùm ad consanguineos illius personæ, cum qua sponsalia, vel Matrimonium, inita sunt. Publica honestas ex sponsalibus validis procedens jure antiquo dirimebat usque ad quartum gradum, & oriebatur etiam ex invalidis sponsalibus, quæ tales erant aliter, quàm ex defectu consensûs; sed ex jure novo apud Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 3. limitata est ad primum gradum, ita quòd sponsus de futuro cum omnibus consanguineis sponsæ contrahere possit, exceptis matre, filia, & sorore. Quia hoc impedimentum est perpetuum, ideò remanet, mortuis sponso vel sponsâ, ut jura decernunt, etiamsi sponsalia dissoluta fuerint mutuo consensu. Impedimentum publicæ honestatis ortum ex Matrimonio rato, dirimit illud usque ad quartum gradum, quia Pius V. in Bulla *ad Romanum spectat. titulo de Matrimonio & sponsalibus in 7. decretalium*, declaravit quòd Concil. Tridentinum restringeret solummodò illud, quod oritur ex sponsalibus. Quia impedimentum hoc procedit, nedum ex Matrimonio rato valido, sed etiam ex invalido, quod non est invalidum ex defectu consensûs, ideò Matrimonium clandestinum, Matrimonium monachi, conjugati, & similium, quæ sunt invalida inducunt publicæ honestatis impedimentum. Porro, quandoquidem publica honestas est affinitas quædam inchoata, sicut sponsalia sunt aliqualiter Matrimonium inchoatum; ideo sicut perfecta affinitas est impedimentum aliquod Matrimonium dirimens in omnibus gradibus, ut probabitur in sequenti paragrapho, ita justum est & conveniens ut publica honestas in aliquo saltem gradu ipsum dirimat.

AFFINITAS.

UNDECIMÒ, irritatur Matrimonium per affinitatem, quæ est propinquitas personarum proveniens ex carnali copulâ, sivè licitâ, sivè illicitâ. Si oriatur ex licitâ, extendit se ad quartum gradum; si ex illicitâ, ad secundum limitatur. Ratio hujus est, quòd cùm personæ, quæ simul sunt conjunctæ, fiant una caro, consequenter consanguinei unius propter unitatem naturæ & sanguinis, transeunt ad fines alterius in eadem linea & eodem propinquitatis gradu, quo erant alteri consanguinei, per hanc regulam quæ habetur *capite fraternitatis 35. quæst. 10. Si una caro fiunt quomodò potest aliquis eorum propinquus pertinere uni, nisi pertineat alteri.* Cognoscuntur gradus affinitatis per hanc regulam; Quo gradu aliquis est consanguineus viro, eo gradu est affinis mulieri. Licet autem consanguinei viro sint affines uxori ejus, non tamen consanguinei viro sunt affines consanguineis uxoris; & sic duo fratres possunt in Matrimonium ducere duas sorores, & pater & filius contrahere possunt cum matre & filiâ. An affinitas Matrimonium dirimat jure Ecclesiastico vel naturali? Resp. dirimere jure Ecclesiastico usque ad quartum gradum; jure verò naturæ aliqui dicunt dirimere in primo gradu lineæ rectæ; & sic Papam non posse dispensare, ut aliquis contrahat cum matre & filiâ, si filia sit orta ex copulâ licitâ, secùs si ex illicitâ: alii in nullo gradu sentiunt Matrimonium esse prohibitum jure naturæ; sed omnes conveniunt in hoc, quod lege naturæ validum sit Matrimonium in primo gradu lineæ transversæ: unde Genes. 29. Jacob duas sorores sibi junxit, & Summus Pontifex dispensavit cum Rege Angliæ Henrico VIII. ut sponsaret Catharinam uxorem fratris sui; licet eam posteà repudiaverit ex prætextu, quòd talis dispensatio esset invalida: unde propter hoc excommunicatus fuit. Quod si Joann. Baptista Herodem reprehenderit, dicens; *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*, hoc est, quia illam habebat vivente fratre, & quia hoc prohibitum erat lege divinâ positivâ Levitici 18. *Turpitudinem fratris tui non revelabis:* quæ lex abrogata est per novam: unde nunc tale Matrimonium est tantùm prohibitum lege Ecclesiasticâ.

Copula involuntariè habita affinitatem producit, ut expressè declaravit Pontifex *capite discretionem*; quia ad hunc effectum non consideratur culpa, sed quòd partes fiant una caro per actum ad generationem sufficiens, quod potest reperiri in somno, ebrietate, vel in violentia. Copula illicita illam etiam affinitatem inducit ex dicto Pauli 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur.* Et ex Trident. Concil. sess. 24. cap. 4. cum allato superiùs discrimine, quòd ex copula licita oriatur impedimentum dirimens usque ad 4. gradum inclusivè, ut habetur in Concilio Lateranensi, relato *capite non debet. de consanguin. & affinit.* ex illicita verò impedimentum dirimat usque ad secundum gradum inclusive, ut declaravit Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 4. de reformat. Matrim. ubi restringuntur antiqua jura, quæ extendebant tale impedimentum usque ad quartum gradum. Malderus 1. 2. quæst. 90. disput. 2. asserit, talem restrictionem Concilii esse validam, etiam pro locis, ubi Concilium non est receptum. Quod declarasse ferunt Pium V. in favorem Catholicorum in Anglia commorantium, qui gementes sub hæresi communi beneficio Concilii non debent privari. Porro quoad productionem affinitatis, tactus quicumque sint, nec penetratio vasis absque seminatione intra vas, nec congressus spadonum, aut sodomiticus, non sufficiunt ad illam affinitatem; sed requiritur vera copula, ex se sufficiens ad generationem; quia per illam solam partes fiunt una caro. An ad inductionem affinitatis requiratur seminatio fœminæ, multi Theologi asserunt, sed multò plures negant. Quidquid autem sit de controversia, fatentur utrique, præsumi semper fœminam seminasse, tum in foro externo, tum interno.

Ex ante dictis in paragrapho penultimo patet, quòd affinitas sit tantùm de jure Ecclesiastico, tum in linea transversa, tum in linea recta. Ratione primi vidimus, ex dispensatione Pontificis duos fratres duxisse eamdem uxorem. Respectu secundi, ali-

qui existimant conjugium inter Privignum & Novercam esse irritum jure naturæ; sed meliùs cum Scoto *dist.* 41. *num.* 4. tenemus illud posse fieri, ut colligere est ex Concilio Aurelianensi 3. cap. 10. Ratio hujus opinionis petitur ex eo, quòd unitas, quam isti affines habent inter se, sit tantùm accidentalis, ratione commixtionis carnalis inter unum illorum & consanguineum alterius: libenter tamen dixerim, notabilem in hoc haberi indecentiam. Cùm enim Privignus maximè teneatur revereri Novercam suam, ob conjunctionem quam habuit cum patre, quâ vulgo nomine Matris appellatur, & actus carnalis irreverentiam ob nimiam familiaritatem inducat, videtur indecens, Privignum conjungi cum Noverca: unde, nisi maximæ urgerent causæ, tales dispensationes viderentur odiosæ; non tamen dici debent invalidæ, quia jura decernunt simpliciter affinitatem induci tantùm ex jure Ecclesiastico. Quòd si Apostolus 1. ad Corinth. redarguendo incestum Privigni cum sua Noverca dicat, talem fornicationem non audiri inter gentes; hoc ideo dixit, quia pater istius incestuosi adhuc vivebat, dicente Paulo 2. ad Corinth. 7. illum fuisse injurium in patrem, sumendo uxorem patris viventis. Quod idem fecit Herodes, qui redarguitur à Joanne Baptista, quòd uxorem fratris sui adhuc viventis haberet, sicut testatur Josephus lib. 18. antiquit. cap. 7. Licèt aliqui voluerint non oriri affinitatem ex copula fornicaria, contrarium tamen verum est; quia affinitas nascitur ex eo quòd, per conjugium duæ personæ efficiantur una caro; sed per fornicationem duæ personæ una caro efficiuntur, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 6. *Qui adheret meretrici unum corpus efficitur:* ergo ex fornicatione oritur affinitas, quæ in rei veritat non est tam perfecta, ac illa, quæ ex legitimo Matrimonio oritur; attamen est vera affinitas: cùm verè sit pater, qui taliter generat; & verè sit filius, qui sic generatur: unde David decem concubinas suas, quas violaverat filius suus Absalon, reclusit, nec cognovit ampliùs; quia ob conjunctionem cum filio suo factæ erant quasi Nurus.

IMPOTENTIA.

INVALIDATUR Matrimonium duodecimò per impotentiam, modò sit perpetua, modò sit respectu cujuscunque personæ, & modò Matrimonium præcesserit. Impotentia censetur perpetua quæ per triennium duravit ex jure canon. & quæ non potest tolli arte humana, vel sine vitæ periculo: sic ille censetur impotens perpetuus qui potens reddi non potest, nisi per miraculum, aut arte magicâ, aut committendo aliquod peccatum; ut quando mulier à viro cognosci non potest, nisi ab alio anteà cognoscatur: sic mulier censetur impotens quæ non potest reddi apta, nisi per incisionem vitæ periculum inducentem. Quod si impedimentum sit tantùm respectu unius personæ, respectu talis personæ est quidem invalidum, non respectu aliarum; & sic facto divortio authoritate Ecclesiæ, cum alio contrahi potest: sed debet illa impotentia probari per triennium. Quod si impotentia sit antecedens Matrimonium, irritatur; quia finis Matrimonii est, ut conjuges per copulam possint fieri una caro: si verò superveniat Matrimonio consummato, non dirimit; quia jam facti sunt una caro per copulam: licet autem potestas ad copulam sit de essentiâ Matrimonii, non tamen copula actualis ad essentiam ejus spectat. Ex hoc sequitur, Matrimonium con-

A tractum ab Eunucho perfecto, qui omninò caret semine, esse invalidum etiam de jure naturæ; quia copulam habere non potest, quæ consistit in emissione seminis; steriles verò inter quos potest esse vera copula, validè contrahunt; non verò senex decrepitus, si sit omninò impotens ad seminationem; & ad hoc non possit juvari aliquâ arte. Quando cognoscitur impotentia perpetua, separari debent conjuges, nè sit periculum incontinentiæ in tactibus & osculis, quæ tantùm licent in ordine ad copulam: secluso tamen scandalo & illo periculo, vir potest habere sororem quam non potest habere uxorem.

B Impotentia temporalis non dirimit Matrimonium, *capite fraternitatis, de frigidis & maleficiatis.* Quia tunc corpus est simpliciter potens & habile ad copulam, solùmque impeditur pro tempore; unde ex *capite laudabilem*, debet concedi spatium triennii, ut probetur, an talis impotentia sit temporalis, aut perpetua. Imò, si elapso triennio, quo Matrimonium dissolutum est, appareret non amplius esse impotentiam, tunc deberet restaurari Matrimonium sic dissolutum. Ex eodem capite *fraternitatis*, & ex praxi, si arctitudo fœminæ, per levem incisionem, quam pati tenetur, modò absit periculum mortis posset tolli, & sic impotentia coeundi, validum esset Matrimonium; quia non deberet censeri impotentia perpetua. Impuberes jure naturæ C sufficienti utentes ratione Matrimonium contrahere possunt, & dare ex tunc potestatem suæ parti ad copulam pro tempore secuturæ potentiæ: licèt jure Ecclesiastico hoc non possint, masculus ante quartum decimum annum, & femella ante duodecimum, quo tempore censentur habiles ad contrahendum, & non antea, ut habetur *capite tua nobis, titulo de desponsatione impuberum.* Ubi tamen malitia ætatem suppleverit, idest, si antea sint doli capaces, tunc potentia contrahendi potest anticipari. Quòd autem hoc accidere possit, hoc plurima comprobant exempla; cum narretur Achas undecimo anno ætatis suæ genuisse Ezechiam; Salomonem decennem genuisse Roboam & puellam novem anD norum in Belgio concepisse ex famulo, ut narrat Maffæus in chronico ad annum 1337. Quantùm ad hermaphroditos, sive personas habentes utrumque sexum; possunt conjugari juxta prævalentem tantum, ut habetur ex *lege quæritur, ff. de statu hominum.* Si sit æqualis, potest alterutrum eligere, præstito juramento coram Ecclesiastico judice, se post viduationem nunquam conjuncturum sub alio sexu. Si tamen juramentum violaret non propterea dirimeretur Matrimonium. Steriles contrahere posse usus comprobat, cùm possint habere copulam ex se generationi aptam. Similiter dicendum de fœmina, quæ intra matricem non potest retinere semen; quia hoc fit per accidens, & ex se est habilis ad E concipiendum. Senes decrepiti, qui arte vel naturâ possunt excitari ad copulam, non sunt ad contrahendum incapaces. Imò, Navarrus, Rodriguez, & multi alii censent senem, qui arte medicorum non potest excitari ad copulam, esse adhuc in potentia contrahendi; quia hanc potentiam retinet in habitu. Contrarium verisimiliùs tenent alii. Mulier, quæ semper facit abortum, aut sine mortis periculo parere non potest, creditur ab aliquibus incapax Matrimonii, & ab aliis capax; quia hæc impotentia non est perpetua, sed tantùm pro tempore fœcunditatis. Quòd si impotentia sit tantùm respectiva, non dirimit absolutè Matrimonium, nisi respectu eorum, ad quos se extendit.

Supersunt explicanda duo impedimenta, quæ jure novo introduxit Concilium Tridentinum, quod de facili expedietur, quandoquidem jam antea sat diximus de primo, loquentes de Matrimonio clandestino, ubi conformiter Patribus Concilii probavimus, requiri præsentiam Parochi, ac duorum, aut trium testium, sine quibus Matrimonium erat quidem illicitum antea, sed non invalidum, ubi ex determinatione Concilii irritum cœpit haberi. Quantùm ad secundum, Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 6. de reformat. Matrim. determinavit, *Inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium.* Quando autem rapta in loco tuto & libero constituta virum voluerit accipere, hoc potest; etiamsi rapta sit vidua, aut meretrix, aut validè raptori desponsata. Idem dicitur de sponsalibus. Quandoquidem raptus est violenta abductio de loco ad locum ex intentione contrahendi Matrimonium; non requiritur; ut violentia sit physica, sed moralis sufficit, quæ inducitur ex metu vel comminationibus. Si verò abductio illa dolo facta fuerit, non est raptus; quia non est violentia. In hac materia non est argumentandum à simili, nec dicendum, quòd Matrimonium contractum cum viro, quam rapuit mulier, sit invalidum; contrarium enim probabilius censent canonistæ: quia Concilium loquitur simpliciter de raptu mulieris, quæ vix solet raptum committere; unde, quia jura casibus natis obviare solent, ideo verisimillimum est, Concilium intelligi de solo raptu fœminæ. Si aliquis ex mandato alterius pro illo fœminam rapere attentet, soli mandanti prohibetur Matrimonium, non exequenti violentiam, contra quem gravissimæ pœnæ decernuntur à Concilio.

Quantùm denique ad potestatem dispensandi in impedimentis Matrimonii; Summus Pontifex dispensare potest in impedimentis dirimentibus Matrimonium jure Ecclesiastico, nam habet summam potestatem in totâ Ecclesia; non debet tamen hoc facere nisi justâ ex causâ, maximè in his quæ sunt magni momenti, & quæ occasionem scandali præberent: in illis autem impedimentis quæ apponuntur jure naturæ, aut divino, dispensare non potest. Quoad impedimenta quæ Matrimonium non dirimunt, sed tantùm prohibent, Episcopus dispensare potest, licet inducta à superiore sint, hoc enim consuetudine receptum est; excipe tamen votum Castitatis & Religionis. Episcopus etiam dispensare potest super impedimenta dirimentia, quando sunt occulta & Matrimonium publicum, conjugesque sine scandalo separari non possunt, nec facilè ad Summum Pontificem recurrere. Potest insuper Episcopus dispensare super impedimenta dirimentia quæ Matrimonio superveniunt, & impediunt, nè petatur debitum; ut quando advenit Affinitas vel Cognatio spiritualis. Affinitas illa advenire potest, quando sponsus cognovit consanguineam sponsæ; & cognatio spiritualis, quando sponsus extra necessitatem suum filium baptisavit.

Hæ sunt communiter causæ, ex quibus Summi Pontifices dispensare solent. 1. Bonum pacis ex conjugio oriundo, ad quod spectant extinctio inimicitiarum, litium, discordiarum, & præventio, ne ista oriantur, aut homicidia, infamia, aliaque damna, vel scandala, aut pericula peccatorum, v. g. incontinentiæ aut hæresis. 2. Defectus dotis, v. g. si puella dote careat, & affinis velit illam ducere, & ei assignare dotem. 3. Conservatio splendoris alicujus amplissimæ familiæ, v. g. si filia hæres ad aliam transferret prægrandes divitias. 4. Defectus paris conjugii in loco, cujus angustia facit, ut aliquis, vel aliqua non possint conjungi, nisi cum affinibus. 5. Respectus integritatis, quando v. g. diutius filia honestè vixerit, tunc ad remunerandam ipsius temperantiam de facili dispensant Pontifices, ut in gradu prohibito contrahat. 6. Recognitio meritorum personæ petentis dispensationem, vel accipientis. 7. Acquisitio hæreditatis notabilis relictæ sub conditione ducendi talem vel talem. 8. Restauratio Matrimonii bonâ fide contracti, saltem ex una parte, cui supervenit impedimentum. 9. Redintegratio honoris fœminæ violatæ. 10. Impositio mulctæ alicujus, sive pecuniarum, sive alterius boni operis ad pium finem pertinentis; & ista causa vocatur extrinseca: unde, qui petunt dispensationem sine causa, idest absque ulla prædictarum, mulctantur aliquâ summâ pecuniæ, quæ applicari solet ad maritandas pauperes, vel redimendos captivos, vel ad similia pia opera.

QUÆSTIO XVI.

De debito conjugali.

CUM diximus in quæstione præcedenti, quænam sint impedimenta, quæ prohibent, nè Matrimonium licitè fiat; quænam sint illa, quæ ipsum factum irritant; ac proinde, quænam sint occasiones, in quibus liceat ipsum iniri: nunc ad ipsius Matrimonii usum, seu actum conjugalem, transeundum est; & videndum, quando conjuges tenentur ad redditionem debiti, & quando à petitione vel redditione impediantur.

Primò, nemo dubitat, quin teneantur conjuges sibi invicem reddere debitum, cùm ab eorum altera petitur implicitè, vel explicitè; & hoc juxta D. Paulum 1. ad Corinth. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro..... mulier enim sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Quæ verba denotant, hoc debitum esse debitum justitiæ, quod inducit obligationem sub peccato mortali, si seriò & sub obligatione illud petatur; ex negatione enim illius, etiam ex morositate & retardatione, una pars posset esse alteri occasio pollutionum & adulteriorum. Quoniam autem non reperitur ulla ita generalis regula, quin exceptiones aliquas patiatur, sic possunt reperiri excusationes, quæ ab hoc debito reddendo conjuges dispensant, adveniente ad hoc aliquâ causâ rationabili.

Secundò, hæ rationes specialiter dispensant à redditione debiti. 1. Si una pars non possit illud reddere, sine periculo salutis corporalis. 2. Si petatur extra usum rationis, v. g. in amentia, in ebrietate, &c. quia talis petitio non est humana, ubi deest usus rationis, nisi prævideretur, quòd forsan tales uterentur remediis illicitis. 3. Si conjux nimis frequenter debitum redderet; cùm hoc enim repugnet decentiæ & valetudini, præsumitur, quòd partes non habuerint intentionem sese obligandi ad talem usum immoderatum. 4. Si petens laboret morbo contagioso non lethifero, in quo tamen interveniat periculum infectionis; tunc enim licita quidem est redditio debiti, non tamen obligatoria, nisi infectionis periculum desit, de quo consulendi sunt medici. 5. In primo bimestri, quod recens conjugatis conceditur, an velint consumma-

re Matrimonium, vel ingredi religionem, non tenentur conjuges ad redditionem debiti pro prima vice, *ex capite ex publico, de convers. conjug.* Sic D. Thomas, D. Bonaventura & alii, quos refert & sequitur Sanchez lib. 2. num. 24. contra multos tamen.

Tertiò, si conjugati timeant multiplicationem prolis, ad quam sustentandam divitiæ non suppetunt, omnes fatentur, ex mutuo consensu tales excusari ab obligatione reddendi debitum, modò absit periculum incontinentiæ. Excluso tamen hoc consensu, non crederem, partem unam posse debitum negare alteri, simpliciter loquendo. Cùm enim Matrimonium sit ad generationem institutum, defraudaretur finis essentialis illius, si pars una, invitâ alterâ, vellet cessare à Matrimonii usu. Quando tamen est præsens & imminens periculum, & non tantùm à longè prævisum, quòd plures nascerentur proles, quàm parentes alere possent, credibile est, ad usum conjugalem non esse obligatas partes cum tanto gravamine; sicut in aliis moralibus justa censetur haberi dispensatio solvendi debita ob moralem impossibilitatem, seu magnam difficultatem. Alii distinguunt, dicendo, quòd hoc liceat apud honestos & nobiles, qui multos pueros pro conditione sua sustentare nequeunt, nisi cum notabili statûs detrimento; pauperes verò non videri excusandos ob prævisam paupertatem, cùm pane mendicato vivere possint, nec tunc patiantur detrimentum statûs. In his tamen omnibus generaliter dicendum est, quòd si intercedat periculum incontinentiæ, una pars non possit alteri negare debitum ob timorem prolis multiplicandæ. Licèt, cessantibus his & similibus occasionibus, teneantur conjuges sibi mutuò reddere debitum, attamen per se loquendo non tenentur illud petere; quia nemo tenetur jure suo uti. Per accidens tamen vir ad hoc teneri potest, si advertat periculum incontinentiæ in uxore, v. g. quam pudebit debitum petere; ex lege enim charitatis tenetur quilibet impedire peccatum proximi, & à fortiori maritus sponsæ suæ.

Quartò, conjux, qui cognoscendo carnaliter consanguineam sponsæ suæ, contraxerit affinitatem cum illa, non potest ab illa debitum exigere, *ex capite si quis cum filiastra*: tenetur tamen reddere, cùm crimen alterius non possit obesse innocenti. Si tamen ipsa conjux consenserit in talem actum incestuosum mariti, aliqui existimant ipsam incurrere eamdem pœnam, quod concludunt ex quibusdam capitibus juris; quæ quia tamen distinctè non loquuntur, ideo alii negant, quòd privetur jure petendi debitum. Si sponsus culpabiliter contraxerit cognationem cum altera conjuge, suscipiens filium communem, aut filium alterius conjugis, potest reddere debitum, non verò petere: licèt Coninckus dist. 34. dubio 8. existimet in hoc esse quidem peccatum grave, non verò ullam privationem juris sui. Quando una pars privatur jure petendi debitum, alia pars licitè potest illud negare: quia, cùm una privetur jure suo, alia nihil ampliùs ipsi debet. Si tamen illi reddat, non censetur cooperari illius malo; quia in tali casu copula non est illicita, ut talis, sed solùm, quatenus petitur ab incestuoso, cujus petitioni non cooperatur; sed soli copulæ petitæ. Ratio hujus est, quia *ex capite tua fraternitatis*, delictum incestuosi gravare non debet innocentem, qui æquè liber remanere debet ad petitionem & redditionem, ac si delictum commissum non fuisset.

A *Quintò*, licèt in praxi consulendum sit, diebus solemnioribus abstinere ab actu conjugali, ut majori cum devotione conjugati orationi vacare possint; si quis tamen contrarium faciat, peccare non videtur, nequidem peccato veniali; cùm non appareat sufficiens fundamentum, quo propriè obligentur fideles ad abstinentiam copulæ istis diebus; sicut nec quando communionem recipere cupiunt: unde Patres, quos refert Gratianus 33. quæst. 4. dicentes, prædictos tunc debere abstinere, intelligi debent, juxta Scotum dist. 33. ad 3. & alios, quòd hoc expediat quidem, sed non præcipiatur strictè & propriè. Unde uxor de debito conjugali requisita B non debet illud negare marito, melius tamen esset, si eo die, quo uxor communicare prætendit, abstinere vellet à participatione sacramenti; quia ex tali actu libidinoso, sensus ita distrahi possunt, & hebetudo mentis tanta adesse, ut posset oriri culpa quædam venialis irreverentiæ. Licet uxor sit gravida, excluso aborsûs periculo, petere & reddere potest debitum; ita communiter Doctores, contra aliquos; si enim actus conjugalis tunc esset illicitus, non sufficienter provisum esset conjugibus de remedio concupiscentiæ; cùm sæpissime gravidentur multorum uxores. Ob hoc nullibi prohibetur tale commercium ab Ecclesia, Patresque, qui talem usum videntur culpare, intelligendi sunt de consilio. Quoad tempus sequens proximè partum, quo fluunt adhuc mulierum purgationes, non prohibetur usus Matrimonii sub mortali, ut tenent com- C muniter Doctores; quia nulla extat lex de tali prohibitione. Seclusâ tamen ratione aliquâ excusante, verisimiliùs admitteretur peccatum veniale, ob manifestam intemperantiam, quæ reperitur in tali occasione; cùm fœditas magna appareat in tali congressu, vel cum menstruatâ. Et hoc est, quòd innuit D. Gregorius, relatus *capite finali dist. 5. Nisi purgationis tempus transierit, viris suis misceri non debent.* Quoad tempus menstrui, non peccat mortaliter, qui in illo petit debitum; quia licèt hoc prohibitum fuerit in veteri lege, quæ abrogata est quoad judicialia & cæremonialia, in lege tamen nova nullibi prohibitum est. Nec dicendum est, quòd talis actus sit nocivus proli nasciturae; quia falsum est quod dicitur communiter, talem infecta- D ri leprâ. Huic tamen commercio accedere potest culpa venialis respectu petentis debitum, nisi adsit periculum incontinentiæ; quia negari non potest, quin adsit intemperantia in exigendo congressum, durante tali fœditate. Alia tamen pars sufficientem causam habet justè reddendi debitum, ex eo quòd ab illa exigat sponsus. An autem ad hoc teneatur, negat Bonacina cum suis, & alii affirmant.

Sextò, conjugati debent servare modum, seu situm naturalem, in exercendo actu Matrimonii; ita quòd, si mulier absque aliquâ causâ sit incuba, si sit à latere, si stet, vel præposterè cognoscatur, licèt in naturali vase, utraque pars peccet; non quidem mortaliter, quia etsi modus ille ac- E cidentalis sit aliqualiter contra naturam; cùm tamen actus conjugalis non varietur in substantia, quoniam fit in vase ad generationem idoneo: ideò ille modus extraordinarius non pervenire censetur à Doctoribus ad peccatum mortale, nisi esset evidens periculum effusionis seminis extra vas. Quòd si justa aliqua causa interveniat, ut potè, si vir sit succubus, nè aborsûs periculum immineat; aut si dispositio corporis naturalem situm non permittat, tunc nullum est peccatum. Si conjugati congrederentur sodomitice, nullus dubitat, quin mortali-

ter & gravissimè peccarent; unde, potiùs mori, quàm talem concubitum permittere teneretur uxor. Si conjuges tangendo se, mutuò etiam consentientes, pollutionem procuraverint, peccatum gravissimum contra naturam admittunt; nam mollities, quæ est contraria naturæ, per conjugium non potest honestari: imò conjugatorum pollutio habet specialem malitiam, quandoquidem est contra fidem, & contra finem conjugii. Peccarent etiam si coeundo haberent complacentiam, seu in mente sibi proponerent aliam personam, præter compartem. Quòd si sine justa causa sponsus peteret à sponsa debitum conjugale situ extraordinario, de quo locuti fuimus antea, non teneretur ista taliter reddere debitum; quia in hoc, secundùm aliquos, interveniret peccatum mortale; & juxta omnes, saltem peccatum veniale, quod est sufficiens ratio ad negationem debiti. Adde quòd, sive interveniat justa causa, sive non, potest non reddere, nisi adsit periculum incontinentiæ: quia non se obligavit, nisi ad reddendum modo congruo. Quòd si tamen reddat, non peccat; quia, licèt nulla causa adsit ex parte mariti, sufficit pro causa ex parte mulieris, quòd nolit illi displicere ad vitandam discordiam.

Septimò, licèt non desint qui existiment, conjugatos absque omni culpa exercere actum Matrimonii ob solam voluptatem, ut Almainus, Diana, & aliqui; magis tamen mihi arridet opinio Magistri, D. Thomæ & omnium ferè antiquorum, qui hoc illicitum putant; quia contra rectam rationem videtur esse, quòd quis præcisè propter solam delectationem actionem exerceat, quæ adeò brutalis est, ut absorbere usum rationis videatur. Probabiliùs tamen censetur, quod illud peccatum non sit nisi veniale: imò nullum erit, si voluptas tantùm secundariò cum alio fine honesto cointendatur. Possunt conjuges licitè appetere actum conjugalem, ut conservetur, vel restauretur sanitas. Sicut enim in aliis rebus licèt adhibere media per se licita ad fines de se licitos, sic dum conjugati prævident suam sanitatem conservari vel restaurari per tale commercium, quod de se licitum est, illo uti possunt. Fines principales actûs Matrimonii, sunt generatio prolis, solutio debiti comparti suæ, evitatio incontinentiæ in illa, sicut & in se ipso. Generatio prolis est finis principalior, deinde tenetur ex justitia una pars solvere debitum ex justitia parti petenti, tertiò debet ex charitate vitare incontinentiam compartis suæ, tandemque potest quilibet conjugum uti hoc actu, ut in se ipso evitet incontinentiam. Si enim licitè hoc possit facere, ut incontinentiam alienam devitet, non est negandum, quin possit eodem actu uti ad evitandam propriam; juxta D. Paulum 1. ad Corinth. 7. ***Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat.*** Quòd si unus conjugum agnoscat, invalidum esse suum Matrimonium, etiam bonâ fide contractum, non potest petere aut reddere debitum neqüidem imminente morte; quia nullo casu scienter fornicari licet. Si dubitaret tantùm de validitate Matrimonii, deberet illicò inquirere de illa, nè se exponeret fornicandi periculo. Si malâ fide contraxerit, dubitans validum esse Matrimonium, non potest petere debitum, sed tenetur reddere comparti, quæ contraxit bona fide. Quòd si uterque malâ fide contraxerit, dubitans de valore Matrimonii, neuter potest petere aut reddere; quia neutri favet possessio bonæ fidei. Qui bonâ fide contraxit, & postea dubitat, inquirere diligenter debet

A de rei veritate; & si post inquisitionem dubius adhuc maneat, aliqui putant, posse petere debitum, fundati in hoc, quòd habeat legitimam possessionem Matrimonii bonâ fide inchoati; & in dubio melior sit conditio possidentis: alii verò negant *ex capite Dominus, de secundis nuptiis*; ubi habetur, quòd dubitans possit solùm reddere bonâ fide petenti, quod idem habetur *capite inquisitioni, de sententia excommunicationis.*

Octavò, nedum conjuges tenentur ex ante dictis ad mutuam redditionem debiti, sed etiam ad cohabitandum; tum ex jure civili, tum ex canonico, tum ex Scriptura Genes. 2. ***Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.*** Hanc cohabitationem exigunt commoditas
B præstandi debitum, prolis educatio, & alia obsequia, quæ conjuges sibi invicem reddere debent. Cùm autem vir sit administrator familiæ & caput mulieris, ipsius est habitationis electio, & uxoris sequi habitationem viri, nisi in contractu Matrimonii appositum fuerit aliquod pactum, quòd mansuri essent conjuges in hoc vel isto loco. Quòd si vir non soleret vagari ante Matrimonium, & vagabundus vivere vellet ipso inito, ad hoc non teneretur sponsa, quæ verisimiliter non habuit intentionem sese obligandi ad tale onus, quod non decet mulieres. Ad hoc tamen vivendi genus censeretur se obligasse, si usum talis divagationis agnovisset esse in marito ante conjunctionem. Non obstante debito cohabitandi conjugum, potest ali-
C quando sponsus separari à sponsa, pro longo etiam tempore, v. g. si cogatur à principe adire bellum, vel in aliena urbe, aut provincia commorari ob lites, bonorum conservationem, & similia, in quibus non rationabiliter repugnaret uxor. Quòd si sponsus exul fieret extra patriam, & à sponsa exigeret comitatum, ad virum sequendum ista teneretur; quia jure conjugii debet participare ad infortunia sponsi, licèt non sit particeps pœnæ, nec criminis. Porrò, diximus aliàs, quænam sint occasiones, in quibus conjugati possunt licitè facere divortium juxta dictum Concilii Tridentini sess. 24. can. 8. ***Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges, quoad***
D ***thorum, seu quoad cohabitationem ad certum incertum ve tempus, fieri posse decernit, Anathema sit.*** Ex quo patet, duplex esse divortium, seu duplicem posse fieri separationem; nimirum, quoad cohabitationem, & quoad thorum; difficiliùs tamen fit illa, quæ parit communiter scandalum, quàm ista.

Nonò, quia diximus aliàs, adulterium esse unam ex præcipuis causis separationis conjugum, notari superest, quòd si etiam adulterium committeretur ex gravi metu, pars adulterans, nedum graviter adhuc peccaret, sed insuper pati deberet divortium. Sic plures contra alios, allegantes factum
E Lucretiæ, quæ secundùm mentem Augustini lib. 1. de civit. Dei cap. 19. dicit, solum Tarquinium, non verò Lucretiam admisisse adulterium; sed hoc non ad rem: quia non metu peccavit Lucretia, sed violenter oppressa fuit. Quòd si vir consentiat in adulterium mulieris, non potest uti divortio; quia videtur approbasse actionem mulieris, nec potest consequenter ampliùs ipsam posteà punire. Licèt non teneatur conjux innocens facere divortium à conjuge adultera, quia nulla jura id præcipiunt; nè tamen vir crimini uxoris videatur adhærere, adhibere debet separationis punitionem. Si alter conjugum in hæresim aut infidelitatem lapsus fuerit,

innocens potest facere divortium ab illo, *capite quæsivit*, & aliis. Quando tamen redit ad Ecclesiam, illum protunc debet recipere ad cohabitationem & thorum, nisi separatio facta fuerit ex judicio Ecclesiæ. Quando factum est divortium propter adulterium, potest conjux innocens intrare religionem, aut castitatem vovere, ex *capite Agathosa* 27. *quæst.* 2. & aliis. Similiter & suscipere Ordines sacros, quia ab obligatione cohabitandi cum comparte, & debitum conjugale ei reddendi, libera manet pars innocens. Non sic tamen de nocente conjuge, qui non potest absque consensu innocentis, nec vovere castitatem, nec religionem ingredi, nec Ordines sacros suscipere; quia divortium est tantùm in favorem innocentis, qui potest quando voluerit nocentem revocare ad pristinum statum. Cùm nullo jure obligentur conjuges ad usum Matrimonii, possunt ex mutuo consensu se separare ob aliquam honestam causam, modò absit periculum incontinentiæ; imò & vovere continentiam, aut religionem ingredi. Si tamen conjugum unus velit religionem intrare, non sufficit voluntas compartis; sed ipsamet debet religionem ingredi, aut in sæculo manens vovere continentiam.

Quæstio Ultima.

Quid dicendum sit de Sponsalibus?

Sponsalia, quæ à spondendo, seu promittendo dicta sunt, sumuntur primò pro futuri Matrimonii promissione: secundò pro contractu Matrimonii rato, non consummato; unde venit nomen sponsi & sponsæ; unde etiam Luc. 2. Maria dicitur fuisse Josepho desponsata uxor: tertiò pro muneribus quæ olim à sponso dabantur sponsæ. Hîc sumuntur Sponsalia primo modo, in quibus tres conditiones requiruntur; prima, ut sit promissio futuri Matrimonii; secunda, ut sit inter personas habiles ad contrahendum; tertia, ut manifestetur signis aut verbis. De his tribus dicendum est.

Quantùm ad primum, dico, quòd illa promissio futuri Matrimonii debeat esse deliberata, mutua, & facta inter præsentes. Debet primò esse *deliberata*, id est facta cum tali advertentiâ, quanta requiritur ad opus meritorium, vel demeritorium. Si sponsalium promissio fiat ex iracundia, aut aliâ passione, dicendum est, quòd si illa passio ita perturbet rationem, ut advertentiam requisitam impediat, tantam quantam requirit commissio peccati mortalis, illa promissio non sufficit: quòd si cessante illo motu, promissionis sponsum pœniteat (nullâ aliâ superveniente ratione) signum est non fuisse sufficientem deliberationem. Quando sponsalia fiunt fictè, & aliquis promittit exteriùs, non tamen habet animum promittendi aut se obligandi, sponsalia nulla sunt. Quando quis habet voluntatem promittendi & se obligandi, non tamen adimplendi promissum, valida sunt sponsalia. Quando aliquis habet intentionem promittendi, non tamen se obligandi, controvertuntur Doctores, an illa promissio sit valida, & utramque partem existimant probabilem. Quando quis promisit Matrimonium contrahendum cum aliquâ, etiam cum juramento, non tamen habet animum promittendi aut jurandi, non tenetur contrahere ratione fraudis aut injuriæ, quia nulla fit; posset tamen teneri, si in violatione fidei intercederet scandalum; si autem sub promissionis & juramenti prætextu aliquis Virginem violaverit, non sufficit illi dotem constituere, sed eam ducere debet; modò scandalum grave non superveniat, aut modò vir notabiliter mulierem non excesserit, aut nisi ex circumstantiis evidentibus potuerit mulier cognoscere fictionem promissionis; videretur enim pro tunc consensisse fraudi.

Debet secundò promissio Sponsalium esse *mutua*; sponsalia enim sunt promissio futuri Matrimonii, & Matrimonium requirit consensum utriusque partis. Debet, inquam, esse mutua; unde quando sponsorum alter Matrimonium promittit, & alter non repromittit, sed tantùm promissionem alterius acceptat, invalida sunt sponsalia; per hoc enim iste acceptat quidem voluntatem promittentis, sed non intendit repromittere; nec pro tunc tacendo videtur consentire in repromissionem, sed tantùm in acceptationem. An ille qui promittit Matrimonium, alio non repromittente, obligetur ad illud, quando alter posteà repromittit? alii dicunt obligari, non ex vi sponsalium, sed promissionis liberalis: alii sentiunt non obligari, quia illa promissio est onerosa; fit enim sub onere seu conditione repromissionis quæ non fuit: alii dicunt quod si alter paulò post repromittat, ita ut sit continuitas moralis, & voluntas in alio perseveret, iste obligetur reverà.

Debet tertiò promissio Sponsalium fieri *inter præsentes*; unde si promissio Matrimonii futuri facta sit alicui fœminæ absenti, nullo pro illâ talem promissionem acceptante, revocari potest ante absentis acceptationem; & hæc acceptatio promittenti innotescere debet per litteras, vel per nuntium acceptantis. Quod si aliquis illam promissionem acceptet nomine absentis, revocari non potest: modò tamen illa promissio fiat præsenti, ut quando quis diceret, promitto tibi me ducturum Annam; si enim promissio fieret directè absenti, dicendo, promitto Annæ, me illam ducturum, posset revocari illa promissio, antequam acceptaretur ab absente. Quod si acceptans non habeat commissionem specialem repromittendi pro absente, ipse absens potest illam promissionem acceptatam non ratificare, quia acceptans non acceptavit illam nomine proprio, sed sub beneplacito absentis. Porrò, non omnes pro absente acceptare possunt, sed tantùm illi qui commissionem habent, vel qui sunt absenti consanguinitate, aut affinitate conjuncti, vel qui ex illa promissione aliquod commodum reportant, vel qui subsunt absenti aut præsunt; ut Filius pro Patre, servus pro Domino, Princeps pro Subdito, Tutor pro Pupillo, &c.

Quantùm ad secundum, Sponsalia fieri debent inter personas habiles ad contrahendum; sponsalia enim ad Matrimonium ordinantur: unde qui habent inhabilitatem perpetuam ad Matrimonium, habent etiam ad Sponsalia. Dixi *perpetuam*, nam impuberes, & illi qui voto Castitatis obstringuntur ad tempus, possunt Sponsalia emittere de Matrimonio contrahendo, elapso illo tempore. Quoad ætatem; septem anni completi requiruntur ad Sponsalia, & quatuordecim ad Matrimonium in viris, duodecim verò in fœminis. Non requiritur diversa ætas in Sponsalibus, benè autem in Matrimonio; quia ad Sponsalia sufficit usus rationis, qui eodem tempore cunctis adve-

nit; ad Matrimonium verò requiritur virtus generandi, quæ tardiùs advenit viris. Si sponsalia fiant ante completum septennium, invalida sunt, modò malitia non suppleat ætatem; malitia autem censetur ætatem prævenire, si contrahentes possint cognoscere naturam contractûs quem faciunt, & si sint doli capaces. Quod si ultima dies septennii sit inchoata, hoc sufficit ad Sponsalia, in favorem Matrimonii, sicut sufficit in Testamenti favorem.

Quantùm ad tertium; Sponsalium promissio debet esse externa; nam promissio fit homini, & ab homine acceptari debet; non potest autem homo promissionem sibi factam acceptare, nisi sibi manifestetur aliquo signo exteriori: Votum ergo, quia fit Deo, potest consistere in promissione interna; Sponsalia verò, quia fiunt homini, debent habere promissionem externam. Ad Sponsalia non sufficit votum factum Deo de contrahendo Matrimonio cum tali fœminâ, quia votum est de meliori bono; erit tamen validum si Matrimonium necessarium sit, ut quando aliquis aliquam defloravit sub promissione Matrimonii, vel quando ex tali Matrimonio contrahendo advenit magna utilitas reipublicæ, ratione cujus Matrimonium est melius cœlibatu. Promissio Sponsalium non satis exprimitur per taciturnitatem; si enim una regula juris habeat; *qui tacet consentire videtur*: in aliâ habetur, hoc esse verum, quando consensus est in sui favorem, non verò quando est in sui præjudicium; tradere autem alteri potestatem sui corporis, hoc non est in favorem tradentis, sed illius cui fit illa traditio. Debet ergo consensus Sponsalium manifestari verbis; aut signo aliquo habente verborum æquipollentiam, v. g. per nutum; annuli autem subarrhatio est signum de se æquivocum; quod non semper promissionem Matrimonii significat, cùm possit annulus dari ratione simplicis amicitiæ; unde non est signum sufficiens consensûs: sufficit tamen in locis ubi Matrimonium futurum significat, vel ubi verba unius partis præcesserint, si posteà fiat ab unâ immissio annuli, & ab aliâ receptio ejus: si etiam, habito contractu de Matrimonio inter amicos, una pars alteri mittat arrhas vel jocalia, nihil aliud exprimendo, & altera recipiat, hoc sufficit; sicut quando vir promittit Matrimonium per verba, & fœmina sponte manum dederit; qui tacet enim consentire videtur, ubi advenit aliquis actus positivus; hæc enim omnia verbis æquivalent: verba autem quibus exprimitur Sponsalium promissio, sunt ista, aut similia, *Accipiam te in uxorem*, vel *promitto te ducturum in sponsam*, &c.


Quantùm ad obligationem Sponsalium, certum est illa sub peccato mortali obligare; quia contractus Sponsalium est obligatorius in materiâ gravi; ergo sub mortali peccato obligat, etiam jure naturæ, quo aliquis ex fidelitate tenetur promissis stare, & ex justitiâ debet reddere alteri quod suum est. Quòd si in Sponsalium promissione non determinatum fuerit tempus quo contrahi debeat Matrimonium, non tenetur sponsus aut sponsa illud contrahere, nisi alter id petat, modo audeat petere; ex lege enim debitor non tenetur solvere, nisi à creditore requisitus: quod si sponsa non audeat petere adimpletionem Sponsalium, debet sponsus contrahere eo tempore quo prævidet sponsam velle exigere Matrimonium. Non est eadem ratio de Voto quod aliquis emittit de ingressu religionis; debet enim datâ opportunitate statim

A impleri, quia Deus semper illud exigit. Quod si Sponsalia facta sint à parentibus & tutoribus pro filiis aut pupillis suis, qui septimum annum non attigerunt, quod fieri potest in magnâ necessitate; sunt quidem valida, modo accesserit consensus expressus vel tacitus illorum, dùm habent usum rationis; non tamen obligant illos ad consensum, non tenentur enim regulariter filii parentibus obedire in his quæ statum Matrimonialem concernunt; unde si jura dicunt, filium factum puberem teneri ad Matrimonium contrahendum quod Pater promisit pro illo, dùm nondum adultus esset; hoc verum est de debito honestatis, non de debito obligatorio sub peccato mortali.


B Quantùm denique ad Sponsalium solutionem; multæ communiter afferuntur rationes ob quas dirimuntur. Primò, per religionis ingressum factum bonâ fide, sive sequatur professio, sive non; licet etiam sponsalia firmata fuerint juramento, quo non obstante aliquis religionem ingredi potest; promissio enim illa & juramentum, quod illam sequitur, censentur fieri sub tacitâ conditione, quòd status melior non eligatur: quòd si tamen virtute Sponsalium copulam habuerit cum sponsâ, religionem ingredi non potest; quia resarcire injuriam, est de jure naturali, & religio tantùm de consilio. Quòd si post votum de religione factum virginem defloravit aliquis, contrahere cum eâ tenetur, quia vinculum justitiæ fortius est vinculo charitatis; hoc intellige, si votum erat ignotum mulieri. Secundò, dirimuntur etiam per votum simplex castitatis, sive antecesserit Sponsalia, sive illis successerit; nam in contractu Sponsalium semper supponitur conditio hæc, modò status melior non eligatur; cœlibatus autem de fide prævalet Matrimonio. Si ille qui Castitatem vovit, dispensationem sui voti obtinuerit, est liber ut contrahat cùm aliâ; sicut si aliquis è religione egrediatur, modò votum & ingressus religionis facta fuerint bonâ fide. Ratio est, quia quod extinctum est, nunquam revivìscit. Tertiò, dirimuntur Sponsalia per votum suscipiendi sacros Ordines; quia est illis annexum votum Castitatis. Quartò, dissolvuntur per Matrimonium cum alia legitime contractum: quia obligatio Matrimonii est major obligatione sponsalium: si autem subsequens Matrimonium sit irritum, non dissolvuntur Sponsalia; sicut nec dissolvuntur priora Sponsalia per posteriora, etiamsi sequuta fuerit copula affectu maritali; dissolvebantur tamen ante Concil. Tridentinum, quia per talem copulam Sponsalia posteriora transibant in Matrimonium. Et si posteriora Sponsalia facta fuerint cum juramento, non anteriora, non minùs illa sunt valida; juramentum enim quod cedit in præjudicium tertii, iniquum est. Quintò, Sponsalia facta ante pubertatem dissolvi possunt in pubertate; hoc enim jus concedit: intra tamen pubertatem non possunt dirimi, etiamsi uterque consentiat; nam daretur eorum levitati occasio sæpiùs Sponsalia contrahendi. Si unus fiat pubes ante alium, potest revocare Sponsalia, modò hoc fiat statim, hoc est intra triduum; nam statim dicitur fieri, quod intra triduum fit, ex lege. Pubes contrahens Sponsalia cum impubere, non potest ab illis resilire, etiamsi impubes consentiat; quia non censetur habere sufficiens judicium ad solutionem Sponsalium; unde solus impubes, quando fiet pubes, resilire poterit. Sextò, per lapsum termini

præfixi diſſolvuntur Sponſalia ; non quidem ex parte illius, per quem ſtetit mora ; ſed reſpectu innocentis, qui paratus erat ad Matrimonium contrahendum ; tunc enim liber eſt à ſponſalibus, modò dilator moram non fecerit ex juſto impedimento. Septimò, diſſolvuntur ob diſceſſum alterius ſponſi abſque licentiâ alterius, etiamſi ſponſalia ſint firmata juramento : An autem debeat obſervari jus civile præcipiens, quod expectetur biennium, ſi ſponſus ſit intra provinciam ; vel triennium, ſi ſit in aliâ ; dico debere tantùm ſervari in foro ex- A terno, in interno enim jus canonicum nullum tempus præſcribit. Octavo, dirimuntur per Fornicationem ; illa enim ſufficit ad ſeparationem thori : quod intellige, etiamſi vim paſſa fuerit ſponſa, ex cap. *Raptores* 27. *quæſt.* 2. tunc enim ſit notabilis mutatio in perſonâ. Denique diſſolvuntur ob impedimentum dirimens quod ſupervenit ; ut eſt Affinitas ; ob notabilem fœditatem, vel gravem morbum ; ob ſponſorum inimicitiam ; ob converſationis antipathiam ; ob paupertatem ſupervenientem, & ſimilia.

Finis Tractatûs de Sacramentis.







INDEX

MATERIARUM, QUÆ REPERIUNTUR in secunda Parte Theologiæ quadripartitæ Scoti, quæ est Theologia Sacramentalis.

A

D

I

K

L

M

N

Q

R

S

FINIS.

Extrait du Privilege du Roy.

PAR Grace & Privilege du Roy, donné à Paris le dernier Octobre 1664. Signé, Par le Roy en son Conseil LOVIS: Et scellé; Il est permis au R. P. JEAN-GABRIEL BOYVIN, *Prestre, Religieux de l'Ordre des FF. Mineurs de l'estroite Observance de S. François, du Convent de Vire, Professeur en Theologie*, de faire imprimer, vendre & debiter par tel Imprimeur ou Marchand Libraire qu'il voudra choisir, un Livre par luy composé, intitulé *Theologia Scoti à prolixitate, & subtilitas ejus ab obscuritate vindicata*, en telle marge, caractere & volume qu'il jugera à propos, pendant neuf années, à commencer au jour que chaque Volume dudit Livre sera achevé d'imprimer pour la premiere fois, & deffenses sont faites à tous Libraires & Imprimeurs de l'imprimer, d'en vendre & debiter d'autres impressions que de celles faites par les Libraires & Imprimeurs ausquels il aura cedé son droit, à peine de deux mille livres d'amende, & de tous dépens, dommages & interests, & aux charges portées par iceluy.

Ledit R. P. BOYVIN a cedé son droit de Privilege à EDME COUTEROT, Marchand Libraire à Paris, pour en jouïr en son lieu & place, suivant l'accord fait entr'eux le 30. May 1669.

Achevé d'imprimer pour la premiere fois le 20. Novembre 1670.

Extrait d'autre Privilege du Roy.

LE Roy par ses Lettres de Privilege données à Versailles le 14. Octobre 1677. Signées, Par le Roy en son Conseil DESVIEUX, & scellées: Il est permis à EDME COUTEROT Marchand Libraire à Paris, de faire imprimer un Livre intitulé, *P. Boyvin Ordinis Minorum Theologia Scoti*: en tels Volumes & caracteres, & autant de fois qu'il voudra pendant le temps de vingt années, à compter du jour que ledit Livre sera achevé d'imprimer pour la premiere fois: Et defenses sont faites à tous Imprimeurs, Libraires, & autres personnes d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre, d'en vendre & debiter d'autre impression que de celle dudit COUTEROT, ou de ceux ayant droit de luy, à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amande, & de tous dépens, dommages & interests, ainsi qu'il est plus au long porté par lesdites Lettres, & aux charges & conditions portées par icelles.

Registré sur le Livre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, le 20. Octobre 1677.
Signé EDME COUTEROT, *Syndic.*

Achevé d'imprimer pour la premiere fois ledit Livre intitulé *P. Boyvin, Theologia Scoti, in folio*, le 2. Juillet 1678.

ERRATA NOTABILIORA.

Primus numerus paginam designat; secundus paginæ columnam; tertius columnæ lineam.

PAg. 3. col. 1. lin. 5. à quam, *lege* quàm. 4. 2. 64. Theologica, Theologicæ. 5. 1. 31. ad, ab. *ibid.* 65. lavacrum, mundans lavacro. *ibid.* 2. 32. *post* Timoth. *adde* 1. 9. 1. 30. facies, facito. 10. 1. 30. interpolentur, interponantur. 13. 1. 8. illius, illa. *ibid.* 2. 15. propter, Prosper. *ibid.* 18. baptismo circumcisio, baptismus circumcisioni. 14. 2. 35. fine, sive. *ibid.* 4. fine, sive. *ibid.* 31. 2. 22. *ibid.* 34. 3. l. 5. 16. 39. dedit, *adde* dona. *ibid. pen.* vos, nos. *ibid.* 1. *dele* erat. *ibid.* 2. 21. 1. 21. *ibid.* periturs, perirur. 18. 2. 42. prophete, prophetet. 22. 2. 63. balucca, balnra. 23. 1. 52. esse, *dele punctum. ibid.* 2. 12. aëri, fieri. *ibid.* 20. panes Deo suo, panes Dei sui. 30. 1. 16. colunt mandatis, timuerunt mandato. *ibid.* 2. 31. novas, nonas. *ibid.* 43. textuæ, textum. 32. 2. 4. fine, sive. 36. 2. ult. Exodo. Num. 10. 38. 1. 15. aqua, in aqua. *ibid.* spiritu, in spiritu. 39. 1. 27. quis, quid. 40. 1. 31. bitus, habitus. 41. 2. 9. simulate, simulate. 46. 2. 6. operatis, operantis. 48. 1. 51. & 52. propitius ero iniquitatibus, propitiabor iniquitati. *ibid.* 2. 31. 54. 56. *ibid.* 52. præcepta, sabbata. *ibid.* 33. *dele* nominatissimom. 57. 1. 24. et, ut. *ibid.* 48. 5. 7. *ibid.* 2. 28. calicem, bibere calicem. 59. 1. 29. fornalem, fornacem. 60. 1. 30. & 31. martibus, martyribus. 61. 1. 64. esse, esset. *ibid.* 2. 53. vestes, vestes. 64. 1. 38. & 39. recentio, recentioret. *ibid. dele* ret. 67. 2. 13. illi, ille. 69. 38. & 39. sesum, seipsum. 70. 1. 19. Coloss. Ephes. 72. 1. 57. teverti, renovari. *ibid.* 59. non potest peccare, peccatum non facit. 75. 2. 55. raras, ratas. 77. 2. 67. revertià renovari. 80. 2. 30. de cœlo erat, unde erat è cœlo. 83. 27. adderis, addiderit. *ibid.* potestandam, protestandam. *ibid.* 36. Rom. 10. 1. Cor. 12. *ibid.* prophetani, prophetæ. 85. 1. 60. meritor, miatio. *ibid.* 2. 6. materia, materiæ. 87. 2. 32. finem. 93. 2. 41. & 42. desdit, descendit. 94. 1. 19. proponenda, præponenda. 96. 21. 27. detata, detecta. 98. 1. *pen.* communicatio, communin. 102. 2. 18. extrinsecè, intrinsecè. 103. 2. 3. in triduo reædificabo illud, in tribus diebus excitabo illud. 104. 2. 14. & 15. distinctio, distinctio. 105. 1. 23. ut, ut in. 113. 2. 68. Cor. Coloss. 117. 1. 31. & 32. 12. 16. 119. 1. 161. 4. 14. *ibid.* 2. 11. & 18. loquor, locutus sum. 123. 2. *pen.* Christo, de Christo. 129. 2. ult. compere, competere. 131. 2. 60. à substantia, ab accidentibus. 154. 1. 11. frangitur, tradetur. *ibid.* 11. & 12. calix qui pro vobis effunditur, sanguis meus qui pro multis effundetur. *ibid.* 2. 46. ni, in. 158. 2. 58. sacerdotis, sacerdotis. 162. 2. 17. vilis, vilis. 165. 1. 53. consecrare, consecraret. 167. 2. 35. solarium, salarium. 168. 2. 37. peccari, non peccati. 172. 1. 39. notabiliter, notabilis. *ibid.* 48. & 49. habueritis, egeritis. 175. 1. 4. & 5. 24. & 25. habueritis... simul egeritis.... similiter. *ibid.* 35. ipsum, ipse. 175. 1. 52. *dele* est. 177. 1. 36. emissionem, remissionem. *ibid.* 2. 7. 25. 28. 178. 1. 36. domi, domini. 181. 1. ult. & ceciderunt, & prolapsi sunt. 181. 1. 8. *dele* amplius. *ibid.* 2. 53. confusionem, infusionem. 158. 1. 41. dicitur erat. 187. 2. 12. & 58. 6. 9. *ibid.* 2. 19. Deus, Dominus. *ibid.* 2. 6. tuodo, modo. 188. 2. 36. relaxationis, relaxationis. 189. 1. 14. & 15. sacramenta, sacramentalia. 191. 1. 24. non, si. *ibid.* 2. 8. vitis, vivis. *ibid.* 67. *ante* cecidit, *adde* domus Israel. *ibid.* 68. *dele* virgo Israël. 192. 2. 14. 25. 33. 193. 9. 12. censeretur, censesentur. 195. 1. 47. sumpti, sumpto. 196. 2. 39. attributio attritio. 200. pravitate prævaricatione. 202. 2. 29. 23. 16. 210. 1. ult. Deo, ideo. 212. 1. 40. moralia, mortalia. moraliter, mortaliater. 214. 2. 68. amore officii, officium. *ibid.* 38. & 39. 30. 3. 117. 2. 25. bonas, bona. 133. 1. 21. non, anno. 241. 1. 55. invehunt, invehuntur. *ibid.* 38. attritio rem, morem. 113. 2. 19. & 20. observare, absolvere. 217. 1. 74. XII. XXII. *ibid.* ult. sacerdotes, fideles. 220. 2. 37. habendi, habenti. 225. 1. 13. attritio. 251. 1. 8. & 9. 4. 7. 254. 1. 65. partes, partes. 261. 2. 6. & 7. *dele virgulam. ibid.* 20. ad Rom. 1. ad Cor. *ibid.* 34. & 35. facit, creavit. 274. 2. 13. 2. ad Co. 7. 1. ad Cor. 5. *ibid.* 35. veritat, veritati.